


K. Holl

# IOSEPHI BINGHAMI,

RECTORIS ECCLESIAE HAVANTINAE
IN AGRO HANTONIENSI ANGLIAE,

# ORIGINES
## SIVE
# ANTIQVITATES ECCLESIASTICAE.

EX LINGVA ANGLICANA IN LATINAM
VERTIT

## IO. HENRICVS GRISCHOVIVS,
HALBERSTADIENSIS.

VOLVMEN TERTIVM.




*HALAE,*
SVMTIBVS ORPHANOTROPHEI,
M DCC XXVII.

SVMME REVERENDO DOMINO

AC IN DEO PATRI,

# IONATHANI,

DIOECESIS WINCHESTRIENSIS

EPISCOPO,

NEC NON

NOBILISSIMI ORDINIS PERISCELIDIS

PRAESVLI,

HOC TERTIVM VOLVMEN

ORIGINVM ECCLESIASTICARVM

DEMISSE OFFERT

SVMME REVERENDO IPSIVS NOMINI

DEVINCTISSIMVS

IOSEPHVS BINGHAMVS.

ΣΥ'ΝΟΨΙΣ.

# LIBER SEPTIMVS
# De aſcetis in eccleſia primitiua.

## CAPVT PRIMVM
## De differentia inter priſcos aſcetas & monachos, & de prima vitæ monaſticæ origine.



## CAPVT SECVNDVM
## De diuerſis monachorum generibus, eorumque modis viuendi in eccleſia.



§. XIV.

## *CAPVT TERTIVM*
## De antiquis legibus & regulis ad vitam monasticam, præcipue cœnobitarum, respicientibus.

### *CAPVT QVARTVM*

De virginibus & viduis in primitiua ecclesia.



## *LIBER OCTAVVS*

# De antiquis ecclesiis, & diuersis earum partibus, vasis, consecrationibus, immunitatibus & id genus aliis.

### *CAPVT PRIMVM*

De diuersis nominibus & prima origine ecclesiarum inter christianos.



§. II.

## *CAPVT SECVNDVM*

## De differentia inter ecclesias primorum sæculorum & ecclesias sequentium temporum, & de gentilium templis ac iudæorum synagogis in ecclesias christianas conuersis.

## *CAPVT TERTIVM*

## De diuersis antiquarum ecclesiarum formis & partibus: Et primum quidem de narthece exteriore.



## *CAPVT QVARTVM*

## De narthece interiore deque illius partibus & vsibus.



## *CAPVT QVINTVM*

## De nao, seu naue ecclesiæ, eiusque partibus & vsibus.

§. I.

## CAPVT SEXTVM

## De bemate, id est, tertia templi parte, quæ altare & sanctuarium dicebatur, deque eius partibus & vsibus.

## *CAPVT SEPTIMVM*

## De baptisterio & aliis exterioribus ædificiis, exedris ecclesiæ vocitatis.



§. X.

## *CAPVT OCTAVVM*
## De anathematis aliisque antiquarum ecclesiarum ornamentis.

## CAPVT NONVM
## De consecratione ecclesiarum.



## CAPVT DECIMVM
## De honore & veneratione, quam ecclesiis suis exhibuerunt prisci christiani.

## *CAPVT VNDECIMVM*

## De prima origine asylorum, deque legibus eo spectantibus, in ecclesiis christianis.

# *LIBER NONVS*

# Geographica antiquæ ecclesiæ descriptio; vbi de diuisione illius in prouincias, diœceses & parochias, & de prima huius diuisionis origine agitur.

## *CAPVT PRIMVM*

## De statu & diuisione imperii Romani, & quod ecclesia huius ad exemplar externam suam politiam & regimen conformauerit.



§. VIII.

## *CAPVT SECVNDVM*

## De numero, natura & amplitudine diœcesium, siue ecclesiarum episcopalium in Africa, Aegypto, aliisque orientalibus prouinciis.



§. *XVII.*

## *CAPVT TERTIVM*
## De antiquis Asiæ minoris diœcesibus.



## *CAPVT QVARTVM*
## De antiquis Europæ diœcesibus.



§. *V.*

## *CAPVT QVINTVM*
## De diœceſibus Italiæ.

## *CAPVT SEXTVM*
## De diœceſibus Galliæ, Hiſpaniæ & inſularum Britannicarum.



§. XVIII.

## *CAPVT SEPTIMVM*

## Notitia episcopatuum antiquæ ecclesiæ, quæ Leonis Sapientis iussu sæculo nono facta est, cum aliis quibusdam collata.

## *CAPVT OCTAVVM*

## De diuisione diœcesium in parochias, & de prima earum origine.

ORI-



*I. N. I.*

# ORIGINVM ECCLESIASTICARVM
# *LIBER SEPTIMVS*
## DE ASCETIS IN ECCLESIA PRIMITIVA.
### *CAPVT PRIMVM*
### DE DIFFERENTIA INTER PRISCOS ASCETAS ET MONACHOS, ET DE PRIMA VITAE MONASTICAE ORIGINE.

§. I.

*Ascetæ semper fuerunt in ecclesia: Monachi non item.*



VI in veterum ſcriptorum monimentis aliquantum verſati ſunt, illi ſæpiſſime nomen *ἀσκητῶν*, *aſcetarum*, quibusdam chriſtianis, ad diſtinguendum ipſos ab aliis, attribui obſeruauerint. E ſcriptoribus pontificiis plerique, vbicumque hoc vocabulum offendunt, argumentum ex eo captant, quo monachorum vetuſtatem in eccleſia demonſtrent; quum tamen ingens diſcrimen inter vtrosque fuerit. Licet enim ſæculi quarti & quinti ſcriptoribus, quum vita monaſtica vniuerſe inualuiſſet, aſcetæ & monachi v-

nos eosdemque homines significent; in tribus tamen prioribus sæculis maximam partem res aliter se habuit. Fuerunt enim tum semper ascetæ in ecclesia, non autem semper monachi, qui in desertas solitudines & montes confugerent, vel in monasteriis & cellis vitam agerent, vt in posterioribus sæculis.

§. II.

*Hoc discrimen ab ingenuis quibusdam scriptoribus in ecclesia* Romanensi *agnitum.*

Hoc discrimen a candidis & ingenuis quibusdam ecclesiæ *Romanensis* scriptoribus libere admittitur; vt a VALESIO [*a*] & PAGIO [*b*], qui BARONII, CHRISTOPHORSONII aliorumque errores hac in re castigant. EVSEBIVS de iis, quæ de ascetis in *Aegypto* commemorat PHILO IVDAEVS, loquens, christianorum ascetarum [*c*] istius temporis vitam his ipsis exacte describi dicit. Vbi per ascetas CHRISTOPHORSONIVS & BARONIVS monachos ac *religiosos*, vt recentiore stilo ipsis dicuntur, intelligunt: VALESIVS autem, PHILONIS ætate monachos non exstitisse, sed & nomen & institutionem eorum ad multo recentius æuum referendam esse, recte obseruat. Nomen ascetarum multo generalius fuit, quam no-

(a) Vales. not. in Euseb. lib II. c. XVII. Τῶν παρ' ἡμῖν ἀσκητῶν. Musculus & Christophorsonus monachos his verbis significari existimarunt: a quibus magnopere dissentio. ἀσκητὰς enim priscis illis temporibus vocabant eos, qui inter christianos strictius quoddam ac durius vitæ genus profitebantur. Quam vocem a philosophis mutuati erant, qui exercitationem virtutis atque abstinentiæ ἄσκησιν vocabant. Est apud Arrianum in lib. III. dissertationum caput περὶ ἀσκήσεως. Sic apud Artemidorum in lib. IV. c. XXXV. Alexander quidam philosophus ἀσκητὴς vocatur. Et Philo in illud: Excitatus est Noe, p. 280. ἀσκητὴν pietatis exercitiis deditum vocat. Recte igitur Rufinus hæc Eusebii verba, tam de clericis quam de monachis interpretatus est: *Sed & abstinentium vitas, eorum duntaxat, qui nunc in ecclesiis vel monasteriis degunt, describit ad liquidum.* Hæc si animaduertisset Scaliger, non tam facile reprehendisset Eusebium. Neque enim Eusebius monachos a Marco institutos esse dicit Alexandriæ, sed ascetas. *Hi autem multum distant a monachis, vt genus distat a specie.* Et ascetæ quidem in ecclesia fuerunt semper. Monachorum vero nomen & institutum serius cœpit. Scio Cassianum in lib. II. institutionum capite V. Sozomenum & alios hunc Eusebii locum de monachis accepisse. Verum hi ab Eusebii mente, meo quidem iudicio, longe aberrarunt. Conf. infra not. (r)

(b) Pagi critic. in Baron. an. LXII. n. IV. qui istam Valesii obseruationem recitat & calculo suo approbat.

(c) Euseb. lib II. c. XVII. Τὸν βίον τῶν παρ' ἡμῖν ἀσκητῶν ὡς ἔνι μάλιστα ἀκριβέστατα ἱστορῶν κ. τ. λ.

men

men monachorum. Nam etſi quilibet monachus aſceta fuit, nihilo tamen magis quilibet aſceta fuit monachus: ſed olim chriſtianos quosuis, ſtrictius quoddam ac durius vitæ genus profitentes, aſcetas vocabant; quod nomen chriſtiani ab antiquis philoſophis mutuati ſunt, quemadmodum ex ARIANO ARTEMIDORO & PHILONE demonſtrat VALESIVS; & vt vocabulum innuit, eiusmodi hominem ſignificat, qui durioribus regulis abſtinentiæ ac virtutis ipſe ſe exercet; cuiusmodi aſcetæ inde a primis per apoſtolos iactis eccleſiæ fundamentis ſemper exſtiterunt, licet non fuerint monachi.

## §. III.

### *Quinam fuerint primitiui aſcetæ.*

ISTIVSMODI erant omnes iſti, qui durioribus, quam reliqui homines, abſtinentiæ ac ieiunii exercitiis ſeſe adſuefaciebant. Vt qui ORIGENI [d] memorantur, qui a carne ac rebus vitam habentibus non minus quam *Pythagorici* ſe abſtinebant, ſed ex diuerſa prorſus ratione ac conſilio. *Pythagorici* carnibus abſtinebant propter ſtolidam de animæ in varia corpora migratione fabulam, ne quis forte pater occideret ederetque filium ſuum in animantis cuiusdam corpore; *Nos autem*, inquit ille, *dum aliquid tale facimus, ſuggillamus corpus noſtrum, & in ſeruitutem redigimus, exſtinguere volentes membra terrena, ſcortationem, impuritatem, laſciuiam, affectus prauos, & concupiſcentias, vt morti tradamus actiones corporeas.* Talem abſtinentiam *canones apoſtolici* vocant ἄσκησιν [e] *exercitationem*, dicentes: *Si quis epiſcopus, presbyter, vel diaconus, vel omnino ex ſacerdotali numero, a nuptiis, carnibus, & vino* οὐ διὰ ἄσκησιν, *non propter EXERCITATIONEM, ſed propter abomina-*

(d) Orig. contr. Celſ. Ὅρα τὴν διαφορὰν τῆς αἰτίας τῆς τῶν ἐμψύχων ἀποχῆς, τῶν ἀπὸ τοῦ Πυθαγόρου καὶ τῶν ἐν ἡμῖν ἀσκητῶν. ἐκεῖνοι μὲν διὰ τὴν περὶ ψυχῆς μετενσωματουμένης μῦθον ἐμψύχων ἀπέχονται
- - καί τις φίλον υἱὸν ἀείρας,
Σφάξει ἐπευχόμενος μέγα νήπιος: - -
ἡμεῖς δὲ, κἂν τὸ τοιοῦτο πράττωμεν, ποιοῦμεν αὐτὸ, ἐπεὶ ὑπωπιάζομεν τὸ σῶμα καὶ δουλαγωγοῦμεν· καὶ βουλόμεθα νεκροῦν τὰ μέλη τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, πορνείαν, ἀκαθαρσίαν, ἀσέλγειαν, πάθος, ἐπιθυμίαν κακὴν καὶ πάντα γε πράττομεν, ἵνα τὰς πράξεις τοῦ σώματος θανατώσωμεν.

(e) Can. apoſt. c. LI. L. Εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, ἢ ὅλως τοῦ καταλόγου τοῦ ἱερατικοῦ, γάμου, καὶ κρεῶν, καὶ οἴνου, οὐ δι' ἄσκησιν, ἀλλὰ διὰ βδελυρίαν ἀπέχεται, ἐπιλαθόμενος ὅτι πάντα καλὰ λίαν, καὶ ὅτι ἄρσεν καὶ θῆλυ

 tionem

*tionem abstinet, oblitus, quod omnia valde bona, & quod masculinum & femininum fecit deus hominem: sed blasphemans calumniatur opificium, vel corrigatur, vel deponatur, & ex ecclesia eiiciatur.* Vt adeo omnes, qui a carnibus abstinendo se exercuerunt tantummodo propter mortificationem, non ex impuritatis quadam opinione, (vti nonnulli hæretici faciebant) ascetis adnumerati sint, siue laici fuerint siue clerici. Horum nonnulli non a carnis solum esu abstinebant, sed sæpius duos tresue dies ieiuni agebant, nihil prorsus cibi sumentes: cuiusmodi crebriora exempla in IRENAEO [f], DIONYSIO ALEXANDRINO [g], EPIPHANIO [h] aliisque occurrunt. Atque hi itidem ascetæ [i] dicti sunt, a seueriore ieiunandi exercitio, cui ipsi sese adsuefecerunt. Deinde qui plus solito precandi sese dabant exercitio, & tempus suum religioso Dei cultui impendebant, similiter digni videbantur, qui nomine ascetarum insignirentur. Hinc CYRILLVS HIEROSOLYMI-

ἐποίησεν ὁ θεὸς τὸν ἄνθρωπον, ἀλλὰ βλασφημῶν διαβάλλει τὴν δημιουργίαν, ἢ διορθούσθω, ἢ καθαιρείσθω καὶ τῆς ἐκκλησίας ἀποβαλλέσθω.

(f) Iren. ap. Euseb. lib. V. c. XXIV. Οἱ μὲν οἴονται μίαν ἡμέραν δεῖν αὐτοὺς νηστεύειν· οἱ δὲ δύο, οἱ δὲ καὶ πλείονας· οἱ δὲ τεσσαράκοντα ὥρας ἡμερινάς τε καὶ νυκτερινὰς συμμετροῦσι τὴν ἡμέραν αὐτῶν. Quidam existimant, vnico die sibi esse ieiunandum: alii duobus, alii pluribus: nonnulli etiam quadraginta horis, diurnis ac nocturnis computatis diem suum metiuntur.

(g) Dionys. ep. can. apud Beuereg. pand. tom. II. p. 3. ἐπεὶ μηδὲ τὰς ἓξ τῶν νηστειῶν ἡμέρας ἴσας μηδὲ ὁμοίως πάντες διαμένουσιν· ἀλλ' οἱ μὲν καὶ πάσας ὑπερτιθέασιν ἄσιτοι διατελοῦντες, οἱ δὲ δύο, οἱ δὲ τρεῖς, οἱ δὲ τέσσαρας, οἱ δὲ οὐδεμίαν· quandoquidem nec sex ieiuniorum dies æqualiter, nec similiter omnes exspectant: sed alii quidem vel omnes transmittunt, *ieiuni permanentes*, alii duos, alii quatuor, alii nullum.

(h) Epiphan. exposit. fid. n. XXII. οἱ σπουδαῖοι διπλᾶς, καὶ τριπλᾶς, καὶ τετραπλᾶς ὑπερτίθενται, καὶ ὅλην τὴν ἑβδομάδα τινὲς ἄχρι ἀλεκτρυόνων κλαγγῆς, τῆς Κυριακῆς ἐπιφωσκούσης, Nonnulli ad biduum, vel triduum, vel quatriduum vsque ieiunia prorogant: alii totam hebdomadem ad vsque sequentis dominicæ gallicinium *sine cibo* transmittunt.

(i) Antioch. hom. VII. in biblioth. patr. græc. latin. tom. I. p. 1037. Νηστεία ἐστὶν οὐ μόνον τὸ βραδυφαγῆσαι, ἀλλὰ καὶ τὸ βραχυφαγῆσαι, καὶ οὐ διὰ δύο ἐσθίειν (τοῦτο ἄσκησις ἐστιν) ἀλλὰ τὸ μὴ πολυφαγῆσαι. ἄσκησις γάρ ἐστιν ἐν μονοειδεῖ τροφῇ συνεσταλμένη τράπεζα. Ieiunium est, non solum si cibum sumseris solito serius, at, ne si bis quidem comedas (tale enim ad exercitationem pertinet) sed prouidendum magis, ne vtare obsoniis tam vario apparatu concinnatis & instructis. Ascetæ est, vt mensulam suam ad vniformem contrahat cibum.

TANVS

TANVS [*k*] de *Anna* prophetiſſa (quæ non abſcedebat a templo, colens Deum ieiuniis ac deprecationibus noctem ac diem) loquens *ἀσκήτριαν ἐυλαβεςάτην* eam appellat, quod plerique interpretes non adeo recte reddunt per *monialem*, quaſi monaſterio cuidam adſtricta fuerit, qua de re hiſce temporibus in vrbe *Hieroſolymorum* nihil deprehendimus. Porro, ſi quis caritatem ac contemtum mundi gradu quodam excellentiore exerceret, ſi, exempli cauſſa, vniuerſa bona cultui diuino vel pauperum vſui dedicaret, res alia erat, vnde iſtiusmodi homo nomen aſcetæ ſortiebatur. Hoc intuitu HIERONYMVS *Pierium* [*l*] *miræ ἀσκήσεως appetitorem* nuncupat, quod inter alia voluntariam amplexus paupertatem vitam ageret duriorem ac philoſophicam. Et forte ob eamdem rationem *Serapioni* epiſcopo *Antiocheno* idem nomen [*m*] adſignat, vt qui ſacro miniſterio initiatus omnes facultates ſuas eccleſiæ vſibus conſecrauerat; quæ res hiſce temporibus admodum vulgaris erat, vt ex exemplis CYPRIANI, PAVLINI, GREGORII NAZIANZENI multorumque aliorum videre eſt. Poſtea viduæ & virgines eccleſiaſticæ & omnes ad ſolitariam vitam ſeſe adſtringentes & propter regnum cælorum caſtrantes, aſcetarum numero adſcribebantur, licet tunc temporis nec monaſterium eſſet, nec votum, quo ad hanc vitæ rationem obligarentur. Ita de *Marcione* obſeruat EPIPHANIVS [*n*], quod antequam in hæreſin incidiſſet, caſtitatem præ ſe ferens aſcetarum inſtituta profeſſus ſit ſub parente, oppidi *Sinopes* in *Ponto* epiſcopo, a quo ob vitiatam virginem eccleſiaſticam eccleſia pulſus ſit. ORIGENES ſimiliter ad hoc nomen adludit, quando eorum numerum, qui in perpetua [*o*] virginitate ſeſe exerceant inter chriſtianos, omnino magnum eſſe adfirmat, ſi cum paucis illis

(k) Cyrill. catech. X. n. IX, edit. Oxon. MDCCIII, ita habet: Καὶ Ἄννα προφῆτις. ἐγκρατὴς, ἐυλαβεςάτη, καὶ ἀσκήτρια μαρτυρεῖ περὶ αὐτȣ̃.

(l) Hieronym. de ſcriptor. eccleſ. c. LXXVI. Conſtat, hunc miræ ἀσκήσεως appetitorem & voluntariæ paupertatis.

(m) Ibid. c. XLI. Leguntur eius breues epiſtolæ, auctoris ſui ἀσκήσει & vitæ congruentes.

(n) Epiph. hæreſ. XLII. n. 1. τὸν δὲ πρῶτον αὐτȣ̃ βίον παρθενίαν δῆθεν ἤσκει· μονάζων γὰρ ὑπῆρχε. κ. τ. λ.

(o) Orig. c. Celſ. lib. VII. p. 365. Ἐν χριςιανοῖς ȣ̓ διὰ τὰς παρὰ ἀνθρώποις τιμὰς, ȣ̓ διὰ μισθȣ̀ς καὶ ἀργύρια, ȣ̓δὲ διὰ δοξάριον, ἀσκȣ̃σι τὴν παντελῆ παρθενίαν.



com-

comparentur, qui inter gentiles hoc faciant; & hinc sæculis posterioribus per *ascetrias* in lege ciuili [p] plerumque viduæ ac virgines ecclesiasticæ intelliguntur. Denique, quicumque insolitæ duritiæ ac austeritati sese dabant, vt in pietatis & religionis cultu tanto magis proficerent, sæpius vigilantes, humi cubantes, & id genus alia facientes, itidem ascetarum nomine veniebant. Ad quos adludens ATHANASIVS, vel quisquis auctor *synopseos scripturæ* inter eius opera est, *Lucianum* martyrem μέγαν ἀσκητὴν [q] *magnum ascetam* vocat, propter duritiem, cui sese in carcere adsuefecerat; dum integros dies duodecim super acutis testis cubare necesse habere, ambobus pedibus eius in cippum immissis, manibusque in quodam ligno vinctis, vt ne liceret ipsi se vertere nec mouere; dumque ab omni cibo prohibitus, nisi vellet vesci iis, quæ idolis sacrificarentur, fame perire, quam eis se polluere multo maluit, quemadmodum acta martyrii eius historiam narrant. Ex his itaque, quæ de priscis ascetis tradidimus, plane elucet, quod ab initio non monachi, sed omnium ordinum homines fuerint, qui libere eiusmodi vitæ rationem iniere, quæ ad quamdam eos austeritatem induxerit, neque vero stationem suam vel functionem in mundo deserere coëgerit, siue illa ecclesiastica esset, siue sæcularis, cui alioquin sese manciparant. Atque hinc quotiescunque in priorum trium sæculorum scriptoribus de ascetis relatum quid legimus, nobis caueamus par est, ne cum BARONIO monachos & regulares somniemus, sed alius sortis homines, qui huic descriptioni conueniant, intelligamus. VALESIVS [r] hanc obseruationem in diuersa loca libri EVSEBII de *martyribus Palæstinæ*, qui sæculo quarto ine-

Apud christianos non propter humanos hono[illegible], non propter mercedes pecuniarias, non propter gloriolas virginitatis viget studium.

(p) Iustin. nouell CXXIII. c. XLIII. Εἴ τις ἁρπάσει, ἢ ὑποθεύσει, ἢ διαφθείρῃ ἀσκήτριαν κ. τ. λ. Si quis rapuerit, aut sollicitauerit, aut corruperit *ascetriam*. cet.

(q) Athan. Synop. tom. II. p. 157. edit. Paris. M DC XXVII. (p. 204. 2. edit. MDCXCVIII. Ἑβδόμη πάλιν καὶ τελευταία ἑρμηνεία, ἡ τοῦ ἁγίου Λουκιανοῦ τοῦ μεγάλου ἀσκητοῦ καὶ μάρτυρος κ. τ. λ. Septima & postrema interpretatio sancti Luciani, *magni ascetæ* & martyris est.

(r) Valesf. not. in Euseb. de martyr Palæstin. c. XI. Male Christophorsonus monachos intellexit (per ascetas). Neque enim tunc temporis vlli adhuc erant monachi. At si qui erant, longe ab illis distabant *ascetæ*. Nam monachi, vt nomen i-

unte

unte sub persecutione *Diocletianea* mortem passi sunt, habet. Horum quemdam Πέτρον ἀσκητὴν, *Petrum ascetam* [s] & alium *Seleucum*, nomine ζηλωτὴν τῶν τῆς θεοσεβείας ἀσκητῶν *religiosorum ascetarum* [t] *imitatorem* vocat, quorum præcipuum negotium fuerit, pupillis ac viduis omni ope ac patrocinio destitutis, egenis quoque & infirmis inspectores sese atque adiutores exhibere. Hi non fuerunt monachi, quemadmodum recte monet VALESIVS. Nam HIERONYMVS diserte testatur, nullum in *Palæstina* monachum fuisse ante *Hilarionem*, qui vitam monasticam non nisi quinquaginta circiter annis post horum martyrum obitum in hanc regionem introduxit. Idem COTELERIVS [u] in *constitutionum apostolicarum* auctorem obseruat, qui de ascetis [x] inter alios christianorum ordines, numquam autem de monachis loquitur. Vnde non sine verisimilitudine hunc librum ante exortum vitæ monasticæ conscriptum esse, concludit; quod nemo facile sibi persuasurus sit, fieri potuisse, vt, quum aliorum in his colle-

psum indicat, solitudinem sectabantur. Ascetæ vero in mediis versabantur vrbibus. Quicumque igitur ex euangelii præceptis seueriorem vitam instituerant & cuncta propter Deum reliquerant, ascetæ dicebantur. Sic Petrus quidam asceta & virgo ascetria nominatur supra in hoc Eusebii libro. Quos si quis monachos nominare vellet, is procul dubio falleretur. Conf. supra not. (a) pag. 2.

(s) Euseb. de martyr. Palæst. c. X. Πέτρος ἀσκητὴς ὁ καὶ Ἀψέλαμος, *Petrus asceta*, qui & Apselamus vocabatur.

(t) Ibid. c. XI. p. 277. d. Μετὰ τὴν τῆς στρατείας ἀπαλλαγὴν ζηλωτὴν ἑαυτὸν καταστήσας τῶν τῆς θεοσεβείας ἀσκητῶν· ὀρφανῶν ἐρήμων καὶ χηρῶν ἀπεριστάτων, τῶν τε ἐν πενίαις καὶ ἀσθενείαις ἀπερριμμένων, ἐπίσκοπος ὥσπερ καὶ ἐπίκουρος, πατρὸς καὶ κηδεμόνος δίκην ἀναπέφανται.

(u) Coteler. not. in constitut. apost. lib. VIII. c. XIII. n. 76. Οἱ ἀσκηταί. Non monachi ascetæ; sed laici, in seuerioribus pietatis officiis sese exercentes: quales semper inter christianos exstitisse, dubitari non debet; vt & ecclesiasticas virgines nequaquam moniales ascetrias. Nam opus, quod notis imus illustratum, *ante exortum vitæ monasticæ conscriptum fuit:* vnde in eo nulla illius mentio, multa habenda, si per tempus licuisset.

(x) Constit. apost. ibid. Μετὰ τοῦτο μεταλαμβανέτω ὁ ἐπίσκοπος, ἔπειτα οἱ πρεσβύτεροι καὶ οἱ διάκονοι, καὶ ὑποδιάκονοι, καὶ οἱ ἀναγνῶσται, καὶ οἱ ψάλται, καὶ οἱ ἀσκηταὶ, καὶ ἐν ταῖς γυναιξὶν αἱ διακόνισσαι, καὶ αἱ παρθένοι, καὶ αἱ χῆραι, εἶτα τὰ παιδία, καὶ τότε πᾶς ὁ λαὸς κατὰ τάξιν μετὰ αἰδοῦς καὶ εὐλαβείας ἄνευ θορύβου. Post hoc sumat & communicet episcopus, deinde presbyteri, diaconi, subdiaconi, lectores, cantores & *ascetæ*; & in feminis diaconissæ, virgines & viduæ, postea pueri, tuncque omnis populus ordine cum pudore & reuerentia, absque strepitu.

ctioni-

ctionibus meminerit, nullam prorſus monachorum iniiceret mentionem.

## §. IV.

### *Quando vita monaſtica primum cœperit.*

Ascetae igitur ſemper fuerunt in eccleſia: vita autem monaſtica nec nomine, nec re ipſa ad quartum vſque ſæculum nota fuit. pagivs [y] initia eius *Conſtantini* temporibus adſcribit, & holstenivm [z] atque papeprochivm [a] in eamdem citat ſententiam. Huius cum origine ſic comparatum fuit: Sub perſecutione *Deciana*, quæ circa ſæculum tertium medium feruebat, multi homines in *Aegypto* huius tempeſtatis æſtum euitaturi ad vicinas ſolitudines ac montes ſe recipiebant, vbi non ſolum tutum a vexationibus perfugium, ſed plus etiam temporis ac libertatis ſeſe in pietate ac diuina contemplatione exercendi inueniebant. Quæ vitæ ratio etſi primum neceſſitate vrgente inita, nonnullis eorum adeo iucunda euadebat, vt, quum perſecutio deſiiſſet, ad priſtina ſua domicilia reuerti nollent, in caſulis ſiue

(y) Pagi critic. in Baron. an. CCCXVIII. n. XII. (n. XIV. edit. Antuerp. MDCCV.) In actis S. *Pachomii* a monacho ſupparis æui ſcriptis capite primo dicitur: *Quum finem accepiſſet perſecutio, regnauit Conſtantinus M. imperatorum Romanorum primus chriſtianus; & aduerſus tyrannum quemdam bello contendens multos etiam tirones conquiri iuſſit: quos inter ipſe quoque in militiam abreptus eſt Pachomius vigeſimum tunc circiter agens ætatis ſuæ annum*; & deinde ait, Pachomium ſub Palæmone in Aegypto monachatum amplexum eſſe. Hactenus ignoratum, de quo tyranno ibi ſermo fiat. Baronius quidem *Licinium* intelligit: alii *Maxentium*, alii *Achillem*, qui Diocletiano imperante tyrannidem in Aegypto arripuit. Sed quidquid ſit, recte Holſtenius in præfatione ad regulas veterum monachorum ætati Conſtantini M. vitæ regularis initia imputat: Illi enim conſentit actorum S. Pachomii auctor, quum dicit in prologo, quod extremæ perſecutionis tempore, *tunc & monaſteria cœpta ſunt exſtrui, & aſcetarum habitacula in vitæ innocentia & rerum omnium abdicatione fundari*; idque, vt ait ipſe, exemplo potiſſimum S. *Antonii*, *aſcetæ clariſſimi & in omni virtutum genere excellentis, cuius ea fuit vitæ ratio, quam & magnus Elias & Eliſæus & Ioannes Baptiſta quondam tenuerunt.*

(z) Holſten. præf. ad regul. veter. monach. c. 1. Verum & alia multa eccleſiaſtica monumenta illorum temporum, ſic memoria diſtinctior primæuæ illius vitæ regularis, Diocletiani flammis, quibus chriſtiana tabularia conflagrauit, abolita fuit. Ex his porro, quæ ſuperſunt, monumentis *ætati Conſtantini magni vitæ regularis initia* imputanda ſunt, tunc ſcilicet per eccleſiæ pacem ea perpetuari ſine interpellatione, dilatari ſine obſtaculis potuit.

(a) Papebroch. com. in acta Pachomii Maii XIV. tom. III. act. Sanctor. p. 295.

cellu-

cellulis, quas in ſolitudine ſibi ipſi parauerant, permanere diſcupientes. Primi & notiſſimi horum fuerunt *Paulus* & *Antonius*, duo celeberrimi *Aegyptii*, quorum alterum HIERONYMVS [*b*] vitæ anachoretarum auctorem, illuſtratorem alterum nominat. Etſi enim quidam eos a *Ioanne* baptiſta & *Elia* deducunt, illi tamen, qui rem melius intelligunt, *Paulum Thebæum* pro principe & *Antonium* pro ſtimulatore huius vitæ inter chriſtianos habent: cui opinioni tamquam veriſſimæ ipſe HIERONYMVS [*c*] ſubſcribit. Nondum vero vlla hominum hanc vitam amplexantium erat conſociatio atque communitas, nec vllum exſtructum monaſterium, ſiue vllæ ſocietates ad certam methodum ac regulas, quibus gubernandæ eſſent, formatæ; ſed pauci tantum & ſingulares homines huc illuc in deſertis *Aegypti* diſperſi viuebant, donec *Pachomius*, pacatis imperii *Conſtantini* temporibus finitaque perſecutione, quædam monaſteria in *Thebaide Aegypti* ædificanda curaret, vnde conſuetudo ad certas regulas in ſocietatibus viuendi in aliis mundi partibus, temporibus ſubſequutis, gradatim obtinuit. Hoc manifeſtum ex iis eſt, quæ PAPEPROCHIVS & PAGIVS [*d*] ex antiquo quodam actorum PACHOMII ſcriptore obſeruarunt, vbi auctor *Antonium* eremitam introducit, diuerſæ vitæ monaſticæ ſtatum inter ſe comparantem. *Quo ego primum tempore*, inquit [*e*], *monachum cœpi agere, nullum vſpiam exſtabat cœnobium, in quo de aliorum ſalute cura aut metus cuipiam erat: ſed quisque antiquorum monachorum perſecutione iam finita priuatim in vita ſeſe monaſtica exercebat. Poſtea vero pater veſter* (*Sacchæum* adloquitur, *Pachomii* diſcipulum) *tantum bonum, deo adiuuante, effecit.* Hoc eſt, eo monachos adduxit, vt in commune & ad certas regulas viuerent, quod antea non fecerant. Vt adeo heic ſimul & ortum & progreſſum vitæ monaſticæ videamus. Ad annum vſque CCL non fuerunt monachi, ſed tantum aſcetæ in eccleſia:

(*b*) Hieron. ep. XXII. ad Euſtoch. c. XVI. Quia nunc de virginibus ſcribens pene ſuperfluum de monachis diſputaui, ad tertium genus veniam, quos *anachoretas* vocant, qui de cœnobiis exeuntes, excepto pane & ſale, ad deſerta nihil perferunt amplius. *Huius vitæ auctor Paulus, illuſtrator Antonius* fuit.

(*c*) Hieron. vit. Paul. tom. I. p. 237. edit. Baſil. MDLXV. (p. 154. edit. Francof. MDCLXXXIV.) Adfirmant, Paulum quemdam Thebæum principem iſtius rei fuiſſe: quod non tam nomine quam opinione nos quoque comprobamus.

(*d*) Pagi critic. in Baron. an. CCCXVIII. n. XII. (XIV.)

(*e*) Acta Pachomii c. LXXVII. ap. Papebroch. die XIV. Maii.

ex hoc tempore ad imperium vſque *Conſtantini* vita ſolitaria ad anachoretas in priuatis ſolitudinis cellulis degentes, adſtricta fuit. Quando autem *Pachomius* monaſteria in *Aegypto* erexerat, aliæ regiones hoc exemplum e veſtigio imitatæ ſunt, atque ita vita monaſtica ad plenam maturitatem in eccleſia peruenit. *Hilarion*, *Antonii* diſcipulus, primus fuit monachus, qui vmquam in *Palæſtina* ſiue *Syria* vixit. HIERONYMVS [*f*] enim diſerte dicit, nec monaſteria fuiſſe illic ante eius aduentum, nec monachos, ſed ipſum fundatorem & eruditorem eius conuerſationis & ſtudii in his prouinciis exſtitiſſe. Non multo poſt *Euſtathius* epiſcopus *Sebaſtiæ* inter *Armenios*, *Paphlagonas* & *Ponti* accolas monachiſmum introduxit, vt auctor nobis eſt SOZOMENVS [*g*]. Adhuc autem nulla monaſteria in *Thracia* vel *Illyrico*, vel inter *Europæos* fuerunt, vt idem auctor teſtatur. BARONIVS [*h*] fatetur, in *Italia* ſiue *Romæ* non fuiſſe monaſteria, vſquedum *Athanaſius* an. CCCXL eo venerit, & anachoretas ad *Pachomii* & monachorum *Aegyptiorum* exemplum coniunctim viuere docuerit. Id quod ab HIERONYMO [*i*] confirmatur, qui *Marcellam* ex nobilibus feminis primam *Romæ* vitam monaſticam amplexam, & ab *Athanaſio* & *Petro* iſtius ſucceſſore, qui perſecutionem *Arianæ* hæreſeos declinantes quaſi ad tutiſſimum communionis ſuæ portum

(*f*) Hieron. vit. Hilar. c. XI. Nec dum enim tunc monaſteria erant in Palæſtina, nec quiſquam monachos ante ſanctum Hilarionem in Syria nouerat. Ille fundator & eruditor huius conuerſationis & ſtudii in hac prouincia fuit.

(*g*) Sozom. lib. III. c. XIV. Ἀρμενίοις καὶ παφλαγόσι καὶ τοῖς πρὸς τὸν Πόντον οἰκοῦσι λέγεται Εὐστάθιος, ὁ τὴν ἐν Σεβαστίᾳ τῆς Ἀρμενίας ἐκκλησίαν ἐπιτροπεύσας, μοναχικῆς πολιτείας ἄρξαι, καὶ τῆς ἐν ταύτῃ σπουδαίας ἀγωγῆς, ἐδεσμάτων τε ὧν χρὴ μετέχειν καὶ ἀπέχεσθαι, καὶ ἐσθῆτος ᾗ δεῖ κεχρῆσθαι, καὶ ἠθῶν καὶ πολιτείας ἀκριβοῦς εἰσηγητὴν γενόμενον. Apud Armenios & Paphlagonas & accolas Ponti, Euſtathius Sebaſtiæ in Armenia epiſcopus, monaſticæ conuerſationis auctor fuiſſe dicitur; & de arctioris vitæ diſciplina, de cibis, quibus vtendum aut a quibus abſtinendum eſſet: de veſtibus quibus vti oporteret, de moribus denique & exacta viuendi ratione præcepta tradidiſſe.

(*h*) Baron. an. CCCXL. n. VII. Quam proficuus fuerit Athanaſii Romam acceſſus, vel ex eo poteſt intelligi, quod in vrbem inuexerit ipſe primus Agyptiorum monachorum inſtitutionem, vitamque admirandam Antonii magni, licet adhuc viuentis, a ſe conſcriptam detulerit: cetera.

(*i*) Hieron. epiſt. XVI. epitaph. Marcellæ. (tom. I. p. 77. d. edit. Francof.) Nulla eo tempore nobilium feminarum nouerat Romæ propoſitum monachorum, nec audebat, propter rei nouitatem, ignominioſum, (vt tunc putabatur) & vile in populis nomen adſumere. Hæc (Marcella) ab Alexandrinis ſacerdotibus, papa-

Romam

*Romam* confugerant, inſtitutam fuiſſe, narrat. Aliquanto poſt *Martinus* epiſcopus eccleſiæ *Turonicæ* cellulam ſuam in *Gallia* fixit, & octoginta alii monachi [*k*] ipſius ſequuti ſunt exemplum. Vnde ex quorumdam virorum doctorum ſententia [*l*] *Pelagius* vitam monaſticam ſæculo quinto ineunte in *Britanniam* inuexit: vltra quam periodum vt hanc diſquiſitionem meam extendam, non neceſſe eſſe, exiſtimo. Qui diuerſorum recentiorum ordinum ortum & diſtinctionem cognoſcere cupiunt, HOSPINIANVM, CRECCELIVM & alios adeant, qui hanc hiſtoriam per omnia ſæcula perſequuntur. vid. HOSPINIANVM de *Origin. monachor.* CRECCELII *collectanea de origine & fundat. ordin. monaſtic. &c.*

## §. V.

### *Qua in re aſcetæ a monachis diſcrepauerint.*

IAM vero inquirendum erit, quum monachi multo recentiorem habeant originem quam aſcetæ, qua in re aſcetæ veteres ab illis diſcrepauerint? Ad quod reſponderi poteſt: In his tribus potiſſimum rebus. I. Quod monachi fuerint homines, frequentiam & conuerſationem mundi fugientes: nam vel in priuatis cellulis ipſi ſoli viuebant; vel ſi in monaſteriis & ſocietatibus degerent, hæ tamen a ciuitatibus remotæ erant in procul diſſitis montibus vel in deſerta ſolitudine. At vero primi aſcetæ, vt nominis fert ratio, ſemper erant actuoſæ vitæ homines, in ciuitatibus perinde ac alii homines viuentes, nec vlla in re ab eis diſcrepantes, niſi in hoc ſolum, vt acriore ſtudio ac animi intentione ad maiores & heroicas chriſtianæ virtutis actiones ferrentur. II. Monachos ex prima inſtitutione, vt poſtea videbimus, non niſi laicos eſſe oportebat. Quum enim ad ſolitudinem adſtricti eſſent, vita clericalis & monaſtica hoc intuitu ſimul conſiſtere non poterat, & per integrum ſæculum vix vmquam alia cum alia fuit coniuncta. Antiqui autem aſcetæ de cuiusuis ordinis hominibus erant ſine vllo diſcrimine, non mi-

que Athanaſio, & poſtea Petro, qui perſequutionem Arrianæ hæreſeos declinantes, quaſi ad tutiſſimum communionis ſuæ portum Romam confugerant, vitam beati Antonii adhuc tunc viuentis monaſteriorumque in Thebaide Pachomii & virginum ac viduarum didicit diſciplinam.

(*k*) Seuer. vit. Martin. c. VII. (c. X, p. 315. edit. Lipſ. MDCCIII.) *Diſcipuli octoginta erant, qui ad exemplum beati magiſtri inſtituebantur.*

(*l*) Sutl.f. de monach. inſtitut. c. VI.

nus de clericis quam laicis, quia vita clericalis & ascetica cum quauis alia consistere poterat: quum cuiuslibet negotium esset conuersari cum hominibus, & in actibus pietatis & caritatis inter illos sese exercere. III. Monachi, ad minimum illi, qui in monasteriis vitam agebant & societatibus, semper certis priuatis regulis ac legibus disciplinæ suberant: Veteres autem ascetæ non nisi leges euangelii habebant & ecclesiæ, in qua viuebant, quibus erant moderandi. Exercitia eorum libere electa & libere continuata, quo modo & quo gradu ipsimet volebant, nullis legibus obligantibus regulisue compellentibus obnoxii. Atque hæc itidem probant, priscos ascetas non fuisse monachos, licet quidam scriptores imprudenter eos confundant.

## §. VI.

### *Quibus aliis nominibus appellati fuerint.*

Alivd quiddam, quod ad primitiuos ascetas propius spectat, obseruare lector potest, nimirum quod nonnumquam aliis nominibus insigniti fuerint. Evsebivs [m] ipsos *σπουδαίους* nominat, & Epiphanivs [n] eamdem adhibet appellationem; intelligens homines sanctimonia sua ac diligentia in ieiuniorum, precum ac eleemosynarum exercitiis aliisque similibus studiis illustriores. Clementi Alexandrino [o] *ἐκλεκτῶν ἐκλεκτότεροι* dicuntur. Omnes enim christiani, vt alio loco ostendimus [p], vocabantur *ἐκλεκτοὶ*, *electi*, atque hinc ascetæ *electi electorum* audiebant, quod essent dignissima siue electissima eorum pars, qui christianos sese profitebantur.

---

(m) Euseb. lib. VI. c. XI p 312. a. *ἔρημον ἀδελφῶν καὶ σπουδαίων ἀνθρώπων ἔφασκον εἶναι τὸ χωρίον*, Fratribus ac probis viris vacuus esse locus dicebatur.

(n) Epiphan. Exposit. fid n. XXII. *Ἀλλὰ καὶ οἱ σπουδαῖοι διπλᾶς, καὶ τριπλᾶς, καὶ τετραπλᾶς ὑπερτίθενται*, Immo vero *οἱ σπουδαῖοι* ad biduum vel triduum vel quatriduum vsque (ieiunia) prorogant.

(o) Clem. Alexandr. homil Quis diues saluetur n. XXXVI. *Οὐ μὴν ἀλλ' εἰσὶν ἤδη τινὲς καὶ τῶν ἐκλεκτῶν ἐκλεκτότεροι, καὶ τοσούτῳ μᾶλλον ἧττον ἐπίσημοι πρὸς τὸν λιμένα ἐκ τοῦ κλύδωνος τοῦ κόσμου νεωλκοῦντες ἑαυτοὺς καὶ ἐπανάγοντες ἐπ' ἀσφαλές.* Enim vero non desunt, qui & iam inter electos maiori electis præstantia fulgeant, eoque magis illustres sint, quo velut ad portum ex mundi procella se ipsos subducant, resque suas in tutum recipiant.

(p) Lib. I. cap. I. §. I. volum. I. p. 1.

# LIBRI SEPTIMI
## CAPVT SECVNDVM
# DE DIVERSIS MONACHORVM GENERIBVS, EORVMQVE MODIS VIVENDI IN ECCLESIA.

### §. I.

*Diuersa monachorum, diuersis viuendi modis inter se distinctorum, genera.*

OSTENSO hactenus, quid discriminis inter priscos ascetas & monachos intercesserit, iam de monachis sigillatim loqui instituimus, quoad illud ad lectorem de vera vitae monasticae ratione, sub prima eius initia & institutione in ecclesia, erudiendum necessarium fuerit. Et heic obseruandum est, veteres monachos hodiernis, qui certis ordinibus distincti sunt, & ab auctoribus ac fundatoribus suis denominantur, non fuisse similes; sed nomina sua vel a locis, quae incolebant, sortitos fuisse, vt dicti sint, exempli gratia, monachi montis *Scethis*, *Tabennesi*, *Nitriae*, *Canopi* in *Aegypto*, & sic porro; vel alioquin diuersis viuendi modis distingui consueuisse, quando alii in cellis, in speluncis alii, alii in societatibus degebant, alii vero terras errabundi peruagabantur; quorum hi postremi ecclesiae semper dedecori atque opprobrio exsistere crediti sunt.

### §. II.

*Primum genus dicti* anachoretae, *ἀναχωρηταί.*

PRIMVM genus plerumque nomine *anachoretarum* illustre fuit, quod societatem hominum fugientes in priuatis cellulis in solitudine viuerent. Tales erant *Paulus*, *Antonius* & *Hilarius*, primi vitae monasticae in *Aegypto* & *Palaestina* constitutores; a quibus caeteri monachi exemplum ceperunt. Horum nonnulli in cauernis, ἐν σπηλαίοις, viuebant, vti, CHRYSOSTOMO perhibente [a], monachi montis *Casii* prope *Antiochiam*; alii in paruis ten-

(a) Chrysost. hom. XVII. ad popul. Antioch. p. 192. d. (edit. Francof. MDCXCVIII.) Ἔτεσι τοσούτοις ἐν ταῖς αὐτῶν καλύβαις συγκεκλεισμένοι, οὐδενὸς παρακαλέσαντος, οὐδενὸς συμβουλεύσαντος, ἐπειδὴ τοσοῦτον νέφος εἶδον τὴν πόλιν περιϊστάμενον, καταλιπόντες αὐτῶν τὰς σκηνὰς, καὶ τὰ σπήλαια, πάντοθεν συνέῤῥευσαν κ. τ. λ. Nam-

toriis siue cellulis; quas EVAGRIVS οἰκίσκους [b] & CHRYSOSTOMVS σκηνὰς nuncupat. Si horum plures in eadem solitudine alii ab aliis paullum disiuncti viuerent, omnes communi nomine *LAVRA* dicebantur, quæ EVAGRIO [c] auctore a *cœnobio* hac in re discrepabat, vt *laura* multas complecteretur cellulas, alias ab aliis diuisas, vbi singuli monachi sibi quisque prospiciebant; cœnobium autem vnum tantum esset habitaculum, vbi monachi in societate viuentes omnia habebant communia. EPIPHANIVS [d] *lauram* dicit fuisse nomen plateæ, siue vici *Alexandriæ*, vbi ecclesia quædam constituta fuerit; & probabile omnino est, nomen inde sumtum esse, ad significandam cellularum in solitudine quamdam multitudinem, quæ quasi certo quodam districtu coniunctæ, ita tamen diuisæ erant, vt multa separata domicilia efficerent, quum contra ea cœnobium singulari cuidam domui, multos simul monachos continenti, esset similius.

---

que tot annis in *cauernis* suis conclusi, nemine aduocante, suadente nemine: postquam nubem tantam ciuitatem circumstantem viderunt, tabernacula *speluncasque* suas derelinquentes vndique confluxerunt.

(b) Euagr. lib. I. c. XXI. Ἕτεροι αὖ πάλιν ἀπεναντίας ἰόντες, μόνους ἑαυτοὺς καθειργνύουσιν ἐν οἰκίσκοις τοσοῦτον εὖρος, τοσοῦτον ὕψος ἔχουσιν, ὡς μὴ δὲ τὰ σώματα ἀνορθοῦν, μηδὲ μὴν ἐπ' ἀδείας τὰς κλίσεις ποιεῖσθαι σπηλαίοις προσκαρτεροῦντες, καὶ ὀπαῖς τῆς γῆς κατὰ τὴν τοῦ ἀποστόλου φωνήν. Alii contrariam viam ingressi, solos sese includunt *domiciliis*, quæ eiusmodi latitudinis sunt atque altitudinis, vt in iis nec corpore erecto consistere nec accumbere commode possint: in speluncis & cauernis ac foraminibus terræ, iuxta dictum apostoli, philosophantes.

(c) Euagr. ibid. p. 278. a. Ὅμως δ' οὖν ἀνὰ τὴν ἁγίαν τοῦ χριστοῦ πόλιν γενομένη, πολλὰ πρὸς τιμὴν τοῦ σωτῆρος πέπραχε θεοῦ ὥστε καὶ ἐναγῆ δείμασθαι φροντιστήρια καὶ τὰς καλουμένας λαύρας. Quum ad Christi vrbem venisset, (Eudocia) multa in honorem Dei seruatoris nostri gessit. Nam & religiosa ædificauit monasteria & *lauras*, quas vocant, construxit.

(d) Epiph. hæres. LXIX. n. 1. Ὅσαι ἐκκλησίαι τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ὑπὸ ἕνα ἀρχιεπίσκοπον οὖσαι, καὶ κατ' ἰδίαν ταύταις ἐπιτεταγμένοι εἰσὶ πρεσβύτεροι, διὰ τὰς ἐκκλησιαστικὰς χρείας τῶν οἰκητόρων, πλησίον ἑκάστης ἐκκλησίας αὐτῶν, καὶ ἀμφόδων, ἤτοι λαβρῶν (λαυρῶν) ἐπιχωρίως καλουμένων, ὑπὸ τῶν τὴν Ἀλεξανδρέων κατοικούντων πόλιν. Quotquot Alexandriæ catholicæ communionis ecclesiæ sunt, vni archiepiscopo subiectæ, suus cuique præpositus est presbyter, qui ecclesiastica munera iis administret, qui circa ecclesias illas habitant, eorumque conuenticula vici siue *lauræ* ab Alexandrinis vulgo nominantur.

§. III.

### §. III.

### *Secundum genus*, cœnobitæ *ſiue* ſynoditæ.

Et hinc ſecundum aliquod monachorum genus ortum eſt, qui a diuerſa ſua viuendi ratione vulgo dicti ſunt *cœnobitæ*; eorumque domicilia *cœnobia* κοινόβια, quia in commune vixerunt. In codice *Theodoſiano* [e] vocantur etiam *Synoditæ*; quo ipſo non miniſtri monachorum denotantur, vti quidam iureconſulti [f] ex errore hoc vocabulum reddunt, deriuantes iſtud a σὺν & ὁδίτης, *viator*; ſed monachos ipſos ſignificat, ita vocatos, quod ἐν συνόδοις, in conuentibus communiter viuerent. Et hoc ipſo ab anachoretis diſcrepabant, vt antea nobis obſeruatum eſt. GENNADIVS [g] hæc duo nomina huic ſecundo monachorum generi indiſcriminatim applicat, quando EVAGRIVM de *cœnobitis* & *ſynoditis* doctrinam aptam vitæ communis compoſuiſſe dicit. HIERONYMVS [h] narrat, *Aegyptios* lingua ſua hoc monachorum genus vocare *Sauches*, quo vocabulo iidem denotentur, qui in *græca* & *latina* eccleſia per *cœnobitas*; & anachoretas diuerſum ab iſtis ordinem conſtituere, nomen ſuum inde indeptos, quod in ſolitudine, ſiue ſoli per deſerta, viuerent.

### §. IV.

### *Tertium genus* Sarabaytæ.

Alivd monachorum genus fuiſſe dicit HIERONYMVS, quos *Aegyptii* vocarint *Remoboth. Hi bini vel terni*, inquit [i], *nec multo plures ſimul*

(e) Cod. Theod. lib. XI. tit. XXX. de appellat. leg. LVII. Addictos ſupplicio nulli clericorum vel monachorum, eorum etiam, quos *ſynoditas* vocant, per vim atque vſurpationem vindicare liceat, cetera.
It. cod. Iuſtin. lib. I. tit. IV. de epiſcopali audientia leg. VI.

(f) Lexicon. iuridic. voce *ſynoditæ*. Geneuæ MDCXV. 8 Συνοδῖται dici videntur *comites monachorum*, nam ὁδίτης viatorem ſignificat, ſolent autem monachi ex collegii ſui inferiore ordine quempiam deligere, qui eos comitetur, quos Galli Culopuloſos appellant, quod, (vt quidam aiunt) a tergo monachorum concionantium ſedentes, illos horæ præteritæ culipulſione admoneant.

(g) Gennad. de ſcriptor. in Euagrio. Compoſuit de *cœnobitis* ac *ſynoditis* doctrinam aptam vitæ communis.

(h) Hieron. ep. XXII. ad Euſtoch. c. XV. (tom. I. p. 95. c. edit. Francof.) Tria ſunt in Aegypto genera monachorum: primum *cœnobitæ*, quod illi *Sauches* (alii *Sauſès*) gentili lingua vocant; nos, in commune viuentes, poſſumus appellare. Secundum *anachoritæ*, quod ſoli habitant per deſerta, & ab eo, quod procul ab hominibus receſſerint, nuncupantur.

(i) Hieron. ibid.

*habitant*,

*habitant, suo arbitratu ac ditione viuentes. Et de eo, quod laborauerint, in medium partes conferunt, vt habeant alimenta communia. Habitant autem quam plurimi in vrbibus & castellis, & quasi ars sancta, non vita, quidquid vendiderint, maioris est pretii. Inter hos saepe sunt iurgia, quia suo viuentes cibo, non patiuntur se alicui esse subiectos. Reuera solent certare ieiuniis & rem secreti victoriae faciunt. Apud hos adfectata sunt omnia, laxae manicae, caligae follicantes, vestis crassior, crebra suspiria, visitatio virginum, detractio clericorum, & si quando dies festus venerit, saturantur ad vomitum.* Hosce igitur iure suo HIERONYMVS tamquam quasdam pestes ac virus ecclesiae notat. Qui plura de horum indole legere auet, is inter veteres scriptores CASSIANVM [k] consulat, qui sub nomine *Sarabaytarum*

(k) Cassian. collat. XVIII. c. VII. Quum his duobus professionibus monachorum (coenobitarum & anachoretarum) religio christiana gauderet, coepisset autem in deterius paullatim hic quoque ordo recidere, emersit post haec illud deterrimum & infidele monachorum genus, vel potius noxia illa plantatio rediuiua concreuit, quae per Ananiam & Sapphiram in exordio ecclesiae pullulans, apostoli Petri seueritate succisa est, quae inter monachos tam diu detestabilis execrandaque iudicata est, nec a quoquam vlterius vsurpata, quam diu illius tam districtae formido sententiae memoriae fidelium inserta durauit, qua beatus apostolus praedictos noui facinoris principes, non poenitentia, non vlla passus est satisfactione curari, sed perniciosissimum germen celeri morte succidit. Illo igitur exemplo, quod in Anania & Sapphira apostolica districtione punitum est, a nonnullorum contemplatione paullatim longa incuria & temporis obliteratione subtracto, emersit illud *Sarabaytarum* genus, qui ab eo, quod sese etipsos a coenobiorum congregationibus sequestrarunt, ac sigillatim suas curarent necessitates, Aegyptiae linguae proprietate *Sarabaytae* nuncupati sunt, de illorum, quos praediximus numero procedentes, qui euangelicam perfectionem simulare potius quam in veritate arripere maluerunt, aemulatione scilicet eorum, vel laudibus prouocati, qui vniuersis diuitiis mundi perfectam Christi praeferunt nuditatem. Hic igitur dum imbecillo animo rem summae virtutis adfectant, vel necessitate ad hanc professionem venire compulsi, dum censeri tantummodo nomine monachorum absque vlla studiorum aemulatione festinant, coenobiorum nullatenus expetunt disciplinam, nec seniorum subiiciuntur arbitrio, vt eorum traditionibus instituti, suas discant vincere voluntates, nec vllam sane discretionis regulam legitima eruditione suscipiunt, sed ad publicam tantummodo, id est, ad hominum faciem renuntiantes, aut in suis domiciliis sub priuilegio huius nominis iisdem obstricti occupationibus perseuerant, aut construentes sibi cellulas easque monasteria nuncupantes suo in eis iure ac libertate consistunt, nequaquam euangelicis praeparationibus succumbentes, vt nulla scilicet quotidiani victus sollicitudine, nullis rei familiaris distentionibus occupentur. Quod illi soli absque vlla infideli dubitatione consummant, qui cunctis huius mundi facultatibus absoluti, ita se coenobiorum praepositis subdiderunt, vt ne sui quidem ipsius

de

de iis loquitur; & inter recentiores SPALATENSEM [*l*], qui similitudinem inter ipsos & *Minoritas*, *Dominicanos*, *Carmelitas*, *Seruitas* & *Minimitas* ecclesiæ *Romanensis* ostendit.

## §. V.

## *De* Stylitis.

ALIVD genus monachorum in ecclesia antiqua (qui non nisi pauci admodum) *Stylitæ* erant, ita vocati a singulari viuendi ratione super columna. *Simeon* cognominatus *Stylites*, qui circa concilii *Chalcedonensis* tempus vixit, primus hanc vitæ rationem, narrante EVAGRIO [*m*], inter ordines monasticos inuexit. Et THEODORVS LECTOR [*n*] obseruat, rem nouam atque insolitam initio tantæ offensioni monachis *Aegyptiis* exstitisse, vt excommunicationis libellum ad eum miserint, postea vero, quum viri vitam ac merita certius cognouissent, communionem eius amplexos esse. Hæc seuerior viuendi ratio haud multum habuit incitamenti, adeoque non nisi paucos duntaxat æmulos

fateantur se dominos. Illi autem qui districtionem, vt diximus, cœnobii declinantes, bini vel terni in cellulis commorantur, non contenti abbatis cura atque imperio gubernari, sed hoc præcipue procurantes, vt absoluti a seniorum iugo, extendendi voluntates suas & procedendi, vel quo placuerit euagandi, agendique quod libitum fuerit, habeant libertatem, etiam amplius in operibus diurnis, quam hi, qui in cœnobiis degunt, diebus ac noctibus consumuntur, sed non ea fide eodemque proposito. Hoc enim isti faciunt, non vt fructum sui operis subiiciant dispensatoris arbitrio, sed vt acquirant pecunias, quas recondant.

(*l*) Marc. Ant. de Dominis de republ. eccles. lib. II. c. XII. n. LXXVII. Si nostri Minoritæ, Dominicani, Carmelitæ, Seruitæ, Minimitæ, ac similes non sunt ipsissimi *Sarabaitæ* (bonos, si quis inter ipsos est verus cœnobita, excipio) quinam erant, aut iam diu fuerunt? etiam Benedictinos quis non videt fere plerissime iam diu in veros *Sarabaitas* degenerasse? cetera.

(*m*) Euagr. lib. I. c. XIII. Ἐν τούτοις τοῖς χρόνοις ἤκμασέ τε καὶ διεφάνη καὶ Συμεωνῆς ὁ τῆς ὁσίας καὶ πάντα ἀοιδίμου μνήμης, πρῶτος τὴν ἐπὶ κίονος στάσιν ἐπιτηδεύσας κ. τ. λ. Iisdem temporibus floruit atque inclaruit Symeones, vir sanctæ atque percelebris memoriæ. Hic primus stationem super columna instituit, cetera.

(*n*) Theod. Lect. lib. II. p. 565. c. Οἱ ἐν Αἰγύπτῳ μοναχοὶ, περὶ τοῦ ἁγίου Συμεῶνος μαθόντες ὅτι ἐπὶ κίονος ἵσταται, μεταπεμψάμενοι τὸ ξένον τοῦ πράγματος πρῶτος γὰρ αὐτὸς τοῦτο ἐπενόησεν ἀκοινωνησίαν αὐτοῦ ἔπεμψαν· εἶτα ἐγνωκότες τὸν βίον τοῦ ἀνδρὸς, καὶ τὸν στέφανον, πάλιν αὐτῷ ἐκοινώνησαν. Monachi Aegypti, quum Sanctum Symeonem supra columna stare didicissent, rem nouam atque insolitam condemnantes: Hic enim primus eiusmodi stationem excogitauerat: excommunicationis libellum ad eum miserunt. Postea vero, quum eius vitam ac merita certius cognouissent, communionem eius amplexi sunt.

nacta est. THEODORVS LECTOR [o] cuiusdam *Danielis* discipuli *Simeonis* meminit, & EVAGRIVS [p] de alio *Simeone* tempore *Maurilii* loquitur, qui sexaginta octo annis super columna vixerit, *Simeon Stylites iunior*, vt a priore isto distingueretur, vocitatus. IOANNES MOSCHVS [q] duos tresue alios huic viuendi rationi eodem isto tempore addictos recenset. SVRIVS quoque in libro suo de *vitis sanctorum Alipium* quemdam episcopum *Adrianopolitanum* narrat sedi suæ renuntiasse, quo in columna vitam posset agere; in qua, si vera dicit historia [r], per sexaginta annos commoratus est; habens sibi adiunctos duos choros virginum, & vnum monachorum, cum quibus alternatim hy-

(o) Ibid. lib. I. p. 554. Δανιὴλ ὁ θαυμάσιος ἐκ τῆς Συμεῶνος μάνδρας ἐλθὼν, τῷ στύλῳ ἐπέβη τῷ ἐν τῷ ἀνάπλῳ, Daniel vir plane admirandus, ex Symeonis monasterio profectus columnam, quæ est in Anaplo, conscendit.

(p) Euag. lib. VI. c. XXIII. Ἐν τούτῳ τῷ κίονι, καὶ ἐν ἑτέρῳ ἑστὼς ἀνωτάτω τοῦ ὄρους ἀκρωρείας, ὀκτὼ καὶ ἑξήκοντα διετέλει χρόνους. Qui in columna, & in altera, quæ est in summo montis vertice, *octo ac sexaginta exegit annos*.

(q) Mosch. prat. spirit. c. XXXVI. Quum audisset (sanctus Ephrem) de *Stylite* illo, qui erat in partibus Hierapolis, quod Seuerianæ esset hæreseos, abiit ad illum, vt impietatem diffunderet illi. Cœpit ergo diuus Ephrem corripere *Stylitem*, cet.

Cap. LVII. Ἀπὸ τεσσάρων σημείων τῆς πόλεως Αἰγαίων Στυλίτης ἵστατο ὀνόματι Συμεών· Οὗτος ἀπὸ ἀστραπῆς καταβληθεὶς, ἐτελεύτησεν· ὁ οὖν Ἀββᾶς Ἰουλιανὸς ὁ Στυλίτης ὁ εἰς τὸν κόλπον, παρὰ τὸν συνήθη καιρὸν, λέγει τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, βάλλετε θυμίαμα κ. τ. λ. Quadraginta fere milliaribus ab Aegis ciuitate Ciliciæ, *Stylites* erat, nomine Symeon. Hic fulgure percussus interiit. Abbas ergo Iulianus *Stylites* presbyter præter consuetudinem suam insolito tempore dixit discipulis suis; Mittite thymiama in turibulum, cet.

Cap. CXXIX. Ὁ αὐτὸς πάλιν Ἀββᾶς Ἀθανάσιος διηγήσατο, ὅτι ἀκήκοεν τοῦ Ἀββᾶ Ἀθηνογένους τοῦ ἐπισκόπου Πέτρου, λέγοντος, ὅτι ἐν τῇ χώρᾳ σου Στυλίτης ἦν, καὶ πάντες οἱ ἐρχόμενοι πρὸς αὐτὸν κάτω ἑστῶτες ἐλάλουν αὐτῷ διὰ τὸ μὴ ἔχειν αὐτὸν κλίμακα κ. τ. λ. Abbas idem Athanasius narrauit nobis, audiisse se narrantem abbatem Athenogenem episcopum Petræ, quod in prouincia fuerit *Stylites* quidam, ad quem omnes qui veniebant, inferius stantes loquebantur, eo quod non haberet scalam. cet.

(r) Sur. tom. VI. vid. Hospin. de monach. lib. II. c. V. p. 22. edit. Tigur. MDXCVIII. (p. 42. edit. Genen. MDCLXIX.) Simile genus vitæ ingressus etiam est Alipius, episcopus Adrianopolitanus, qui, vt Surius habet tomo VI. de vitis sanctorum, valedicens terrenis omnibus & amicis & negotiis vitam egit in columna (vnde & Cionita dictus est) per annos septuaginta, inter cælum & terram pendens, adeoque paucis tabulis conclusus in capite columnæ, vt ne quidem parum sedere aut recumbere posset, sed perpetuo staret in ipsa tamquam statua ænea: quin etiam tabulis tandem deiectis, imbribus, niui, frigori & calori solis, ventis &

mnos

mnos & pſalmos die noctuque decantauit. Præter hoſce vix vllum alium huius vitæ in vetuſtis monumentis inuenias. Quod argumento eſt, non fuiſſe eam in magno pretio, vbi in eccleſia primitiua primum exorta eſt.

## §. VI.

### *De monachis ſæcularibus.*

PRAETER iſta genera monachorum, qui quum mundo remiſiſſent nuntium, perpetuo cælibes manſere, SPALATENSIS [s] alium ordinem fuiſſe putat, qui horum nihil fecerint, ſed in matrimonio vixerint, rerum ſuarum proprietate vtentes, & tantum in vita aſperiore & religioſa ſeſe exercentes, vti priſci aſcetæ facere ſoliti ſunt, de quibus capite antecedente loquuti ſumus. Ita ſatis manifeſtum eſt ex diſertis ATHANASII & AVGVSTINI verbis, quod ipſorum ætate monachi fuerint etiam vxorati & propria poſſidentes. Nam ATHANASIVS ſcribens ad *Dracontium* monachum, perſuaſurus ei, vt epiſcopatum ſuſciperet, (a quo ille abhorrebat, quod hoc officium cum vita aſcetica conſiſtere non poſſe, exiſtimaret) hoc ad ipſum argumento vtebatur: „Licet „tibi etiam in epiſcopatu [t] eſurire & ſitire, quemadmodum „egit Paulus. Potes vinum non bibere, vt Timotheus, fre„quentiſſime ieiunare, vti ſolebat Paulus: vt dum eius exem„plo ieiunas, alios doctrina tua ſatiare valeas & dum abſtinen„do a potu ſitim toleras, aliis docendo potum præbeas. Ne „tibi igitur talia obiiciant conſiliarii tui. Nouimus enim & epi„ſcopos, qui ieiunent, & monachos, qui comedant. Noui„mus epiſcopos, qui vino abſtineant, vt & monachos, qui bi„bant: Epiſcopos etiam nouimus, qui ſigna edant, & mona-

tempeſtatibus obnoxius fuit, planeque ſub dio vixit vſque ad finem vitæ. Habuit ſibi adiunctos duos choros virginum & vnum monachorum, cum quibus alternatim hymnos & pſalmos diu noctuque decantavit.

(s) Spalat. de rep. lib. II. c. XI. n. XXII. Non deerant monachi, etiam vxorati in eccleſia catholica: & non apoſtatæ, ſed veri monachi. - - Erat fortaſſe genus monachorum laicorum & coniugatorum, & cum proprietate rerum, ſed vitæ aſperioris & religioſæ in pœnitentia: ſed hi non erant cœnobitæ.

(t) Athan. epiſt. ad Dracont. tom. I. p. 958 edit. Par. MDCXXVII. (p. 267 F edit. Par. MDCXCVIII) Ἔξεστι γὰρ καὶ ἐπίσκοπον ὄντα σε πεινᾷν, καὶ διψᾷν, ὡς ὁ Παῦλος. Δύνασαι μὴ πιεῖν οἶνον, ὡς ὁ Τιμόθεος· καὶ νηστεύειν καὶ αὐτὸς συνεχῶς, ὡς ὁ Παῦλος ἐποίει· ἵνα κατ᾽ ἐκεῖνον οὕτως νηστεύων, χορτάζῃς ἄλλους ἐν τοῖς λόγοις, καὶ διψῶν ἐν τῷ μὴ πιεῖν, ποτίζῃς ἄλλους διδάσκων· μὴ ἂν ταῦτα προβαλλέτωσαν οἱ συμβουλεύοντές σοι. οἴδαμεν γὰρ καὶ ἐπισκόπους μὴ πίνοντας οἶνον, μοναχοὺς δὲ πίνοντας· οἴ-



chos,

„chos, qui id minime præstent. Sunt quoque ex episcopis mul„ti, qui numquam matrimonium inierint, monachi autem repe„riuntur, qui filios suscepere: quemadmodum vicissim episco„pos filiorum parentes, monachos autem nullam posteritatem „habuisse cernimus. Vidimus rursum clericos, qui famem to„lerarent, & monachos, qui ieiunarent. Hoc enim modo li„cet agere, & alio nihil vetat. Sed omnes vbique decertent: „corona quippe non pro loci, sed pro factorum ratione tribui„tur.„ Ex his ATHANASII verbis liquido apparet, regulas vitæ monasticæ eo tempore homines ad renuntiandum vel facultatibus suis vel coniugibus non obligasse, sed vtrisque sine vlla censura ecclesiastica vti eis licuisse. Et quamuis res ante *Augustini* tempora paullum esset mutata, alii tamen antiquum priuilegium suum sibi conseruabant. AVGVSTINVS enim scribens aduersus hæreticos, qui ipsi se *apostolicos* nominabant, *Apostolici*, inquit [u], *se isto nomine arrogantissime vocauerunt*, *eo quod in suam communionem non reciperent vtentes coniugibus & res proprias possidentes; quales habet catholica ecclesia & monachos & clericos plurimos.* Vt adeo ad minimum quidam monachi tam coniugibus quam possessionibus suis vtendi libertatem in ecclesia catholica, sine vlla apostasiæ vel desertionis incusatione, habuerint. Quæ caussa est, quamobrem hosce monachos distinctionis ergo *sæculares* vocauerim.

## §. VII.

### *Monachi vniuersi principio nihil amplius quam laici.*

VERVMTAMEN ad deuitandam verborum ambiguitatem notandum est, quod omnes monachi dici possint *sæculares*, quatenus hoc nomine ecclesiasticis opponuntur. Monachi enim ex prima sua origine generatim erant laici & secundum propriam & peculiarem suam constitutionem ac generales ecclesiæ catholicæ regulas non poterant non tales esse. Primi enim mo-

δαμὲν καὶ σημεῖα ποιοῦντας ἐπισκόπους, μοναχοὺς δὲ μὴ ποιοῦντας· πολλοὶ δὲ τῶν ἐπισκόπων οὐδὲ γεγαμήκασι, μοναχοὶ δὲ πατέρες τέκνων γεγόνασιν· ὥσπερ καὶ ἐπισκόπους πατέρας τέκνων καὶ μοναχοὺς ἐξ ὁλοκλήρου γένους τυγχάνοντας· καὶ πάλιν οἴδαμεν κληρικοὺς πεινῶντας, μοναχοὺς δὲ νηστεύοντας· ἔξεστι γὰρ καὶ οὕτως, καὶ ἐκείνως οὐ κεκώλυται· ἀλλὰ πανταχοῦ τις ἀγωνιζέσθω· καὶ γὰρ ὁ στέφανος οὐ κατὰ τόπον ἀλλὰ κατὰ τὴν πρᾶξιν ἀποδίδοται

(u) August. de hæres. c. XL.

nachi

nachi generatim erant eremitæ, hoc eſt, homines per ſuas ipſorum regulas ad ſolitudinem quamdam adligati, vbi vita ſolitaria ad promouenda contemplationis ac pœnitentiæ exercitia facere credebatur, & vbi nullius niſi ſuæ ipſorum animæ cura ipſis gerenda erat. Vita autem clericalis requirebat, vt profitentes eam homines in villis ac ciuitatibus viuerent, vbi mortalium multitudo commodas occaſiones clericalis functionis officia exercendi ipſis ſuppeditabat. Accedit, quod eccleſiæ catholicæ regulis contrarium eſſet, vti alio loco [*uu*] demonſtravimus, ſi quis clericus ordinaretur, loco ſiue titulo in eccleſia, vbi functionis ſuæ munia obire poſſet, ipſi haud deſignato. Quam ob cauſſam res tum per ſe impoſſibilis erat, tum regulis diuerſæ vtriusque vitæ clericalis & monaſticæ rationi contraria, quod vniuerſos monachos clericos eſſe oporteret; qui mos nulla ratione excuſabilis ad veterum regularum ac diſciplinæ confuſionem, poſterioribus ſæculis introductus eſt, præſertim inde a tempore *Clementis V.* an. MCCCXI, qui [*w*] omnes monachos ad ſuſcipiendos ſacros ordines obligauit, vt miſſam priuatam in honorem Dei, ex ipſius quidem ſententia, dicere poſſent. Quæ res manifeſta legum antiquæ eccleſiæ erat conculcatio & ignominioſa praxeos eiusdem contemtio. Antiquitus enim monachi in eadem claſſe locabantur cum laicis, cuiusmodi generatim erant, & vt tales tantum ſpectabantur. HIERONYMVS nobis & regulam & praxin tradit, quando *Monachus*, inquit, *non docentis* [*x*] *ſed plangentis habet officium.* Et, *Alia monachorum eſt cauſſa, alia clericorum: Clerici paſcunt oues, ego* (qui monachus ſum) *paſcor.* HIERONYMVS quidem non monachus ſolum, ſed presbyter etiam erat: quum vero inuitus ordinatus eſſet, & monachus manere firmiter ſibi propoſuiſſet, officium presbyteri obire recuſabat: id quod indicat, monachatus ac clericatus coniunctionem non magni ab ipſo æſtimatam; tantum abeſt, vt, quæ hodie obtinet conſuetudo, omnes monachos generatim clericos fieri oportere, iudicauerit. Concilium *Chalcedonenſe* ſemel & iterum monachos a clericis diſerte diſtinguit, eosque laicis ad-

(*uu*) Lib. IV. c. VI. n. II. volum. II. p. 170.
(*w*) Vid. Clementin. lib. III. tit. X. c. I.
(*x*) Hieron. ep. LV. ad Ripar. †
Id. epiſt. I. ad Heliodor. (tom. I. p. 3. c. edit. Francof.)

numerat. In vno canone [y] dicit, si quis alicuius ordinationis propter pecunias & turpe lucrum factæ seqvester deprehensus fuerit, eum, si sit clericus, proprio gradu excidere, si sit autem laicus vel monachus, ab ecclesiæ communione segregari debere. Et alius canon [z] monachis interdicit ecclesiasticis negotiis se ingerere. Qui vterque canon manifesto innuit, monachos tum non de clero, sed mere laicos fuisse. LEO [a] papa circa idem tempus de iis vt talibus loquitur, *Maximo* episcopo *Antiocheno* ita scribens: *Illud quoque dilectionem tuam conuenit præcauere, vt præter eos, qui sunt domini sacerdotes, nullus sibi ius docendi & prædicandi audeat vendicare, siue sit ille monachus, siue laicus, qui alicuius scientiæ nomine glorietur.* Hinc quum monachus aliquis presbyter vel episcopus esset ordinandus, per omnes ecclesiæ ordines ire debebat, quemadmodum laicis tunc facere moris erat, antequam superiores ordines eis conferrentur. Hoc e decreto quodam GELASII papæ [b] discimus, *Si quis*, inquientis, *de religioso proposito & disciplinis monasterialibus eruditus ad clericale munus accedat, continuo lector vel notarius, aut certe defensor effectus, post tres menses exsistat acolythus: sexto mense subdiaconi nomen accipiat; nono mense diaconus, completoque anno sit presbyter.* Vt adeo differentia inter monachum & alium quempiam laicum in hoc tantum sita fuerit, vt monachus propter educationem in schola doctrinæ bonæque disciplinæ (cuiusmodi monasteria erant) maiores profectus, quam alius quidam laicus, habere creditus, adeoque beneficio isthoc ornatus sit, vt per inferiores

(y) Conc. Chalced. c. II. (tom. IV. concil. p. 755. d.) Εἰ δέ τις καὶ μεσιτεύων φανείη τοῖς οὕτως αἰσχροῖς καὶ ἀθεμίτοις λήμμασιν, καὶ οὗτος, εἰ μὲν κληρικὸς εἴη, τοῦ οἰκείου ἐκπιπτέτω βαθμοῦ· εἰ δὲ λαϊκὸς, ἢ μονάζων, ἀναθεματιζέσθω. Si quis sequester & intercessor adeo turpibus & nefariis lucris apparuit, hic quoque si sit quidem *clericus*, proprio gradu excidat: si sit autem *laicus*, vel *monachus*, anathematizetur.

(z) Ibid. c. IV. Ἔδοξε - τοὺς καθ' ἑκάστην πόλιν καὶ χώραν μονάζοντας - μήτε ἐκκλησιαστικοῖς, μήτε βιωτικοῖς παρενοχλεῖν πράγμασιν, ἢ ἐπικοινωνεῖν, καταλιμπάνοντας τὰ ἴδια μοναστήρια κ. τ. λ. Visum est - monachos, qui sunt in vnaquaque regione & ciuitate, - - nec *ecclesiasticis* nec secularibus *negotiis se ingerere*, vel communicare, propria relinquentes monasteria.

(a) Leo ep. LX. (LXII. tom. IV. conc. p. 885. B.)

(b) Gelas. ep. IX. ad episc. Lucaniæ c. II. (tom. IV. conc. p. 1188. D.)

ordi-

ordines ad ſacerdotium celerius, quam alii candidati, adſcendere potuerit. Quæ omnia monachos vniuerſos olim non niſi laicos, aut certe media inter laicos & clericos conditione fuiſſe, oſtendunt; quemadmodum viri docti in eccleſia *Romanenſi*, HABERTVS [c], LINDANVS [d] aliique fateri non dubitant, licet recentioris æui conſuetudinem defendere adnitantur. Quid? quod ipſe GRATIANVS [e], qui pro hodierno more vnus omnium maxime militat, ex hiſtoria eccleſiaſtica manifeſtum eſſe, fateatur, quod veteres monachi vſque ad tempus *Siricii* & *Zoſimi* ſimpliciter monachi, non autem clerici, fuerint.

§. VIII.

*Quibus in caſibus vita clericalis & monachica coniungi potuerit.*

ATENIMVERO quamuis monachi antiquis temporibus ad ſacros eccleſiæ ordines non adſpirarent, nec cum eccleſiæ regulis conſiſtere potuiſſet, ſi vniuerſi id facere animum induxiſſent; in quibusdam tamen caſibus vita clericalis & monachica certo modo coniungi poterat. Primum quidem, ſi quod forte monaſterium tanto loci interuallo ab epiſcopali ſua vel parochiali eccleſia diſtaret, vt monachi ad cultum diuinum eo coire commode non poſſent; (quæ erat monaſteriorum in *Aegypto*, aliisque orientis partibus ratio, vbi monachi per vaſtas & ab reliquis mortalibus ſeiunctas ſolitudines habitabant;) tum vnus vel plures etiam de monachis ad obeunda inter eos diuina officia conſecrabantur. Ita CASSIANVS ſæpe de conuentibus monaſteriorum *Scithi* ſiue *Scythiæ* in *Aegypti* deſertis loquitur, quorum vnus duos habuerit presbyteros, *Paſnutium* [f] & *Dani-*

(c) Habert. archieratic. p. 601. Monachi quales primo erant æuo, extra ordinem conſtituti, ad hierarchiam imperantem non pertinent; ſed medio quodam inter ordinem & plebem ſtatu.

(d) Lindan. panopl. lib. IV. c. LXXV. Non neſcimus, fuiſſe olim quosdam chriſtiani huius gregis ductores, qui a perfectioris ſanctimoniæ ſtudio dicebantur vel therapeutæ vel *monachi*, vel etiam aliis forte nominibus. *Qui omnes ſicuti erant ordinis laici*, ita vna cum reliquis templi choro, quem dicimus, erant excluſi.

(e) Gratian. cauſſ. XVI. quæſt. I. poſt cap. XXXIX. Monachos vero vſque ad tempus Euſebii, Zoſimi, & Siricii monachos ſimpliciter & non clericos fuiſſe, eccleſiaſtica teſtatur hiſtoria.

(f) Caſſian. collat. III. c. I. In illo choro ſanctorum, qui velut aſtra puriſſima in *clem;*

*elem*; & tres alios presbyteros ipsis præsidentes, & diuina officia obeuntes. Hi erant abbates monasteriorum, & simul congregationis presbyteri; quorum CASSIANVS meminit cum singularis cuiusdam rei commemoratione [g], quod omnes *Anthropomorphitarum* hæresi, præter vnum *Pafnutium*, infecti, quum *Theophi-*

nocte mundi istius refulgebant, vidimus sanctum Pafnutium vice luminaris magni claritate scientiæ coruscantem. *Hic* namque *presbyter congregationis nostræ*, id est, illius quæ in eremo Scythiæ morabatur, *fuit*, in qua ita vsque ad extremam durauit ætatem, vt numquam e cella, quam iunior cœperat habitare quæque ab ecclesia millibus quinque distabat, saltem ad viciniora migrauerit. cet.

Collat. IV c. I. Inter ceteros christianæ philosophiæ viros, abbatem quoque vidimus Danielem, æqualem quidem in omni virtutum genere, his qui in eremo Scithi commanebant, sed peculiarius gratia humilitatis ornatum, qui merito puritatis ac mansuetudinis suæ a beato *Pafnutio solitudinis eiusdem presbytero*, & quidem quum multis iunior esset ætate, in *diaconii præelectus est gradu*. In tantum enim eidem beatus Pafnutius virtutibus ipsius adgaudebat, vt quem vitæ meritis sibi & gratia parem nouerat, coæquare sibi etiam sacerdotii ordine festinaret, siquidem nequaquam ferens, in inferiore eum ministerio diutius immorari, optansque sibimet successorem dignissimum prouidere, superstes *eum presbyteralis gradus honore prouexit.*

(*g*) Cassian. coll. X. c. II. Intra Aegypti regionem mos iste antiqua traditione seruatur, vt peracto epiphaniorum die, quem prouinciæ illius sacerdotes, vel dominici baptismi, vel secundum carnem natiuitatis esse definiunt, & id circo vtriusque sacramenti solemnitatem non bifarie, vt in occiduis prouinciis, sed sub vna diei vnius festiuitate concelebrant, epistolæ pontificis Alexandrini per vniuersas dirigantur Aegypti ecclesias, quibus ad initium quadragesimæ & dies paschæ non solum per ciuitates omnes, sed etiam per vniuersa monasteria designentur. Secundum hunc igitur morem prius dies admodum paucos, quam superior cum abbate Isaaci fuerat agitata collatio Theophili prædicti vrbis episcopi solemnes epistolæ commearunt, quibus cum denuntiatione paschali contra ineptam quoque anthropomorphitarum hæresin longa disputatione disseruit eamque copioso sermone destruxit. Quod tanta est amaritudine ab vniuerso propemodum genere monachorum, qui per totam prouinciam Aegypti morabantur, pro simplicitatis errore susceptum, vt e contrario memoratum pontificem, velut hæresi grauissima deprauatum, pars maxima seniorum ab vniuerso fraternitatis corpore decerneret detestandum, quod scilicet impugnare scripturæ sanctæ sententiam videretur, negans omnipotentem Deum humanæ figuræ compositione formatum, quum ad eius imaginem creatum Adam scriptura manifestissime testaretur. Denique ab his, qui erant in eremo Scythi commorantes, quique perfectione ac scientia omnibus, qui erant in Aegypti monasteriis, præminebant, ita est hæc epistola refutata, præter abbatem Pafnutium nostræ congregationis presbyterum, nullus eam ceterorum presbyterorum, qui in eadem eremo aliis tribus ecclesiis præsidebant, nec legi quidem ac recitari in suis conuentibus prorsus admitterent.

*lus*

*lus* ecclesiæ *Alexandrinæ* episcopus literas paschales (quibus festivitatem paschatis ex more denuntiarat) ad ipsos misisset, & contra ineptam istam hæresin acrius disputasset, literas illas in congregationibus suis nec legi quidem ac recitari voluerint. Similiter nobis refert SOZOMENVS [*h*], quod *Prines* monachus (cuius opera *Ariani* in occultando *Arsenio* vtebantur, dum hunc ab *Athanasio* interfectum iactabant) presbyter cuiusdam monasterii in *Thebaide* fuerit. Vbi monasteria videntur fuisse valde ampla: CASSIANVS [*i*] enim, in eorum vno plus quam quinque millia monachorum degisse, fidem nobis facit. Neque absurdum videri potest, istiusmodi monasteria in remotioribus solitudinibus sua habuisse templa suosque, qui in eis ministrarent, presbyteros. Verum non per deserta solum quæ exstructa erant, monasteriis presbyteros suos habere licitum erat, sed in quibusdam etiam locis monasteria oppidana (quam primum ibi constituta essent) idem priuilegium similiter habebant. Nam *Eutyches* hæreticus non tantum archimandrita sed presbyter etiam monasterii sui *Constantinopoli* erat, quemadmodum LIBERATVS [*k*] & alii vetusti scriptores eum appellant. Et hanc rem non fuisse inusitatam, ex eo liquet, quod lex tum ciuilis tum canonica eam permisit. IVSTINIANVS in quadam *nouella* [*l*]

---

(*h*) Sozom. lib. II. c. XXIII. *Τὸν μὲν Ἀρσένιον ἐπιμελῶς ζητήσαντες εὗρον, καὶ φιλοφρονησάμενοι, καὶ πᾶσαν εὔνοιαν καὶ ἀσφάλειαν παρέξειν αὐτῷ ὑποσχόμενοι, ἄγουσι λάθρα πρός τινα τῶν αὐτοῖς συνήθων καὶ τὰ αὐτὰ σπουδαζόντων· Πρίνης ὄνομα αὐτῷ ἦν, πρεσβύτερος μοναστηρίου· ἐνταῦθα τε τὸν Ἀρσένιον κρύψαντες, σπουδῇ περιῄεσαν κατὰ τὰς ἀγορὰς καὶ τοὺς συλλόγους τῶν ἐν τέλει, λογοποιοῦντες τοῦτον πεφονεῦσθαι παρὰ Ἀθανασίου.* Arsenium quidem studiose perquisitum inuenerunt: cumque benigne excipientes, omnemque ei beneuolentiam ac securitatem polliciti, clam eum deducunt ad quemdam ex suis familiaribus & earundem cum ipsis partium: *Prinem* nomine, *presbyterum cuiusdam monasterii.* Illic quum Arsenium abdidissent, per fora & coetus primariorum hominum de industria circumeuntes illum ab Athanasio occisum esse iactabant.

(*i*) Cassian. de institut. renuntiant. lib. IV. c. I. - in Thebaide est cœnobium, quanto numero populosius cunctis, tanto conuersationis rigore districtius. Siquidem in eo plusquam quinque millia fratrum sub vno abbate reguntur, cet.

(*k*) Liberat. breuiar. c. XI. (tom. V. concil. p. 754. d.) His temporibus Eutyches quidam *presbyter* & archimandrita præsidens Constantinopoli celeberrimo monasterio, vrgente satana, prædicabat dominum nostrum Iesum Christum consubstantialem nobis non esse secundum carnem, sed de cælo corpus habuisse.

(*l*) Iustin. nouell. CXXXIII. c. II. *ἔπειτα κἂν εἰ τις ἐκκλησία κατὰ τὸ μοναστήριον εἴη,*

ſanctionem quamdam promulgat pro monaſteriis eccleſias ſibi proprias tam habentibus, quam non habentibus. De non habentibus præcipit, vt monachi cum abbate ſuo ad eccleſiam parochialem ſe conferant, cultuque diuino completo rurſus ad cœnobium reuertantur: Habentibus autem eccleſias quattuor vel quinque ſeniores ex ſuo ipſorum coetu presbyteros, vel diaconos, vel inferioris cuiusdam gradus clericos, prout rei id exegerit neceſſitas, ordinari iubet. Etiam ante concilium *Chalcedonenſe* [n] de eccleſiis monaſteriorum deque clericis ad eas pertinentibus loquitur; cuilibet iſtiusmodi eccleſiæ homines ſacris ordinibus idoneos deſignandi concedens priuilegium. Vt adeo in iſtis rerum circumſtantiis dubitandum non ſit, quin vita clericalis & monaſtica ſæpiſſime in vno eodemque homine iuncta fuerit.

II. Alivs caſus, in quo idem illud fieri ſolebat, erat, quando monachi ex monaſteriis ab epiſcopis adſciti in eccleſiæ miniſterium ordinabantur. Quæ res frequenter accidit, neque

*μηδὲ οὕτως προφάσει τῶν ἐκκλησιῶν ἐκφοιτᾷν ἀδεῶς, οὐ καὶ περιπάτους ἐκεῖσε ποιεῖσθαι, καὶ ἐντυγχάνειν ποσὶν οἷς οὐδὲ προσῆκον· ἀλλὰ παραγίνεσθαι μὲν ἐν τῷ καιρῷ τῆς ἱερᾶς λειτουργίας, ἅμα τῷ ἡγουμένῳ, ἢ τοῖς αὐτοῦ πρωτεύουσί τε καὶ γεγηρακόσι. τῆς δὲ λειτουργίας πληρωθείσης, τὸ μὲν μοναχικὸν ἅπαν αὖθις εἰς τὸ κοινόβιον χωρεῖν κἀκεῖσε καθῆσθαι - - Τέσσαρας δὲ ἢ πέντε πρεσβύτας ἐκ τῆς αὐτῆς μονῆς εἶναι, κατὰ τὴν ἐν τῷ μοναστηρίῳ καθεστῶσαν ἁγιωτάτην ἐκκλησίαν, οἷς ἤδη πᾶς ἀγὼν ἤνυσται κατὰ τὴν ἄσκησιν, καὶ οἵπερ χειροτονίας ἠξίωνται τῆς ἐν τῷ κλήρῳ, πρεσβυτέρων τυχὸν ἢ διακόνων ἢ τῶν ἐφεξῆς ἔχοντες σχῆμα.* Deinde vel ſi vlla eccleſia in monaſterio ſit, neque ſic occaſione eccleſiarum, egredi & deambulationem licite illic facere, & confabulari, cum quibus non conuenit, ſed venire quidem tempore ſacri miniſterii, cum abbate ſuiſque prioribus & ſenibus, ſacrificioque completo omnes monachi rurſus ad cœnobium reuertantur, ibique ſedeant. - - Quattuor autem vel quinque ſeniores ex ipſo monaſterio eſſe in conſtituta eccleſia, quibus iam omnis exercitatio eſt expleta in continentia & qui ordinationem habere meruerunt in clero presbyterorum forſan aut diaconorum aut deinceps habentium ſchema.

(n) Conc. Chalc. c. VI. (tom. IV. conc. p. 758.) *Μηδένα ἀπολελυμένως χειροτονεῖσθαι, μήτε πρεσβύτερον μήτε διάκονον μήτε ὅλως τινὰ τῶν ἐν ἐκκλησιαστικῷ τάγματι· εἰ μὴ ἰδικῶς ἐν ἐκκλησίᾳ πόλεως ἢ κώμης, ἢ μαρτυρίῳ, ἢ μοναστηρίῳ, ὁ χειροτονούμενος ἐπικηρύττοιτο.* Nullum abſolute ordinari, nec presbyterum, nec diaconum, nec omnino aliquem eorum, qui ſunt in ordine eccleſiaſtico, niſi ſpecialiter in eccleſia ciuitatis, vel pagi vel martyrio, vel *monaſterio* is qui ordinetur, deſignetur. Can. VIII. *Οἱ κληρικοὶ τῶν πτωχείων καὶ μοναστηρίων κ. τ. λ. Clerici* ptochotrophiorum, *& monaſteriorum*, cet.

tantum permissa fuit, sed legibus tum imperialibus tum ecclesiasticis commendata. Vbi monasteria scholæ doctrinæ & piæ educationis euaserant, aptissima ecclesiæ seminaria haberi cœperunt. Quapropter *Arcadius* mandabat [o] episcopis, vt si quos forte deesse sibi clericos arbitrarentur, ex monachorum numero eos supplerent. GOTHOFREDVS in eruditis suis ad hanc legem adnotationibus ecclesiæ consuetudinem testimoniis ex ATHANASIO [p], HIERONYMO [q], AVGVSTINO [r], EPIPHANIO [s],

(o) Cod. Theod. lib. XVI. tit. II. de episc. leg. XXXII. Si quos forte episcopi deesse sibi clericos arbitrantur, ex monachorum numero rectius ordinabunt.

(p) Athan. epist. ad Dracont. (tom. I. p. 267. a. edit. Paris. MDCXCVIII.) Οὐ γὰρ σὺ μόνος ἐκ μοναχῶν κατεστάθης, οὐδὲ σὺ μόνος προέστης μοναστηρίου, ἢ μόνος ὑπὸ μοναχῶν ἠγαπήθης· ἀλλ' οἶδας, ὅτι καὶ Σεραπίων μοναχός ἐστι, καὶ πόσων μοναχῶν προέστη κ. τ. λ. *Neque tu solus ex monachis es ordinatus*; neque tu tantum monasterio præfuisti, vel solus a monachis dilectus es; sed nosti Serapionem monachum esse, & tam multis præfuisse monachis cet.

(q) Hieron. epist. III. (tom. I. p. 16. a. edit. Francof.) In vno atque eodem & imitabatur monachum & episcopum venerabatur. Epistol. IV. (p. 31. a.) Ita age, & viue in monasterio, vt clericus esse merearis. - Quum ad perfectam ætatem veneris, si tamen vita comes fuerit, & te vel populus vel pontifex ciuitatis in clerum elegerint, agito quæ clerici sunt.

(r) Aug. epist. LXXVI. (tom. II. opp. p. 342. edit. Basil. MDLXIX.) Et ipsis facilis lapsus & ordini clericorum fit: dignissima iniuria, si desertores monasteriorum ad militiam clericatus eliguntur, cum ex his qui in monasterio permanent, non tamen nisi probatiores atque meliores *in clerum adsumere* soleamus. Id. epist. LXXXI. Eudoxio abbati & monachis eius ita scribit Augustinus; Vos fratres exhortamur in domino, vt propositum vestrum custodiatis & vsque in finem perseueretis: ac si quam operam vestram mater ecclesia desiderauerit, nec elatione auida suscipiatis, nec blandiente desidia respuatis, sed miti corde obtemperetis Deo, cet.

(s) Epiphan. exposit. fid. n. XXI. p. 1103. fin. στεφάνη δὲ τούτων πάντων ἡ μήτηρ, ὡς εἰπεῖν, καὶ γενήτειρα ἡ ἁγία ἱερωσύνη, ἐκ μὲν παρθένων τὸ πλεῖστον ὁρμωμένη· εἰ δὲ οὐκ ἐκ παρθένων, ἐκ μοναζόντων· εἰ δὲ μὴ εἶεν ἱκανοὶ εἰς ὑπηρεσίαν ἀπὸ μοναζόντων, ἐξ ἐγκρατευομένων τῶν ἰδίων γυναικῶν, ἢ χηρευσάντων ἀπὸ μονογαμίας. Horum omnium velut fastigium, & vt ita dicam, matris ac genetricis locum sanctum sibi sacerdotium vendicat: quod ex virginum ordine præcipue constat; aut si minus e virginibus, certe *ex monachis*: aut nisi *ex monachorum ordine* ad illam functionem obeundam idonei cooptari possint, ex his creari sacerdotes solent, qui a suis se vxoribus continent, aut secundum vnas nuptias in viduitate versantur.

PALLADIO [t], BASILIO [u], *chronico* MARCELLINI & codice ecclesiæ *Africanæ* [w] petitis, satis superque commonstrauit. Quibus epistolæ [x] SIRICII, INNOCENTII & GELASII a GRATIANO adlegatæ, nec non concilia, *Agathense* [y] & *Leridense* subiungi possunt, quæ episcopo monachum ex monasterio, consentiente quidem & approbante abbate, adsumere, eumque in ecclesiæ ministerium consecrare concedunt. Et hoc modo antiquæ suæ austeritati & asceticæ viuendi rationi insistentes vitam clericalem & monasticam coniungebant. Quo

(t) Pallad. histor. Lausiac. c. XXII. Τελευτᾷ δὲ οὗτος (Μωϋσῆς μόναχος) ἐτῶν ἑβδομήκοντα πέντε ἐν τῇ Σκήτει, γενόμενος πρεσβύτερος, καταλιπὼν μαθητὰς ἑβδομήκοντα. Obiit (Moses monachus) ante septuaginta quinque annos natus in Scete, *quum factus esset presbyter*, relictis septuaginta discipulis.

(u) Basil. ep. CCCCIII. ad Amphiloc. Εἰ δὲ μέλλει τις ἀπιέναι, ἐπιζητησάτω ἐν Κορυδάλοις Ἀλέξανδρον ἀπὸ μοναζόντων ἐπίσκοπον, Si quispiam abiturus inde erit, quærat ille in Corydalis Alexandrum *de monacho factum episcopum.*

(w) Cod. Afric. c. LXXX. al. LXXXIII. (tom. I. conc. p. 1098.) Ὁμοίως ἤρεσεν, ἵνα, ἐάν τις ἀπὸ ἀλλοτρίου μοναστηρίου ὑποδέξηταί τινα, καὶ πρὸς κλήρωσιν προσαγαγεῖν ἐθελήσοι, ἢ τοῦ ἰδίου μοναστηρίου ἡγούμενον καταστήσοι, ὁ τοῦτο ποιῶν ἐπίσκοπος, ἀπὸ τῆς τῶν λοιπῶν κοινωνίας χωριζόμενος, τῇ τοῦ ἰδίου λαοῦ κοινωνίᾳ ἀρκεσθῇ μόνῃ· ἐκεῖνος δὲ, μηδὲ κληρικὸς, μηδὲ ἡγούμενος ἐπιμένῃ. Item placuit, vt *si quis de alterius monasterio susceptum vel ad clericatum promouere voluerit*, vel in suo monasterio præpositum monasterii constituerit, episcopus qui hoc fecerit, a ceterorum communione seiunctus, suæ tantum plebis communione contentus sit, & ille neque clericus neque præpositus perseueret.

(x) Gratian. cauff. XVI. qu. I. c. XX. Faciat Deus, vt tales sint hi, qui vel a nobis in isto habitu nutriuntur, vel *in monasteriis* crescunt, vt prouecta ætate & vita probata, non ad litigiosum effici, sed *ad sacerdotium* valeant promoueri. C. XXII. *Si monachus ad clericatum promoueatur*, beneficia ei pleniter & annonæ & decimæ donentur, cet. C. XXVIII. Si quis *monachus* fuerit, qui venerabilis vitæ merito *sacerdotio* dignus videatur, & abbas, sub cuius imperio regi Christo militat, illum fieri *presbyterum* petierit, ab episcopo debet eligi, & in loco, quo iudicauerit ordinari: omnia quæ ad sacerdotis officium pertinent, vel populi vel episcopi electione prouide ac iuste acturus.

(y) Concil. Agathens. c. XXVII. (tom. IV. conc. p. 1387.) *Monachi* vagantes ad officium clericatus, nisi eis testimonium abbas suus dederit, nec in ciuitatibus nec in parœciis *ordinentur.*

Conc. Ilerd. c. III. (ibid. p. 1611.) De monachis id obseruari placuit, quod synodus Agathensis vel Aurelianensis noscitur decreuisse: hoc tantummodo adiiciendum, *vt* pro ecclesiæ vtilitate, *quos episcopus probauerit in clericatus officio, cum abbatis voluntate debeant ordinari.*

respe-

respectu tum hi, tum illi priores a *Græcis* ἱερομόναχοι vocabantur, vt ab iis, qui mere laici erant, distinguerentur.

III. ACCIDIT nonnunquam, vt episcopus aliquis & vniuersus eius clerus asceticam viuendi rationem eligerent, rebus suis propriis omnibus sponte renuntiantes, & omnia ad priscæ ecclesiæ sub apostolis exemplum in commune coniungentes. AMBROSIVS [z] videtur dicere, quod *Eusebius Vercellensis* hanc viuendi rationem in ecclesiam occidentalem primus inuexerit. Ante ipsius enim tempus vita monachica in ciuitatibus incognita fuit; sed ipse clericos suos in ciuitatibus ad regulas & institutionem monachorum per deserta viuere docuit. Quod ipsum, puto, de ipsorum austera viuendi ratione præcipue intelligi debet, quod rebus suis nuntio remisso omnia communia, quemadmodum reliqui, habuerunt. Eamdem vitæ rationem inter clericos *Hipponenses* introduxit AVGVSTINVS, vti ex ipsis eius verbis condocemur, quando, *Volui* [a], inquit, *habere in ista domo episcopi mecum monasterium clericorum. Ecce quomodo viuimus. Nulli licet in societate nostra habere aliquid proprium.* Id quod POSSIDIVS [b] etiam in vita ipsius obseruat, *Cum ipso*, inquiens, *semper clerici vna etiam domo ac mensa sumtibusque communibus alebantur & vestiebantur.* Et quatenus hac in re cœnobitarum, omnia communia habentium, vitam imitabantur, æque monastica ac clericalis vita, vti POSSIDIO atque AVGVSTINO dicitur, nuncupari potest. Enimvero nondum vllum in mundo monasterium extabat, in quo vniuersi monachi ad priuatum tantum missæ sacrificium celebrandum ordinati, neque vero ad vllum certum munus curiale, vbi diuersa clericalis functionis officia peragerent, adstricti essent. *Augustini* monasterium tales tantum complectebatur monachos, qui publica officia ac negotia in ecclesia administrabant, nulli cœnobii claustro adstricti.

(z) Ambros. ep. LXXXII. ad eccles. Vercell. p. 254. (edit. Basil. MDLXVII.) Hæc enim primus in occidentis partibus diuersa inter se Eusebius sanctæ memoriæ coniunxit, vt & in ciuitate positus instituta monachorum teneret & ecclesiam regeret ieiunii sobrietate.

(a) Aug. serm. XLIX. de diuersis tom. X. p. 519. edit. Paris. MDCXXXVII. (serm. LII. tom. X. p. 1396. d. edit. Basil. MDLXIX.)

(b) Possid. vit. August. c. XXV.

## §. IX.

### *Canonicorum regularium origo.*

QVARE eremitæ *Augustinenses* & multi ordines recentiores alii, qui nomen eius adſumſerunt, originem ſuam ab ipſo deriuare falſo ſibi arrogant; quem certum eſt nec ipſum eremitam fuiſſe, nec vllas in eorum vſum regulas ſcripſiſſe, licet multi ſermones, tamquam ab ipſo anachoretis per deſerta habiti, ei adſcribantur. Qui canonicorum regularium ortum ab ipſo deducunt, vti DVARENVS [c] & alii, ii cum maiore probabilitate hoc faciunt, quoniam, vt oſtendimus, clerici *Hipponenſes* quibusdam vitæ monaſticæ exercitiis ſuberant, quæ eos canonicos *regulares* quodammodo efficiebant. ONVPHRIVS [d] tamen & HOSPINIANVS [e], qui hanc rem inueſtigarunt curatius, *Gelaſium* primum eorum auctorem ſub hoc nomine in eccleſia *Lateranenſi* fuiſſe, ſtatuunt, in qua vſque ad *Boniſacium VIII.* a quo repulſi ſint, permanſerint. Quo tempore hoc nomen vel hic ordo in alias eccleſias inuectus fuerit, ex HOSPINIANO huius rei cupidus lector poteſt condiſcere.

(c) Duaren. de miniſt. & benefic. lib. I. c. XXI. Dicebantur non ſimpliciter, vt nunc *canonici*, ſed *regulares* ab illo peculiari inſtituto ac regula, quam amplectebantur, & hoc modo diſcrimen inter eos deſignabatur & aliarum eccleſiarum canonicos, qui huiusmodi ſe votis non adligauerant, idque ſupra a nobis oſtenſum eſt. Hæc ſecta, *cuius auctor Auguſtinus perhibetur*, quum Hipponenſis epiſcopus eſſet, late chriſtianorum orbem peruagata eſt, adeo vt eorum cœnobia hodie in quibus locis monachorum nomen deletum non eſt, nuſquam non reperiantur.

(d) Onuphr. adnotat. in Platin. vit. Gelaſii p. 62. Gelaſius *canonicos*, vt vocant, *regulares* ordinis ſancti Auguſtini Laterani primus collocauit, qui ibidem vſque ad Bonifacium VIII. a quo expulſi ſunt, permanſerunt. Ex archiuis baſilicæ Lateranenſis.

(e) Hoſpin. de orig. monachat. lib. III. c. VI. p. 72. edit. Tigur. MDLXXXVIII. (pag. 110. n. 4. edit. Geneu. MDCLXIX.) Onuphrius Panuinus in ſuis ad Platinam adnotationibus indicat ex archiuis eccleſiæ Lateranenſis, *Gelaſium I.* papam circa annum CCCC XCV. *canonicos regulares* ordinis ſancti Auguſtini Laterani *primum collocaſſe. Crediderim ego, hunc Gelaſium horum canonicorum eſſe auctorem*, & ad hoc exemplum mox alibi quoque in maioribus eccleſiis eos inſtitutos eſſe: de quo tamen alii iudicent. Fuit certe hic Gelaſius idololatriæ egregius architectus & ceremoniarum cumulator, vt in vita eius indicatur.

§. X.

## §. X.

## *De monachis, qui ἀκοίμητοι, hoc est* insomnes, *dicti fuerunt.*

SAECVLO quinto ineunte vel medio, vt BARONIVS existimat [*f*], *Constantinopoli* sub *Gennadio* patriarcha *Alexander* quidam monachorum quemdam ordinem instituit, quos istius æui & sequentium sæculorum scriptores plerumque *ἀκοιμήτους*, hoc est *insomnes* appellitant. Cuius nominis ratio ab ipsorum instituto diuina officia noctes atque dies sine vlla intermissione peragendi desumta est. In tres enim cœtus ipsi sese distribuerant, atque ita alii aliis stata hora succedentes perpetuum diuini cultus cursum, sine vllo interuallo noctes atque dies continuabant, inde *insomnes*, vocitati. Huius ordinis pietas magnam ipsis famam atque existimationem conciliauit, multaque in eorum vsum monasteria *Constantinopoli* fuerunt exstructa. Inter alios *Studius* quidam, vir præclarus & consularis dignitatis quum *Roma Constantinopolin* delatus sæculo valedixisset, ad quemdam horum ordinum transiit, & celebre aliquod monasterium pro ipsis erexit, quod ab hoc auctore *Studium* [*g*] eiusque monachi *Studitæ* fuerunt nuncupati. Et hoc tempore monachi forsan primum a fundatoribus suis denominari cœperunt. Verum enim vero horum monachorum existimatio paullo post imminuta fuit, siquidem sæpius hæresi *Nestorii* fauere deprehensi sunt,

(*f*) Baron. ad an. CCCCLIX. ex actis Marcelli ap. Surium decembr. XXIX. (p. 150. d. edit. Antuerp. MDCLVIII.) Quod spectat ad *acœmetarum* monachorum institutum, non fuit eius Marcellus auctor, sed propagator: verum Alexander abbas eiusdemque Marcelli institutor religiosum illum cultum inuenit, prout eiusdem Marcelli acta testantur.

(*g*) Niceph. hist. lib. XV. c. XXIII. *Τούτου (Γενναδίου) ἐπὶ τὸν θρόνον ὄντος, καὶ Στούδιός τις περιφανὴς ἀνὴρ ἐκ Ῥώμης ἥκων τὸν τοῦ προδρόμου ἀνεγείρει νεών, μοναχοὺς ἐκ τῆς τῶν ἀκοιμήτων μονῆς ἐκεῖσε ἐγκαταστήσας· ἣν Μάρκελλος ὁ θειότατος ἤγειρεν, ἀσίγητον τὸν ὕμνον παρασκευάσας θεῷ ἀναπέμπεσθαι εἰς τρία μέρη τὴν ποίμνην διατεμάμενος.* In episcopatu huius (Gennadii) Studius quidam vir præclaris, Romæ Constantinopolim peruenit, & diuo Præcursori templum erexit, in quod monachos ex domicilio eorum qui *ἀκοίμητοι*, hoc est, *Insomnes* dicuntur, induxit. Horum domicilium Marcellus diuinissimus construxerat, in quo perpetuis carminibus nunquam non hymni Deo canerentur, sodalitate monachorum eam ob rem in tres cœtus diuisa.

quam

quam ob rem ab ſcriptoribus eccleſiaſticis [gg] frequenter caſtigantur.

### §. XI.
### *De ſic dictis* βοσκοῖς, paſcentibus.

In *Syriæ* ac *Meſopotamiæ* regionibus aliud monachorum genus memoratur SOZOMENO [h], quos a peculiari ſua viuendi ratione βοσκὰς *paſcentes* vulgo dixerint. Inſtar enim paſcentium pecudum in montibus degentes nec domicilia habebant vlla, nec pane aut carne veſcebantur, nec vinum bibebant, ſed Deum perpetuo celebrabant, orationibus & hymnis iuxta eccleſiæ ritum vacantes. Quumque veſcendi tempus aduenisset, ſinguli falce arrepta per montem vagantes herbas reſecabant, qui vnus & ſolus eorum victus & conſtans vitæ tenor erat.

### §. XII.
### *De* Benedictinis & Gyrouagis *in* Italia.

Eorvm, quos nonnulli monachos *Baſilii* & *Hieronymi* vo-

(gg) Niceph. ibid. Τότε καὶ Τιμοκλῆς τε καὶ Ἄνθιμος οἱ τῶν Τροπαρίων ἤκμαζον ποιηταὶ, κατὰ φρατρίας διῃρημένοι· ἀλλ᾽ ὅσοι μὲν τοῖς δόξασι τῇ ἐν Χαλκηδόνι συνόδῳ προσέκειντο παρὰ τῷ Ἀνθίμῳ συνήγοντο· ὃς πρῶτος καὶ τὰς παννυχίδας ἐπενόησε γίνεσθαι· ὅσοι δ᾽ ἐχθρωδῶς ἐκείνῃ ἐφέροντο, μᾶλλον προσέκειντο Τιμοκλεῖ. Ea tempestate Timocles etiam & Anthimus Troporiorum poëtæ floruere, qui ſuas vtrique ſodalitates habuere. Et qui Chalcedonenſis ſynodi decreta comprobabant, Anthimi conuentus frequentabant, qui etiam peruigilium inter eos conſtituit. At qui hoſtili erga eum erant animo, Timoclem ſequebantur.

(h) Sozom. lib. VI. c. XXXIII. Τούτους δὲ καὶ βόσκους ἀπεκάλουν, ἔναγχος τῆς τοιαύτης φιλοσοφίας ἄρξοντας· ὀνομάζουσι δὲ ὧδε αὐτοὺς, καθότι οὔτε οἰκήματα ἔχουσιν, οὔτε ἄρτον, οὔτε ὄψον ἐσθίουσιν, οὔτε οἶνον πίνουσιν· ἐν δὲ τοῖς ὄρεσι διατρίβοντες, ἀεὶ τὸν Θεὸν εὐλογοῦσιν, ἐν εὐχαῖς καὶ ὕμνοις κατὰ θεσμὸν τῆς ἐκκλησίας· τροφῆς δὲ ἡνίκα γένηται καιρὸς, καθάπερ νεμόμενοι, ἅρπην ἔχων ἕκαστος, ἀνὰ τὸ ὄρος περιϊόντες τὰς βοτάνας σιτίζονται.

Euagr. lib I. c. XXI. Ἐς ἔρημον κεκαυμένην σφᾶς αὐτοὺς ἀφέντες, καὶ μόνα τὰ τῆς φύσεως ἀναγκαῖα περιστείλαντες, ἄνδρες τε καὶ γύναια τὸ λοιπὸν σῶμα γυμνὸν, κρυμοῖς τε ἐξαισίοις, ἀέρων τε πυρακτώσεσιν ἐπιτρέπουσιν, ἐπίσης θάλπους τε καὶ ψύχους περιορῶντες· καὶ τὰς μὲν τῶν ἀνθρώπων τροφὰς τέλεον ἀποσείονται, νέμονται δὲ τὴν γῆν, βόσκους καλοῦσι, μόνον τὸ ζῆν ἐντεῦθεν ποριζόμενοι. In ſolitudinem a ſole peruſtam penetrantes, tam viri quam mulieres, iis duntaxat partibus, quas pudor nominari vetat, contectis reliquum corpus algoribus atque ardoribus immenſis nudum exponunt, æſtum ac frigus pari modo deſpicientes. Ac cibos quidem hominibus vſitatos aſpernantur. Terram autem depaſcuntur vnde & βοσκοὶ, *pabulatores* cognominati ſunt: tantum carpentes, quantum ad vitam ſufficit.

cant,

cant, nullam hoc loco facimus mentionem. Certum enim eſt, hoſce patres nullos diſtinctos ordines inſtituiſſe, tametſi ambo vitæ monaſticæ promotores generatim exſtiterunt. Regulam, quæ ſub nomine *Hieronymi* circumfertur, recentioris cuiusdam auctoris fictionem eſſe, in propatulo eſt: Et *ſermonum aſceticorum*, qui BASILIO vulgo adſcribuntur, *Euſtathium*, illum *Sebaſtiæ Armeniæ* epiſcopum, auctorem potius fuiſſe, viri quidam docti [i] iudicant. Fac autem, ab ipſo BASILIO profectos eſſe, vti plerique viri docti ſtatuunt, non tamen vllius noui ordinis auctorem, ſed eorum, qui iam inſtituti fuerint, directorem duntaxat fuiſſe, arguunt. Hiſce igitur prætermiſſis duorum ſolum ordinum, nimirum *Benedictinorum* in *Italia* & *Apoſtolicorum* in *Britannia*, mentionem adhuc faciemus. *Benedictini* a *Benedicto*, celebri monacho in *Italia*, tempore *Iuſtiniani* imperatoris, circa annum DXXX, ortum ſuum habuerunt. Primam huic ſedem dedit *Sublaqueum* oppidum *Latii* in diœceſi *Tiburtina*, vbi duodecim monaſteria, monachorum quodque duodecim, in vicina quadam ſolitudine erexit; quorum vnum ſequentibus temporibus ita increuit, vt non tantum contra omnes vetuſtas regulas ab epiſcopali poteſtate eſſet immune, ſed etiam, vti recentior quidam ſcriptor [k] obſeruat, non minus quatuordecim vicos ſub ſe ha-

(i) Hoſpin. de origine monach. p. 69. edit. Tigur. MDLXXXVII. (p. 105. edit. cit. Geneu.) A multis dubitatur, num libri illi de *virginitate & monaſtica vita* ſcripti, qui *aſcetici* dicuntur, Baſilii γνήσιοι ſint, quum pleraque in iis horridiora ſint, quam in reliquis eius ſcriptis. Deinde etiam in catalogo ſcriptorum Baſilii in oratione Nazianzeni, *aſcetica* illa non recenſentur: quæ certe vir ille, qui ex profeſſo laudationem Baſilii inſtituerat, omiſſurus minime fuiſſet: poteſt igitur eſſe alius quidam Baſilius & hoc quidem recentior. Sozomenus autem lib. III. c. XIV. adfirmat, viſum nonnullis ſuo tempore, *aſceticorum* illorum auctorem fuiſſe Euſtathium illum Sebaſtiæ Armeniæ epiſcopum, ſed Macedonianum hæreticum, qui monaſticæ auctor Armeniis exſtiterit. cet.
Sozom. lib. III. c. XIV. p. 520. d. *ὡς καὶ τὴν ἐπιγεγραμμένην Βασιλείου τοῦ Καππαδόκου ἀσκητικὴν βίβλον, ἰσχυρίζεσθαί τινας αὐτοῦ* (Εὐσταθίου) *γραφὴν εἶναι.*
Suslif. de monachis c. VII.

(k) Baudrand. lexic. geograph. voce *Sublaqueum*. Sublaqueum ſeu melius Sublacum, oppidum Aequorum in Latio. Hodie dicitur vulgo *Subiaco*, cuius abbatia, quæ nullius eſt diœceſis, quatuordecim vicos ſub ſe habet, in confinio regni Neopolitani. Sedet in colle, ad fontes Anienis, XXXVI. milliaribus diſtans a Roma in ortum, & X. a Præneſte; eſtque in Campania Romana, ſub dominio ſummi pontificis.

beret. Hinc ad *Casſinum* montem ſeceſſit, vbi aliud monaſterium erexit, vnde ordinem ſuum in alias regiones tanto cum ſucceſſu propagauit, vt ſexcentis circiter annis poſt maxima monachorum in *Europa* pars eius regulam ſequerentur. Atque ita, quocunque alio nomine venirent, *Carthuſienſes*, *Ciſtertienſes*, *Grandimontenſes*, *Præmonſtratenſes*, *Cluniacenſes*, ceteri, non niſi diuerſi *Benedictinorum* fuerunt ſurculi, donec circa an. MCCXX. *Dominicani* & *Franciſcani* nouas a ductoribus ſuis regulas acceperunt. HOSPINIANVS [*l*] viginti tres ordines ex hoc vno ortos recenſet, & e VOLATERANO obſeruat, quod huius ætate hic ordo cardinales ducentos, archiepiſcopos mille & ſexcentos, epiſcoporum quatuor millia, abbatum quindecim millia cum ſeptingentis habuerit: ex quo de prodigioſo huius ordinis incremento facile ad iudicandum eſt. Non immorabimur eis fuſius enarrandis, ſed vnum duntaxat ex ipſius BENEDICTI regula obſeruabimus, ipſum nec monachos ſuos nomine ſuo appellari, vel pro nouo ordine haberi, multo minus tot nouos ordines inde deriuari voluiſſe. Ipſe enim in vſum *cænobitarum* & *anachoretarum* primitiuæ eccleſiæ, quos duos conſtitutos ordines tantummodo ea ætate eccleſiæ *Italicæ* agnoſcebant, generatim ſe ſcribere, profitetur. Quatuor quidem monachorum genera in vniuerſum dari dicit, *Cænobitas*, *Anachoretas*, *Sarabaitas*, & *Gyrouagos*; ſed duo poſteriora non niſi ſcandala & opprobria eccleſiæ eſſe adfirmat. De *Sarabaitis* eadem prorſus, quæ HIERONYMVS & CASSIANVS [*ll*] ante eum, narrat. *Gyrouagos* autem his

(*l*) Hoſpin. de monach. lib. IV. c. V. p. 116. edit. Baſil. (p. 201. edit. Geneu.) Cardinales habuit & ordo hic Volaterani ætate fere 200, archiepiſcopos in diuerſis eccleſiis 1600, epiſcopos 4000, abbates eruditione & ſcriptis celebres 15700, canonizatos & ſanctorum catalogo inſertos 15600.

Pag. 132 (p 222.) Militant ſub hac regula ordines circiter XXIII--- *Ordo Specuenſis*, *Carthuſienſis*, *Ciſtercienſis*, *S. Vuihelmi*, *Scotorum*, *Montis-Oliuetenſium*, album portantium habitum, *Cæleſtinorum*, *Sclauorum Vallis vmbroſæ*, *Fontis Ebrardi*, *Humiliatorum* ſub albo habitu, *Grandimontenſis*, *S. Ambroſii*, *Camaldulenſis*, *Vallis Scholarium*, *S. Pauli primi eremitæ*, quem alii ad Auguſtinenſes referunt, *Cluniacenſis*, *Præmonſtratenſis*, *S. Iuſtinæ*, *Sylueſtrinorum*, *Gilbertinorum & ordo de S. Burga vidua*: vt Trithemius iudicat lib. I. c. III. de viris illuſtribus ordinis Benedictinorum. His Polydorus Vergilius lib. VII. c. II. *Eremitanos D. Hieronymi* adnumerat, quos dicit poſtremo per Martinum V. in familiam Benedicti adſcitos fuiſſe.

(*ll*) vid. ſupra §. IV.

verbis

verbis depingit [m]: *Quartum genus est monachorum, quod nominatur GYROVAGVM, qui tota vita sua per diuersas prouincias ternis aut quaternis diebus per diuersorum cellas hospitantur; semper vagi & numquam stabiles; propriis voluptatibus & gulæ illecebris seruientes, & per omnia deteriores Sarabaitis: de quorum omnium miserrima conuersatione melius est silere, quam loqui. His ergo omissis*, pergit ille, *ad cænobitarum fortissimum genus disponendum, adiuuante domino, veniamus.* Ex quibus manifestum est, monachos tempore *Benedicti* in multos diuersos ordines in ecclesia occidentali admissos, sese non distinxisse.

## §. XIII.

## *De* Apostolicis *in* Britannia *et* Hibernia.

Circa annum DXCVI. *Benedictini* cum *Augustino* monacho in *Britanniam* venerunt, adeoque omnia monasteria a *Saxonibus* exstructa huius ordinis monachis fuerunt data. Antiqui autem *Britanni* iam pridem monasticæ vitæ dederant operam. Sunt, qui *Pelagium* [n] ex oriente in *Britanniam* eam primum inuexisse, dicunt. Alii ipsum collegii *Bangoriensis* abbatem faciunt, monachorum duo millia sub regimine suo habuisse dictitantes. Sed hoc tamquam merum recentiorum auctorum commentum a viro quodam docto [o] explosum est. Quomodocumque autem hæc res se habet, certe ex BEDA manifestum est, fuisse *Bangorii* monasterium (etsi, qui primus eius fundator exstiterit, parum attinet inquirere) ante, quam *Augustinus* & ipsius monachi in *Angliam* deuenerunt. *In monasterio Bancor*, inquit ille [p], *tantus fertur fuisse numerus monachorum, vt quum in septem portiones esset cum præpositis sibi rectoribus monasterium diuisum,*

(m) Benedict. regul. monachor. c. I. (apud Hospinian. de monach. p. 202. edit. Geneu.)

(n) Hospin. de monach. lib IV. c. III. p. 115. (p. 199. edit. Geneu.) Sub Congello Bannocorensi illustris familiæ Britanno monachismus Aegyptius, a Pelagio prius introductus, sub specie religionis in Britannia radices, vires & incrementa largissima cœpit ad alias etiam Europæ prouincias plantaria transmittens.

(o) Caue histor. litter. vol. I. p. 291 Monachum fuisse (Pelagium) facile concedimus; collegii vero Bannochorensis fuisse abbatem, & duo millia monachorum sub regimine suo habuisse, & exinde postea a suis in exilium pullum; denique academiæ Cantabrigiensis fuisse alumnum, nuda videntur Ranulphi Cestrensis, Ioannis Tinmuthensis, Nicolai Cantilupi, Caii, Balei, aliorumque somnia.

(p) Bed. histor. Anglor. lib. II. c. II.

*nulla harum portio minus quam trecentos homines haberet, qui omnes de labore manuum suarum viuere solebant.* HOSPINIANVS & BALAEVS *ordinem Apostolicorum* nominant; an autem ex idoneis rationibus, ego non dixerim. In eo certum est illos magnopere falli, quando hoc monasterium *Bannochorense* siue *Bangoriense* cum *Benchoriensi Hiberniæ* confundunt, quod aliud celebre fuit monasterium, a *Congello* circa ann. DXX. fundatum. Ex hoc monasterio multa millia monachorum prodierunt, multa quoque alia monasteria in *Hibernia* & in aliis *Europæ* prouinciis orta sunt. Ex huius congregationis monachis quemdam nomine *Luanum* centum solum monasteria fundasse, BERNHARDVS [q] auctor est. Et VSSERIVS [r] ex BRENDANO, vno ex primis *Congelli* discipulis, obseruauit, quod tribus millibus monachorum præfuerit, qui ex manuum suarum labore ac opificio vitæ sibi subsidia acquisierint. *Columba* alius ipsius discipulus fuit, qui fundato primum monasterio *Dearmach* in *Hibernia*, *Pictos septemtrionales* ad fidem CHRISTI conuertit an. DLXV. monasteriumque in *Huya* insula ædificauit, ex quo, obseruante BEDA [s], plurima monasteria per discipulos eius, & in *Britannia* & *Hibernia* propagata sunt. *Columbanus* & *Gallus* itidem monachi sub *Congello* fuerunt, quorum hic ob monasterium in *Heluetia* fundatum, quod postea in amplissimam ciuitatem, *Fanum S. Galli* dictam, excreuit, laudatur; ille autem ob constructum in *Normannia Lexouiense* monasterium celebris est, vbi monachi (perinde ac ἀκοίμητοι seu *insomnes Constantinopoli* supra memorati) ipsi sese in diuersos choros diuidere consueuerunt, vt hisce sibi vicissim succedentibus continuarentur sacrorum solemnia, nec vllum quidem mo-

(q) Bernard. vit. Malach. c. V. p. 1934. d. edit. Antuerp. MDCIX. Locus (Benchor) vere sanctus fœcundusque sanctorum, copiosissime fructificans Deo, ita vt vnus ex filiis sanctæ illius congregationis *nomine Luanus centum solus monasteriorum fundator exstitisse feratur.*

(r) Usher, *Relig. of the anc.* Irish c. VI. p. 46.

(s) Bed. lib. III. c. IV. Venit in Britanniam Columba, regnante Pictis Bridio, filio Meilochon, rege potentissimo, nono anno regni eius gentemque illam verbo & exemplo ad fidem Christi conuertit. - - Fecerat autem, priusquam Britanniam veniret, monasterium nobile in Hibernia, quod a copia roborum Dearmach lingua Scotorum, hoc est, campus roborum cognominatur. *Ex quo vtroque monasterio, perplurima exinde monasteria per discipulos eius, & in Britannia & in Hibernia propagata sunt.*

mentum

mentum diei ac noctis vacaret a laudibus, quemadmodum BERNHARDVS [t] nobis perhibet. Hæc duo celebratissima monasteria, *Benchoriense* & *Bangoriense*, paullo distinctius enarrauimus, non tantum quod antiquissima in *Hibernia* & *Britannia* fuerunt, sed etiam quod ab HOSPINIANO & BALAEO tam infeliciter inter se confunduntur.

## §. XIV.

### *De raris quibusdam & insolitis monachorum nominibus in ecclesia antiqua.*

FINIEMVS hoc caput paucis quibusdam obseruationibus in diuersa nomina, quæ veteres nonnullis vel cunctis monachorum generibus generatim dederunt. Præter appellationem monachorum & ascetarum aliis nominibus, ad specialiores quasdam professionis suæ actiones respicientibus, eos insignitos deprehendimus. Respectu secessus & quiete viuendi rationis nonnulli a IVSTINIANO [u] in quadam *nouella* ἡσυχασταὶ, *Hesychastæ*, h. e. quiescentes (quasi *Quietistæ*) vocantur. SVICERVS [w] & HABERTVS [x] hoc pro alio tantum anachoretarum nomine accipiunt. Sed ex IVSTINIANI mente potius homines significare videtur, qui quidem inter cœnobitas degerunt, sed maioris exercitationis caussa a societate secedendi habentes veniam in privatis cellulis (quamquam intra cœnobii cuiusdam limites) soli vixerunt, vnde cellulæ istæ ἡσυχαστήρια dictæ sunt. Alias monachi propter magnam abstinentiam, temperantiamque suam

(t) Bernard. ibid. vit. Malach. c. V.

(u) Iustin nouel. V c. III. - - εἰ μή τινες αὐτῶν τὸν ἐν τῇ θεωρίᾳ τε καὶ τελειότητι διαζῶντες βίον ἰδιάζον ἔχοιεν οἰκημάτιον, οὓς δὴ καλεῖν ἀναχωρητάς τε καὶ ἡσυχαστὰς εἰώθασιν, ὡς τῆς κοινότητος ἐπὶ τὸ κρεῖττον ἐξῃρημένους - - nisi quidam eorum in contemplatione & perfectione degentes vitam remotam habeant in hospitio: quos vocare anachoretas, id est, discedentes, & *hesychastas*, id est *quiescentes*, consueuerint, tamquam a communione ad meliora exceptos.

(w) Suicer. thesaur. eccles. voce ἡσυχαστής. Ἡσυχάζω significat *quiesco, in otio viuo*. Hinc ἡσυχάζων notat ἀναχωρητήν. Photius epistolam XX. p. 81. inscribit: Ἀθανασίῳ μοναχῷ ἡσυχάζοντι, *Athanasio monacho anachoretæ*. Hinc colligitur, hunc non simpliciter *monachum* fuisse, sed ἡσυχάζοντα: hoc est, quem nos dicimus *anachoretam*, qui cellam incolens solitariam se separabat a κοινοβιωτῶν ἀναστροφῇ. Hic vocatur ἡσυχαστής.

(x) Habert. archierat. p. 588. Anachoretarum loca non φροντιστήρια, vel monasteria, sed ἡσυχαστήρια dicta sunt, vt & ipsi ἡσυχασταί. Iustin. nouel. V.



sou-

*continentes* appellantur: vt in concilio *Carthaginensi* tertio, quod clericos & *continentes* [y] ſine epiſcoporum & presbyterorum venia ad viduas vel virgines accedere prohibet. Ita quoque in lege quadam *Valentiani* imperatoris in codice *Theodoſiano* [z] & aliis locis. Interdum rurſus *ἀποταξάμενοι* & *renuntiantes* dicuntur, quod mundo & vitæ ſæculari renuntiaſſent, vt in PALLADIO [a] & CASSIANO [b], qui ſpeciatim e libris ſuis quemdam *de inſtitutis renuntiantium* inſcripſit. Aliquando *philoſophi* nuncupantur, vti ab ISIDORO PELVSIOTA [c], PALLADIO [d], THEODORETO [e] & aliis, quod eorum viuendi ratio multo magis quam aliorum vitæ philoſophicæ conuenire videbatur. Qui ſub nomine DIONYSII AREOPAGITAE ſcripſit auctor, nomen *Therapeutarum* [f] eis tribuere videtur, licet hoc olim commune

(y) Conc. Carth. III. c. XXV. (tom. II. concil. p. 1171) Vt clerici vel *continentes*, ad viduas vel virgines niſi iuſſu vel permiſſu epiſcoporum & presbyterorum, non accedant. Vid. Cod. can. eccleſ. Afric. can. XXXVIII. (ibid. p. 1070.) Κληρικοὶ ἢ ἐγκρατευόμενοι πρὸς χήρας ἢ παρθένους, εἰ μὴ κατ' ἐπιτροπὴν καὶ συναίνεσιν τοῦ ἰδίου ἐπισκόπου ἢ τῶν πρεσβυτέρων, μὴ εἰσίτωσαν.

(z) Cod. Theod. lib. XVI. tit. II. de epiſcop. leg. XX. Eccleſiaſtici aut ex eccleſiaſticis vel qui *continentium* ſe volunt nomine nuncupari, viduarum ac pupillarum domos non adeant.

(a) Pallad. hiſtor. Lauſiac. c. XV. (p. 917 b. tom. II. biblioth. patr. græco-latin. Par. MDCXXIV.) Τοῖς μὲν ἤρεσκεν ὁ τοῦ ἅπαξ ἀποταξαμένου βίος, τοῖς δὲ ὁ κοινωνικὸς πρὸς πάντας τοὺς δεομένους, Aliis quidem placebat vita eius, *qui renuntiaverat*; aliis vero ea, quæ communicabat omnibus egentibus.

(b) Caſſian. lib. IV. de inſtitut. renunt.

(c) Iſid. lib. I. ep. I. Οἱ μὲν ἅγιοι τῆς μοναχικῆς φιλοσοφίας κορυφαῖοι καὶ ἡγεμόνες, ἐκ τῶν ἄθλων καὶ ἀγώνων ὧν ἐτέλεσαν, καὶ τὰς προσηγορίας ἁρμοδίας τοῖς πράγμασι πρὸς νουθεσίαν ἡμῶν καὶ μάθησιν ἔθεντο, Sancti viri, *monaſticæ philoſophiæ* principes & anteſignani ex ærumnis ac certaminibus, quibus perfuncti ſunt, vocabula quoque rebus congrua, mouendi noſtri atque erudiendi cauſſa, impoſuerunt.

(d) Pallad. hiſtor. Lauſiac. c. VIII. l. c. p. 910. b. ἄτοπον γάρ ἐστι δι' ἐμὲ κρύπτεσθαί σου τὴν τοσαύτην καὶ τοιαύτην ἀρετὴν τῆς φιλοσοφίας, συνοικοῦντά μοι διὰ τὸν κύριον ἐν ἁγνείᾳ. Non par eſt, vt propter me tanta & talis occultetur tua virtus *philoſophiæ*, qui mecum propter Chriſtum cohabitas in caſtitate.

(e) Theod. lib. IV. c. XXVIII. edit. Valeſii. Ἦσαν δὲ καὶ ἄλλοι κατ' ἐκεῖνον τὸν καιρὸν τὰς τῆς μοναχικῆς φιλοσοφίας ἀφιέντες μαρμαρυγάς. Fuerunt & alii per id tempus, qui *monaſticæ philoſophiæ* fulgore colluceerent.

(f) Dionyſ. de hierarch. eccleſ. c. VI. p. 386. Ἔνθεν οἱ θεῖοι καθηγεμόνες ἡμῶν ἐπω-

chri-

christianorum in *Aegypto* nomen esset, si quidem EVSEBIVS & HIERONYMVS [*ff*] vera referunt. PALLADIVS interdum pro vita monastica [*g*] vocabulum φιλοθεΐας adhibet, eo quod propter amorem Dei rebus omnibus sese renuntiasse profiterentur. Quo intuitu liber quidam THEODORETI [*h*] inscriptus est φιλόθεος ἱστορία, hoc est, *religiosa historia*, quia praecipuorum ascetarum istius temporis vitas complectitur. Lector etiam nomen *Silentiariorum* quibusdam monachis in historia antiqua datum deprehendet: sed hoc non peculiaris cuiusdam ordinis nomen fuit, sed tantum paucis quibusdam ob silentium ipsorum plus quam *Pythagoricum* inditum; qualis fuit *Ioannes Silentiarius* episcopus primum *Coloniensis* in *Armenia*, qui episcopatui suo renuntiauit, vt monachus fieret in *Palaestina*, vbi nomen *Silentiarii* ab extraordinario suo silentio sortitus est, quemadmodum CYRILLVS SCYTHOPOLITANVS [*i*], vitae eius scriptor, fidem nobis facit. Sed tamen notandum est, nomen *silentiariorum* plerumque alii hominum generi fuisse datum, qui ciuiles erant ministri in palatio imperatoris, & ministrabant cum vt apparitores ad exsequenda negotia publica, tum vt custodes ad tuendam tranquillitatem circa ipsum; inde *silentiarii* dicti: qua sub appel-

---

νυμιῶν αὐτοὺς ἱερῶν ἠξίωσαν, οἱ μὲν θεραπευτὰς, οἱ δὲ μοναχοὺς ὀνομάζοντες, ἐκ τῆς τοῦ θεοῦ καθαρᾶς ὑπηρεσίας καὶ θεραπείας, καὶ τῆς ἀμερίστου καὶ ἑνιαίας ζωῆς κ. τ. λ. Hinc sancti praeceptores nostri diuinis eos appellationibus sunt prosequuti; alii quidem *therapeutas*, alii vero monachos, cum a sincero Dei famulatu atque cultu, tum ab indiuidua & singulari vita denominantes, cet.

(*ff*) Vid. lib. I. c. I. §. I. vol. I. p. 3

(*g*) Pallad. hist. Lausiac. c. XII. Ὁ Ἀμμώνιος οὗτος μαθητὴς γεγονὼς τοῦ μεγάλου Παμβὼ ἅμα τρισὶν ἀδελφοῖς ἑτέροις καὶ δυσὶν ἀδελφαῖς, εἰς ἄκρον φιλοθεΐας ἐλάσαντες, κατειλήφασι τὴν ἔρημον, καὶ ἀμφοτέρας τὰς μονὰς κατὰ ἰδίαν ποιήσαντες τῶν τε ἀνδρῶν καὶ τῶν γυναικῶν, ὡς ἱκανὸν ἀπέχειν ἀπ' ἀλλήλων διάστημα. Ammonius qui fuit magni Pambo discipulus, simul cum tribus fratribus & duabus sororibus, quum peruenissent ad summum pietatis ac religionis, venerunt in solitudinem & seorsum fecerunt vtrumque monasterium, virorum scilicet & mulierum; ita vt satis magnum intercederet spatium.

(*h*) Theodoret. φιλόθεος ἱστορία, tom. III. opp. p. 757. seqq. edit. Paris. MDCXLII. fol

(*i*) Apud Papebroch. acta sanctor. Maii XIII. tom. III. p. 234. Ab eo tempore siluit in cella, neque procedens ad ecclesiam, neque vllum omnino conueniens, spatio quatuor annorum, eo excepto, qui ei ministrabat, ac nisi solum die dedicationis cet.

latio-

latione de ipſis in *codice Theodoſiano* [*k*] ſermo fit, qui ipſos cum *decurionibus* coniungit; vbi lector in doctis GOTHOFREDI adnotationibus plura de iis videre poteſt. Aliud nomen, quo hiſtorici quosdam monachos *Aegyptios*, litibus *Theophilum* inter & *Chryſoſtomum* valde implicitos, appellant, eſt μακροὶ ſiue *longi*, ſed hoc quatuor fratribus, *Dioſcoro*, *Ammonio*, *Euſebio* & *Euthymio* peculiare fuit & proprium, qui hoc nomine inſigniti fuerunt non ex vlla alia cauſſa, vt SOZOMENO [*l*] obſeruatur, quam quod longa eſſent ſtatura. In SIDONIO APPOLLINARI interdum dicuntur *cellulani*, ab ipſorum viuendi ratione in cellulis [*m*], & *inſulani*, quia celebre monaſterium in *Lerina* inſula is locus erat, in quo plurimi *Gallicani* epiſcopi & homines eruditi ea tempeſtate educabantur. Atque ita hoc monachorum *Lerinenſium* nomen peculiare fuit. Monaſteria præter communem μοναστηρίων & μονῶν appellationem nonnumquam etiam σεμνεῖα nuncupabantur, vti ex BALZAMONE, METHODIO & SVIDA demonſtrat SVICERVS [*n*], quamquam hoc vocabulum antiquitus

(*k*) Cod. Theod. lib. VI. tit. XXIII. de decurionibus & *ſilentiariis*.

(*l*) Sozom. lib. VI. c. XXX. ὡς ἀδελφοὺς ἀλλήλους ὄντας μακροὺς ἐκ τῆς ἡλικίας ὠνόμαζον, qui quum fratres eſſent ob ſtaturæ proceritatem *longi* vocabantur.

(*m*) Sidon. lib. IX. ep. III. ad Fauſtum. Precum peritus *inſulanarum*, quas de ſenatu Lyrinenſium *cellulanorum* in vrbem transtuliſti.
Ita Eucherius ad Salon. lib. I. *Inſulani* tirones. Et Fauſtus de natali S. Maximi Stadium *inſulanum*. Vid. Sauaro not. in loc. Sidonii. *Precum peritus inſulanarum*] quibus ſcilicet in inſula Lirinenſi inſtitutus eſt Fauſtus Regienſis, de quibus carm. XVI. & Hilarius Arelatenſ. in vita S. Honorati, Eucherius de laudibus eremi, Fauſtus in homil. de natali S. Maximi, & Cæſarius Arel. Hom. XXV. *inſulanæ preces*, Fauſtus, *Et quia ſuperius memorauimus, quam magnifice inſulano illo ſtadio perfectionis vias cucurrit*. Eucher. ad Salonium lib. I. *Quum te illic beatiſſ. Hilarii inſulani tironis, ſed iam nunc ſummi pontificis doctrina formaret*. *Inſulani monachi*. Fulgentii vita c. XV.
*Lirinenſium cellulanrum*] ſupr. epiſt. XVII. lib. VII. Lirinenſium patrum ſtatuta. Carm. XVI. *cellulanos* vocat *monachos* & eremitas. Ennod. *præceptum quum viſi ſunt omnes epiſcopi cellulanos habere*, a cellis quibus ſe concludebant. Euſebius de eremo Lirinenſi, *hæc nunc habet ſanctos ſenes illos, qui diuiſis cellulis Aegyptios patres Galliis noſtris intulerunt*, cetera.

(*n*) Suicer. theſaur. tom. II. p. 947. Σεμνεῖον eſt *locus ſacer*, *ſeu ſanctus*, quaſi dicas *ſanctuarium*. Heſychio eſt ἱερὸς οἶκος, *ſacra domus*. Philo vſurpat de loco, in quo monachi τὰ τοῦ σεμνοῦ βίου μυστήρια τελοῦνται, quod & μοναστήριον. Suidas: Σεμνεῖον· τὸ μοναστήριον, ἐν ᾧ μονήρεις, οἱ ἀσκηταὶ τὰ τοῦ σεμνοῦ βίου

in

in EVSEBIO & PHILONE ecclesiam siue templum significet. Dicebantur etiam ἡγεμενεῖα & μάνδραι, vnde *hegumenus* & *archimandrita* nomina sunt abbatis, qui præcipuus monasterii cuiusdam pater vel gubernator est. Aliquando etiam vocata sunt Φροντιστήρια, loca educationis & scholæ doctrinæ, quia, vt capite proxime sequenti ostendemus, in hunc vsum olim adhibita sunt, & φροντιστὰς siue *curatores* suos, in hunc finem sibi præcipue datos, habuerunt.

# *LIBRI SEPTIMI*

## *CAPVT TERTIVM*

## DE ANTIQVIS LEGIBVS ET REGVLIS AD VITAM MONASTICAM, PRAECIPVE COENOBITARVM, RESPICIENTIBVS.

### §. I.

### *Curialibus non licuit fieri monachis.*

CONSIDERATIS hactenus diuersis monachorum generibus diuersisque eorum nominibus, iam ad præcipuas leges & regulas strictim enarrandas progredimur, quæ partim a magistratu ciuili & ecclesiastico iunctim, partim priuatorum antistitum auctoritate ad gubernandos cœnobitas, siue monachos in societate viuentes, quorum præcipua in ecclesia habita fuit ratio, factæ sunt. Et heic quidem primum eæ leges spectandæ sunt, quæ ad eorum pertinent admissionem. Non enim homines quique pro lubitu monachi fieri poterant, quod istiusmodi promiscua permissio tum ecclesiæ, tum reipublicæ detrimento futura fuisset. Quam ob caussam leges ciuiles *curiales* mona-

μυστήρια τελοῦσι. *Locus venerandus. Monasterium in quo soli ascetæ, venerandæ vitæ mysteria peragunt.* Methodius in chronico: Μάρκος ὁ εὐαγγελιστὴς πολλὰ μοναστήρια συνεστήσατο, ἅπερ σεμνεῖα τότε προσηγορεύθησαν. *Marcus euangelista multa monasteria construxit, quæ illo tempore* σεμνεῖα *appellata sunt.* Balsamon ad can. XII. concil. II. Nicæni p. 519. Ὃν τρόπον ὁ δημόσιος οὐ πολυπραγμονεῖται ὑφ᾽ ἑαυτοῦ, οὕτως οὐδὲ τὰ ἱερὰ σεμνεῖα, ἢ ἡσυχαστήρια, μοναστήριά τε καὶ λοιπὰ ὑπό τινος τῶν τοῦ δημοσίου φροντιστῶν ἀνακριθήσεται. *Quemadmodum publico nulla a se molestia negotiumue exhibetur, sic nec loca sacra, nec silentiaria, nec monasteria, nec reliqua, ab vllo publici curatore litibus agitabuntur.*

chos fieri vetabant, nisi possessiones suas cum aliis quibusdam partirentur, qui ipsorum loco patriæ suæ munia subirent. Huc spectat lex *Valentiniani* & *Valentis* in codice *Theodosiano*, quæ ita habet: *Quidam [a] ignauiæ sectatores desertis ciuitatum muneribus, captant solitudines ac secreta, & specie religionis cum cœtibus monazonton congregantur. Hos igitur atque huiusmodi, intra Aegyptum deprehensos, per comitem orientis erui e latebris consulta præceptione mandauimus, atque ad munia patriarum subeunda reuocari, aut pro tenore nostræ sanctionis familiarium rerum carere inlecebris: quas per eos censuimus vindicandas, qui publicarum essent subituri munera functionum.* Hoc omnibus illis legibus conforme erat, quæ curiales quoscunque inter clericos adsciscì prohibebant, nisi eadem conditione cedendi bonis suis in eorum gratiam, qui loco ipsorum munia patriæ curiæque subituri forent. BARONIVS [*b*] nihilo secius hac lege tantopere offenditur, vt eam diræ persecutionis præludium fuisse existimet, quam *Valens* illico post *Valentiniani* obitum contra monachos orientis excitauit, quando, vt HIERONYMVS [*c*] & OROSIVS narrant, lege alia data ad militiam eos reuocari, & nolentes fustibus interfici iussit. GOTHOFREDVS [*d*]

(*a*) Cod. Theod. lib. XII. tit. de decurionibus leg. LXIII.

(*b*) Baron. an. CCCLXXV. n. X. p. 369. (p. 373.) Valens imperator nequitia exardescens, sic oratione Themistii visus est ab ecclesiarum persecutione abstinuisse, vt tamen alia via, nouo excogitato prætextu, diram aduersus monachos persecutionem conflarit, quum eos exutos monastica professione, e monasteriis, lege data, ad militiam reuocari præcepit hoc ipso anno, quo Valentinianus ex hac vita sublatus est. vt S. Hieron. habet, cet.

(*c*) Hieron. chronic. an. CCCLXXVI. Multi monachorum Nitriæ per tribunos & milites cæsi. Valens enim lege data, vt monachi militarent, nolentes fustibus interfici iussit.

Oros. histor. lib. VII. c. XXXIII. (p 508. bibliothec. patr. tom. VII. edit. Paris. MDLXXXIX.) Valens illico post fratris obitum, velut effrenata libertatis audacia legem dedit, vt monachi, hoc est christiani, qui ad vnum fidei opus, dimissa sæcularium rerum multimoda actione, se redigunt, ad militiam cogerentur. Vastas illas tunc Aegypti solitudines, arenasque diffusas, quas propter sitim ac sterilitatem, periculosissimamque serpentum abundantiam conuersatio humana non nosset; magna habitantium monachorum multitudo compleuerat. Huc tribuni & milites missi, qui sanctos & veros milites Dei alio nomine persecutionis abstraherent: interfecerunt ibi agmina multa sanctorum.

(*d*) Gothofr. not. in cod. Theod. lib. XII. tit. I. de decur. leg. LXIII. p 413.b. Maneat, hanc legem nostram eamdem esse cum altera illa, neque aliam ab hac quærendam.

ex errore hanc legem eamdem cum priore ista esse, putat; PAGIVS [e] autem & illum & BARONIVM corrigit, & leges diuersas atque manifesto ad diuersa tempora diuersasque res referendas esse, demonstrat, quum altera viuo *Valentiniano*, altera post ipsius obitum a *Valente* rogata sit; altera tamquam seuera lex diram vexationem in monachos concitarit; altera non grauius onus illis imposuerit, quam quod clericis per alias leges semper fuerit impositum, quæ *curiales* ab ordinatione cohibuerunt, nisi suffectos darent, patriæ munera suo loco subeuntes. Et harum legum ratio, quatenus ad monachos & clericos spectabant, vna eademque fuit, vt homines per possessiones suas ad patriæ munera explenda obligati, possessiones suas hoc seruiendi patriæ officio, vitam religiosam amplectendi studium prætexendo, ne eximerent.

## §. II.

### *Nec seruis sine dominorum suorum consensu.*

Ex eadem ratione antiquissimæ leges tum ecclesiasticæ tum imperiales seruum quempiam, præter domini sui voluntatem in monasterium aliquod recipi vetant, quod hoc ad dominos legitimo iure famulatus, ex naturali statu ac conditione seruorum ipsis debito, priuandos spectet. Quem in finem *Valentinianus III.* ad calcem codicis *Theodosiani* legem habet similiter prohibentem [f], ne quis seruus, inuito domino suo, vel ad clericale munus accedat, vel monachis & monasteriis adgregetur, vt vinculum debitæ conditionis euadat. BARONIVS [g] in hanc etiam legem acerbe animaduertit. Dicit enim, *Valentinianum* post hanc legem latam nihil prospere egisse: neque tamen

(e) Pagi critic. in Baron. an. CCCLXXV. n. XII. XIII. edit. Paris. MDCLXXXIX. (pag. 542. tot. edit. Antuerp. MDCCV.)

(f) Valent. III. nouel. XII. *Nullus* originarius, inquilinus, *seruus*, vel colonus ad clericale munus accedit, neque *monachis & monasteriis adgregetur*, vt vinculum debitæ conditionis euadat.

(g) Baron. an. CCCCLII. p. 179. (p. 182. c. d. edit. Antuerp. MDCLVIII.) - - Sed & vetuit curiales clericos ordinari, vel monachos fieri, similiter originarios, inquilinos, colonos & seruos. Hæc quidem Valentinianus turpiter promulgat: sed quam inique & impie, lata a successore Maioriano his contraria sanctio demonstrauit. - - Quam male consulatur imperio, dum in ecclesiarum iura insurgunt imperatores, pluribus sæpe superius est demonstratum & nunc grauiore damno in ipsum imperatorem contigit experiri, cet.

ignorare potuit, rem eamdem iam ante a concilio *Chalcedonensi* fuisse decretam, & quidem mandante *Marcione* imperatore, qui ipse hanc legem rogauit, & a patribus in synodo congregatis canonem fieri iussit, quemadmodum ex concilii istius actis [h] apparet. Verba canonis sic habent [i]: *Nullum in monasteriis seruum recipi liceat ad hoc, vt sit monachus, præter voluntatem sui domini.* Adeo exigua caussa erat, quamobrem *Valentinianus* in hac materia rei nouæ a BARONIO incusaretur, quum ab imperatore aliquo & generali quodam concilio ante eum idem esset decretum. *Iustinianus* autem, istis legibus prioribus vniuersis abrogatis, noua quadam sanctione primus omnium seruos, ad vitam monasticam transeuntes, a dominorum suorum potestate liberos [k] pronuntiauit. Quidquid ergo hac in re innouatum est, ipsi tamquam auctori proprio, recte adscribitur.

---

(h) Conc. Chalced. act. VI. p. 609 Ὁ θειότατος καὶ εὐσεβέστατος ἡμῶν δεσπότης πρὸς τὴν ἁγίαν σύνοδον εἶπε· τινά ἐστι κεφάλαια, ἅ τινα πρὸς τιμὴν τῆς ὑμετέρας εὐλαβείας ὑμῖν ἐφυλάξαμεν, πρέπον ἡγησάμενοι, παρ' ὑμῶν ταῦτα κανονικῶς κατὰ σύνοδον τυπωθῆναι, ἢ νόμοις θεσπισθῆναι ἡμετέροις· καὶ κατὰ κέλευσιν τοῦ θειοτάτου καὶ εὐσεβεστάτου ἡμῶν δεσπότου, Βερονικιανὸς ὁ καθωσιωμένος σηκρητάριος τοῦ θείου κονσιστορίου τὰ κεφάλαια ἀνέγνω οὕτω - - - μήτε μὲν ἐξουσίαν ἔχειν τοὺς μονάζοντας δέχεσθαι ἐν τοῖς ἑαυτῶν μοναστηρίοις δούλους, ἢ ἐναπογράφους, παρὰ γνώμην τῶν δεσποτῶν. Diuinissimus & piissimus dominus noster ad sanctam synodum dixit: Quædam capitula sunt, quæ ad honorem vestræ reuerentiæ vobis seruauimus, decorum esse iudicantes, a vobis hæc regulariter potius formari per synodum quam nostra lege sanciri. Et iubente diuinissimo & piissimo principe nostro, Beronicianus vir deuotus, secretarius diuini consistorii, capitula sic relegit: - - Sed neque potestatem habere monachos suscipiendi in monasteriis suis seruos, aut inscriptitios, præter voluntatem dominorum.

(i) Conc. Chalced. c. IV. p. 758 Μηδένα προσδέχεσθαι ἐν τοῖς μοναστηρίοις δοῦλον ἐπὶ τῷ μονάσαι παρὰ γνώμην τοῦ ἰδίου δεσπότου.

(k) Iustin. nouell. V. c. II. Εἰ μὲν τὸν τριετῆ βίον ἅπαντα διαμείνοιεν ἀρίστους ἑαυτοὺς καὶ καρτερικωτάτους τοῖς τε ἄλλοις μοναχοῖς καὶ τῷ ἡγουμένῳ δεικνύντες, τούτους τῆς μοναχικῆς ἀξιοῦν στολῆς τε καὶ κουρᾶς, καὶ εἴτε ἐλεύθεροι καθεστήκοιεν, ἀνεπηρεάστους μένειν· εἴτε οἰκέται μηκέτι παντελῶς ἐνοχλεῖσθαι, μεταβάντας εἰς τὴν κοινὴν ἁπάντων (φαμὲν δὲ τὴν ἐξ οὐρανοῦ, δεσποτείαν, καὶ ἀναρπαζέσθωσαν εἰς ἐλευθερίαν. Dum triennio toto ita permanserint, optimos semetipsos & tolerabiles aliis monachis & præsuli demonstrantes, hos monachicam promereri vestem atque tonsuram: & siue liberi sint, sine calumnia permanere: *siue serui, penitus non inquietari*, migrantes ad communem omnium (dicimus autem cælestem) dominum; & *arripiantur in libertatem.*

§.III.

## §. III.

### *Nec maritis & vxoribus sine mutua vtriusque partis consensione:*

Alia cautio, quam veteres hac in re iusserunt adhiberi, erat, ne qui matrimonio iuncti essent, ad vitam monasticam sine mutua vtriusque partis consensione admitterentur. Ita *Ammon* quidam ipsiusque coniux ex compacto egerunt, vti SOCRATES & PALLADIVS [*l*] historiam nobis narrant. Ita quoque *Martinianus* & *Maxima* VICTORI [*m*] memorati; *Paulinus* quoque episcopus *Nolanus* & *Theresia* ipsius coniux, ex communi consensione vitæ monasticæ sese dederunt. PAVLINVS autem acriter in contrariam consuetudinem inuehitur, *Celantiam* aliasque mulieres reprehendens, quæ imprudenter dissolutis coniugiis maritos suos peccato adulterii exposuerant, semetipsas noxæ eorum participes [*n*] reddentes, agendo contra regulam apostoli,

(*l*) Socrat. lib. IV. c. XXIII. ab initio in primis p. 232. c. Οὐ πολὺ παρελθόντος καιροῦ, ἡ νεόνυμφος καὶ ἀμόλυντος τοιάδε πρὸς τὸν Ἀμμοῦν ἔλεξεν· οὐ πρέπον, ἔφη, ἀσκοῦντί σοι σωφροσύνην, ὁρᾶν ἐν τοσούτῳ οἰκήματι θήλειαν· διὸ εἰ δοκεῖ, ἕκαστος ἰδίᾳ τὴν ἄσκησιν ποιησώμεθα· αὖται πάλιν αἱ συνθῆκαι ἤρεσκον ἀμφοτέροις· καὶ χωρισθέντες ἀπ' ἀλλήλων, οὕτως τὸ λοιπὸν τοῦ βίου διήνυσαν κ. τ. λ. Non longe post tempore, nouitia & incorrupta virgo Ammonem sic adloquuta est: Te, qui castitatem consectaris, non decet in tam arcto domicilio mulierem intueri. Quamobrem, si placet, vterque nostrum separatim exercitationes nostras peragamus. Id quoque pactum ex æquo placuit ambobus. Seiuncti igitur a se inuicem reliquum vitæ tempus ita transegere.
Pallad. histor. Lausiac. c. VIII. (c. VII.) fere tot.

(*m*) Vict. Vticens. de persecut. Vandal. lib. I. (p. 1895. b. c. tom. VII. biblioth. patr. edit. Paris. MDLXXXIX.) Quia Martinianus armifactor erat, & domino suo satis videbatur acceptus, & Maxima vniuersæ domui dominabatur: credidit Vandalus, vt fideles sibi magis memoratos faceret famulos, Martinianum Maximamque coniugali consortio sociare. Martinianus adolescentulorum sæcularium more coniugium adfectabat: Maxima namque iam Deo sacrata, humanas nuptias refutabat. At vbi ventum est, vt cubiculi adirentur secreta silentia, & Martinianus nesciens, quid de illo decreuerat Deus, maritali fiducia quasi cum coniuge cuperet cubitare, viuaci voce memorata famula Christi respondit: Christo ego, o Martiniane frater, membra mei corporis dedicaui, nec possum humanum sortiri coniugium, habens iam cælestem & verum sponsum, sed dabo consilium: si velis poteris & ipse tibi præstare cum licet, vt cui ego concupiui, delecteris & ipse seruire. Ita factum est domino procurante, vt obediens virgini etiam adolescens suam animam lucraretur.

(*n*) Paulin. ep. XIV. ad Celantiam inter epist. Hieronymi (tom. I. p. 74. e. f. edit.

*Vxor*, inquientis, *non habet poteſtatem corporis ſui, ſed vir: ſimiliter & vir non habet poteſtatem corporis ſui, ſed vxor.* AVGVSTINVS [*o*] ex eodem fundamento argumentatur, *Vouenda*, inquiens, *talia non ſunt a coniugatis, niſi ex conſenſu & voluntate communi. Et ſi præpropere factum fuerit, magis eſt corrigenda temeritas, quam perſoluenda promiſſio. Neque enim Deus exigit, ſi quis ex alieno aliquid vouerit, ſed potius vſurpare vetat alienum. Diuina quippe de hac re per apoſtolum eſt prolata ſententia: Vxor non habet poteſtatem corporis ſui &c.* Hæc conſtans eius fuit ſententia, vt ex aliis locis ſcriptorum ipſius [*p*] apparet. Et in hoc HIERONYMVS [*q*], BASILIVS [*r*] & veteres omnes concordant, ſi a *Theona* apud CASSIANVM [*s*]

Francof. MDCLXXXIV.) Tu quaſi oblita fœderis nuptialis, pactique huius ac iuris immemor, *inconſulto viro vouiſti domino caſtitatem.* Sed periculoſe promittitur, quod adhuc in alterius poteſtate eſt. Et neſcio, quam ſit grata donatio, ſi vnus afferat rem duorum. Multa iam per huiuscemodi ignorantiam & audiuimus & vidimus ſciſſa coniugia, quodque recordari piget, occaſione caſtitatis adulterium perpetratum. Nam dum vna pars ſe etiam a licitis abſtinet, altera ad illicita delapſa eſt. Et neſcio in tali cauſa, quis magis accuſari, quis amplius culpari debeat, vtrum ille, qui repulſus a coniuge fornicatur, an illa, quæ repellendo a ſe virum eum fornicationi quodammodo obiicit.

(*o*) Aug. ep. XLV. ad Armentarium & Paulinam (tom. II. opp. p. 159. d. edit. Baſil. MDLXIX.)

(*p*) Aug. ep. CXCIX. ad Ecdiciam (ibid. p. 811. b.) Neque corporis tui debito fraudandus fuit (vir tuus) prius, quam ad illud bonum, quod ſuperat pudicitiam coniugalem, tuæ voluntati *voluntas quoque eius* accederet.

(*q*) Hieron. ep. XLVI. ad Ruſticum. (tom. I. p. 145. a. edit. Francof.) Narrauit mihi vxor quondam tua, nunc ſoror atque conſerua, quod iuxta præceptum apoſtoli *ex conſenſu abſtinueritis vos ab opere nuptiarum*, cetera.

(*r*) Baſil Regul. maior. q. XII. (tom. II. edit. Pariſ. MDCXXXVII. p. 551. c.) *Καὶ τοὺς ἐν συζυγίᾳ δὲ γάμου τοιούτῳ βίῳ προσερχομένους ἀνακρίνεσθαι δεῖ, εἰ ἐκ συμφώνου τοῦτο ποιοῦσι κατὰ τὴν διαταγὴν τοῦ ἀποστόλου· τοῦ γὰρ ἰδίου σώματος, φησὶν, οὐκ ἐξουσιάζει· καὶ οὕτως ἐπὶ πλειόνων μαρτύρων δέχεσθαι τὸν προσερχόμενον· τῆς γὰρ πρὸς θεὸν ὑπακοῆς οὐδὲν προτιμότερον.* Atque ii etiam, qui matrimonio coniuncti ad huiusmodi vitæ genus accedunt, percontandi ſunt, num conſentiente altera parte hoc faciant, ex præcepto apoſtoli. Vir enim, inquit ille, ſui corporis poteſtatem non habet. Et ſi hoc ita ab ipſis fieri compertum ſit, tum multis adhibitis teſtibus admitti debet, qui accedit. Siquidem nihil eſt, quod Dei iuſſis potius haberi debeat.

(*s*) Caſſian. collat. XXI. c. IX. X. Quum ergo his atque huiusmodi verbis mulieris non flecteretur intentio, & in eadem obſtinationis duritia permaneret, ſi ego, inquit beatus Theonas, te abſtrahere a morte non poſſum, nec tu me ſeparabis a Chriſto. Tutius eſt autem mihi cum homine, quam cum Deo habere diuor-

disces.

discesseris, qui, quum deserta coniuge ad monasticam vitam se contulisset, approbantibus patribus in eremo *Scythi* id fecisse dicitur, quamquam CASSIANVS ipse hoc excusare non audet, quippe qui, hoc ipsum generali ecclesiæ catholicæ sententiæ ac praxi repugnare, non ignorabat. IVSTINIANVS quidem hanc minime excusabilem consuetudinem lege quadam confirmauit, qua parti deserenti, siue viro, siue vxori, bona [t] sua recipere permittit, nullam, vel minimam etiam, desertionis pœnam ipsis adiudicans. At vero ecclesia hanc eius legem numquam approbauit. Quid? Quod ipse BELLARMINVS [u], GREGORIVM MAGNVM contra eam scripsisse, obseruauit.

tium. Adspirante itaque gratia Dei, definitionis suæ exsecutionem instanter adgressus est, nec intepescere per aliquam moram desiderii sui passus est ardorem, nam confestim omni mundana facultate nudatus ad monasterium peruolauit. - - - Nemo autem existimet, nos hæc ad prouocanda coniugiorum diuortia texuisse, qui non solum nuptias minime condemnamus, verum etiam apostolicam sequentes sententiam, dicimus, honorabile connubium in omnibus & torus immaculatus, sed vt lectori initium conuersionis, quo tantus ille Deo dicatus est, fideliter panderemus. A quo bona gratia hoc primum deposco, vt siue hoc ei placeat, siue displiceat, me quoquo modo a calumnia alienum esse concedens, in suo hoc facto, aut laudet aut reprehendat auctorem. Ego autem qui non meam super hac re sententiam promsi, sed rei gestæ historiam simplici narratione complexus sum, æquum est, vt sicut mihi de eorum, qui hoc factum probant, laude nihil vendico, ita eorum, qui id improbant, non pulser inuidia.

(t) Cod. Iustin lib. I. tit. III. de episc. & cler. leg. LIII. §. III. Ἔτι τοῦτο θεσπίζομεν· εἴτε ἀνὴρ ἐπὶ μονήρη βίον ἐλθεῖν βουληθείη, εἴτε γυνὴ τὸν ἄνδρα καταλιποῦσα πρὸς ἄσκησιν ἔλθοι· μὴ τοῦτο αὐτὸ ζημίας παρέχειν πρόφασιν· ἀλλὰ τὰ μὲν οἰκεῖα πάντως λαμβάνειν· ὥστε τῇ γυναικὶ τὴν προῖκα εἶναι λαβεῖν τὴν αὐτῆς· καὶ τὴν πρὸ γάμου δωρεὰν τῷ συνοικήσαντι· τὸ δὲ ἐκ τούτου κέρδος, μὴ κατὰ τὴν ἐκ ῥεπουδίου διάζευξιν ἐκδικεῖν, ἢ μένειν παρὰ τῷ μὴ ἀποταξαμένῳ, ἀλλὰ κατὰ τὸ ἐκ θανάτου σύμφωνον· οἷα δοκοῦντος τοῦ ἀφισταμένου τὸ τῆς μετὰ τῶν ἄλλων διαίτης ἀναχωρεῖν τῷ γε ἐπὶ τῷ συνοικεσίῳ τεθνᾶναι, διὰ τὸ τῷ συνοικήσαντι παντελῶς ἄχρηστον εἶναι. Adhæc sancimus, siue vir ad solitariam vitam venire voluerit, siue mulier, viro relicto ad exercitationem monachicam venerit: ne hoc damni caussam præbeat: sed vt sua omnimodo recipiat: ita vt liceat vxori & dotem recipere suam & propter nuptias donationem ei, qui cum ea cohabitauerat: & quod inde venit lucrum, non secundum eam, quæ per repudium fit, disiunctionem vindicare, aut manere apud eum, qui non diuertit, sed secundum quod in casum mortis factum est pactum: quasi videatur is, qui diuertit a communi alterius conuictu, mortuus esse in alterius contubernio, quum cohabitanti sit omnino inutilis.

(u) Bellarm. de monachis c. XXXVIII. Alter error est in altero extremo, quod nimirum matrimonium etiam consummatum dissoluatur per ingressum in religi-

§. IV.

## §. IV.

*Nec liberis sine parentum suorum consensu & voluntate.*

ABSVRDVM etiam & rationi minime congruum credebatur, liberos sine parentum suorum consensu & voluntate ad vitam monasticam admittere. Concilium *Gangrense* [w] hanc consuetudinem, tamquam ab *Eustathio* hæretico introductam, canone quodam reprehendere videtur, ita decernendo: *Si qui filii a parentibus, maxime fidelibus, prætextu pietatis recesserint, & parentibus quem par est honorem non tribuerint, apud eos scilicet præposita in Deum pietate, sint anathema.* Regulæ BASILII [x] isti huius concilii canoni conveniunt, quæ paruulos in monasterium non esse recipiendos, præcipiunt, nisi ab ipsis parentibus suis adductos, si quidem parentes in viuis sint. Sed IVSTINIANVS huius antiquæ regulæ vim paullulum infirmauit [y], quando noua quadam lege sic sanxit: *Vt non liceat parentibus impedire, quo minus liberi eorum volentes monachi aut clerici fiant, aut eam ob solam caussam exheredare: sed si ipsi testamentum condant, necesse habento quadrantem illis relinquere: sin autem hoc non fecerint, locus sit ab intestato.* Atque hoc ipsum primus gradus ad consuetudinem contrariam videtur fuisse; quam eruditi quidam ecclesiæ *Romanensis* scriptores [z] adeo non comprobant, vt potius magna animi contentione in eam, tamquam cum legibus rationis & scripturæ nec non vniversali primitiuæ ecclesiæ praxi pugnantem, declamitent.

## §. V.

*Liberos quantumuis a parentibus suis adductos, sine suo ipsorum consensu retinere haud licuit.*

onem. Ita decreuit Iustinianus C. de episc. & cler. l. finali & refert hanc legem Gregorius lib. IX. epist. XXXIX.

(w) Conc. Gangrens. c XVI. (tom. II. conc. p. 422.) Εἴ τινα τέκνα γονέων, μάλιστα πιστῶν, ἀναχωροίη προφάσει θεοσεβείας, καὶ μὴ τὴν καθήκουσαν τιμὴν τοῖς γονεῦσιν ἀπονέμοι, προτιμωμένης δηλονότι παρ᾽ αὐτοῖς τῆς θεοσεβείας, ἀνάθεμα ἔστω.

(x) Basil. regul. maior. quæst. XV. Τὰ παιδία ὑπὸ γονεῖς ὄντα, παρ᾽ αὐτῶν ἐκείνων, προσαγόμενα, ἐπὶ πολλῶν μαρτύρων δεχόμενοι, ὥστε μὴ δοῦναι ἀφορμὴν τοῖς θέλουσιν ἀφορμήν, ἀλλὰ πᾶν ἄδικον στόμα τῶν λαλούντων καθ᾽ ἡμῶν βλασφημίαν ἐπιχεθῆναι. Qui sub parentibus sunt filii, eos *ab ipsis ad nos adductos* multis adhibitis testibus recipiamus, vt non demus occasionem iis, qui volunt occasionem: sed omne iniustum os eorum, qui contra nos blasphemiam loquuntur, obstruatur.

(y) Cod. Iustin. lib. I. tit. III. de episcop. leg. LV.

(z) Aerod. de patrio iure ad filium tot.

NEQVE

Neqve vero ſolum parentum ius hac in re conſiderandum erat, ſed ius etiam, quod vnusquisque in ſe ipſe habere creditur. Si qui enim parentes puerum offerrent ante, quam conſenſum ſuum teſtari poſſet, actio vim nullam habebat, niſi filius ſponte ſua eam comprobaret, vbi ex ephebis exceſſiſſet: id quod ad duodeuiceſimum circiter ætatis annum refert concilium *Toletanum* ſecundum, *De his*, inquiens [a], *quos voluntas parentum a primis infantiæ annis clericatus officio vel monachali poſuit, pariter ſtatuimus obſeruandum, vt mox quum detonſi vel miniſterio electorum contraditi fuerint, in domo eccleſiæ, ſub epiſcopali præſentia, a præpoſito ſibi debeant erudiri. At vbi octauum decimum ætatis ſuæ compleuerint annum, coram totius cleri plebisque conſpectu voluntas eorum de expetendo coniugio ab epiſcopo perſcrutetur. Quibus ſi gratia caſtitatis, Deo inſpirante, placuit, & profesſionem caſtimoniæ ſuæ abſque coniugali neceſſitate ſeſe ſpoponderint ſeruaturos, hi tanquam appetitores arctisſimæ viæ leniſſimo domini iugo ſubdantur. - - His autem quibus voluntas propria, interrogationis tempore, deſiderium nubendi perſuaſerit, conceſſam ab apoſtolis ſententiam auferre non poſſumus.* Et virginibus eadem libertas ad annum ætatis quadrageſimum edicto quodam imperatorum leonis & maioriani [b] ad calcem codicis *Theodoſiani* tribuitur. Sed vero concilium *Toletanum* quartum [c] in monachos pueros hoc intuitu multo fuit ſeuerius: Ita enim an. DCXXXIII. decreuit: *Monachum aut paterna devotio, aut propria profesſio facit: quidquid horum fuerit, alligatum te-*

(a) Concil. Tolet. II. c. I. (tom. IV. conc. p. 1733.)

(b) Leo nouel. VIII. Ne per huiusmodi impietatem parentum egeſtas & opprobrium perſonis nobilibus irrogetur, &, quod præcipue ſubmouendum eſt, irriſionibus exſecrandis omnipotentis Dei contrahatur offenſio, edictali lege ſancimus, filias, quas pater materue a ſæculari permixtione translatas chriſtianæ fidei ſervare præcepta continuata virginitate cenſuerint, in beatæ vitæ propoſito permanentes, non ante ſuſcepto honorato capitis velamine conſecrari, quam XL. ann. ætatis emenſæ talibus infulis inoffenſa meruerunt obſeruatione decorari, & multi temporis ſeries & cæleſtis conſuetudo ſeruitii ad perfidam voluntatem nouis deſideriis aditum non relinquant, qui ante definitum temporis ſpatium ſanctimonialem puellam aliis adulti ſexus ſui votis calentem memoratorum quiſquam parentum velari fecerit atque permiſerit, tertia bonorum parte multetur, eadem pœna conſtringi etiam, quæ illa parentibus deſtituta vt intra prædictæ ætatis annos voluerit conſecrari.

(c) Concil. Tolet. IV. c. XLVIII. (XLIX. tom. V. conc. p. 1717.)

 *nebit.*

*nebit. Proinde his ad mundum reuertendi intercludimus aditum, & omnem ad sæculum interdicimus regressum.* Hic primus canon est, SPALATENSI recte obseruante [*d*], quo filii a parentibus tantum oblati, nulla consensus proprii, si ad annos pubertatis peruenissent, habita ratione in monasteriis retineri iussi sunt.

## §. VI.

### *De tonsura & habitu monachorum.*

ADMITTENDI in monasterium ratio generatim cum quadam habitus ac ornatus fiebat permutatione, non ad significandum religiosum aliquod mysterium, sed ad exprimendam solum eorum grauitatem & mundi contemtionem. Qua in re moderatiores ex ipsis operam dabant, vt cum inter vanitatem & leuitatem, tum etiam inter hypocriticas adfectationes medium decenter tenerent: Comæ longiores in viris dedecere, & vanitatem sæcularem sapere credebantur: hinc monachum quemque, vbi admittebatur, tondebant, vt ab sæcularibus hominibus distingueretur; nullum autem vmquam radebant, veriti, ne sacerdotibus *Isidis* similis videretur. Hæc tum erat antiqua illa tonsura, duobus hisce extremis opposita. Longas comas ornatum muliebrem & regulæ apostolicæ contrarium esse statuebant. Hinc EPIPHANIVS [*e*] monachos in *Mesopotamia* culpat, quod contra ecclesiæ catholicæ regulam comam promittant: Et AVGVSTINVS [*f*] *crinitorum fratrum* nomine eos repre-

(*d*) Spalat. de republ. lib. II. c. XII. n. XXIX. Immo eo progressi sunt homines, humana in hoc sapientes, vt pro monachis veris & obligatis monachali vitæ, habendos censuerint interdum & decreuerint eos quoque, qui nullo propriæ voluntatis arbitrio, propriaue electione, sed solo parentum voto solaque eorum obligatione pueri in monasteriis esse, monachalemque habitum gestare inueniuntur.

(*e*) Epiph. hæres. LXXX. n. VI. Ἀλλὰ καὶ ἄλλῳ τύπῳ προελήφθησαν οἱ αὐτοὶ τίμιοι ἡμῶν ἀδελφοὶ, οἱ κατὰ Μεσοποταμίαν ἐν μοναστηρίοις ὑπάρχοντες, εἴτουν Μάνδραις καλουμέναις, κόμας γυναικικὰς προβαλλόμενοι, καὶ σάκκῳ προφανεῖ ἐπερειδόμενοι - - ἀλλότριόν ἐστι τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας σάκκος προφανὴς καὶ κόμη ἐκτεινομένη ἀπὸ τοῦ κηρύγματος τῶν ἀποστόλων. Est & alia quædam viuendi forma, ac disciplina, qua eiusmodi venerandi nostri fratres vtuntur, qui in Mesopotamia in monasteriis, quos *mandras* appellant, domicilium fixerunt. *Qui & comas muliebrem in modum promittunt* & cilicium propalam adfectant. - - *Est ab ecclesiæ catholicæ & apostolorum doctrina prorsus alienum*, cilicium palam præ se ferre, ac *comam promittere*.

(*f*) Aug. de oper. monach. c. XXXI. (tom. III. p. 802. edit. Basil. MDLXIX.) Vereor

hendit,

hendit. HIERONYMVS mentem aduersus ipsos suam, more suo eos indignabundus & paullo acerbius perstringens, exprimit. Ad *Eustochium* [g] enim scribens, *Viros fuge*, inquit, *quos videris catenatos; quorum feminei contra apostolum Paulum crines, hircorum barba, nigrum pallium, & nudi in patientia frigoris pedes. Hæc omnia argumenta sunt diaboli.* Ex qua oratione inuectiua facile nobis ad colligendum est, eiusmodi habitus ac cultus adfectationem a viris sapientibus in ecclesia minime fuisse approbatam. Ab altera autem parte vetus tonsura non erat rasum caput; nam HIERONYMVS [h], AMBROSIVS [i] & alii in hoc ipsum, tamquam sacerdotibus *Isidis* vsitatam cærimoniam, inuehuntur. Monachorum tantum & clericorum erat, decentes & curtas alere comas, vt ex omnibus canonibus [k] hac de re præcipientibus apparet. De eorum habitu & vestitu regulæ antiquæ idem præcipiebant, debere eum esse decentem ac grauem officioque ipsorum conuenientem, non leuem & vanum, non sordidum & adfectatum. Monachi *Tabennesi* in *Thebaide*, qui sub discipli-

in hoc vitio plura dicere propter quosdam *crinitos fratres*, quorum præter hoc multa & pene omnia veneramur.

(*g*) Hieron. epist. XXII. ad Eustochium c. XII. (tom. I. p. 93. f. edit. Francof. MDCLXXXIV.)

(*h*) Hieron. in Ezech. c. XLIV. (tom. V. p. 464. c. cit. edit.) Quod sequitur: Caput suum non radent neque comam nutrient, sed tondentes attondebunt capita sua, perspicue demonstratur, *nec rasis capitibus* sicut sacerdotes cultoresque Isidis ac Serapis nos esse debere, nec rursum comam demittere, quod proprie luxuriosorum est, barbarorumque & militantium, sed vt honestus habitus sacerdotum facie demonstretur.

(*i*) Ambros. epist. XXXVI. ad Sabin. (ep. XXX. tom. V. p. 128. c. edit. Colon. MDCXVI.) Cum ipsi capita & supercilia sua radant, si quando Isidis suscipiunt sacra, si forte christianus vir attentior sacrosanctæ religioni vestem mutauerit, indignum facinus appellant.

(*k*) Conc. Carth. IV. c. XLIV. Clericus nec comam nutriat, nec barbam (radat).
Conc. Agath. c. XX. (tom. IV. conc. p. 1386.) Clerici qui comam nutriunt, ab archidiacono, etiam si noluerint, inuiti detondeantur.
Conc. Tolet. IV. c. XLI. (tom. V. conc. p. 1716.) Omnes clerici, vel lectores sicut leuitæ & sacerdotes detonso superius toto capite, inferius solam circuli coronam relinquant: non sicut huc vsque in Galliciæ partibus facere lectores videntur, qui prolixis, vt laici, comis in solo capitis apice modicum circulum tondent. Ritus enim iste in Hispania huc vsque hæreticorum fuit. Vnde oportet, vt pro amputando ecclesiæ scandalo, hoc signum dedecoris auferatur, & vna sit tonsura, vel habitus, sicut totius Hispaniæ est vsus.

na viuebant *Pachomii*, ſoli his temporibus ad peculiarem aliquem habitum adſtricti fuiſſe videntur. CASSIANVS [*l*] eorum exponens inſtituta integrum librum habet, quo de *cingulis*, *cucullis*, *collobiis*, *redimiculis*, *palliolis* ſiue *maſortibus*, *melotibus*, & *pellibus caprinis*, *caligis* & *calceamentis* ipſorum loquitur, quæ omnia ſigillatim ibi explicata, quisquis volet, videre poteſt. Fatetur autem ille, hæc veſtimentorum genera inter monachos occidentales [*m*] non fuiſſe vſitata, ſpeciatim cucullos, & pelles caprinas, quas qui geſtare voluerit, eum hominum deriſioni ſeſe expoſiturum dicit. HIERONYMVS de habitu monachorum ſæpiſſime loquitur, numquam autem ab aliorum mortalium habitu eum diuerſum fuiſſe ſignificat, niſi in hoc, quod vilior, communior & tenuior [*n*] quam reliquorum fuerit, humilitatem ipſorum & contemtum ſæculi, ſine vlla moroſitate & adfectatione, exprimens. Nam quod ad adfectatam nigri pallii geſtationem inceſſumque in catenis attinet, contra hoc iam ſeuere loquentem eum audiuimus. Nec minus ſatyrice [*o*] contra iſtos ſcripſit, qui exteriorum veſtium loco cucullis & ciliciis vtebantur; quod hæc eſſet ab communi ſenſu & vſu aliena ratio, quam homines religioſos vitare & potius in veſtibus ſuis [*p*] inter lautitiem & ſordes medium tenere oporteret, ſine vlla notabili diuerſitate, ne multitudinis oculos in ſe conuerterent. PALLADIVS quorumdam meminit, qui catenati incedere amauerint; dicit autem, quod *Apollo* [*q*] celebratiſſimus monachus *Aegyptius*

(*l*) Caſſian, lib. I. de habitu monach.

(*m*) Caſſian. ibid. c. XI. Nam neque caligis nos, neque collobiis ſeu vna tunica eſſe contentos hiemis permittit aſperitas & paruiſſimi cuculli velamen, vel melotis geſtio deriſum potius quam ædificationem vllam videntibus comparabit.

(*n*) Hieron. ep. IV. ad Ruſticum: Sordidæ veſtes candidæ mentis indicia ſunt. Vilis tunica contemtum ſæculi præbet.
Id. ep. XIII. ad Paulin. Tunicam mutas cum animo, nec pleno marſupio glorioſas ſordes appetis, cetera.
Id. epiſt. XV ad Marcellam de laud. Aſellæ. Tunica fuſciore induta ſe repente domino conſecrauit.

(*o*) Hieron. epiſt. XXII. ad Euſtochium. Sunt qui ciliciis veſtiuntur, & cucullis fabrefactis: vt ad infantiam redeant, imitantur noctuas & bubones.

(*p*) Ibid. Veſtis ſit nec ſatis munda nec ſordida, & nulla diuerſitate nobilis; ne ad te obuiam prætereuntium turba conſiſtat, aut digito demonſtreris.

(*q*) Pallad. hiſtor. Lauſiac. c. LII. (in bibloth. patr. græc. lat. tom. II. p. 985. c.) Ἐμέμφετο δὲ πολλὰ τοὺς τὰ σίδηρα φέροντας καὶ τοὺς κομῶντας· οὗτοι γὰρ ἐνδεικνύουσι,

eos

eos multum reprehendere ſolitus ſit. Et CASSIANVS alios quosdam merito perſtringit, tamquam habentes maiorem zelum quam ſcientiam, quod dictum ſeruatoris noſtri, *Qui non accipit crucem ſuam ac pone me ſequitur, non eſt me dignus*, ſecundum litteram interpretantes ſibi cruces ligneas fecerint, easque iugiter humeris circumtulerint: quod ipſum, vt recte [r] obſeruat auctor noſter, non ad ædificationem, ſed riſum cunctis videntibus inferendum valebat. Iſtiusmodi adfectata agendi ratio ab antiquis generatim condemnata, nec niſi ab indoctis & ſuperſtitioſis approbata fuit. Vt adeo ex hac tota materia appareat, quod monachi occidentales non niſi communi habitu, pallio videlicet philoſophico, vſi ſint, quod & multi alii chriſtiani his temporibus fecerunt; vnde, vt alio loco [rr] obſeruauimus, gentiles chriſtianos *Græcos* & *impoſtores* appellarunt. Quid, quod nonnumquam diſſolutiores chriſtiani idem nomen ex eadem ratione monachis tribuerunt, quemadmodum HIERONYMVS [s] videtur innuere, quando ait: *Nos, quia ſerica veſte non vtimur, monachi iudicamur, quia ebrii non ſumus, nec cachinno ora diſſoluimus, continentes vocamur & triſtes. Si tunica non canduerit, ſtatim illud e triuio: Impoſtor & Græcus eſt.* Et SALVIANVS [t], eos a multitudine in *Africa*, præſertim *Carthagine*, eodem modo tractari queritur. *Inter Africæ ciuitates*, inquit, *& maxime inter Chartaginis muros palliatum & pallidium* (alii *pallidum*) *& recisis comarum fluentium iubis ad cutem tonſum videre tam infelix ille populus, quam infidelis ſine conuicio atque exſecratione vix poterat.* Quibus verbis SALVI-

---

φησὶ, καὶ ἀνθρωπαρέσκειαν θηρῶσι· δέον αὐτοὺς μᾶλλον νηστείαις ἐκλύειν τὸ σῶμα, καὶ ἐν κρυπτῷ τὸ καλὸν πράττειν· οἱ δὲ οὐ τοῦτο, ἀλλὰ πᾶσιν ἑαυτοὺς φανεροὺς καθιστῶσι. *Multum autem reprehendebat eos, qui ferrum geſtabant* & comam nutriebant. Hi enim, inquit, ſe oſtentant & quærunt placere hominibus, quum oporteat ipſos potius corpus ſoluere ieiuniis & quod bonum eſt facere in occulto. Ii vero non ſic, ſed ſe propalant omnibus.

(r) Caſſian. collat. VIII. c. III. Quod quidam diſtrictiſſimi monachorum habentes quidem zelum Dei, ſed non ſecundum ſcientiam, ſimpliciter intelligentes, fecerunt ſibi cruces ligneas, easque iugiter humeris circumferentes, non ædificationem ſed riſum cunctis videntibus intulerunt.

(rr) Lib. I. c. II. §. IV. vol. I. pag. 18 19.

(s) Hieron. epiſt. XXIII ad Marcellam.

(t) Saluian. de gubernat. lib. VIII. p. 295. edit. Oxon. MDCXXXIII. (p. 308 edit. Norib. MDCXXIII.)

ANI antiquum eorum habitum & tonſuram exacte deſcribi, exiſtimo.

§. VII.

*Nullum ſolemne votum ſiue publica profeſſio ab illis exacta.*

Si quis roget, an ſolemne aliquod votum ſiue publica profeſſio in eorum receptione requiſita fuerit, reſpondeo, nihil iſtiusmodi reperiri: neque enim iſtorum temporum praxis hæc erat. Quidquid autem in hoc genere fiebat, priuata duntaxat inter Deum & ipſos erat conuentio. BASILIVS [u] diſertis verbis ſignificat, nullum expreſſum cælibatus promiſſum a quopiam accipi, ſed eos tacite ſolum cælibatum admittere videri, dum monachorum ordini ſeſe addicant. Monet quidem, in poſterum euidentem profeſſionem accipi debere: ſed hoc ipſo, eiusmodi promiſſum antea haud exactum fuiſſe, declarat. Fuerunt monachi, qui in matrimonio vixerunt, vti ex iis, quæ ex ATHANASIO & AVGVSTINO capite antecedente [v] attulimus, patet: a quibus certum eſt cælibatus promiſſum non fuiſſe exactum. Et quod ad alios, qui in communione viuebant, attinet, eorum admiſſio non cum vllo explicito promiſſo, ſed cum trium annorum probatione, erat coniuncta, quo interiecto tempore duriſſimis vitæ monachalis exercitiis adſueſiebant; et ſi poſt hoc temporis interuallum eadem exercitia continuare ipſis placeret, tum ſine vllis nouis cærimoniis & ritibus in ſocietatem admittebantur, vt tamquam idonea eius membra cum reliquis vna habitare poſſent. Hæc erat methodus præſcripta in regula PACHOMII, monachorum *Tabennenſium* patris, a quo cæteri omnes exemplum ſibi ſumſerunt, quemadmodum lector in PALLADIO [w]

(u) Baſil ep. can. c. XIX. Ἀνδρῶν δὲ ὁμολογίαν οὐκ ἔγνωμεν, πλὴν εἰ μή τινες ἑαυτοὺς τῷ τάγματι τῶν μοναζόντων ἐγκατηρίθμηνται· οἳ κατὰ τὸ σιωπώμενον δοκοῦσι παραδέχεσθαι τὴν ἀγαμίαν. πλὴν καὶ ἐπ᾽ ἐκείνων, ἐκεῖνο ἡγοῦμαι προηγεῖσθαι προσήκειν, ἐρωτᾶσθαι αὐτοὺς καὶ λαμβάνεσθαι τὴν παρ᾽ αὐτῶν ὁμολογίαν ἐναργῆ. Virorum autem profeſſiones non nouimus, præterquam ſi qui ſe ipſos monachorum ordini addiderint: qui tacite videntur cælibatum admittere. Sed in illis quoque illud exiſtimo procedere oportere, vt ipſi interrogentur, & euidens ipſorum accipiatur profeſſio.

(v) Vid. ſupra cap. II. §. VI. pag. 19 20.

(w) Pallad. hiſtor. Lauſiac. c. XXXVIII. p. 956. c. Τὸν μέν τοι εἰσελθόντα εἰσάπαξ συμμεῖναι αὐτοῖς, ἐπὶ τριετίαν εἰς ἀγῶνα ἀδύτων αὐτὸν οὐ δέξῃ· ἀλλ᾽ ἐργατικώτερα ἔργα ποιήσας οὕτως εἰς τὸ στάδιον ἐμβαινέτω μετὰ τὴν τριετίαν. Eum qui ſemel

& SO-

& SOZOMENO [x], a quibus regula ista satis fuse recitatur, videre potest.

## §. VIII.

*Quid per ipsorum renuntiationem sæculi intelligendum sit.*

NEQVE dum solemne paupertatis votum requisitum fuit; etsi homines sponte sua sæculo renuntiare consueuerunt, facultatibus suis in pios vsus donatis, antequam in societatem aliquam, vbi omnia ipsis erant communia, se conferrent. Ita *Hilarion* fratribus suis ac pauperibus bona sua distribuit, nihil omnino sibi reseruans, quemadmodum HIERONYMVS [y] & SOZOMENVS de eo memoriæ prodiderunt. *Paulinus* opulentissimi senatoris filius, & *Theresia* coniux eius, bona sua (quæ amplissima erant) ex communi voluntate pauperibus erogarunt, atque ita vitam monachalem *Nolæ* amplexi sunt, vbi *Paulinus* deinde episcopus istius loci factus, eamdem voluntariam paupertatem continuauit; adeo vt AVGVSTINVS [z] de ipso narret, quod, *Gothis Nolam* vrbem diripientibus & vastantibus, sic ad Deum precatus sit: *Domine, ne excrucier propter aurum & argentum: vbi enim sint omnia mea, tu scis.* Istiusmodi voluntariæ paupertatis exempla vbique in antiquis historiæ monumentis obuia sunt. Sed tamen vnum his primis temporibus sollicite euitabant, nimirum vt ne, quum semel facultatibus suis renuntiassent, deinde semetipsos vel monasteria sua, emendicando sibi vel accipiendo aliorum fortunas, locupletare studerent. Dignum notatu in hanc rem est responsum, quod *Isaacus Syrus* vrbis *Niniues*

---

ingreditur nec potest cum eis ad triennium sustinere certamen, non admittes. Sed quum opera fecerit difficiliora, sic prodeat in stadium post triennium.

(x) Sozom. lib. III. c. XIV. tot. inprimis p. 517. c.

(y) Hieron. vit. Hilarionis c. III. (p. 157. c. tom. I. edit. Francof.) Reuersus est cum quibusdam monachis ad patriam, & parentibus iam defunctis, partem pauperibus largitus est, nihil sibi omnino reseruans.
Sozomen. lib. III. c. XIV. p. 519. b. edit. Amstelod. MDCXCV. *Καταλαβὼν δὲ τελευτήσαντας τοὺς πατέρας, εἰς τοὺς ἀδελφοὺς καὶ τοὺς δεομένους τὴν οὐσίαν διένειμεν.* Domum reuersus, quum parentes mortuos inuenisset, fratribus suis ac pauperibus bona sua distribuit.

(z) Augustin. de ciuit. Dei lib. I. c. X. (tom. V. p. 51. c. edit. Basil. MDLXIX.) Paulinus noster, Nolensis episcopus, ex opulentissimo diuite, voluntate pauperrimus, & copiosissime sanctus, quando & ipsam Nolam barbari vastauerunt, cum ab eis teneretur, sic in corde suo, vt ab eo postea cognouimus, precabatur: *Domine, ne excrucier* cet.

episco-

episcopus [a], monachis suis dedisse fertur, quum ab ipso expeterent, vt possessiones quasdam, in monasterii sui vsum sibi oblatas, acceptaret; *Monachus*, inquiens, *qui in terra possessiones quaerit, monachus non est.* Monachi occidentales huius regulae non semper adeo studiosi fuerunt, vti e querimoniis HIERONYMI [b] & CASSIANI [c] & quibusdam legibus [d] imperialibus, ad compescendam eorum auaritiam rogatis, liquet: Monachi autem *Aegyptii* generatim tales erant reuera, quales se velle esse prae se ferebant. Monasteria ipsorum agros vel statos reditus habebant

(a) Vid. Caue histor. litter. vol. II. p. 185. edit. Lond. MDCXCVIII. (p. 110. edit. Geneu. MDCXCIX.) Isaac, natione Syrus, vrbis Niniues episcopus - - mihi certe in nullo magis memorabilis, quam quod monachos suos ipsum humiliter hortantes, vt in vsum monasterii possessiones, quae oblatae erant, acciperent, simplici hoc responso refellit: *Monachus, qui in terra possessiones quaerit, monachus non est.*

(b) Hieron. ep. IV. ad Rustic. (tom. I. edit. Francof. p. 30. g.) Vidi ego quosdam, qui postquam renuntiauere saeculo, vestimentis duntaxat & vocis professione non rebus, nihil de pristina conuersatione mutarunt. Res familiaris magis aucta quam imminuta. Eadem ministeria seruulorum, idem apparatus conuiuii. In vitro & patella fictili, aurum comeditur, & inter turbas & examina ministrorum nomen sibi vendicant solitarii.

Id. ep. II. ad Nepot. p. 9. c. Nonnulli sunt ditiores monachi, quam fuerant saeculares; & clerici, qui possideant opes sub Christo paupere, quas sub locuplete & fallace diabolo non habuerant, vt suspiret eos ecclesia diuites, quos mundus antea tenuit mendicos.

(c) Cassian. lib. IV. c. XV. Ad haec nos miserabiles quid dicemus, qui in coenobiis commorantes, ac sub abbatis cura & sollicitudine constituti, peculiares circumferimus claues, omnique professionis nostrae verecundia & confusione calcata: etiam annulos, quibus recondita praesignemus, in digitis palam gestare nos non pudet, quibus non solum cistellae vel sportae, sed ne arcae quidem vel armaria, ad ea quae congerimus, vel quae egressi de saeculo reseruauimus, condenda sufficiunt. Quique ita nonnumquam pro vilissimis nullisque rebus accendimur, eas duntaxat velut proprias vendicantes, vt si quis vel digito quidquam ex his contrectare praesumserit, tanta contra eum iracundia suppleamur, vt commotionem cordis nostri a labiis ac tota quidem corporis indignatione reuocare non possimus.

(d) Cod. Theod. lib. XVI. tit. II. de episc. leg XX. Ecclesiasticae, aut ex Ecclesiasticis, vel qui continentium se volunt nomine nuncupari, viduarum ac pupillarum domos non adeant: sed publicis exterminentur iudiciis, si posthac eos ad fines earum vel propinqui putauerint deferendos. Censemus etiam, vt memorati nihil de eius mulieris, cui se priuatim sub praetextu religionis adiunxerint, liberalitate quacumque, vel extremo iudicio possint adipisci: & omne in tantum inefficax sit, quod alicui horum ab his fuerit derelictum, vt nec per subiectam personam valeant aliquid, vel donatione, vel testamento, percipere.

bant

bant nullos, nec habere volebant, nec vllum monachum plus, quam quod ad quotidianum alimentum neceſſarium eſſet, tenere patiebantur. Hoc enim a vitæ ſuæ ratione abhorrere ſtatuebant, ſi, qui ſæculo vale dixiſſe videri vellent, in monaſteriis diuites fieri ſtuderent, qui forte pauperes fuiſſent ante, quam eo perueniſſent. Idcirco ſi quam donationem accipiebant, non in ſuum ipſorum ſed pauperum vſum eam conuertebant. Immo vero nulli monacho, vt rem aliquam poſſideret & ſibi propriam diceret, permittere volebant; ſed in ſocietate aliqua omnia communia habere cupiebant. Hinc HIERONYMVS [e] hiſtoriam notatu dignam de monacho quodam *Nitriæ* in *Aegypto* refert, quemadmodum punitus fuerit, quod centum ſolidos, quos quotidiano labore ſuo ſibi acquiſiuerat, ſibi ſoli proprios retinuiſſet. *Quidam ex fratribus*, inquit, *parcior magis quam auarior, neſciens, triginta argenteis dominum venditum, centum ſolidos, quos lina texendo acquiſierat, moriens dereliquit. Initum eſt inter monachos conſilium (nam in eodem loco circiter quinque millia diuiſis cellulis habitabant) quid hinc facto opus eſſet. Alii pauperibus diſtribuendos eſſe dicebant; alii dandos eccleſiæ; nonnulli parentibus remittendos. Macarius vero & Pambo & Iſidorus & cæteri, quos patres vocant, ſancto in eis loquente ſpiritu decreuerunt, infodiendos eſſe cum eodem, dicentes, pecunia tua tecum ſit in perditionem.* Adeo parum hi antiqui monachi his temporibus curabant ea, quæ vltra quotidianam vitæ erant ſuſtentationem.

## §. IX.

### *De differentia inter renuntiationem & vitam communicatiuam.*

NONNVLLI quidem non ita rebus ſuis omnibus renuntiabant, ſed facultates ſuas in poteſtate ſua retinebant, & nihilo tamen magis de illis percipiebant, quam ſi re ipſa eas aliis tradidiſſent. Vniuerſum enim prouentum annuum pauperibus conſtanter diſtribuebant, & in pios conuertebant vſus, quos quotidianæ hominum neceſſitates poſtulabant. Huius generis *Apollonium* quemdam PALLADIVS [f] & SOZOME-

(e) Hieron. ep. XXII, ad Euſtoch c. XIV.

(f) Pallad. hiſtor. Lauſiac. c. XIV. (tom. II. biblioth. patr. græc. lat. p. 916.) Ἀπολλώνιός τις ὀνόματι ἀπὸ πραγματευτῶν ἀποταξάμενος καὶ οἰκήσας τὸ ὄρος τῆς Νιτρίας

NVS [g] memorant, qui possessionibus suis sibi reseruatis annuos reditus emendis in vsum ægrotantium monachorum medicamentis rebusque aliis necessariis comparandis impenderit. PALLADIVS [h] de duobus etiam fratribus, *Paesio* & *Isaia*, diuitis mer-

μήτε τέχνην τὸ λοιπὸν μαθεῖν δυνάμενος, μήτε ἐπὶ ἄσκησιν γραφικὴν τῷ παραβεβηκέναι τὴν ἡλικίαν, ζήσας ἐν τῷ ὄρει εἴκοσι ἔτη, ταύτην ἔσχεν τὴν ἄσκησιν· ἐκ τῶν ἰδίων χρημάτων καὶ τῶν οἰκείων πόνων πωλῶν ἰατρικὰ καὶ κυθαρικὰ ἀγοράζων ἐν τῇ Ἀλεξανδρείᾳ, πάσῃ τῇ ἀδελφότητι εἰς τὰς νόσους ἐπήρκει. κ. τ. λ. Quidam Apollonius nomine ex negotiatoribus qui in mundo renuntiauit & montem Nitriæ habitasset, & nec artem discere posset nec litteras, quod ætate esset prouectus: viginti annis quibus vixit in monte, hanc habuit exercitationem. Suis pecuniis & suis laboribus emens Alexandriæ vasa medica omnis generis, vniuersæ fraternitati ea suppeditabat ad morbos

(g) Sozom. lib. VI. c. XXIX. (p. 682. a edit. Amstelod.) Ἀπολλώνιος, τὸν ἄλλον χρόνον ἐμπορίαν μετιὼν, ἤδη πρὸς γῆρας κλινόμενος, ἐπὶ τὴν Σκῆτιν ἦλθε· λογισάμενος δὲ ὡς οὔτε γράφειν, οὔτε ἄλλην τινὰ τέχνην μαθεῖν οἷός τέ ἐστι διὰ τὴν ἡλικίαν, παντοδαπῶν φαρμάκων εἴδη καὶ ἐδεσμάτων ἐπιτηδείων τοῖς κάμνουσιν, ἐξ οἰκείων χρημάτων ὠνούμενος, ἀνὰ ἑκάστην θύραν μοναστικὴν περιῄει μέχρις ἐννάτης ὥρας, ἐφορῶν τοὺς νοσοῦντας. ἐπιτηδείαν δὲ ταύτην αὐτῷ τὴν ἄσκησιν εὑρὼν, ὧδε ἐπολιτεύσατο· μέλλων δὲ τελευτᾶν, ἄλλῳ παραδοὺς ἃ εἶχεν, ἐνετείλατο τὰ αὐτὰ ποιεῖν. Apollonius, quum anteacto tempore mercaturam fecisset, iam in senectam vergens, ad Scetim se contulit. Qui cumque consideraret, se ob ingrauescentem ætatem nec scribendi artem, nec vllam etiam posse addiscere, varias species medicamentorum & ciborum, qui commodi sunt ægrotantibus, sua pecunia coëmens, singulas monachorum ianuas circumibat, ad horam vsque nonam ægros inuisens. Quod quidem exercitationis genus quum sibi commodum reperisset, ita deinceps conuersatus est. Et quum moriturus esset, quæcumque habebat, alteri tradens, mandauit, vt idem officium exerceret.

(h) Pallad. ibid. c. XV. Ἕτερός τις Παήσιος καὶ Ησαΐας οὕτω καλούμενοι ἀδελφοὶ ὑπῆρχον πατρὸς ἐμπόρου Σπανοδρόμου· οἱ τινες τὰ πατρῷα διελόντες τελευτήσαντος, ἐμερίσαντο τὰ ὑπάρχοντα ἐν κινητοῖς, ἃ εἶχον ἐν [illegible] νομίσμασι πεντακισχιλίοις, ἐν ἱματίοις δὲ καὶ οἰκέταις τὰ εὑρεθέντα. καὶ μετ' ἀλλήλων ἐσκέψαντο, καὶ συμβουλεύοντες ἑαυτοῖς ἔλεγον πρὸς ἀλλήλους, ἐπὶ ποίαν μέθοδον ἔλθωμεν βίου ἀδελφέ; ἐὰν ἔλθωμεν ἐπὶ τὴν ἐμπορίαν, ἣν μετῆλθεν ὁ πατὴρ ἡμῶν, καὶ ἡμεῖς ἑτέροις ἔχομεν καταλεῖψαι τοὺς πόνους ἡμῶν. ἴσως δὲ καὶ κινδύνοις περιπεσούμεθα πάντως ἢ λῃστρικοῖς ἢ θαλαττίοις· δεῦρο οὖν ἀδελφὲ, ἐπὶ τὸν μονήρη βίον ἔλθωμεν, ἵνα καὶ τὰ τοῦ πατρὸς ἡμῶν κερδήσωμεν, καὶ τὰς ψυχὰς ἡμῶν μὴ ἀπολέσωμεν. ἤρεσεν οὖν ἀμφοτέροις ὁ σκοπὸς τοῦ μονήρους βίου· εὑρέθησαν οὖν ἄλλος καὶ ἄλλο διαφωνοῦντες. μερισάμενοι δὲ τὰ χρήματα, καὶ τὰ λοιπὰ πάντα, τοῦ μὲν σκοποῦ εἴχοντο ἕκαστος τοῦ ἀρέσαι Θεῷ. ἐνηλλαγμένῃ δὲ τῇ πολιτείᾳ· ὁ μὲν γὰρ πάντα διασκορπίσας ἔδωκεν ἀσκητηρίοις, καὶ ἐκκλησίαις, καὶ φυλακαῖς· καὶ τεχνίδριον ἔμαθεν, ὅθεν τὸν ἄρτον πορίζηται, καὶ τῇ ἀσκήσει προσέσχεν καὶ τῇ προσευχῇ. ὁ δὲ ἕτερος τοῦτο μηδὲν διαπραξάμενος, ἀλλὰ ποιήσας ἑαυτῷ μοναστήριον καὶ προσλαβόμενος ἀδελφοὺς ὀλίγους, πάντα ξένον ἐδέχετο, πάντα ἄῤῥωστον ἐθεράπευεν, πάντα γέροντα περιεκράτει, πάντα πένητα παρεῖχεν κατὰ σάββα-

cato-

catoris filiis, loquitur, qui vitam adgressi monasticam diuersis modis de facultatibus suis statuerint. *Vnus*, inquit, *omnia dispergens, dedit monasteriis & ecclesiis & custodiis: & quum artem didicisset, ex qua sibi panem pararet, exercitationi operam dabat & orationi. Alter autem eius nihil dispersit, sed facto sibi monasterio & paucis adsumtis fratribus, quemlibet excipiebat hospitem, quemlibet curabat ægrotum, quemuis senem retinebat, cuiuis pauperi dabat. Sabbatho & dominica tres aut quatuor mensas statuens, eos qui erant egeni, excipiebat. Hoc modo facultates suas consumsit.* PALLADIVS hoc vitæ institutum recte vocat τὸν κοινωνικὸν βίον, *vitam, quæ communicauerit*; alterum autem τὸν τοῦ ἅπαξ ἀποταξαμένου βίον, *vitam eius, qui renuntiauerit*, & subiungit [*hh*], incidisse inter fratres quosdam contentionem propter horum duorum fratrum diuersum vitæ institutum & maxime propter laudes diuersas, adeoque ipsos ad *Pambo* quemdam celebrem *Aegyptium* iuisse ad eumque retulisse, vt hac de re responderet, volentes scire, vtranam esset melior vitæ ratio. Istum autem eis dixisse, vtrosque esse perfectos apud Deum. Alterum quidem functum esse munere *Abrahæ*, qui omnes exceperit; alterum vero suscepisse firmissimum & constantissimum zelum *Eliæ* prophetæ, vt Deo placeret.

*τον καὶ κυριακὴν τρεῖς ἢ τέσσαρας τράπεζας ἱστῶν, τοὺς λιπομένους ἐδεξιοῦτο· τούτῳ τῷ τρόπῳ τὸν ἑαυτοῦ βίον κατηνάλωσεν.* Alii Paësius & Esaias nomine, fuerunt fratres patre mercatore, Hispanico: qui quidem quum pater eorum esset mortuus, diuiserunt facultates, quas habebant in mobilibus: in nummis quinque millia, in vestibus autem & seruis, quæ inuenta fuerant. Ii inter se deliberarunt & sibi consulentes dicebant: Quodnam vitæ iter ingrediemur, o frater! si exerceamus mercaturam, quam pater noster exercuit, nos relinquemus aliis nostros labores: & forte incidemus in pericula, vel latronum vel maris. Age ergo, frater, vitam adgrediamur monasticam, vt & patris nostri lucremur facultates & nostras animas non perdamus. Placuit ergo vtrisque scopus vitæ solitariæ: sed inuenti sunt alius in alio discrepantes. Quum itaque pecunias diuisissent & reliqua omnia; hunc quidem sibi scopum proposuerunt, vt Deo placerent, sed diuersæ vitæ instituto. *Vnus enim omnia dispergens, dedit monasteriis*, cetera.

(*hh*) Ibid. *φιλονεικείας οὖν ἐμπεσούσης ἐπὶ τῇ διαφόρῳ πολιτείᾳ τούτων τῶν μακαρίων τῇ ἀδελφότητι, μάλιστα, ἐπὶ τοῖς διαφόροις ἐπαίνοις, ἀπέρχονται πρὸς τὸν μακάριον καὶ ἅγιον Παμβὼ, καὶ ἀνατίθενται αὐτῷ τὴν περὶ τούτων ἐπίκρισιν, ἀξιοῦντες μαθεῖν παρ' αὐτοῦ τὴν ἀμείνω πολιτείαν· ὁ δὲ λέγει αὐτοῖς· ἀμφότεροι τέλειοί εἰσι πρὸς τὸν κύριον· ὁ μὲν γὰρ Ἀβραμιαῖον ἐξετέλεσεν ἔργον δεξιούμενος πάντας· ὁ δὲ τοῦ προφήτου Ἠλίου τὸ ἀκαμπὲς τοῦ ζήλου τῆς πρὸς Θεὸν εὐαρεστήσεως ἐνεδείξατο.*

## §. X.

### *Omnes monachi olim ex manuum ſuarum labore ſuſtentati.*

Hinc manifeſtum eſt, antiquos monachos nullam bonorum & poſſeſſionum habuiſſe rationem; nam in iſtum vel illum modum earum onere ipſi ſeſe leuabant. Et tum quidem monaſteriis ſtatos reditus non habentibus, omnes monachi ad exercendum ſeſe in labore corporis obligati erant, partim vt ipſi ſe alerent, nec aliis eſſent oneri, partim vt animas ſuas incolumes & diriſſimis ſatanæ tentationibus quaſi inacceſſas cuſtodirent. CASSIANVS [i] enim hanc fuiſſe dicit apud *Aegyptum* antiquis patribus ſanctam ſententiam, *operantem monachum vno dæmone pulſari, otioſum vero innumeris ſpiritibus deuaſtari.* Hinc HIERONYMVS *Ruſticum* monachum amicum ſuum hortatur, vt honeſto aliquo labore ſe exerceat, *Fac*, inquiens [k], *& aliquid operis, vt te ſemper diabolus inueniat occupatum. Aegyptiorum monachi hunc morem tenent, vt nullum abſque operis labore ſuſcipiant, non tam propter victus neceſſaria, quam propter animæ ſalutem.* Non habebant tunc inter ſe otioſos & mendicantes, vt ipſe DVARENVS [l] recte obſeruat. Monachum non operantem non ſecus ac alieni cupidum fraudatorem iudicabant. Ita enim patres *Aegyptios* de iſtiusmodi monachis, alieno pane otioſe veſcentibus, ſtatuiſſe, auctor eſt SOCRATES [m]. Iam ſupra e BEDA [n] audiuimus, monachos *Banchorienſes*, quorum fuerint duo millia, omnes de labore manuum ſuarum viuere conſueuiſſe. Et VSSERIVS epiſcopus ingentem iſtiusmodi exemplorum multitudinem, ratione monaſteriorum in *Hibernia* & *Britannia*, collegit [o]. Longum foret omnia loca ex antiquis ſcriptoribus, quæ ad hanc materiam ſpectant, adferre. Quare lectorem ad loca ipſa, infra ad

(i) Caſſian. inſtitut. lib. X. c. XXIII.

(k) Hieron. ep. IV. ad Ruſtic.

(l) Duaren. de miniſtr. & benefic. lib. I. c. XX. Nec ita otio dediti erant, more pſeudomonachorum noſtri temporis, vt nihil in commune conferrent, & ſe homines eſſe, id eſt, ad ſocietatem hominum iuuandam natos non recordarentur.

(m) Socrat. lib. IV. c. XXIII. (p. 234. b edit. Amſtelod. MDCXCV.) *Μοναχὸς, εἰ μὴ ἐργάζοιτο, ἐπίσης τῷ πλεονέκτῃ κρίνεται.*

(n) Bed. lib. II. c. II. vid. ſupra c. II. § XIII. not. (p) pag. 35.

(o) Uſſer. *Relig. of the ancient* Iriſh. c. VI.

calcem

calcem paginæ notata [*p*], remittimus, & vnum duntaxat adhuc obſeruamus, quod antiquis temporibus monachi manuum

---

(*p*) Epiphan. hæreſ. LXXX. n VI. *Καὶ γὰρ ἐξ αὐτῶν τοῦ Θεοῦ ἱερέων, καὶ αὐτοὶ μετὰ τοῦ κηρύγματος τοῦ λόγου μιμούμενοι τὸν ἅγιον αὐτῶν μετὰ τὸν Θεὸν ἐν χριστῷ πατέρα, φημὶ δὲ Παῦλον τὸν ἅγιον ἀπόστολον, καὶ αὐτοὶ κατὰ τὸ δυνατὸν, εἰ καὶ μὴ πάντες, ἀλλ' οἱ πλείους ταῖς ἰδίαις χερσὶν ἐργαζόμενοι, οἵαν δ' ἀναλόγως συμπρέπουσαν τῷ ἀξιώματι, καὶ τῆς ἐκκλησιαστικῆς φροντίδος ἐνδελεχείᾳ εὕροιεν τέχνην, ὅπως μετὰ τοῦ λόγου καὶ τοῦ κηρύγματος ἡ συνείδησις χαίρῃ, καὶ διὰ χειρῶν ἰδίων καρποφοροῦσα, καὶ ἑαυτῇ ἐπαρκουμένη, τοῖς τε ἀδελφοῖς, καὶ ἐνδεομένοις τὴν μετὰ χεῖρας οἰκονομίαν.* Illi tametſi e ſacerdotum numero ſint, ad ſanctiſſimi ſui ſecundum Deum in Chriſto patris imitationem (Paulum apoſtolum intelligo) non omnes quidem, ſed plerique tamen ad ſuſceptam diuini verbi prædicationem *externam manuum operam adiungunt;* quamcumque demum artem adepti ſint, quæ nec e dignitate ſua nec ab eccleſiæ cura, quam perpetuam gerunt, abhorreat: vt ipſorum conſcientia, præter illum diuini verbi prædicandi laborem, *propriarum manuum fructum ferens, ac cum ſibi ipſi, tum fratribus & egentibus operis ſui quæſtum impertiens* voluptate perfundatur.

Chryſoſtom. de compunct. cordis lib. I. c. VI. *Ὅτε καὶ πρώην ἐγὼ ἐγνώκειν τὴν πόλιν ἀφεὶς, ἐπὶ τὰς σκηνὰς τῶν μοναχῶν ἐλθεῖν πολὺς ἤμην τοῦτο ἐρευνῶν καὶ πολυπραγμονῶν, πόθεν ἡ τῶν ἀναγκαίων ἔσται χορηγία - - - εἰ μή τις ὁ εἰς ἔργον ἐμβάλλων χαλεπὸν, οἷον, σκάπτειν, ἢ ξυλοφορεῖν κελεύων, ἢ ὑδροφορεῖν, καὶ τὰ ἄλλα πάντα τὰ τοιαῦτα, ὑπηρετεῖν· καὶ ὅλως, ὁ περὶ τῆς ἀναπαύσεως λόγος ἦν πολὺς ἡμῖν.* Quum ſediſſet in animo quondam relicta vrbe tranſire ad habitacula monachorum, ego ſane quam ſollicite perſcrutabar, vnde nobis in illis locis, quæ neceſſaria ſunt corpori, præberentur - - - ne forte operis aliquis grauis eſſet exactor, ne forte fodere terram cogerer, aut ligna deferre, aut aquam humeris portare vel cetera huiusmodi exhibere miniſteria.

Hieron. epiſt. LXXVII ad Marcum Celedenſem (tom. II. p. 211. g. edit. Francof.) Nihil alicui prærípui, nihil otioſus accipio. *Manu quotidie & proprio ſudore quærimus cibum*, ſcientes ab apoſtolo ſcriptum eſſe: *Qui autem non operatur, nec manducet.*

Caſſian. inſtitut. lib. X. c. XXII. vid. pag. ſeq. ſub lit. (s) in textu.

Iuſtin. nouel. CXXXIII. c. VI. *Δεῖ διπλοῦν τοῦτο ἔργον τοῖς μοναχοῖς καθεστάναι, ἢ ταῖς θείαις ἐναχολεῖσθαι γραφαῖς, ἢ τὰ μοναχοῖς πρέποντα (ἅπερ καλεῖν εἰώθασιν ἐργόχειρα) μελετᾷν τε καὶ ἐργάζεσθαι· διάνοια γὰρ μάτην σχολάζουσα οὐδὲν ἂν τῶν ἀγαθῶν ἀποτέκοι.* Oportet duplex hoc opus monachis eſſe, aut diuinis vacare ſcripturis, aut quæ monachos decent (quæ vocant manuum opera) meditari & operari. Mens enim fruſtra vacans nihil bonorum parit.

Id. Cod. lib. XI. tit. XXV. de mendicantibus validis. Cunctis, quos in publicum quæſtum incerta mendicitas vocauerit, inſpectis, exploretur in ſingulis & integritas corporum & robur annorum: atque inertibus & abſque vlla debilitate miſerandis neceſſitas inferatur, vt eorum quidem quos tenet conditio ſeruilis,

 ſua-

ſuarum opera non ſibi ſolum ſufficientem victum parauerint, ſed etiam aliorum neceſſitates ſubleuare ſoliti ſint. SOZOMENVS [q], *Serapionem* in monaſterio quodam iuxta *Arſinoëm* in *Aegypto* decem millia circiter monachorum rexiſſe eosque ita inſtituiſſe, narrat, vt propriis laboribus, exempli gratia meſſis tempore fruges metendo, victum ſibi compararent, ſubminiſtrarentque aliis indigentibus. Quod ipſum ab AVGVSTINO [r] confirmatur, qui de monachorum ſui temporis laboribus loquens, fidem nobis facit, ſæpius integras naues, rebus neceſſariis oneratas, in ea loca miſiſſe, quæ inopes incoluerint. Intelligit deſerta *Libyæ*, de quibus loquitur CASSIANVS [ſ] „Patres per *Aegyptum*, inquiens, nullo modo otioſos eſſe monachos, ac præcipue iuuenes ſinunt, actum „cordis ac profectum patientiæ & humilitatis ſedulitate operis „metientes, & non ſolum a nullo quidquam accipere patiun-„tur, ſed etiam de laboribus ſuis non tantum ſuperuenientes & „peregrinos reficiunt, verum etiam per loca *Libyæ*, quæ ſterili-„tate ac fame laborant, nec non etiam per ciuitates his, qui „ſqualore carcerum contabeſcunt, immanem conferentes diri-„gunt alimoniæ victusque ſubſtantiam de fructu manuum ſua-

proditor ſtudioſus & diligens dominium conſequatur: eorum vero, quos natalium ſola libertas perſequitur, colonatu perpetuo fulciatur, quisquis huiusmodi ſenſtudinem prodiderit ac probauerit: ſalua dominis in eos actione, qui vel latebram forte fugitiuis vel mendicitatis ſubeundæ conſilium præſtiterunt.

Pallad. hiſtor. Lauſiac. c. VII. X. XX. XXVIII. XXX. XXXIX. LXXVI. LXXXIX. XCVI. CXII.

Moſchus prat. ſpirit. c XXII. CXIV. CLX. CLXI. CLXXXIII. CXCIV.

(q) Sozom. lib. VI. c. XXVIII. Σεραπίων περὶ τὸν Ἀρσενοίτην διέτριβεν, ἀμφὶ τοὺς μυρίους ὑφ' ἑαυτὸν ἔχων· πάντας δὲ ἦγεν ἐξ οἰκείων ἱδρώτων τὰ ἐπιτήδεια πορίζεσθαι καὶ ἄλλοις δεομένοις χορηγεῖν· ὥρᾳ δὲ θέρους ἐπὶ μισθῷ ἀμῶντες ἀρκοῦντα αὐτοῖς σῖτον ἀπετίθεντο, καὶ ἄλλοις μοναχοῖς μετεδίδουν. Serapion iuxta Arſenoiticam præfecturam vixit, decem millia circiter monachorum regens, quos omnes ita inſtituebat, vt propriis laboribus victum ſibi compararent, & aliis indigentibus ſubminiſtrarent. Meſſis autem tempore, pretio conducti fruges metebant, & frumentum quod ſibi ſufficeret recondebant, & aliis monachis gratis dabant.

(r) Aug. de moribus eccleſ. c. XXXI. (tom. I. p. 771. d.) Quidquid neceſſario victui redundat: nam redundat plurimum ex operibus manuum & epulorum reſtrictione: tanta cura egentibus diſtribuitur, quanta non ab ipſis, qui diſtribuunt, comparatum eſt. Nullo modo namque ſatagunt, vt hæc ſibi abundet, ſed omni modo agunt, vt non apud ſe remaneat, quod abundauerit, vſque adeo vt oneratas etiam naues in ea loca mittant, quæ inopes incolunt.

(ſ) Caſſian. inſtit. lib. X. c. XXII.

„rum

„rum, rationabile ac verum ſacrificium domino tali oblatione „ſe offerre credentes.„ Non eo tempore ſenſiſſe videntur chriſtiani, quod labor corporis cum reliquis monachorum officiis conſiſtere nequeat, ſed potius, quod neceſſaria quædam officii ac functionis eorum pars exſiſtat. Et AVGVSTINVS integrum librum (t) conſcripſit, vt hoc eorum officium eſſe demonſtret, quo in libro omnibus rationibus, cum aliqua ſpecie in contrarium vmquam oppoſitis, reſpondet.

§. XI.

*Idonei & adcommodati ad hanc rem antiſtites in monaſteriis conſtituti, nimirum* decani, centenarii, patres, *& id genus alii.*

IAM vero ad hæc & reliqua eorum officia omnia tanto melius prouehenda monaſteria plerumque in diuerſas partes diviſa iisque idonei antiſtites conſtituti erant. Deni monachi vni cuidam parebant, quem *decanum* vocabant, quod decem eſſet præfectus, & centeni alium quemdam ſibi præpoſitum habebant, *centenarium* dictum, quod centum ſubiectos ſibi regeret. Præter hoſce erant *patres*, vti HIERONYMO & AVGVSTINO plerumque vocantur; qui apud alios ſcriptores dicuntur *abbates*, a *græco* vocabulo *ἀββᾶς*, quod *patrem* ſignificat; & *hegumeni*, hoc eſt, *præſides* & *archimandritæ* a *mandra*, *ouili*; quod eſ-

(t) Aug. de opere monach. c. XVII. (tom. III. p. 791. edit. Baſil. MDLXIX.) Quid agant, qui operari corporaliter nolunt, cui rei vacent, ſcire deſidero. Orationibus, inquiunt & pſalmis & lectioni & verbo Dei. Sancta plane vita & in Chriſti ſuauitate laudabilis: ſed ſi ab his auocandi non ſumus, nec manducandum eſt, nec ipſæ eſcæ quotidie præparandæ, vt poſſint apponi & adſumi. Si autem ad iſta vacare ſeruos Dei certis interuallis temporum ipſius infirmitatis neceſſitas cogit, cur non & apoſtolicis præceptis obſeruandis aliquas partes temporum deputamus? Citius enim exauditur vna obedientis oratio, quam decem millia contemtoris. Cantica vero diuina cantare etiam manibus operantes facile poſſunt, & ipſum laborem tamquam diuino celeumate conſolari. An ignoramus opifices, quibus vanitatibus & plerumque etiam turpitudinibus theatricarum fabularum donent corda & linguas ſuas, cum manus ab opere non recedant? Quid ergo impedit, ſeruum Dei manibus operantem in lege domini meditari & pſallere nomini domini altiſſimi: ita ſane vt ad ea diſcenda, quæ memoriter recolat, habeat ſepoſita tempora? Ad hoc enim & illa bona opera fidelium ſubſidio ſupplendorum neceſſariorum deeſſe non debent, vt hanc, quibus ad erudiendum animum ita vacant, vt illa opera corporaliter geri non poſſint, non opprimant egeſtate, cetera.

ſent

ſent horum ſacrorum in eccleſia gregum cuſtodes vel doctores. Horum decanorum negotium erat, penſum, quod cuique datum erat, exigere & ad œconomum ferre, qui & ipſe per ſingulos menſes ipſorum omnium patri rationem reddebat, quemadmodum HIERONYMVS [u] & AVGVSTINVS [w] fidem nobis faciunt.

### §. XII.

*Patrum ſiue abbatum magna in reliquos, ratione diſciplinæ, poteſtas.*

PATRES tum propter diuinorum officiorum adminiſtrationem, tum diſciplinæ exercitium inter ipſos plerique e presbyterorum erant ordine. Et horum poteſtas inſignis admodum erat. Quamuis enim abſoluta & ſine limitibus non eſſet, raro tamen vel numquam ab inferioribus in controuerſiam vocabatur: quandoquidem ex obſeruatione HIERONYMI [x] *prima apud eos confœderatio erat, obedire maioribus & quidquid iuſſerint, facere.* Et ſi quis dedita opera ab officii ſui præſcripto deflexiſſet atque aberraſſet, pœnas tum ſpirituales tum corporales ei infligendi habebant poteſtatem. Pœnæ ſpirituales cenſuræ erant eccleſiaſticæ, euchariſtiæ & ſacrorum omnium interdictio. Iſtiusmodi enim poteſtas ipſis concredita erat, vti ex diuerſis CASSIANI locis apparet, vbi narrat [y], quod abbates mona-

(u) Hieron. ep. XXII. ad Euſtoch. c. XV. (tom. I. p. 95. g. edit. Francof. MDCXXXIV.) Opus diei ſtatum eſt, quod *decano* redditum, fertur ad oeconomum, qui & ipſe per ſingulos menſes *patri omnium* cum magno tremore reddit rationem.

(w) Auguſtin. de moribus eccleſ. cathol. c XXXI. (tom. I. p. 771. a.) Operantur manibus ea, quibus & corpus paſci poſſit. Opus autem ſimul tradunt eis, quos *decanos* vocant, eo quod ſint decem præpoſiti, vt neminem illorum cura ſui corporis tangat, neque in cibo, neque in veſtimento, neque ſi quid aliud opus eſt, vel quotidianæ neceſſitati, vel mutatæ (vt adſolet) valetudini. Illi autem *decani* cum magna ſollicitudine omnia diſponentes, & præſto facientes quidquam illa vita propter imbecillitatem corporis poſtulat, traditionem (leg. rationem) tamen etiam ipſi reddunt vni, quem *patrem* vocant. Hi vero *patres* non ſolum ſanctiſſimi moribus, ſed etiam diuina doctrina excellentiſſimi, omnibus rebus excelſi, nulla ſuperbia conſulunt iis, quos filios vocant magna ſua in iubendo auctoritate, magna illorum in obtemperando voluntate.

(x) Hieron. ep. XXII. ad Euſtoch. c. XV. (l. c. pag. 95 d)

(y) Caſſian. inſtitut. lib. II. c. XVI. Si quis pro admiſſo quolibet delicto fuerit ab oratione ſupenſus, nullus cum eo prorſus orandi habebat licentiam, antequam ſubmiſſa in terram pœnitentia reconciliatio eius & admiſſi venia coram fratribus cunctis publice fuerit ab abbate conceſſa.

chos

chos ecclesia excluserint, reliquisque cum ipsis precari interdixerint, vsque dum in terram, submisse acta pœnitentia, prostratos abbas delicti veniam impertiendo vniuersis fratribus publice reconciliasset. Speciatim de *Paphnutio*, abbate in *Scethi* [z], tradit, quod nomen monachi cuiusdam ex diptychis ecclesiæ deleuerit, ab eoque vix potuerit obtineri, vt in oblatione pro iis, qui in domino quiescunt, fieri solita eius iniiceretur mentio, eo quod Satana instigante ipse se interfecisset, qui velut angelus lucis ipsi visus persuaserit, vt se ipsum in profundum puteum præcipitem daret, de angeli videlicet sui sponsione non dubitans, qui eum pro merito virtutum ac laborum suorum nequaquam posse firmauerat vlli iam discrimini subiacere. SOCRATES [a] de simili potestate in *Arsenio* loquitur, qua ipsum hoc cum discrimine vti consueuisse perhibet, vt iuniores monachos, qui deliquissent, a communione minime separaret, sed eos qui prouecta essent ætate: dixisse enim, iuniorem ecclesia pulsum contumacem fieri, seniorem vero cito excommunicationis dolorem sentire, & emendari. Alia nonnulla exempla eodem referenda in PALLADIO [b] lector videre potest. Corporales

Id. lib. IV. c. XVI. Tam diu prostratus in terram veniam postulabit, donec orationum consummetur solemnitas, impetraturus eam, quum iussus fuerit abbatis iudicio de solo surgere.

Ibid. c. XX. In septimana cuiusdam fratris quum præteriens oeconomus tria lenticulæ grana vidisset iacere in terra, quæ hebdomadario festinanti, dum ea præparat coctioni, inter manus cum aqua, qua diluebantur, elapsa sunt, confestim super hoc abbatem consuluit: a quo velut interuertor neglectorque sacri peculii iudicatus *ab oratione suspensus est:* cuius negligentiæ reatus non aliter ei remissus est, *nisi eum publica pœnitentia diluisset.* cætera. Conf. collat. XVIII. c. XV. tot.

(z) Cassian. collat. II. c. V. Vix a presbytero abbate Paphnutio potuit obtineri, vt non inter biothanatos reputatus etiam memoria & oblatione pausantium iudicaretur indignus.

(a) Socrat. lib. IV. c. XXIII. (p. 233 b. edit. Amstelod.) Ἀρσένιος ἄλλος τοὺς τῶν νέων πταίσαντας οὐκ ἀφώριζεν, ἀλλὰ τοὺς προκόψαντας λέγων ὅτι νέος ἀφοριωθεὶς, καταφρονητὴς γίνεται· ὁ δὲ προκόψας τῆς ἐκ τοῦ ἀφορισμοῦ ὀδύνης ταχεῖαν λαμβάνει τὴν αἴσθησιν.

(b) Pallad. histor. Lausiac. c. XL. Ἐν τούτῳ μοναστηρίῳ τῶν γυναικῶν συνέβη πρᾶγμα τοιοῦτον· ῥάπτης κοσμικὸς περάσας κατ' ἄγνοιαν ἐζήτει ἔργον· ἐξελθοῦσα δὲ μία νεωτέρα τῶν παρθένων λόγῳ ἑαυτῆς (ἔρημος γάρ ἐστιν ὁ τόπος) συνέτυχεν αὐτῷ ἀκουσίως, καὶ δέδωκεν αὐτῷ τὴν ἀπόκρισιν· ὅτι ἡμεῖς ἔχομεν ῥάπτας ἡμετέρους· ἄλλη ἑωρακυῖα τὴν συντυχίαν ταύτην, χρόνου παρελθόντος, γενομένης μάχης, ἐξ ὑποβολῆς τοῦ διαβόλου,

 pœnas

pœnas CASSIANVS [c] duas hasce fuisse narrat, plagas & expulsionem; & crimina, ob quæ infligi eæ solitæ fuerint, sigillatim enumerat. PALLADIVS etiam flagelli monachorum mentionem facit, *In monte Nitriæ*, inquiens [d], *vna est maxima ecclesia, & in ipsa ecclesia sunt tres palmæ, ex quibus vnaquæque habet flagellum suspensum. Et est vnum quidem ad castigandos monachos, qui delinquunt: alterum vero ad puniendos latrones, si quando inciderint: tertium vero ad corrigendos eos, qui forte veniunt, & in aliqua delicta incidunt. Adeo vt quicunque & conuincuntur meruisse, vt dent pœnas, palmam ample-*

ἀπὸ πολλῆς πονηρίας καὶ ζέσεως θυμοῦ ἐσυκοφάντησεν ταύτην ἐπὶ τῆς ἀδελφότητος διὰ τὴν συντυχίαν. ἧ συνέδραμον ὀλίγαι οὐ πολλῇ κακίᾳ φερόμεναι· ἀπολυπηθεῖσα δὲ ἐκείνη ὡς τοιαύτην ὑποστᾶσα συκοφαντίαν, τὴν μηδὲ εἰς ἔννοιαν αὐτῆς ἀνελθοῦσαν. καὶ μὴ ἐνεγκοῦσα τὸ πρᾶγμα ἔβαλεν ἑαυτὴν εἰς τὸν ποταμὸν λάθρα, καὶ ἐτελεύτησεν οὕτως. εἰς συναίσθησιν δὲ ἐλθοῦσα ἡ συκοφαντήσασα καὶ ἑωρακυῖα, ὅτι ἀπὸ πονηρίας ἐσυκοφάντησεν, καὶ τοῦτο εἰργάσατο τὸ ἄγος τῆς ἀδελφότητος, λαθοῦσα ἑαυτὴν ἀπήγξατο καὶ αὐτὴ μὴ ἐνεγκοῦσα τὸ πρᾶγμα. ἐξελθόντος δὲ τοῦ πρεσβυτέρου, ἀνήγγειλαν ταῦτα αἱ λοιπαὶ παρθένοι· ἐκέλευσεν οὖν τούτων μηδεμιᾷ προσφορὰν ἐπιτελεσθῆναι· τὰς δὲ λοιπὰς ὡς συνειδυίας καὶ μὴ εἰρηνευσάσας τὴν συκοφαντῶσαν, ἀλλὰ μᾶλλον πιστευσάσας τὰ εἰρημένα, ἑπταετίαν ἀφώρισεν ἀκοινωνήτους ποιήσας. In hoc monasterio feminarum hæc res accidit. Sutor sæcularis quum traiecisset per ignorantiam, quærebat opus. Egressa autem vna iunior, quum eius postularet ratio (est enim locus desertus) inuita eum conuenit deditque ei responsum: Nos habemus nostros sutores. Alia autem, quæ eius viderat colloquium, quum processu temporis inter eos exorta esset contentio, ex diaboli suggestione, præ summa malitia & animi excandescentia, eam calumniata est apud fraternitatem propter id colloquium. Cum qua concurrerunt paucæ, quæ non adeo magna ferebantur malitia. Illa autem dolore confecta, vt quæ talem subiisset calumniam, quæ ne in eius quidem mentem venerat, nec rem potuisset tolerare, se clam iecit in fluuium, & sic obiit. Quum autem id sensisset ea, quæ ipsam fuerat calumniata & vidisset, se malitiose eam fuisse calumniatam, & hoc scelus a se commissum, & ipsa quoque se clam suffocauit, quum factum ægre ferret. Quum autem venisset presbyter, reliquæ virgines ei rem renuntiauerunt. *Iussit* itaque *pro nulla harum fieri oblationem. Reliquas* autem, quæ non pacem egerant, & quæ calumniantem non compescuerant, & quæ dicta sunt, crediderant, *septennium segregauit, eas excommunicans.*

(c) Cassian. collat. II. c. XVI. † Vel plagis emendantur, vel expulsione purgantur.

(d) Pallad. histor. Lausiac. c. VI. Ἐν τῷ ὄρει τούτῳ Νιτρίας, ἐκκλησία μία ἐστὶ μεγίστη. ἐν ταύτῃ ἐκκλησίᾳ τρεῖς φοίνικες ἱστᾶσιν, ἕκαστος ἔχων μάστιγα ἐφ' ἑαυτοῦ κρεμαμένην. καὶ ἡ μὲν ἐστιν εἰς ἐπιστροφὴν τῶν μοναχῶν τῶν πταιόντων· ὁ δὲ εἰς τιμωρίαν λῃστῶν, εἴ γε ἐμπέσωσί ποτε· ὁ δὲ εἰς διόρθωσιν τῶν περιτυγχανόντων καὶ ἐκπεπτωκότων οἱοισδήποτε σφάλμασιν· ὡς πάντας τοὺς πταίοντας, καὶ διελεγχομένους, καὶ ὑπευθύνους

*Etantur,*

*ctantur, & tergo plagas præfinitas accipiant, & ſic dimittantur.* Sed nondum de voluntaria ſui flagellatione per modum exercitationis quidquam audimus. Inuentum hoc eſt recentioris ætatis monachorum, quos ipſi SPONDANVS [*e*] & PRATEOLVS [*f*] inter hæreticos referre non dubitarunt, & recentior quidam ſcriptor *Gallus*[*g*] de ipſis ex inſtituto copioſe egit libro, qui inſcriptus eſt *hiſtoria flagellantium*, ad quem lectorem huius rei cupidum remittimus.

## §. XIII.

### *Peculiaria quædam priuilegia etiam in eccleſia ipſis indulta.*

ABBATES ſiue patres magnæ etiam exiſtimationis erant in eccleſia. Sæpius enim ad concilia inuitabantur, & ſedendi ac ſuffragium ferendi habebant priuilegium perinde vt presbyteri. Exempli cauſſa *Benedictus* in concilio *Romæ* an. DXXXI. ſub *Bonifacio* habito. Quod ipſum ex CAVEI refero [*h*] auctoritate, qui id ex ANTONII SCIPIONIS *elogio abbatum Caſſinenſium* habet. Idem priuilegium ipſis in concilio *Conſtantinopolitano* ſub *Flauiano* an. CCCCXLVIII. conceſſum legimus, vbi viginti tres archimandritæ vna cum triginta epiſcopis condemnationi *Eutychis*

πληγῶν καθεστῶτας, περιλαμβάνειν τὸν φοίνικα, καὶ λαμβάνοντας κατὰ νώτου ῥητὰς οὕτως ἀπολύεσθαι.

(*e*) Spondan. an. MCCCXLIX. n. II. Surrexit hoc ipſo anno & in ſequentem propagata eſt noua quædam ſecta *flagellatorum* ſiue *flagellantium* dicta, vel etiam *cruciferorum*, quod & præeuntibus crucibus procederent, & cruces ſinguli manu geſtarent, crucibusque rubris inſignirentur in veſtibus, caputiis & capellis a fronte & a tergo. Qui ex Hungaria ortum ducentes, breui per totam Germaniam ſuperiorem & inferiorem, Poloniam, Galliam, Angliam aliasque regiones turmatim ſeſe diffuderunt, viri pariter ac mulieres nudis vmbilico tenus corporibus; bis palam de die, ſed fere hiſtrionice, ſemel clam de nocte, nodoſis & aculeatis funiculis ad ſanguinem vſque flagellantes ſeſe & inuicem, diuinamque clementiam miſerabilibus vocibus ſua quique lingua implorantes, ſeſeque in terram in modum crucifixi proſternentes; epiſtola quadam diuinitus miſſa ad hæc ſe inuitatos iactantes, cetera.

(*f*) Prateol. elench. hæret. lib. VI. c. VIII.

(*g*) Hiſtoria flagellantium Pariſ. MDCC. 8uo.

(*h*) Cau. hiſtor. litter. vol. I. p. 402. (edit. Londin. MDCLXXXVIII.) Anno DXXXI a Bonifacio II. Romam ad ſynodum euocatus eſt, eo maiorem ſynodo auctoritatem præſentia ſua conciliaturus; quod ex bibliothecæ Vaticanæ codice refert Antonius Scipio monachus Caſſinenſis.

subscripserunt, vti ex istius concilii fragmentis concilio *Chalcedonensi* [i] insertis, liquet. At vero recte a viro quodam docto [k] tanquam res noua id notatum est, quod deprehendantur abbatissæ æque ac abbates subscribentes concilio *Beccanseldensi* in prouincia *Cantio* an. DCXCIV, & id quidem ante presbyteros ac dominos temporales, quemadmodum auctor *chronici Saxonici* [l] perhibet. Hoc enim tempore primum huiusmodi quid in veteris ecclesiæ monumentis reperimus.

## §. XIV.

### *Semper tamen potestati episcopi subiecti mansere.*

QVAMVIS autem talis potestas & priuilegia abbatibus essent donata, non tamen ipsi, nec eorum monasteria, iis temporibus a iurisdictione episcoporum immunes erant. Nam ex antiquis tum ecclesiasticis tum ciuilibus legibus nullum vsquam monasterium, sine venia episcopi istius dioeceseos, erigi licebat. Hoc vnum ex iis erat, quæ concilio *Chalcedonensi* proponebat *Marcianus* imperator, quodque ex ipsius desiderio vim canonis obtinebat, vt nimirum nullum vsquam ædificari [m] nec construi posset monasterium vel oratoria domus, præter sententiam ipsius ciuitatis episcopi. Ex lege etiam IVSTINIANI [n] e-

(i) Concil. Chalced. act. I. (tom. IV. p. 231. d. p. 232. to.

(k) Caue histor. litt. vol. II. p. 240. edit. Lond. (p. 142. edit. Geneu. MDCXCIX.) Decreto synodico subscribunt, idque ante presbyteros, proceresque sæculares, abbatissæ; exemplo plane nouo, & hactenus, quod sciam, inaudito.

(l) Chron. Anglico-Saxon. an. DCXCIV. p. 48. c. vid. apud Spelm. concil. tom I. p. 190. Ego Withredus auxilio Christi his legibus constitutis pro me & Werburga regina: itemque pro filio nostro Alrico subscripsi.
Ego Berthuvald gratia Dei archiepiscopus his legibus a nobis constitutis subscripsi.
Signum manus Ethelbarti pro se & fratre suo Eadlerto.
Signum manus Tobiæ episcopi.
Signum manus Mildredæ *abbatissæ*.
Signum manus Etheldridæ *abbatissæ*.
Signum manus Aete *abbatissæ*.
Signum manus Wilnodæ *abbatissæ*.
Signum manus Herelwidæ *abbatissæ*.
Signum manus Redempti presbyteri.
Signum manus Eastwaldi presbyteri. cetera.

(m) Conc. Chalced. can. IV. (tom. IV. conc. p. 758. b.) *Ἔδοξε μηδένα μηδαμοῦ οἰκοδομεῖν, μηδὲ συνιστᾶν μοναστήριον, ἢ εὐκτήριον οἶκον παρὰ γνώμην τοῦ τῆς πόλεως ἐπισκόπου.*

(n) Iustin. nouel. V. c. I. *Ἐκεῖνο τοίνυν πρὸ τῶν ἄλλων ῥητέον, ὥστε κατὰ πάντα χρόνον,*

pisco-

piſcopus locum per orationem quodammodo conſecrare debebat, priusquam ædificium inchoaretur. Porro canone modo memorato omnes monachi, qui ſunt in vnaquaque regione & ciuitate, iubentur epiſcopo ſubiecti eſſe, & quietem amplecti, & ſoli ieiunio & orationi vacare, in quibus ordinati ſint locis fortiter perſeuerantes, nec eccleſiaſticis, nec ſæcularibus negotiis ſe ingerere, vel communicare, propria relinquentes monaſteria, niſi quandoque a ciuitatis epiſcopo eis permiſſum fuerit. Sed hac de re iam alio [o] loco fuſius diximus: quare heic tantum duos vel tres errores ab recentioribus quibusdam auctoribus, verba BEDAE ad contrarium demonſtrandum adlegantibus, admiſſos adnotabimus. BEDA in loco quodam [p] de *Huya* inſula deque monaſteriis in ea a *Columba* exſtructis loquens. *Habere ſolet*, inquit, *ipſa inſula rectorem ſemper abbatem presbyterum, cuius iuri & omnis prouincia & ipſi etiam epiſcopi ordine inuſitato debeant eſſe ſubiecti, iuxta exemplum primi doctoris illius, qui non epiſcopus ſed presbyter exſtitit & monachus.* CAROLVS A SANCTO PAVLO [q] malo lapſus errore hanc inſulam pro *Hibernia* accipit, adeoque

*καὶ ἐν ἁπάσῃ τῇ γῇ τῆς ἡμετέρας βασιλείας, εἴ ποτέ τις οἰκοδομεῖν εὐαγὲς μοναστήριον βούλοιτο, μὴ πρότερον ἄδειαν εἶναι τοῦτο πράττειν, πρὶν ἂν τὸν θεοφιλέστατον τῶν τόπων ἐπίσκοπον προσκαλέσοιτο· ὁ δὲ χεῖρας τε ἀνατείνειεν εἰς οὐρανόν, καὶ διὰ τῆς εὐχῆς τὸν τόπον ἀνιερώσειε θεῷ, πηξάμενος ἐν αὐτῷ τὸ τῆς ἡμετέρας σύμβολον σωτηρίας (φαμὲν δὲ τὸν προσκύνητον καὶ τίμιον ὄντως σταυρὸν) οὕτω δὲ ἄρξηται τῆς οἰκοδομίας, καλὸν δή τινα τοῦτον καὶ πρέποντα θεμέλιον ἀποθέμενος.* Illud igitur ante alia dicendum eſt, vt omni tempore & in omni terra, ſi quis ædificare venerabile monaſterium voluerit, non prius licentiam eſſe hoc agendi, quam Deo amabilem locorum epiſcopum aduocet: at ille manus extendat ad cælum & per orationem locum conſecret Deo, figens in eo ſalutis noſtræ ſignum: (dicimus autem reuerendam & honorandam vere crucem) ſicque inchoet ædificium; bonum vtique quoddam hoc & decens fundamentum ponens.

Id. nouel. CXXXI. c. VII. *Εἴ τις βουληθείη οἰκοδομῆσαι σεβάσμιον εὐκτήριον ἢ μοναστήριον, μὴ ἄλλως ἄρχεσθαι τοῦ οἰκοδομήματος, εἰ μὴ ὁ τῶν τόπων ὁσιώτατος ἐπίσκοπος εὐχὴν ἐκεῖσε ποιήσει, καὶ τὸν τίμιον πήξει σταυρόν.* Si quis voluerit fabricare venerabile oratorium aut monaſterium, præcipimus, non aliter inchoandam fabricam, niſi locorum ſanctiſſimus epiſcopus orationem ibi fecerit & venerabilem fixerit crucem.

(o) Lib. II. c. IV. §. II. vol. I. p. 101. 102.

(p) Bed. hiſtor. lib. III. c. IV.

(q) Carol. a S. Paulo geogr. ſacr. lib. VI. p. 170. edit. Amſtel. MDCCIII. (p. 167. edit. Amſtel MDCCXI.) His obſtare videtur, quantum ad Armacham Beda hæc de *Hibernia* ſcribens: *Habere ſolet ipſa inſula*, cetera.

omnes episcopos *Hiberniæ* vni abbati subiectos statuit. Alii hanc prouinciam pro *Scotia* omni habent, atque ita idem respectu huius insulæ faciunt: quum tamen BEDA reuera de parua quadam *Scotiæ* parte loquatur, regione videlicet *Pictorum* septemtrionalium, quos *Columba* ad fidem CHRISTI *Bridii* regis temporibus conuertit, qui ipsi *Huyam* insulam in possessionem monasterii faciendi dedit; vnde ista septentrionalium *Pictorum* prouincia istius monasterii abbati subiecta esse cœpit. Hanc vero subiectionem in rebus spiritualibus constitisse, BEDA non dicit, sed ciuilis quædam iurisdictio in episcopos videtur fuisse, quæ cum superiore eorum potestate in spiritualibus bene potuit consistere, vt doctissimus episcopus *Vigorniensis* [r] in libro suo de *Culdeis* inter antiquitates suas ecclesiæ *Britannicæ*, pluribus demonstrat. Alius locus in BEDA, admodum falso intellectus, est, vbi de synodo *Herudfordiensi* ann. DCLXXIII loquitur. In quodam huius concilii canone, secundum quædam corrupte excusa exemplaria BEDAE, ita decretum legitur [s]: *Vt episcopi monachi non migrent de loco in locum, hoc est, de monasterio in monasterium, nisi per dimissionem proprii abbatis, sed in ea permaneant obedientia quam tempore suæ conuersionis promiserunt.* Sed hoc ipsum non nisi primorum editorum BEDAE error est, qui, non obseruatis in manuscripto notis compendiariis, legerunt *episcopi monachi* loco *ipsi monachi*, vt nonnullæ recentiores editiones recte habent. Vt adeo heic nihil pro monasteriorum exemtione vel in potestatis episcopalis derogationem dicatur, quemadmodum nonnulli dedita opera errasse videntur. Sed tamen ante hoc tempus quædam monasteria forte exemta fuisse, non negauerim. HABERTVS [t] enim, concilium tertium *Arelatense* ann. CCCCLV. *Fausto*, monasterii *Lirinensis* abbati, exemtionem concessisse existimat, eamque primam omnium fuisse dicit. Sed ab hoc tempore episcopi *Romani* monasteria in *Occidente*, vt alii patriarchæ

(r) Bp. Lloyd's *historical account of church government chap.* 7. p. 180. De voce *Culdei* siue *Colidei* conf. Spelmanni glossar. archaiolog. p. 156.

(s) Bed. histor. lib. IV. c. V.

(t) Habert. archierat. p. 595. Ceteris sui sunt limites: nullus Romano, qui ab Arelatensis synodi tertii tempore, an CCCCLV, in qua prima omnium exemtio monasterio Lirinensi concessa est: innumeris toto orbe monasteriis immunitatem similem concessit.

in

in *Oriente*, eximere occeperunt, vnde ista monasteria a recentioribus *Graecis monasteria patriarchalia* vocantur, quippe quae ab episcopalibus visitationibus immunia sunt, & tantum patriarchali iurisdictioni subiacent.

§. XV.

*Spirituales monachorum exercitationes.* Primo, *Perpetua poenitentia.*

Sed ad antiquos monachos reuertimur; & quia corporales eorum exercitationes enarrauimus, ad eas nunc progredimur, quae fuerunt spirituales. Vitae enim spiritualis incrementum illud erat, ad quod initio quidem spectabat hominum ex mundo secessus. Heic plus otii & opportunitatis ad magnum poenitentiae negotium se habituros credebant. Quo intuitu vita monachi ab HIERONYMO [u] aliisque toties *vita plangentis* nuncupatur. Et ad hoc adludentes veteres *Canopum* insulam prope *Alexandriam*, locum ob profligatam libidinem antea famosum, posteaquam monachi *Tabennenses* eo delati sedem ibi fixerunt, *insulam metanoeae*, hoc est insulam poenitentiae, vocarunt; vti ex HIERONYMO colligi potest, qui de ea loquitur, nomen illius ab exstructo ibi monasterio commutans [w]. Atque ita VALESIVS & alii hoc ipsum intelligunt [x].

§. XVI.

Secundo, *Extraordinaria ieiunia.*

Extraordinariae poenitentiae suae extraordinaria plerumque iungebant ieiunia. Monachi enim *Aegyptii* quotidie ieiunabant ad horam vsque nonam, hoc est, ad tertiam pomeridianam, sabbatho, die dominica, & quinquaginta diebus pentecostes aliisue diebus, quum frater aliquis ad ipsos inuisendos venisset, exceptis. Tunc enim suas habebant relaxationes, vti e CASSIANO & HIERONYMO condocemur. Quinquagin-

(u) Hieron. epist. LIII. ad Ripar. Monachus non docentis sed *plangentis* habet officium.

(w) Hieron. prolog. in regul. Pachomii. In *monasterio metanoeae*, quod de Canopo in poenitentiam felici nominis conuersione mutatum est, cetera.

(x) Vales. not. in Sozom. lib. III. c. XIV. p. 518. In insula Canopo fuit monasterium insigne Tabennensium. Ex quo factum est, vt Canopus, qui antea ob luxum ac delicias infamis fuerat, *insula metanoeae* vocaretur, translatis illuc a Theophilo vel Cyrillo monachis, qui religiosam ac poenitentium similem vitam illic agebant.

ta

ta dies pentecostes omnes festos agebant secundum publicas regulas, & praxin ecclesiæ catholicæ, cuius consuetudo, TERTVLLIANO teste [y], erat a die paschæ ad pentecosten vsque, in memoriam suscitati e mortuis seruatoris immunitate a ieiuniis gaudere. Hinc HIERONYMVS [z] de quotidianis eorum loquens ieiuniis, *Ieiunium*, inquit, *totius anni æquale est, excepta quadragesima, in qua sola conceditur strictim viuere. A pentecoste cœnæ mutantur in prandia, quo & traditioni ecclesiasticæ satisfiat & ventrem cibo non onerent duplicato.* CASSIANVS [a] sæpe de eorum quotidianis ieiuniis ad horam vsque nonam loquitur, sed similiter tempus pentecostes [b] ex ea-

(y) Tertull. de coron. milit. c. III. Die dominica ieiunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare. Eadem immunitate *a die paschæ in pentecosten vsque* gaudemus.

(z) Hieron. epist. XXII. ad Eustoch. c. XV. (tom. I. p. 95 g.)

(a) Cassian. collat. II. c. XXV. Nonnumquam *hora nona soluta iam statione ieiunii* superuenientibus fratribus necesse est eorum obtentu aut adiici aliquid ad statutam solitamque mensuram, aut certe humanitatem, quam iubemur omnibus exhibere, penitus abdicari.

Collat. XXVI. Si nullus aduenerit hunc quoque velut de canonico modo debitum nobis libere præsumemus, qua parcitate nec stomachus vespere poterit adgrauari, quippe *hora nona* vno paximacio iam præmisso, quod plerumque his, qui districtiorem abstinentiam se tenere credentes, *totam refectionem ad vesperam differunt*, euenire consueuit.

Collat. XIX. c. XVI. Hoc abbas Ioannes, quum *horæ nonæ refectionem* imminere sensisset, collationem fine conclusit.

Collat. XXI. c. XXII. Vt & diebus festiuis statuta consuetudinis solemnitas conseruetur & saluberrimus parsimoniæ modus minime transcendatur, sufficit, vt indulgentiam remissionis eo vsque progredi patiamur, vt cibus, qui *hora diei nona* fuerat capiendus, paullo citius, id est, sexta hora pro festiuitate temporis capiatur, cetera.

(b) Cassian. collat. XXI. c. XI. Abbas Theonas quum diebus quinquagesimæ nos in nostra cellula visitasset, vespertina orationum solemnitate transacta humi paullulum considentes, cœpimus diligentius percontari, *cur* apud eos tanta obseruantia *caueretur, ne quis penitus totis quinquagesimæ diebus*, vel genua in oratione curuaret, vel *vsque ad horam nonam ieiunare, præsumeret* cetera. Ibid. c. XX. Post adscensionem seruatoris nostri, quæ quadragesimo resurrectionis eius acta est die, apostoli reuersi de monte oliueti, in quo se ad patrem pergens præbuit intuendum, sicut etiam actuum apostolorum lectio contestatur, ingressi Hierosolymam, decem diebus aduentum spiritus sancti exspectasse referuntur, quibus expletis *quinquagesima eum die cum gaudio susceperunt, & ita est per hæc festiuitatis huius numerus euidenter impletus.* Quem in veteri quoque testamento legimus figuraliter adumbratum, in quo consummatis hebdomadibus septem, primitiarum panis per sacerdotes domino iubebatur offerri, qui vera-

dem

dem ratione, qua HIERONYMVS, nec non ſabbathum & diem dominicum [c], excipit, quod hi dies in eccleſia orientali ſemper erant feſti, vtpote quibus ſolemnes celebrabantur conuentus, & in cultu matutino ſacra recipiebatur euchariſtia. Nonnulli quidem maiori cum aſperitate ſe exercebant, duobus, tribus, quatuor aut quinque diebus continuis ieiunantes; at vero hi non generatim approbati. HIERONYMVS [d] pariter & CASSIANVS [e] contra iſtiusmodi immoderata ieiunia loquuntur; &

ciſſime per apoſtolorum prædicationem, qua in illa die concionati leguntur ad populum, oblatus domino comprobatur, verus ſcilicet primitiarum panis, qui nouæ doctrinæ inſtitutione prolatus, quinque millibus virorum eſcæ ſuæ munere ſatiatis, primitiuum de Iudæis chriſtianorum populum domino conſecrauit. Et id irco *hi quoque decem dies, cum ſuperioribus quadraginta pari ſolemnitate ſunt ac lætitia celebrandi. Cuius feſtiuitatis traditio per apoſtolicos viros ad nos vſque transmiſſa eodem tenore ſeruanda eſt.* Ideo namque in ipſis diebus nec genua in oratione curuantur, quia inflexio genuum velut poenitentiæ ac luctus indicium eſt. Vnde etiam per omnia eandem in illis ſolemnitatem, quam die dominica cuſtodimus, in qua maiores noſtri, *nec ieiunium agendum*, nec genu eſſe flectendum, ob reuerentiam reſurrectionis dominicæ tradiderunt.

(c) Caſſian, collat. III. c. I. †

(d) Hieron. epiſt. IV. ad Ruſtic. (tom. I. p. 30. h edit. Francof. MDCLXXLIV.) Sunt qui humore cellarum *immoderatisque ieiuniis*, tædio ſolitudinis ac nimia lectione, dum diebus ac noctibus auribus ſuis perſonant, vertuntur in melancholiam, & Hippocratis magis fomentis quam noſtris monitis indigent.
Id. ep. VII. ad Lætam (p. 37. d.) *Diſplicent mihi*, in teneris maxime ætatibus, *longa & immoderata ieiunia*, in quibus iunguntur hebdomades, oleum in cibo ac poma vetantur. Experimento didici, aſellum in via cum laſſus fuerit, diuerticula quærere. - - Hoc in perpetuo ieiunio ſit præceptum, vt longo itineri vires perpetes ſuperent: ne in prima manſione currentes, in mediis corruamus.

(e) Caſſian, inſtitut. lib. V. c. IX. Tantum debet vnusquiſque ſibi frugalitatis indicere, quantum corporeæ obluctationis pugna depoſcit. Vtilis quidem & omnimodo obſeruanda eſt canonica ieiuniorum cuſtodia, ſed niſi hanc frugi temperanter fuerit ciborum refectio ſubſequuta, ad integritatis calcem non poterit peruenire. Longorum namque ieiuniorum inedia, ſaturitate corporis ſubſequente, laſſitudinem potius temporalem, quam puritatem caſtitatis acquirit. Integritas mentis ventris cohæret inediæ. Non habet perpetuam caſtimoniæ puritatem, quisquis non iugem temperantiæ æqualitatem tenere contentus eſt. Quamuis enim diſtricta ſint ieiunia, ſuccedente ſuperflua remiſſione vacuantur, & in gaſtrimargiæ vitium protinus collabuntur. Melior eſt rationabilis cum moderatione quotidiana refectio, quam per interualla arduum longumque ieiunium. Nouit immoderata inedia non modo mentis labefactare conſtantiam, ſed etiam orationum efficaciam reddere laſſitudine corporis eneruam.

CASSIANVS [*f*] ſpeciatim tamquam ſapienter prolatam *Macarii*, celebris illius *Aegyptii*, ſententiam notat, *Ita debere monachum ieiuniis operam dare, vt centum annis in corpore commoraturum, ita motus animi refrenare, & iniuriarum obliuiſci, triſtitiasque reſpuere, dolores quoque ac detrimenta contemnere, tamquam quotidie moriturum.* Ex quibus pateſcit, quod immoderatam inediam haud vllum vſum habere, ſed potius religioni noxiam eſſe, crediderint. Vnde AVGVSTINVS obſeruat, antiquas regulas [*g*] non abſolutam hac in re ipſis neceſſitatem imponere, *Inter hæc*, inquiens, *nemo vrgetur in aſpera, quæ ferre non poteſt; nulli, quod recuſat, imponitur a ceteris, quod in eis ſe imitandis fatetur inualidum: meminerunt enim, quantopere ſcripturis omnibus commendata ſit caritas.* Regula monaſtica *Pachomii* ab angelo quodam ei data ferebatur, atqui hoc vnum ex angeli iſtius mandatis erat: [*h*] *Concede vnicuique, vt comedat & bibat; et pro viribus comedentium eis quoque manda opera, quæ proportione conueniant ac reſpondeant, & neque ieiunare prohibe nec comedere.* Hinc PALLADIVS [*i*] narrat, ex monachis eius in *Tabenneſo* alios comedere hora ſexta, alios ſeptima, alios octaua, alios nona, alios decima, alios ſero veſpere; alios poſt biduum, alios poſt triduum, alios poſt quatriduum, alios poſt quinque dies; ſingulos autem ſic agere libere non coacte.

## §. XVII.

### Tertio, *Extraordinariæ ſacrorum frequentationes.*

IPSORVM ieiunia extraordinariis & crebris cultus diuini repetitionibus iuncta erant. Monachi *Palæſtinæ* ſex vel ſeptem canonicas horas precationibus dabant: Ita etiam, qui in *Meſopotamia* aliisque Orientis partibus commorabantur. Fiebant hæ precationes matutinæ prima diei hora, deinde tertia, inde ſexta, poſt hæc nona, ad extremum vndecima, quæ CASSIA-

(*f*) Caſſian. lib. V. c. XLI.

(*g*) Auguſtin. de morib. eccleſ. cathol. c. XXXIII. (tom. I. p. 772. d.)

(*h*) Pachom reg. apud Pallad. hiſtor. Lauſiac c. XXXVIII. *Συγχωρήσεις ἑκάστῳ κατὰ τὴν δύναμιν φαγεῖν καὶ πιεῖν· καὶ πρὸς τὰς δυνάμεις τῶν ἐσθιόντων ἀνάλογα καὶ τὰ ἔργα αὐτῶν ἐγχείρησον, καὶ μήτε νηστεῦσαι κωλύσῃς μήτε φαγεῖν.*

(*i*) Pallad. ibid. c. XXXIX. *Εἰσὶν οἱ εἰσερχόμενοι ἄπονοι ἕκτην ὥραν, καὶ ἐσθίοντες. οἱ ἀσθενέστεροι εἰσέρχονται ὥραν ἑβδόμην, ἄλλοι ὀγδόην, ἄλλοι ἐννάτην, ἕτεροι δεκάτην, ἄλλοι ἑσπέρην βαθεῖαν· ἄλλοι διὰ δύο· ἕτεροι διὰ τριῶν· ἄλλοι διὰ πέντε.*

NO-

NO [k] *hora lucernalis* dicitur. Præterea ſuæ ipſis erant conſtantes vigiliæ, ſiue nocturnæ congregationes, quas integro libro de *inſtitutis renuntiantium* [l], vt vocat, ſpeciatim recenſet CASSIANVS. Dicit autem, monachos *Aegyptios* his omnibus horis canonicis non fuiſſe adſtrictos, ſed bis tantum per diem publicam ſolemnitatem apud ipſos obtinuiſſe, hoc eſt, in nocturnis congregationibus, quæ fuit oratio matutina; & hora nona, quæ fuit oratio veſpertina; ſed hoc non obſtante totum diem religioſe ab ipſis transactum fuiſſe, adfirmat. Nam in priuatis ſuis cellulis [ll], dum operi manuum vacarint, pſalmos & ceteras ſcripturarum partes repetiiſſe, preces & orationes labori per ſingula momenta miſcentes. Quod ipſum CASSIANVS, tamquam liberum & voluntarium munus, tot canonicarum horarum obſeruationi non dubitat anteponere. Nonnulli conſtantem & perpetuum ſacrorum curſum ſine vlla intermiſſione obſeruarunt, quemadmodum ſupra de monachis *Conſtantinopolitanis* [m], & *Lexouienſibus* [n], a *Columbano* inſtitutis, adnotauimus, qui in diuerſas claſſes ſe diuiſerunt, vt continuis ſtationibus alii alios exciperent atque ſubleuarent. Et CASSIANVS primos *Ae-*

(k) Caſſian. lib. III. c. III. In his horis etiam ille euangelicus pater familias operarios conduxit in vineam ſuam. Ita enim ille primo mane conduxiſſe deſcribitur: quod tempus deſignat matutinam noſtram ſolemnitatem: deinde tertia, inde ſexta, poſt hæc nona, ad extremum vndecima, in qua *lucernalis hora* ſignatur.

(l) Caſſian. inſtitut. lib. II. de canonico nocturnarum orationum & pſalmorum modo.

(ll) Caſſian. inſtitut. lib. III. c. II. Apud illos hæc officia, quæ domino ſoluere per diſtinctiones horarum & temporis interualla cum admonitione compulſoris adigimur, per totum diei ſpatium iugiter cum operis adiectione ſpontanea celebrantur. Ita namque ab eis inceſſanter operatio manuum priuatim per cellulas exercetur, vt pſalmorum quoque vel ceterarum ſcripturarum meditatio numquam penitus omittatur. Cui preces & orationes per ſingula miſcentes, in his officiis, quæ nos ſtatuto tempore celebramus, totum diei tempus abſumunt. Quamobrem exceptis veſpertinis horis ac nocturnis congregationibus nulla apud eos per diem publica ſolemnitas abſque die ſabbathi vel dominica celebratur, in quibus hora tertia ſacræ communionis obtentu conueniunt. Plus enim eſt id, quod inceſſanter offertur, quam quod per temporis interualla perſoluitur, & gratius voluntarium munus, quam functiones, quæ canonica compulſione redduntur.

(m) Cap. II. §. X. pag. 31.

(n) Cap. II. §. XIII. pag. 36.

*gypti* monachos [*nn*] perpetuas vigilias celebrare consueuisse perhibet, vt contra dæmonum nocturnas incursiones se tuerentur. Non ausos enim omnes pariter obdormire, sed aliis dormientibus alios vigilantes psalmis & orationibus & lectionibus inhæsisse. Vnde inferre nobis licuerit, quod licet tunc temporis non omnes monachi horas canonicas accurate obseruauerint, in religiosi tamen cultus exercitiis non minus constantes fuerint, quam qui istud fecerint: et quando preces laboribus suis intermiscuerunt, vel per vices sacra obierunt, hoc ipsum perinde ac tot horarum canonicarum frequentatio valuerit, vel potius eam excesserit. HIERONYMVS etiam videtur dicere [*o*], quod monachi *Aegyptii* singulis diebus post orationem vespertinam sermonem apud abbatem suum habuerint. In hunc enim modum religiosas ipsorum congregationes describit: *Post horam nonam in commune concurritur, psalmi resonant, scripturæ resonant ex more, & completis orationibus, cunctisque residentibus, medius, quem patrem vocant, incipit disputare: quo loquente tantum silentium fit, vt nemo alium respicere, nemo audeat exscreare. Dicentis laus in fletu est audientium. Tacite voluuntur per ora lacrymæ, & ne in singultus quidem erumpit dolor. Quum vero de regno Christi & de futura beatitudine & de gloria cœperit adnuntiare ventura, videas cunctos moderato suspirio, & oculis ad cœlum leuatis, intra se dicere: Quis dabit mihi pennas, sicut columbæ, & volabo & requiescam.* Hoc continuum cultus publici eorum per singulos dies exercitium erat. Priuatum suum otium & vacationem a laboribus itidem lectioni & orationi impendebant; quotidie enim aliquid de scripturis discebant, maxime autem diebus dominicis meditationi vacabant, vt HIERONYMVS [*p*] loco ante memorato de ipsis obseruat: adeo vt eorum multi tam periti sacrarum litterarum & tantopere in illis versati essent, vt memoriter exponere eas possent. Id quod speciatim

(*nn*) Cassian. collat. VII. c. XXIII. Ita dæmonum atrocitas grassabatur, & frequentes ac visibiles sentiebantur aggressus, vt non auderent omnes pariter noctibus obdormire, sed vicissim aliis degustantibus somnum, alii vigilias celebrantes psalmis & orationibus seu lectionibus inhærebant.

(*o*) Hieron. epist. XXII. ad Eustoch. c. XV. (tom. I. p. 95 e.)

(*p*) ibid. g. Dominicis diebus orationi tantum & cantionibus vacant: quod quidem & omni tempore completis opusculis faciunt. Quotidie aliquid de scripturis discitur.

de

de *Hilarione* SOZOMENVS & HIERONYMVS [q], & de *Ammonio*, *Marco iuniore*, *Erone*, *Serapione*, *Solomone*, & aliis quibusdam PALLADIVS [r], obſeruarunt. Atque hoc modo mentes ſuas ſpiritualibus exercitiis, in ipſo manuum opere pſalmos *Dauidicos* cantando aliasque ſcripturæ partes recitando, ædificare adſueti erant. Quam agendi rationem cum maxima laude PALLADIVS [s], CASSIANVS [t] & HIERONYMVS crebrius memorant, quo-

(q) Sozom. lib. III. c. XIV. *ἐπίβολος ἀκριβὴς τῶν ἱερῶν γραφῶν*, ſacrarum litterarum diligens perſcrutator.
Hieron. vita Hilar. c. VII. (tom. I. p. 157. h.) Scripturas ſanctas memoriter tenens, poſt orationes & pſalmos, quaſi Deo præſente, recitabat.

(r) Pallad. hiſtor. Lauſiac. c. XII. de vita Ammonii: *Παλαιὰν καὶ καινὴν γραφὴν ἀπεςήθισεν.* Vetus & nouum teſtamentum dicebat memoriter.
Cap. XXI. de vit. abbatis Marci: *Μακάριος οὗτος νεώτερος ὢν παλαιὰν καὶ καινὴν γραφὴν ἀπεςήθισεν*, Quum eſſet hic Marcus iunior, dicebat memoriter vetus & nouum teſtamentum.
Id. c. XXXII. de vita Eronis: *Ἐκεῖνος δὲ μηδ' ὅλως γευσάμενος πεζὸς βαδίζων ἀπεςήθισεν ψαλμοὺς δεκαπέντε, ἔπειτα τὸν μέγαν, εἶτα τὴν πρὸς Ἑβραίους ἐπιςολὴν, εἶτα Ἡσαΐαν καὶ μέρος Ἱερεμίου τῶν προφητῶν, εἶτα Λουκᾶν τὸν Εὐαγγελιςὴν, ἔπειτα τὰς παροιμίας.* Ille vero quum nihil guſtaſſet pedes ingrediens, pronuntiauit memoriter XV. pſalmos. Deinde magnum pſalmum: deinde epiſtolam ad Hebræos: Deinde Ieſaiam & partem propheticorum Hieremiæ. Deinde Lucam euangeliſtam. Deinde prouerbia.
Cap. LXXXIII. de vita Serapionis. *Εὐγράμματος δὲ ὢν ἀπεςήθισεν πάσας τὰς θείας γραφάς.* Quum eſſet peritiſſimus litterarum memoriter dicebat omnes ſcripturas.
Cap. XCVI. de vita abbatis Salomonis. *Ὃς ἔλεγεν ἔχειν πεντηκοςὸν ἔτος ἐν τῷ σπηλαίῳ ἐπαρκέσας ἑαυτῷ ἐκ τῶν ἔργων τῶν χειρῶν, καὶ ἐκμαθὼν πᾶσαν ἁγίαν γραφήν.* Is quinquaginta annos degit in ſpelunca, ſibi victum ſuppeditans opere manuum: & *didicit totam ſacram ſcripturam.*

(s) Pallad. hiſtor. Lauſiac. c. XXXIX. *Ὁ μὲν ἐργάζεται γῆν γεωργῶν, ἄλλος κῆπον, ἄλλος χαλκεῖον, ἄλλος ἀρτοκοπεῖον, ἄλλος τεκτονεῖον, ἄλλος γναφεῖον, ἄλλος βυρσεῖον, ἄλλος πλέκων σπυρίδας τὰς μεγάλας, ἄλλος τὰ λεγόμενα μαλάκια, τὰ σπυρίδια τὰ μικρά· ἀποςηθίζουσι δὲ πάσας τὰς γραφάς.* Alius quidem laborat in agro colendo, alius in horto, alius in æris officina, alius in piſtrino, alius in fabricando, alius in arte fullonia, alius in parandis coriis, alius contexebat magnas ſportas, alius caniſtros & ſportulas. Memoriter autem omnes expromunt ſcripturas.

(t) Caſſian. inſtitut. lib. XI. c. XV. Memini cuiusdam ſenis, cum in eremo Scythi commorarer. Qui quum ad cellam cuiusdam fratris gratia viſitationis adueniens oſtio approximaſſet, audiſſetque eum obmurmurantem intrinſecus, paullulum ſubſtitit, cognoſcere volens, quidnam de ſcripturis legeret, vel ſicut eſt moris, operans memoriter recenſeret. Quumque piiſſimus explorator aure diligen-

 rum

rum hic poſtremus hoc intuitu quietum ſeceſſum in parua *CHRISTI* villa *Bethlehemo* ambitioni, potentiæ ac magnitudini *Romæ* anteponit, in qua vſitatum eſſe dicit, videri & videre, ſalutari & ſalutare, laudare & detrahere, ſed hæc omnia a propoſito monachorum & a quiete aliena eſſe pronuntiat. *Bethlehemi* [*u*] autem extra pſalmos ſilentium eſſe: quocunque ſe quis vertat, aratorem ſtiuam tenentem Alleluia decantare, ſudantem meſſorem pſalmis ſe auocare, & curua attondentem falce vinitorem aliquid *Dauidicum* canere, adfirmat. Ita veteres monachi corporale ac ſpirituale ſuum exercitium iungentes id agebant, vt communes ſui labores actus pii in Deum cultus fierent. Tempora cœnæ & refectioni conſtituta in eumdem modum ab illis tranſigebantur. In quibusdam locis ſcripturas in conuiuiis recitabant, quæ conſuetudo, CASSIANO teſte, primum in *Cappadociæ* cœnobia [*w*], ſuperfluas otioſasque confabulationes compeſcendi gratia, introducta fuit. Apud *Aegyptios* autem hoc remedio opus haud erat, illi enim panem ſuum cum ſilentio edere erant edocti. *Nullus in cibo ſtrepitus eſt*, inquit HIERONYMVS [*x*], *nemo comedens loquitur. Dehinc conſurgunt pariter, & hymno dicto ad præſepia redeunt.* CHRYSOSTOMVS [*y*] etiam huius rei iniicit mentionem, eamque hominibus ſæcularibus imitandam commendat; recitans hymnum, quo vſi ſint his verbis contentum: „Benedictus Deus, qui me paſcis a iuuentute mea, „qui omni carni cibum præbes, reple lætitia & gaudio corda,

ter adplicita curioſius auſcultaret, ita eum reperit huius ſpiritus (κενοδοξίας) impugnatione pellectum, vt in eccleſia facere ſe crederet exhortatorium plebi ſermonem. cetera.

(*u*) Hieron. epiſt. XVIII. ad Marcell. (p. 84. g. edit. Francof.)

(*w*) Caſſian. inſtitut. lib. IV. c. XVII. Illud, vt reficientibus fratribus ſacræ lectiones recitentur: non de typo Aegyptiorum proceſſiſſe, ſed de Cappadocum nouerimus. Quos nullum dubium eſt, non tam ſpiritualis exercitationis cauſſa, quam compeſcendæ ſuperfluæ otioſæque confabulationis gratia & maxime contentionum, quæ plerumque ſolent in conuiuiis generari, hoc ſtatuere voluiſſe, videntes, eos aliter apud ſe non poſſe cohiberi. Apud Aegyptios enim vel maxime Tabenneſiotas tantum ſilentium ab omnibus exhibetur, vt quum in vnum tanta numeroſitas fratrum refectionis obtentu conſederit, nullus nec mutire quidem audeat; præter eum, qui ſuæ decaniæ præeſt.

(*x*) Hieron. epiſt. XXII. ad Euſtoch. c. XV. (p. 95. f. edit. cit.)

(*y*) Chryſoſtom. hom. LVI. in Matth. (p. 606. c. edit. Francof.) Εὐλογητὸς ὁ Θεὸς ὁ τρέφων με ἐκ νεότητός μου, ὁ διδοὺς τροφὴν πάσῃ σαρκὶ, πλήρωσον χαρᾶς καὶ εὐ-

„Vt

„vt ſemper ſatis habentes ad omne bonum opus abundemus, in „*CHRISTO IESV* domino noſtro, cum quo tibi gloria, honor & „imperium cum ſancto ſpiritu in ſæcula, amen. Gloria tibi, „domine, gloria tibi ſancte, gloria tibi rex: quoniam dediſti „nobis eſcas: gaudio & lætitia reple nos in ſpiritu ſancto, vt in„veniamur in conſpectu tuo acceptabiles: nec pudefiamus, „quando vnicuique reddes ſecundum opera ſua.„ In hunc modum ordinariæ refectiones, hoc eſt, cœnæ ipſorum, (prandia enim eos non habuiſſe dicit) verbo Dei & precibus ſanctificabantur. Et ad declarandam animi ſui ſubmiſſionem, omnemque contentionem de ordinis prærogatiua atque excellentia evitandam, ad menſam, ſuum quisque ordinem ſequens hebdomadalem, ſibi viciſſim miniſtrabant. Vnde CASSIANO [z] & HIERONYMO [a] *hebdomadarii*, ab hebdomadario ipſorum miniſterio, dicuntur. Die dominica diuini cultus exercitiis tanto magis intenti erant, eam integram lectionibus & precationibus transmittentes. Nullum enim negotium aliud, teſte *Hieronymo* [b], inter illos iſthac die permiſſum erat. Tunc vnusquisque ſanctiſſimum euchariſtiæ ſacramentum ſumebat, niſi cuidam cenſuræ ſubeſſet ab illiusque vſu arceretur. Neque vero diebus tantum dominicis, ſed quolibet etiam ſabbatho, ad ſacram ſynaxin accedere, *Aegyptiis* aliisque Orientis monachis vſitatum erat. Primo enim & poſtremo hebdomadis die PACHOMIVS, monachorum *Aegyptiorum* pater, ſacrorum myſteriorum communionem celebrari iuſſerat, vt ex regula eius, apud SOZOME-

---

*φροσύνης τὰς καρδίας ἡμῶν, ἵνα πάντοτε πᾶσαν αὐτάρκειαν ἔχοντες περισσεύωμεν εἰς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ κυρίῳ ἡμῶν, μεθ᾽ οὗ σοὶ δόξα, τιμὴ, κράτος σὺν ἁγίῳ πνεύματι εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμήν· δόξα σοι κύριε, δόξα σοι ἅγιε, δόξα σοι βασιλεῦ, ὅτι ἔδωκας ἡμῖν βρώματα εἰς εὐφροσύνην· πλῆσον ἡμᾶς πνεύματος ἁγίου, ἵνα εὑρεθῶμεν ἐνώπιόν σου εὐαρεστοῦντες, καὶ μὴ αἰσχυνόμενοι, ὅτε ἀποδίδως ἑκάστῳ κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ.*

(z) Caſſian inſtitut. lib. IV. c. XIX. Per Meſopotamiam, Palæſtinam & Cappadociam ac totum orientem, ſingulis hebdomadibus viciſſim fratres ad hæc officia ſibi reddenda ſuccedunt, ita vt ſecundum cœnobii multitudinem miniſtrorum quoque numerus deputetur.

(a) Hieron. prolog. ad reg. Pachom. It. epiſt. XXII. ad Euſtoch. c. XV. (p. 95. e.) Poſthæc concilium ſoluitur & vnaquæque decuria cum ſuo parente pergit ad menſam, quibus per ſingulas hebdomadas viciſſim miniſtrant.

(b) Hieronym. ibid. Dominicis diebus orationi tantum & lectionibus vacant.

NVM [c] & PALLADIVM videre eſt. Et CASSIANVS [d] hac de re, tamquam conſtanti ipſorum conſuetudine, ſæpe loquitur. Nonnulli adhuc maiorem adhibentes accurationem nullum diem ſine euchariſtiæ vſu prætermittebant. Monachos *Aegyptios*, quos *Apollo* gubernabat, hanc regulam ſequutos eſſe, PALLADIVS [e] auctor eſt. *Apollo* enim diſcipulis ſuis hoc inculcare ſolebat, quod oporteret, ſi fieri poſſet, monachos quotidie ſacra euchariſtia vti, adeoque ipſe pariter & fratres quotidie hora nona vel tertia pomeridiana, quod ſolemnis congregationis tempus erat, antequam ad alimentum accipiendum coirent, hoc epulo euchariſtico vtebantur. PALLADIVS [f] adhuc vnum exemplum deuotionis ipſorum memorat, quæ certa tantum occaſione fieri ſolita ſit, nimirum pſalmodia in fratris alicuius receptione. Hæc enim prima eos accipiendi & tractandi videtur fuiſſe ratio, vt inter pſalmorum concentum ad habitaculum ſuum ipſum deducerent, quæ res nullam ſimilitudinis adfinitatem cum recentioris æui *proceſſionibus*, vt vocantur, habet, ſed ad imitationem ingreſſus & acceptionis ſeruatoris noſtri in vrbem *Hieroſolymorum* videtur facta.

---

(c) Sozom. lib. III. c. XIV. τῇ δὲ πρώτῃ καὶ τελευταίᾳ ἡμέρᾳ τῆς ἑβδομάδος, ἐπὶ κοινωνίᾳ τῶν θείων μυστηρίων, τῷ θυσιαστηρίῳ προσιόντας τὰς ζώνας λύειν, καὶ τὰς διφθέρας ἀποτίθεσθαι. Vt primo ac poſtremo hebdomadis die ad altare accedentes ad ſacrorum miniſteriorum communionem zonas ſoluerent pellesque deponerent. Pallad. hiſtor. Lauſiac. c. XXXVIII. Εἰσιόντες εἰς τὴν κοινωνίαν τῶν μυστηρίων τοῦ Χριστοῦ κατὰ σάββατον καὶ κυριακὴν τὰς ζώνας λυέτωσαν, Ingredientes ad Chriſti communionem ſabbatho & dominica zonas ſoluant.

(d) Caſſian. collat. XIIX c. XV. Quum duobus fermе hebdomadibus ita ſe omni contentione carnis ac ſpiritus ſubieciſſet, vt *die ſabbathi vel dominico*, non *ad percipiendam communionem ſacram*, ſed ad proſternendum ſe in limine eccleſiæ atque ad veniam ſimpliciter poſtulandam matutinus accurreret, cetera. Collat. XXIII. c. XXI. Nec tamen ex eo debemus nos a *dominica communione* ſuſpendere, quia nos agnoſcimus peccatores, ſed ad eam magis ac magis eſt propter animæ medicinam & purificationem ſpiritus auide feſtinandum.

(e) Pallad. hiſtor. Lauſiac. c. LII. p. 985. a. Ὅτι δεῖ εἰ δυνατὸν τοὺς μοναχοὺς καθ᾽ ἑκάστην ἡμέραν τῶν μυστηρίων κοινωνεῖν.

(f) Ibid. p. 984. a. Ἰδοὺ ἥκασιν οἱ ἀδελφοὶ, περὶ ὧν ὁ πατὴρ πρὸ τριῶν ἡμερῶν προείρηκεν ἡμῖν, ὅτι μετὰ τρεῖς ἡμέρας ἥξουσι πρὸς ἡμᾶς τρεῖς ἀδελφοὶ ἀπὸ Ἱεροσολύμων ἐρχόμενοι· καὶ οἱ μὲν προῆγον ἡμᾶς, οἱ δὲ ἠκολούθουν ὄπισθεν ἡμῶν ψάλλοντες, ἄχρις οὗ πλησίον αὐτῶν ἐφθάσαμεν. Ecce venerunt fratres, de quibus pater noſter dixit tribus ante diebus, dicendo: Poſt tres dies venient ad nos tres fratres venientes Hieroſolymis. Et *alii* quidem *nos deducebant: alii vero nos retro ſequebantur*, *pſallentes* donec prope ipſum venimus.

## §. XVIII.

### *De legibus, monachos ab officiis tam ecclesiasticis quam ciuilibus excludentibus.*

Haec erant ſpiritualia priſcorum monachorum exercitia, quorum vita vita pœnitentiæ, ieiunii, & deuotionis erat, quæ cum continuo manuum opere coniuncta ipſos virtuti & honeſtati nullo non tempore deditos exhibebat. Neque eorum leges ipſis permittebant, vt tamquam mendicantes oberrarent, vel ciuilibus aut eccleſiaſticis officiis, ſiue negotiis publicis, ad eccleſiam vel rem publicam ſpectantibus, ipſi ſe immiſcerent. Tres canones in concilio *Chalcedonenſi* in hanc ſententiam leguntur. Vnus eorum [g] ſine diſcrimine tam clericos, quam monachos vel poſſeſſiones conducere, vel ſæcularibus poſſeſſionum adminiſtrationibus ſe ipſos ingerere vetat: niſi vtique ex lege ad inexcuſabilem impuberum tutelam vocentur. Alius [h] monachos ſpeciatim iubet quietem amplecti, & ſoli ieiunio & orationi vacare, in quibus ordinati ſint locis perſeuerantes, nec eccleſiaſticis, nec ſæcularibus negotiis ſe ingerere, propria relinquentes monaſteria, niſi quandoque a ciuitatis epiſcopo eis permiſſum fuerit. Et tertius quidam canon [i] tam monachos, quam clericos ad militarem quamdam expeditionem vel ſæcularem dignitatem venire, prohibet, ſacrorum interdictionem illis denuntians, qui hoc audeant, & non pœnitentia ducti ad id reuertantur, quod propter Deum prius elegerint. Vt adeo monachi tunc temporis ab officiis ſæcularibus penitus excluſi fuiſſe intelligantur. Et quamuis nonnulli ad munera eccleſia-

(g) Conc. Chalced. c. III. (tom. IV. concil. p. 755.) ὥρισεν ἡ ἁγία σύνοδος, μηδένα τοῦ λοιποῦ, μὴ ἐπίσκοπον, μὴ κληρικὸν, μὴ μονάζοντα, ἢ μισθοῦσθαι κτήματα, ἢ πράγματα, ἢ ἐπεισάγειν ἑαυτὸν κοσμικαῖς διοικήσεσι. πλὴν εἰ μή που ἐκ νόμων καλοῖτο εἰς ἀφηλίκων ἀπαραίτητον ἐπιτροπήν.

(h) Conc. Chalced. c. IV. τοὺς δὲ καθ' ἑκάστην πόλιν καὶ χώραν μονάζοντας ὑποτετάχθαι τῷ ἐπισκόπῳ, καὶ τὴν ἡσυχίαν ἀσπάζεσθαι, καὶ προσέχειν μόνῃ τῇ νηστείᾳ καὶ τῇ προσευχῇ, ἐν οἷς τόποις ἀπετάξαντο προσκαρτεροῦντας μήτε δὲ ἐκκλησιαστικοῖς, μήτε βιωτικοῖς παρενοχλεῖν πράγμασιν, ἢ ἐπικοινωνεῖν, καταλιμπάνοντας τὰ ἴδια μοναστήρια εἰ μή ποτε ἄρα ἐπιτραπεῖεν διὰ χρείαν ἀναγκαίαν ὑπὸ τοῦ τῆς πόλεως ἐπισκόπου.

(i) Ibid. c. VII. Τοὺς ἅπαξ ἐν κλήρῳ κατειλεγμένους, ἢ καὶ μονάσαντας ὡρίσαμεν, μήτε ἐπὶ στρατείαν, μήτε ἐπὶ ἀξίαν κοσμικὴν ἔρχεσθαι· ἢ τοῦτο τολμῶντας, καὶ μὴ μεταμελομένους, ὥστε ἐπιστρέψαι ἐπὶ τοῦτο, ὃ διὰ Θεὸν πρότερον εἵλοντο, ἀναθεματίζεσθαι.

ſtica vocarentur, monaſterium tamen ſuum tunc relinquere, & ad vitam clericalem ſeſe conferre debebant. ex priſtina viuendi ratione id tantum retinentes, quod cum neceſſariis ſacræ functionis officiis conſiſtere poterat. Qua de re præcedente capite diximus [ii] ſpeciatim. Monachos autem in monaſteriis ſuis perſeuerasse, & eo ipſo tempore officia eccleſiaſtica ad ipſorum monaſteria non ſpectantia in ſe recepiſſe, vix vllo exemplo ex antiqua hiſtoria probari poterit. *Pelagius* papa, vt a GRATIANO [k] citatur, monachum defenſorem eſſe, vtut hoc leue tantum officium eſſet in eccleſia, nolebat permittere; quod vitæ monaſticæ repugnet, quæ quieti, precibus & manuum operibus impendi debeat: quum contra officium defenſoris in cognoſcendis cauſſis, aliisque actibus publicis & litigioſis, verſetur, quæ res ſimul conſiſtere nequeant. Antequam igitur monachus aliquis monaſterio ſuo valedixiſſet, ad nullum eiusmodi officium in eccleſia erat prouehendus.

## §. XIX.

*Nulli monachi antiquitus in officia vel iura clericorum ſæcularium inuolarunt.*

MVLTO minus in officia vel iura ac priuilegia clericorum ſæcularium inuolare permiſſum ipſis fuit. Non enim in antiqua hiſtoria huiusmodi querelas inuenimus, quemadmodum in poſterioribus ſæculis nimis frequentes occurrunt. Quum enim plerique monachi mere laici eſſent, & alia vitæ ſubſidia omnia & reditus, qui non ex manuum ſuarum opere (quemadmodum ſupra fuſius demonſtrauimus) prodibant, repudiarent, negotiis & officiis clericorum ſe ingerendi, vel ex eorum reditibus alimenta ſibi captandi, cupidine tentari non poterant. Et quod ad eos attinet, qui presbyteri vel diaconi conſecrati erant, illi vel ſoli monaſterio ſuo officia ſua addicere debebant, vel alioquin ex monaſteriis ab epiſcopis adſciti erant, adeoque ſæcularibus eccleſiæ clericis adnumerabantur. VALESIVS quidem aliter rem ſe habere, libenter nobis perſuaderet. Nam ſæculo

(ii) Cap. II. §. VIII. pag. 23 ſeqq.

(k) Gratian. cauſſ. XVI. quæſt. I. c. XX. Omnimoda eſt illius habitus & iſtius officii diuerſitas. Hic enim quies, oratio, labor manuum: at heic cauſſarum cognitio, conuentiones, actus, publica litigia, cetera.

quarto

quarto extremo monachos in ecclesia clericorum munera obiisse [l] dicit, & hoc probaturus exempla *Eusebii Vercellensis* & ecclesiæ *Augustini* adlegat; quæ supra [ll] considerauimus ostendimusque, ea nihil probare amplius, quam quod quidam episcopi ipsorumque clerici rationem viuendi in commune, ad vitæ monasticæ imitationem, inierint: quæ res pro monachis in monasteriis, se ipsos in beneficia curialia intrudentibus, nihil valet. Vnicum exemplum, quod huc quodammodo facere videtur, illud est, quod de ecclesia, quam *Ruffinus* vir consularis, *Arcadio* imperante, ad *Quercum* locum suburbanum *Chalcedonis* construxit, narrat SOZOMENVS [m], quod, posteaquam ecclesiam suam ibi ædificasset, monachos iuxta eam collocarit, qui clericorum in ecclesia munus explerent. Sed hoc ipso nihil amplius dicere videtur, quam quod, deficientibus in ista ecclesia clericis, ex hoc vicino monasterio alii in eorum locum surrogari debuerint, quæ quidem res in ecclesia haud inusitata fuit. Quod vero monachi in monasterio quodam degentes in aliis ecclesiis, præter eam, quæ ad suum ipsorum monasterium spectavit, diuina officia debuerint peragere, id quidem antiquis regulis & praxi consentaneum non est. Et propterea nullum eiusmodi exemplum deprehendimus, neque adeo de decimis, quas monachi receperint, nisi in vsum pauperum id factum fuerit; cuius rei exemplum aliquod in CASSIANO [n] occurrit, præterea

(l) Vales. not in Sozom. lib. VIII. c. XVII. Nemo vt nouum mirari debet, quod monachi in ecclesia clericorum munus obiisse dicuntur. Id enim eo tempore vsitatum fuit, vt ex Ambrosio discimus in laudatione Eusebii Vercellensis episcopi, & ex Possidio in vita beati Augustini, vbi dicit, eum monachos intra ecclesiam instituisse.

(ll) Vid. cap. II. §. VIII. num. III pag. 29.

(m) Sozom. lib. VIII. c. XVII - ἧκεν εἰς δρῦν· χαλκηδόνος δὲ προάστειον, Ῥουφίνου τοῦ ὑπατικοῦ νῦν ἐπώνυμον, ἐν ᾧ βασίλειά ἐστι, καὶ μεγάλη ἐκκλησία, ἣν αὐτὸς Ῥουφῖνος ἐπὶ τιμῇ Πέτρου καὶ Παύλου τῶν ἀποστόλων ἐδείματο, καὶ ἀποστολεῖον ἐξ αὐτῶν ὠνόμασε· πλησίον δὲ μοναχοὺς συνῴκησεν (συνῴκισεν) οἳ τῆς ἐκκλησίας τὸν κλῆρον ἐπλήρουν. - - ad Quercum perrexit. Id suburbanum est Chalcedonis, quod nunc ex Rufini viri consularis nomine appellatur: in quo palatium, est & ecclesia maxima, quam Rufinus ipse in honorem apostolorum Petri ac Pauli construxerat, & apostoleum ob id cognominarat. *Monachos quoque iuxta eam collocauit, qui clericorum in ea ecclesia munus explerent.*

(n) Cassian. collat. XXI. c. II. Delector, o filii, pia vestrorum munerum largitione &

nullum aliud me obseruare memini. Ipsorum ratio viuendi ex proprio labore non sinebat eos de re quapiam ab aliis accipienda esse sollicitos, vnde eorum nonnulli ab ipsis adeo parentibus suis alimentum accipere recusabant, vt de *Antonio* CASSIANVS [o] memoriæ prodidit, ne ex re quapiam, quæ opere manuum suarum effecta partaque non esset, viuere viderentur.

§. XX.

*Neque initio in ciuitatibus degendi veniam habuere, sed ad solitudinem fuerunt adstricti.*

Præterea autem alia tum suppetebat ratio, quare monachi munere quodam parochiali defungi ordinarie non possent, licet alioquin ornamentis ad illud necessariis essent præditi. Ex primæ enim institutionis ipsorum legibus, in omnibus orientis partibus domicilium suum non in ciuitatibus vel publici congressus locis, sed in desertis & priuatis secessibus habere tenebantur, vbi a turba mundi separati vitam in quiete ac solitudine, vt nomen eorum indicare videbatur, possent agere. Vnde HIERONYMVS ad *Rusticum* monachum scribens in illos inuehitur, qui in ciuitatibus [p] viuere gestiebant. *Quid desideramus*, inquit, *vrbium frequentiam, qui de singularitate censemur?* Et *Paulinum* instituens ait: *Si cupis esse, quod diceris, id est, solus:* [q] *quid facis in vrbibus, quæ vtique non sunt solorum habitacula, sed multorum?* Et cum hic ipse HIERONYMVS tum SOZOMENVS [r] de *Antonio* obseruant, quod dicere solitus sit, *pisces quidem aqua nutriri, monachis vero ornamento esse solitudinem: & quemadmodum illi, simulatque terram attigerint, vitam amittant, sic ipsos, quum ad vrbes accedant, mo-*

deuotionem huius oblationis, cuius dispensatio mihi credita est, gratanter amplector, quia fideliter *primitias vestras ac decimas indigentium vsibus profuturas* velut sacrificium domino bonæ suauitatis offertis, cetera

(o) Cassian. collat. XXIV. c. XII. Qui, inquit apostolus, non operatur, nec manducet. Hac beatus Antonius aduersus quendam visus verbis, etiam nos magisterii sui informauit exemplo, vt parentum perniciosissima blandimenta & omnium, qui victus necessariam subministrant agapen, insuper omnem habitationis gratiam deuitemus, cetera.

(p) Hieron. ep. IV. ad Rustic. (p. 29. d. ed. Francof.)

(q) Hier. ep XIII. ad Paulin. (p. 67. c)

(r) Sozom. lib. I. c. XIII. Τοὺς μὲν ἰχθύας ἔλεγε τὴν ὑγρὰν οὐσίαν τρέφειν· μοναχοῖς δὲ κόσμον φέρειν τὴν ἔρημον· ὥσπερ τε τοὺς μὲν ξηρᾶς ἁπτομένους τὸ ζῆν ἀπολιμπάνειν, τοὺς δὲ τὴν μοναστικὴν σεμνότητα ἀπολλύειν τοῖς ἄστεσι προσιόντας.

*nasti-*

*nasticam grauitatem perdere.* Ex quibus manifestum est, vitam monasticam initio eo spectasse, vt homines a ciuitatum & publicorum locorum celebritate excluderet. Vnde in vtroque codice leges in hanc sententiam rogatæ inueniuntur. THEODOSII lex hac de re ita habet: *Quicunque sub professione monachi* [s] *recipiuntur, deserta loca & vastas solitudines sequi atque habitare iubeantur.* BARONIVS ex errore hanc legem pœnæ loco habet [t] & tantum non persecutionem monachorum interpretatur. GOTHOFREDVS [u] autem & PAGIVS [w] ex meliore ratione errorem eius corrigunt & verius obseruant, tantum abesse, vt hæc lex pœna sit, vt solum ad primæ institutionis eorum regulas ipsos viuere iubeat. LEO & ANTHEMIVS [x] & post illos IVSTINIANVS

(s) Cod. Theod. lib. XVI. tit. III. de monachis leg. I.

(t) Baron. an. CCCXC. n XLVIII. *Quicunque sub professione*, cetera. Hac statuta lege cogitur improbus hæresiarcha (Iouinianus) ab vrbe recedere.

(u) Gothofred. com. in cod. Theod. lib. XVI. tit. III. leg. I. vid. seq. not. (w)

(w) Pagi critic. in Baron. an CCCXC. n. XI (p. 580. edit. Antuerp. MDCCV.) Lex I. codicis Theod. *de monachis*, lata non est occasione *Iouinianistarum*, qui e monasteriis eiecti in vrbibus tamen cum habitu monastico vagabantur. Nam præterquam quod, vt inquit Gothofredus in huius legis commentario, hæc lex ad orientem pertinet, (vbi Tatianus, cui ea inscribitur, præfectus prætorio erat) non agitur in ea de monasterio eiectis, verum de quibuscumque, *qui sub professione monachi reperiebantur*, id est, de omnibus, qui vitam monasticam profitebantur, interim tamen ciuitates frequentabant, vt ostendit lex secunda eiusdem codicis *de monachis*, qua post biennium memorata lex abrogatur. Quare hac lege *monachi* quicumque, non pœnæ loco ad deserta loca & solitudines conferre sese iubentur, vt credidit Baronius; verum pro vitæ suæ instituto eo redire. Denique pertinet hæc lex ad monachos, siue eremitas, cuiusmodi in Aegypti potissimum Syriæque solitudinibus, aliisue agebant, deserta loca & vastas solitudines sequentes. Qua de re plura Gothofredus in huius legis commentario.

(x) Cod. Iustin. lib. I. tit. III. de episc. leg. XXIX. Οἱ ἐν τοῖς μοναστηρίοις διατρίβοντες μὴ ἐχέτωσαν ἐξουσίαν ἐξιέναι τῶν μοναστηρίων, ἢ κἀν ἐν τῇ Ἀντιοχέων, ἢ κἀν ἐν ἑτέραις πόλεσιν ἀναστρέφεσθαι, ὑπεξαιρουμένων μόνων τῶν καλουμένων ἀποκρισαρίων, οἷς ἄδειαν παρέχομεν ἐξελθεῖν, διὰ μόνας ἀναγκαίας ἀποκρίσεις ἐξιέναι. Qui in monasteriis degunt, potestatem inde exeundi ne habento, vel in Antiochensi ciuitate, seu aliis quibuscumque ciuitatibus conuersandi: exceptis duntaxat apocrisariis, quibus licentiam damus volentibus, vt apocrisiorum solorum caussa exire possint.

It. nouell CXXIII c. XLII. Προνοεῖν τοὺς ὁσιωτάτους τῶν τόπων ἐπισκόπους, ἵνα μήτε μοναχοὶ μήτε μονάστριαι εἰς τὰς πόλεις περιέρχωνται· ἀλλ' εἴ τινα ἀναγκαίαν ἀπόκρισιν ἔχοιεν, διὰ τῶν ἰδίων ἀποκρισαρίων ταύτην πραττέτωσαν, ἐν τοῖς ἰδίοις αὐτοὶ μένοντες μοναστηρίοις. Prouidento (iubemus) sanctissimos locorum episcopos, vt neque monachi, neque monachæ circumeant ciuitates, sed si quod necessarium re-

leges in eamdem ſententiam tulerunt, monachos orientales in ciuitatibus conuerſari vetantes; ſi quod vero neceſſarium negotium haberent, per proprios *apocriſarios* ſiue *reſponſales*, hoc eſt, procuratores ſiue ſyndicos, quos monaſterio cuilibet in hunc finem habere licebat, id agere debebant, in ſuis monaſteriis manentes.

## §. XXI.

*Quasnam exceptiones hæc regula admiſerit.*

Non niſi in extraordinariis quibusdam caſibus hanc regulam migrandi ſibi ſumebant libertatem, ſi videlicet iuſta quædam neceſſitas requirebat, vt in publicum conſpectum prodirent. Exempli cauſſa, ſi religio periclitaretur, vel magna æſtuaret perſequutio, vel ſi magiſtratibus ſe interponendi & pro capitalium facinorum reis in ſpecialioribus caſibus deprecandi neceſſitas ipſis impoſita videretur. Ita de *Antonio* obſeruat HIERONYMVS [y], veniſſe eum in vrbem *Alexandriam*, ab *Athanaſio* ad dandum fidei catholicæ teſtimonium, *Arianamque* hæreſin confutandam euocatum. Similem obſeruationem THEODORETVS [z] habet de *Aphraate* & *Iuliano*, duobus monachis *Syris*, quod cellulis ſuis in ſolitudine relictis *Antiochiæ* vixerint, quum ipſorum præſentia ad ſuſtentandum doctrinam catholicam eamque profitentes, tempore perſequutionis *Arianæ* ſub *Valente*, neceſſaria fuerit. Et de *Aphraate* quidem hanc notatu dignam hiſtoriam refert, quod *Valens* aliquando ipſum, licet ſenecta ætate, concitato gradu properantem proſpiciens interrogarit, quo tanta feſtinatione contenderet? Cui ille reſponderit: „Pro tuo, „imperator, regno precaturus. Ad hæc imperator, domi potius manere debueras & ſecundum legem monaſticam intus pre„cari. Cui *Aphraates* regeſſerit; Recte admodum dicis, impera„tor, id ego facere debueram, idque hactenus facere non de-

ſponſum habuerint, per proprios reſponſarios hoc agant in ſuis manentes monaſteriis.

(y) Hieron. ep. XXXIII. ad Caſtruc. (tom. I. p. 133. c. edit. Francof.) Beatus Antonius, quum a ſancto Athanaſio Alexandriæ epiſcopo propter confutationem hæreticorum in vrbem Alexandriam eſſet accitus, cetera.

(z) Theod. lib. IV. c. XXVI. Τοῦτον [Ἀφραάτην] ἄνωθεν ἐκ τῆς βασιλείου στοᾶς διακύπτων ὁ βασιλεύς, εἶδε σισύραν τε ἀναβεβλημένον καὶ ἐς γῆρας βαθὺ συντόνως βαδίζοντα· καί τινος εἰρηκότος, ὡς Ἀφραάτης οὗτος, οὗ τὸ τῆς πόλεως ἐξήρτηται πλῆθος, ἔφη πρὸς αὐτόν· ποῖ σὺ βαδίζεις εἰπέ. ὁ δὲ σοφῶς ἅμα καὶ προσφόρως, ὑπὲρ

ſtiti,

„stici, quamdiu oues seruatoris nostri pace fruebantur. Nunc „vero quum in maximam perturbationem inciderint, & periculum graue immineat, ne a feris diripiantur, omnis via tentanda est, & pecus conseruandum. Dic enim, quæso, imperator, si puella essem intus in thalamo sedens & curam ædium gerens, ignemque ædibus immissum & paternam domum conflagrantem viderem, quid me tunc agere oporteret? Vtrum intus sedere, & domum conflagrantem negligere & exspectare, dum flamma in me irrueret? An potius relicto thalamo, hac & illac discurrere, aquam adferre, ignem exstinguere? Non dubito, quin hoc postremum dicturus sis: Id enim prudentis ac solertis puellæ est. Hoc ipsum est, imperator, quod nunc ago. Nam quum in patris nostri domum ignem inieceris, circumcursamus nos, eum restinguere conantes.„ Ita prudenter admodum & commode *Valenti* respondit *Aphraates* suamque in ciuitate commorationem tempore communis periculi defendit, quando ipse *Valens* eius occasionem dederat. Neque vero religionis tantum defendendæ caussa in publico comparebant, sed nonnumquam ideo etiam se prodire debere credebant, vt pro reis ad mortem damnatis apud imperatores & iudices

τῆς σῆς, ἔφη. προσευξάμενος βασιλείας· ἀλλ' οἴκοι σε μένειν χρὴ, ὁ βασιλεὺς ἔφη, καὶ ἔνδον κατὰ τὸ μοναδικὸν προσεύχεσθαι νόμον· ὁ δὲ θεῖος ἐκεῖνος ἀνὴρ, εὖ μάλα, ἔφη, λέγεις, ὦ βασιλεῦ· τοῦτό με δρᾷν ἔδει· καὶ τοῦτό δρῶν μέχρι καὶ νῦν διετέλεσα, ἕως εἰρήνης ἀπέλαυε τοῦ σωτῆρος τὰ πρόβατα. ἐπειδὴ δὲ πολὺν ὑπομεμένηκε θόρυβον, καὶ πολὺς ἐπικρέμαται κίνδυνος, μὴ θηριάλωτα γένηται, πάντα κινεῖν πόρον ἀνάγκη καὶ διασώζειν τὰ θρέμματα· εἰπὲ γάρ μοι, ἔφη, ὦ βασιλεῦ, εἰ κόρη τις ἐτύγχανον ὢν, ἔνδον ἐν τῷ θαλάμῳ καθημένη καὶ τῆς οἰκίας ἐπιμελουμένη, εἶτ' ἐθεασάμην ἐμπεσοῦσαν φλόγα, καὶ τὴν πατρῴαν οἰκίαν ἐμπιπραμένην, τί με ταύτην δρᾶσαι προσῆκεν, εἰπέ μοι· ἔνδον καθῆσθαι καὶ τὴν οἰκίαν ἐμπιπραμένην περιορᾷν, καὶ τῆς φλογὸς προσμένειν τὴν ἐμβολήν; ἢ τῷ θαλάμῳ χαίρειν εἰποῦσαν διαθεῖν ἄνω καὶ κάτω, καὶ ὑδροφορεῖν καὶ σβεννύναι τὴν φλόγα; δῆλον, ὅτι τοῦτο ἐρεῖς· τοῦτο γὰρ κόρης ἀγχίνου τε καὶ φρενήρους· τοῦτο δρῶν νῦν ὦ βασιλεῦ· σοῦ γὰρ εἰς τὴν πατρῴαν ἡμῶν οἰκίαν ἐμβαλόντος τὴν φλόγα, περιθέομεν κατασβέσαι ταύτην πειρώμενοι.

Ibid. c XXV! Καταλιπὼν τὴν ἔρημον, ἅπαν ἐκεῖνο περιῄει τὸ ἄστυ, διδάσκων ἅπαντας, ὡς τῆς ἀποστολικῆς διδασκαλίας κήρυξ ἐστὶν Ἀθανάσιος, καὶ ὡς ἀντίπαλοι τῆς ἀληθείας οἱ τῆς Ἀρείου συμμορίας· οὕτως ᾔδεσαν οἱ θεῖοι ἄνδρες ἐκεῖνοι, τὰ πρόσφορα ἑκάστῳ προσαρμόττειν καιρῷ, καὶ πηνίκα δὲ προτιμᾶν τὰς πόλεις τῆς ἐρημίας. Relicta solitudine totam illam vrbem obibat [illegible], cunctos admonens, apostolicæ doctrinæ præconem esse Athanasium; Arianos vero hostes esse veritatis. Adeo diuini illi viri, quod singulis temporibus congrueret, probe norant, & quando solitudinem amplecti, quando vrbes præferri solitudini oporteret,

depre-

deprecarentur. Quemadmodum SOZOMENVS [a] de *Antonio* obseruat, quod sæpius, qui iniuria quadam adfecti essent, suis ad illum querimoniis delatis, eum apud præsides & viros primores pro se deprecari compulerint, ipse autem hoc negotio confecto protinus ad solitudinem reuerterit. Exemplum adhuc magis memorabile lector in quadam CHRYSOSTOMI homilia [b] ad populum *Antiochenum* inuenire potest, in qua enarrat, quemadmodum ciuitas ab imminenti ruina, (quando in offensionem *Theodosii* propter statuarum imperialium subuersionem aliaque grauia patrata facinora incurrerat) deprecantibus vicinis monachis liberata fuerit, qui tabernaculis speluncisque suis derelictis vndique in ciuitatem, (ex qua reliqui philosophi metu perculsi profugerant) confluxerint, & deprecantes apud iudices reis veniam postularint; dicentes, statuas quidem deiectas rursum facile erigi & propriam recipere formam posse: Si autem Dei imagines occiderent, non posse eos rursum commissum reuocare, nec perditas resuscitare, & animas corporibus reddere: quod si deprecationi ipsorum aurem præbere nollent, se cum ipsis o-

(a) Sozom. lib. I c. XIII Παροδυρόμενοι αὐτῷ πολλοί, ἐβιάζοντο πρεσβεύειν ὑπὲρ αὐτῶν πρὸς τοὺς ἄρχοντας καὶ τοὺς ἐν τέλει. - - εἰ δὲ βιασθείς ποτε εἰς πόλιν ἦλθεν ἐπικουρῆσαι δεομένοις, διαθεὶς οὗ χάριν παρεγένετο, αὐτίκα ἐπὶ τὴν ἔρημον ἐπανῄει. Multi suas ad illum querimonias deferentes, eum apud præsides & primores viros pro se intercedere compellebant. - - Quod si quando vi compulsus in vrbem venisset ad opem poscentibus ferendam, confecto negotio, cuius caussa venerat, protinus ad solitudinem reuertebatur.

(b) Chrysost. hom XVII. ad popul Antioch p 215. (p. 192. d. edit Francof.) Ἔτεσι τοσούτοις ἐν ταῖς αὐτῶν καλύβαις συγκεκλεισμένοι, οὐδενὸς παρακαλέσαντος, οὐδενὸς συμβουλεύσαντος, ἐπειδὴ τοσοῦτον νέφος εἶδον τὴν πόλιν περιστάμενον, καταλιπόντες αὐτῶν τὰς σκηνάς, καὶ τὰ σπήλαια, πάντοθεν συνέρρευσαν καθάπερ ἐξ οὐρανοῦ τινες ἄγγελοι παραγενόμενοι. - - ὅτι καὶ τοῖς ἄρχουσιν αὐτοῖς προσελθόντες μετὰ παρρησίας διελέχθησαν ὑπὲρ τῶν ὑπευθύνων, καὶ τὸ αἷμα παρεσκευάσαντο πάντες ἐκχέειν, καὶ τὰς κεφαλὰς ἀποθέσθαι, ὥστε τοὺς ἁλόντας τῶν προσδοκωμένων ἐξαρπάσαι δεινῶν· καὶ οὐκ ἔφησαν ἀποστήσεσθαι πρότερον, ἕως ἂν ἢ φείσωνται τοῦ δήμου τῆς πόλεως δικάζοντες, ἢ κοινῇ μετὰ τῶν ὑπευθύνων αὐτοὺς πρὸς βασιλέα πέμψωσι. θεοφιλής γάρ ἐστι φησὶν ὁ κρατῶν τῆς καθ' ἡμᾶς οἰκουμένης, πιστός, ἐν εὐσεβείᾳ ζῶν· ἡμεῖς ἓν αὐτὸν καταλλάξομεν πάντως· οὐκ ἐπιτρέψομεν ὑμῖν, οὐδὲ συγχωρήσομεν αἱμάξαι ξίφος οὐδὲ ἀποτεμεῖν κεφαλήν· εἰ δὲ μὴ ἀνάσχοισθε, καὶ ἡμεῖς μετ' αὐτῶν ἀποθανούμεθα πάντως. δεινὰ μὲν τὰ τετολμημένα καὶ ἡμεῖς ὁμολογοῦμεν, ἀλλ' οὐχ ὑπερβαίνει τὴν τοῦ βασιλέως φιλανθρωπίαν ἡ τῶν γεγενημένων παρανομία. λέγεται τις ἐξ αὐτῶν καὶ ἕτερον ῥῆμα γέμον φιλοσοφίας εἰπεῖν, ὅτι οἱ μὲν ἀνδριάντες οἱ κατενεχθέντες ἀνέστησαν πάλιν, καὶ τὸ οἰκεῖον ἀπέλαβον σχῆμα, καὶ τὸ γεγενημένον διόρθωσιν ἔχει ταχίστην· ὑ-

mnino

mnino morituros. Ad hunc modum reis veniam a iudicibus in quibusdam eiusmodi ſpecialioribus caſibus, qualis hic ipſe erat, poſtulare ſolebant. Et id quidem plerumque eo cum effectu faciebant, vt raro admodum repulſam ferrent, magiſtratibus ſingularem eis reuerentiam tali occaſione adhibentibus. Poſtea autem hæc res in abuſum degenerabat, nec in petitione acquieſcere illi volebant, ſed magno nonnumquam numero venientes per drungos & adhibita vi reos, iam lata de eis mortis ſententia, liberare conabantur. Ad quam tumultuoſam agendi rationem reprimendam *Arcadius* imperator legem [c] promulgare neceſſe habebat, qua tam monachis, quam clericis tale quid audere ſeuere interdicebatur, epiſcopi autem ſub pœna regiæ vindictæ in eiusmodi confuſionis auctores animaduertere iubebantur, ſi quid forte in ea parte regionis, in qua ipſi populum chriſtianæ religionis doctrina moderarentur, a monachis perpetratum eſſe, cognoſcerent.

---

μεῖς δὲ ἂν τῦ Θεῦ τὴν εἰκόνα ἀποκτείνητε, πῶς δυνήσεσθε πάλιν ἀνακαλέσασθαι τὸ πεπλημμελημένον; πῶς ἀναστῆσαι τὺς ἀπολλυμένυς, καὶ τὰς ψυχὰς τοῖς σώμασιν ἀποδῦναι. Tot annis in cauernis ſuis concluſi, nemine aduocante, ſuadente nemine, poſtquam nubem tantam ciuitatem circumſtantem viderunt, tabernacula ſpeluncasque ſuas derelinquentes vndique confluxerunt, veluti angeli quidam de cælo profecti. - - Ad principes ipſos accedentes cum fiducia loquebantur pro reis & omnes ſanguinem effundere parati erant & capita deponere, vt captos ab exſpectatis tribulationibus eriperent: & dixerunt, ſe non prius receſſuros, quam iudices parcerent ciuitatis populo, vel ſe communiter cum reis ad regem legatos mitterent. Religioſus eſt, inquit, qui noſtræ genti dominatur, fidelis, cum pietate viuens: nos igitur ipſum omnino reconciliabimus, non permittemus vobis, neque concedemus enſem polluere, nec vllius abſcindere caput. Si vero hoc non fertis, & nos cum ipſis omnino moriemur. Grauia quidem patrata ſunt, & nos confitemur, ſed regis humanitatem non excedit geſtorum iniquitas. Dicitur quidam ipſorum aliud verbum ſapientiæ plenum dixiſſe, quod ſtatuæ quidem deiectæ rurſum erectæ fuerunt & propriam receperunt formam, & factum correctionem habuit celerrimam: ſi autem vos Dei imaginem occideritis, quomodo rurſum poteritis commiſſum reuocare! quomodo perditos reſuſcitare & animas corporibus reddere? cetera.

(c) Cod. Theod. lib. IX. tit. XL. de pœnis leg. XVI. Addictos ſupplicio & pro criminum immanitate damnatos, nulli clericorum, vel monachorum (eorum etiam quos cœnobitas vocant) per vim atque vſurpationem vindicare liceat, ac tenere. cetera.

## §. XXII.

### *Num monachi ad vitam sæcularem rursus se conferre potuerint.*

VNVM tantummodo reliquum est, de quo ratione huius hominum ordinis instituatur disquisitio, num vitam monasticam semel amplexi libertatem habuerint vitæ suæ rationem, prout ipsis visum fuerit, mutandi, & ad vitam sæcularem redeundi? Ad quod responderi potest, non fuisse ipsos publico quodam voto ad contrarium obstrictos. Multi homines hanc vitæ inibant rationem, qui in ea per omnem ætatem persistere numquam animum induxerant. IVLIANVS ipse aliquando habitum monasticum adsumpsit, *Constantino* consobrino suo gratum facturus, cui animi ipsius inclinatio in philosophiam gentilium suspecta esse cœperat. SOCRATES illum ad cutem vsque tonsum monasticam vitam publice simulasse, clam autem orationes LIBANII sophistæ studiose lectitasse, perhibet [*d*]. Et OROSIVS [*e*] idem obseruat de *Constante Constantini* filio, qui tempore *Honorii* imperium in *Britannia* vsurpauit, quod prius monachus fuerit quam pater ipsum *Cæsarem* fecerit, eumque in *Hispanias* miserit, vt commodis ipsius ibi operam daret. Istis hominibus pontificis *Romani* dispensatione non fuit opus, vt a voto suo liberarentur, neque enim monachi istiusmodi obligationi vmquam videntur subfuisse. Monasteria olim scholæ eruditionis erant & loca piæ & religiosæ educationis iuuentutis: Quod, etsi BELLARMINVS [*f*] id negandum ducit, euidenter patet ex tertio CHRYSOSTOMI libro [*g*] *aduersus vituperatores vitæ monasticæ*, qui eo præ-

(*d*) Socrat. lib. III. c. I. *ἐν χρῷ τε κειράμενος τὸν τῶν μοναχῶν ὑπεκρίνετο βίον.*

(*e*) Oros. lib. VII. c. XL. Constantinus Constantem filium suum, proh dolor, ex monacho Cæsarem factum - - in Hispanias misit.

(*f*) Bellarmin. de monachis lib. II. c. VI. (p. 144. a. edit. Colon. MDCXV.) Secundo dicit (Melanchthon) monasteria olim fuisse scholas sacrarum litterarum & aliarum disciplinarum. At Basilius in constitutionibus monasticis, Cassianus de institutis cœnobiorum, Hieronymus in epistola ad Rusticum & in alia ad Paulinum de institutione monachi, Augustinus lib. I. de moribus ecclesiæ c. XXXI. aliique veteres dum describunt instituta monasteriorum, meminerunt orationis, ieiuniorum, psalmodiæ, continentiæ, obedientiæ, paupertatis: *de scholis litterarum & dialecticæ aliarumque disciplinarum ne verbum quidem.*

(*g*) Chrysostom. aduers. vituperatores vitæ monasticæ lib. III. tom. IV. c. XI. & passim.

cipue

cipue fini ſcriptus eſt, vt parentibus perſuadeat, vt liberos ſuos in monaſteria, tanquam tutiſſima bonæ educationis loca, mittant; non eo conſilio, vt ad vitam monaſticam perpetuo continuandam obligentur, ſed tantum vt ibi educentur & in virtutis tramitem tuto perducantur. In eumdem finem a PALLADIO obſeruatur, monachos in monte *Nitriæ* [*h*] habuiſſe xenodochium, in quo venientem hoſpitem quemlibet acceperint, permittentes ei vna hebdomada manere in otio; ſi longius manſiſſet, occupaſſe eum in operibus, aut in horto, aut in piſtrino, aut in coquina, vel ei librum dediſſe legendum; atque ita acceptum biennium aut triennium potuiſſe inter eos manere, donec vellet ſua ſponte recedere. Hoc ipſum PALLADIVS [*i*] ἄσκησιν γραφικὴν, *exercitationem litterariam*, in oppoſitione exercitationis, quæ manuum opere perficiebatur, appellat. Vt adeo homines ſtudiorum cauſſa in monaſterium aliquod ſe conferre, & pro lubitu rurſus inde exire potuerint, ſi vlteriori obligationi ipſi ſeſe non ſubmitterent. Immo vero qui paullo ſeuerius ſe gerentes monaſticam vitam ingrediebantur eo quidem conſilio, vt in ea perſeuerarent, nulli vnquam voto ſuberant, niſi priuatum propoſitum ita æſtimare velis, quod pro lubitu mutari poterat, in primis ſi qua res improuiſa vitæ mutationem requirere videbatur. Sicuti CASSIANVS [*k*] de *Aegyptio* quodam narrat, qui ſe continentiæ donum obtenturum deſperans, vxorem ducere & vitam ſæcularem repetere, animum induxerit.

(*h*) Pallad. hiſtor. Lauſiac. c. VI. Πρόσκειται τῇ ἐκκλησίᾳ ξενοδοχεῖον, εἰς ὃ τὸν ἀπελθόντα ξένον δεξιοῦνται πάντα τὸν χρόνον, κἂν ἐπὶ διετίαν ἢ τριετίαν μεῖναι θελήσῃ, μέχρις οὗ αὐθαίρετος ἀναχωρῆσαι θελήσῃ· συγχωρήσαντες αὐτῷ ἐπὶ ἑβδομάδα μίαν ἐν ἀργίᾳ διάξαι, τὰς λοιπὰς ἡμέρας περισπῶσιν αὐτὸν λοιπὸν ἐν ἔργοις· ἢ ἐν κήπῳ, ἢ ἐν ἀρτοκοπείῳ, ἢ ἐν μαγειρείῳ· εἰ δὲ ἀξιόλογός τις εἴη, διδόασιν αὐτῷ βιβλίον ἀναγινώσκειν.

(*i*) Pallad. ibid. c. XIV. Ἀπολλώνιός τις ὀνόματι ἀπὸ πραγματευτῶν, ἀποταξάμενος καὶ οἰκήσας τὸ ὄρος τῆς Νιτρίας, μήτε τέχνην τὸ λοιπὸν μαθεῖν δυνάμενος, μήτε ἐπὶ ἄσκησιν γραφικὴν, τῷ παραβεβηκέναι τὴν ἡλικίαν, ζήσας ἐν τῷ ὄρει εἴκοσι ἔτη, ταύτην ἔσχε τὴν ἄσκησιν, κ. τ. λ. Quidam Apollonius nomine ex negotiationibus quum mundo renuntiaſſet & montem Nitriæ habitaſſet, & nec artem diſcere poſſet nec litteras, quod ætate eſſet prouectus: viginti annis, quibus vixit in monte, hanc habuit exercitationem, cetera.

(*k*) Caſſian. collat. II. c. XIII. Vt quia monachus eſſe non poſſet, nec refrenare ſtimulos carnis, & impugnationis remedia conſequi præualeret, vxorem duceret, ac relicto monaſterio reuerteretur ad ſæculum.

Regula *Pachomii*, ad quam monachi *Aegyptii* gubernabantur, nihil de voto ingredientium, nihil de pœna stationem suam postea relinquentium habet. Et erat quædam disciplinæ inter *Aegyptios* pars, cuius supra meminimus, quæ manifesto videtur significare, nulli eos voto solemni fuisse obnoxios. Inter pœnas enim illorum aliqua erat expulsio e monasterio, quæ cum voto in vita monastica perpetuo perseuerandi consistere non potest. Vt itaque vita monastica initio res liberi arbitrii, non tantum sub primum hominum ingressum, sed etiam in progressu eorum & continuatione, fuisse videatur, quam sine vlla pœna alia, præter notam inconstantiæ ipsis adpositam, relinquere potuerint.

## §. XXIII.

### *Matrimonia monachorum olim haud irrita facta.*

QVOMODOCVMQVE autem hæc res se habet, id certum est, monachos matrimonium contrahentes nulla olim lege coniugium dissoluere vxoresque suas dimittere, sub prætextu antegressæ obligationis, cogi consueuisse: quemadmodum nouæ concilii *Tridentini* [*l*] regulæ statuunt, quæ eiusmodi matrimonia nulla & irrita esse, pronuntiant. *Augustini* tempore virgines quædam & viduæ voto cuidam obligatæ erant; sed tamen, si postea nupserint, ipsas a maritis suis, quasi sint adulteræ, non separandas [*m*] esse docet. Ipsarum enim coniugia vera coniugia esse, non adulteria, quemadmodum nonnulli falso argumententur.

(*l*) Concil. Trident. sess. XXIV. can. IX. Si quis dixerit, clericos in sacris ordinibus constitutos, vel regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica, vel voto: & oppositum nihil aliud esse, quam damnare matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etiamsi eam vouerint, habere donum, anathema sit; quum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id, quod possumus tentari.

(*m*) August. de bono viduit. c. X. (tom. IV. p. 1024. edit. Basileens. MDLXIX.) Qui dicunt talium nuptias non esse nuptias, sed potius adulteria, non mihi videntur satis acute ac diligenter considerare quid dicant. Fallit eos quippe similitudo veritatis. - - - Fit autem per hanc minus consideratam opinionem, qua putant lapsarum a sancto proposito feminarum, si nupserint, non esse coniugia, non paruum malum, vt a maritis separentur vxores, quasi adulteræ sint, non vxores: & quum volunt eas separatas reddere continentiæ, faciunt maritos earum adulteros veros, quum suis vxoribus viuis alteras duxerint.

tentur. Ad offenſionem quidem CHRISTI pertinere dicit, quum fidem ei non ſeruent, matrimonia tamen earum eſſe valida, eosque, qui illas a maritis ſuis ſeparatas reddere continentiæ velint, facere maritos earum adulteros veros, quum ſuis vxoribus viuis alteras duxerint. Igitur ex pari ratione monachorum quoque coniugia valida habenda ſunt, etiamſi æquali obligatione eos teneri, ſtatuas. Quam ob cauſſam nulla diſſoluti matrimonii exempla in talibus caſibus in veteris hiſtoriæ monumentis conſignata deprehendimus.

## §. XXIV.

### *Quænam pœnæ deſertoribus monaſteriorum ordinarie inflictæ fuerint.*

VERVMTAMEN procedente tempore, quoniam monachi priuata quadam obligatione, vbi hanc viuendi rationem inibant, obſtringi credebantur, pœnæ quædam excogitatæ ſunt, quæ ſtationem ſuam relinquentibus apte infligi poſſe videbantur. Ex concilii primi *Aurelianenſis* [n] quodam canone monachus, ſi in monaſterio conuerſus & poſtea vxori ſociatus eſſet, numquam eccleſiaſticici gradus officium ſortiri poterat, nullam autem pœnam aliam in illum decretam legimus. AVGVSTINVS eamdem pœnam illis infligi oportere ſtatuebat, qui monaſterium ſuum ſine epiſcopi venia deſeruerant, quemadmodum ex epiſtola, ad *Aurelium* [o] epiſcopum *Carthaginenſium* de hoc argumento ſcripta, conſtat. Leges ciuiles itidem deſertores a priuilegio ordinationis excludunt. Ex quadam enim lege *Honorii* [p] ad curiam, ſiue collegium ciuitatis, ad ſeruiendum ibi per omnem vitam, reuocandi erant; quo pacto ad quoduis officium in eccle-

(n) Concil. Aurel. I. c. XXI. (tom. IV. conc. p. 1408.) Monachus ſi in monaſterio conuerſus, vel pallium comprobatus fuerit accepiſſe, & poſtea vxori fuerit ſociatus, tantæ præuaricationis reus numquam eccleſiaſtici gradus officium ſortiatur.

(o) Auguſt. epiſt. LXXVI. ad Aurel. Ipſis facilis lapſus & ordini clericorum fit indigniſſima iniuria, ſi deſertores monaſteriorum ad militiam clericatus eligantur, quum ex his qui in monaſterio permanent, non tamen niſi probatiores atque meliores in clerum aſſumere ſoleamus.

(p) Cod. Theod. lib. XVI. tit. II. leg. XXXIX. Si qui profeſſum ſacræ religionis ſponte dereliquerit, continuo ſibi eum curia vindicet: vt liber illi vltra ad eccleſiam recurſus eſſe non poſſit: & pro hominum qualitate & quantitate patrimonii, vel ordini ſuo, vel collegio ciuitatis adiungatur.

ſia inhabiles reddebantur, quia officia curialia & clericalia ſimul conſiſtere non poterant, vt alio loco [*pp*] pluribus oſtendimus. *Iuſtinianus* [*q*] aliam pœnam adiungit, *Si*, inquiens, *qui monaſterium relinquit, ad quamdam veniet militiam, aut ad aliam vitæ figuram, ſubſtantia eius in monaſterio remanente, ipſe inter officiales clariſſimi prouinciæ iudicis ſtatuatur: & hunc habebit mutationis fructum, vt qui ſacrum miniſterium deſpexerit, tribunalis terreni obſeruet ſeruitium.* Nam ab hoc tempore monaſteria in quibusdam locis bona & poſſeſſiones habere cœperant, quamuis exactiſſimæ regulæ monachorum *Aegyptiorum* huic rei repugnarent. Iſtæ cenſuræ eccleſiaſticæ ſimiliter monachis deſertoribus ſæculo quinto infligebantur. SPALATENSIS [*r*] primum concilium, in quo excommunicationis fulmen in eos vibratum ſit, quartum *Toletanum* [*s*], imperante *Honorio* ann. DCXXXIII. celebratum, fuiſſe exiſtimat. Sed non obſeruauit vir doctus antiquiorem quemdam canonem concilii *Chalcedonenſis*, ducentis fere annis ante factum in hanc ſententiam: *Virginem* [*t*], *quæ ſe domino Deo dedicauit, ſimiliter & monachos non licere matrimonio coniungi. Sin autem hoc feciſſe inuenti fu-*

(*pp*) Lib. IV. c. IV. §. IV. volum. II. pag. 147. ſqq.

(*q*) Iuſtin. nouell. V. c. VI. Εἰ ἀπολιπὼν τὸ μοναστήριον εἴς τινα ἔλθοι στρατείαν, ἢ ἕτερον βίου σχῆμα, τῆς οὐσίας αὐτοῦ εἰς τὸ μοναστήριον ἀπομενούσης, αὐτὸν ἐν τοῖς ταξεώταις τοῦ λαμπροτάτου τῆς ἐπαρχίας ἄρχοντος τετάξεται, καὶ τοῦτο ἕξει τῆς μεταβολῆς τὸν καρπὸν καὶ ὅγε τὴν θείαν λειτουργίαν ὑπεριδὼν, δικαστηρίου χθαμαλοῦ προσκαρτερείτω δουλείᾳ.

It. Cod. lib. I. tit. III. leg. LVI. §. 2. Si qui eorum, de quibus præſentem legem poſuimus, ſanctimonialem vitam elegerint, ad ſæcularem autem conuerſationem poſtea remeauerint: iubemus omnes eorum res ad iura eiusdem eccleſiæ vel monaſterii, a quo receſſerint, pertinere.

(*r*) Spalat. de republ. lib. II. c. XII. n. XLVIII. Poſtea monachos deſertores a ſe penitus monachiſmum abdicantes, cœperunt aliqui apoſtatas vocare, & in eos excommunicationes fulminare. Quod ego primum obſeruo in concilio quarto Toletano.

(*s*) Conc. Tolet. IV. c. LV. (tom. V. conc. p. 1718.) Qui detonſi a parentibus fuerint, aut ſponte ſua, amiſſis parentibus, ſe ipſos religioni deuouerunt & poſtea habitum ſæcularem ſumſerunt, & iidem a ſacerdote comprehenſi ad cultum religionis, acta prius pœnitentia, reuocentur. Quod ſi reuerti non poſſunt vere, vt apoſtatæ anathematis ſententiæ ſubiiciantur.

(*t*) Conc. Chalced. c. XVI. (tom. IV. conc. p. 763.) Παρθένον ἑαυτὴν ἀναθεῖσαν τῷ Θεῷ, ὡσαύτως δὲ καὶ μονάζοντα, μὴ ἐξεῖναι γάμῳ προσομιλεῖν· εἰ δέ γε εὑρεθεῖεν τοῦτο ποιοῦντες, ἔστωσαν ἀκοινώνητοι. ὡρίσαμεν δὲ ἔχειν τὴν αὐθεντίαν τῆς ἐπ' αὐτοῖς φιλανθρωπίας τὸν κατὰ τόπον ἐπίσκοπον.

erint,

*erint, sint excommunicati. Ostendendæ autem in eos humanitatis auctoritatem habere statuimus episcopum eius loci;* hoc est, (si canonem, qui a nonnullis erronee accipitur, recte intelligo) episcopo terminum pœnitentiæ eorum constitutum pro arbitratu suo imminuendi facultas conceditur; quæ vnica indulgentias dandi ratio in ecclesia primitiua fuit. Atque hinc iterum dispalescit, quod, licet coniugium flagitio datum sit monacho, non tamen, si factum esset, nullum esse crediderint, vel ob hanc rationem illud dissolui voluerint, sed tantum ad pœnitentiam agendam ipsum obligarint, ad tantum temporis spatium, quantum quidem episcopus ei irrogandum duxisset. Et canones BASILII [*u*] ac concilii *Trullani* [*w*], qui de septem vel plurium annorum pœnitentia loquuntur, cum eadem limitatione intelligi oportere, existimo.

ATQVE ita congessi, quidquid de hoc argumento vitæ monasticæ dicendum esse credidi. Et nonnullis fortassis iusto plus, aliis autem iusto minus hac de re dixisse videbor: Ego vero satis habeo tantum dixisse, quantum ad institutum meum requiri visum est, quod eo spectat, vt veteres enarrem consuetudines, diuersasque ecclesiæ leges ac regulas explanem. Quos sua perquirendi cupido vlterius deducit, illi *instituta & collationes* CASSIANI, & PALLADII *historiam Lausiacam*, nec non *Philotheum* seu *historiam religiosam* THEODORETI, libros a manifestis vitæ monasticæ admiratoribus de hoc argumento speciatim conscriptos, possunt consulere. Instituti mei ratio nunc de *virginibus & viduis*, quæ ascetis ecclesiasticis adnumeratæ quoque fuerunt, strictim nonnulla dicere me iubet.

---

(*u*) Basil. can. LX. *Παρθένος ὁμολογήσασα, καὶ ἐκπεσοῦσα τῆς ἐπαγγελίας, τὸν χρόνον τοῦ ἐπὶ τῆς μοιχείας ἁμαρτήματος ἐν τῇ οἰκονομίᾳ τῆς καθ' ἑαυτὴν ζωῆς πληρώσει· τὸ αὐτὸ καὶ ἐπὶ τῶν βίον μονάζοντα ἐπαγγελλομένων, καὶ ἐκπιπτόντων.* Quæ virginitatem professa, a voto suo ac professione lapsa est, peccati adulterii tempus in suæ vitæ dispensatione complebit. Idem & in iis, qui vitam monasticam profitentur & labuntur.

(*w*) Conc. Trull. c. XLIV. (tom. VI. concil. p. 1163.) *Μοναχὸς ἐπὶ πορνείᾳ ἁλοὺς ἢ πρὸς γάμου κοινωνίαν καὶ συμβίωσιν γυναῖκα ἀγαγόμενος, τοῖς τῶν πορνευόντων ἐπιτιμίοις κατὰ τοὺς κανόνας ὑποβληθήσεται.* Monachus fornicationis conuictus, vel qui ad matrimonii communionem vitæque societatem vxorem duxit, fornicationum pœnis secundum canones subiicietur.

LIBRI

# *LIBRI SEPTIMI*
## *CAPVT QVARTVM*
# DE VIRGINIBVS ET VIDVIS IN PRIMITIVA ECCLESIA.

## §. I.

### *De distinctione inter ecclesiasticas & monasticas virgines.*

QVEMADMODVM supra ostendimus, fuisse in ecclesia asce-tas pridem ante, quam vlli monachi fuerint; ita hoc loco notandum est, fuisse in eadem virgines publice & manifesto virginitatem professas, antequam vita monastica vel nomen eius in mundo innotuerit. Hoc e scriptis CYPRIANI atque TERTVLLIANI patet, qui de virginibus, quæ sese CHRISTO dicarint, loquuntur ante, quam vllum monasterium ad eas recipiendas exstitit. Hæ distinctionis caussa nonnumquam *virgines ecclesiasticæ* a sequentium temporum scriptoribus, SOZOMENO [a] & aliis vocantur, ad distinguendum eas ab illis, qui vitam monasticam, posteaquam monasteria in mundo multiplicari cœperunt, amplexæ sunt. Virgines ecclesiasticæ plerumque in matricula ecclesiæ, hoc est in catalogo ecclesiasticarum, adscriptæ erant, quemadmodum a SOCRATE [b], qui hoc nomine de iis loquitur, discimus. Atque hinc nonnumquam *canonicæ* dicebantur, quod in canone siue libris ecclesiæ notatæ essent. A virginibus monasticis in hoc præcipue discrepabant, quod priuatim in paternis ædibus viuebant, & a parentibus suis, vel, necessitate ita flagitante, ab ecclesia alebantur; alteræ autem in societatibus degebant ex proprio labore victum sibi

(a) Sozom. lib. VIII. c. XXIII. *ὑπὸ μετριότητος τρόπων καὶ φιλοσοφίας ἀεὶ λανθάνειν ἐπετήδευεν, (Νικαρέτη) ὡς μήτε εἰς ἀξίωμα διακόνου σπουδάσαι προελθεῖν, μήτε προτρεπομένου πολλάκις Ἰωάννου ἑλέσθαι ποτὲ παρθένων ἐκκλησιαστικῶν ἡγεῖσθαι.* Ob modestiam animi ac philosophiæ studium perpetuo latere studebat (Nicarete): ita vt nec honorem diaconissæ vmquam ambierit, nec *virginibus ecclesiasticis* præesse, licet Ioanne sæpius eam hortante, voluerit.

(b) Socrat. lib. I. c. XVII. *καὶ τὰς παρθένους τὰς ἀναγεγραμμένας ἐν τῷ τῶν ἐκκλησιῶν κανόνι, ἐπὶ ἑστίασιν προτρεπομένη, δι' ἑαυτῆς λειτουργοῦσα τὰ ὄψα ταῖς τραπέζαις προσέφερε.* *Virgines in matricula ecclesiarum adscriptas* ad conuiuium vocabat; eisque ipsa per se ministrans mensæ apponebat fercula.

com-

comparantes, vti ex concilio tertio *Carthaginensi* [c] & ſcriptis AVGVSTINI [d] condocemur. SPALATENSIS [e] iam pridem hanc differentiam obſeruauit, quam ex eo tempore etiam ALBASPINAEVS [f], VALESIVS [g], COTELERIVS [h] aliique viri docti in eccleſia *Romanenſi* agnouerunt. Vt adeo nunc quidem extra controuerſiam poſitum ſit, quod, quemadmodum aſcetæ priorum trium ſæculorum non fuerunt monachi, ita nec ſacræ virgines eccleſiæ fuerint virgines monaſticæ ſeu moniales, ad monaſterium aliquod, ſicut poſterioribus temporibus, adſtrictæ.

(c) Conc. Carth. III. can. XXXIII. Vt virgines ſacræ, ſi parentibus, a quibus cuſtodiebantur, priuatæ fuerint, epiſcopi prouidentia vel presbyteri, ſi epiſcopus abſens eſt, in monaſterio virginum grauioribus feminis commendentur, cetera.

(d) Auguſtin. de moribus eccleſ. c. XXXI. Lanificio corpus exercent atque ſuſtentant, veſtesque ipſas fratribus tradunt, ab iis inuicem quod victui opus eſt reſumentes.

(e) Spalat. de republ. lib. II. c. XL. n. XXV. Ego inuenio olim virgines Deo ſacratas & vere ac proprie virginitatem profeſſas, etiam in propriis domibus habitaſſe; & nihilominus habitum monachalem geſtaſſe & perfecte regulas monaſticas ſeruaſſe.

(f) Albaſpin. not. in concil. Illiberritan. can. XIII. (tom. I. concil. p. 992.) Virgines, quæ Deo ſe vouerant, a ceteris non remouebantur, aut clauſtris includebantur, vt ex hoc canone & in diuo Cypriano & Tertulliano de virginibus velandis licet colligere.

(g) Valeſ. not. in Sozom. lib. VIII. c. XXIII. Virgines eccleſiaſticæ dicuntur ad diſtinctionem earum, quæ degebant in monaſteriis, quæ monachæ dicuntur in epiſtola Siricii papæ. Hæ virgines locum ſeparatum habebant in eccleſia, tabulis concluſum, vt docet Ambroſius in ſermone ad virginem lapſam. Oblationes item offerebant & communicabant ſeorſum a reliqua multitudine, vt colligitur ex cap. XXV. concilii Triburienſis. Eccleſiaſticæ porro dicebantur, eo quod adſcriptæ eſſent albo ſeu matriculæ eccleſiæ, καταλογον παρθένων & τάγμα vocat Baſilius in epiſtola canonica ad Amphilochium.

(h) Coteler. not. in conſtitut. apoſt. lib. VIII. c. XIII. οἱ ἀσκηταί, Non monachi aſcetæ; ſed laici, in ſeuerioribus pietatis officiis ſeſe exercentes: quales ſemper inter chriſtianos exſtitiſſe, dubitari non debet; vt & eccleſiaſticas virgines nequaquam moniales aſcetrias. Nam opus, quod notis imus illuſtratum, ante exortum vitæ monaſticæ conſcriptum fuit: vnde in eo nulla illius mentio, multa habenda, ſi per tempora licuiſſet. Vocabulorum autem ἀσκήσεως & ἀσκητῶν in auſteriori vita, abſque monachatu tamen, exempla ſunt obuia.

## §. II.

### *An perpetuæ virginitatis voto fuerint obligatæ.*

Si quæras, quomodo hæ virgines ab aliis mere ſæcularibus virginibus diſtinctæ fuerint, ego quidem aliqua propoſiti ſui in hoc ſtatu per omnem vitam perſeuerandi profeſſione id factum eſſe, arbitror. Vtrum vero hoc ſolemne aliquod votum, an ſimplex quædam profeſſio fuerit, de eo inter viros eruditos non conuenit. Doctus ſcriptorum *Cyprianicorum* [i] editor, ætate CYPRIANI *animi propoſito & publica virginitatis profeſſione, non voto, adſtrictas fuiſſe*, autumat. Atque in hoc non tantum communem ſcriptorum proteſtantium, ſed huius etiam antiqui auctoris [k] ſententiam loqui videtur, *Si ex fide*, inquientis, *ſe CHRISTO dicauerunt, pudice & caſte ſine vlla fabula perſeuerent; ita fortes & ſtabiles præmium virginitatis exſpectent. Si autem perſeuerare nolunt, vel non poſſunt, melius eſt nubant, quam in ignem delictis ſuis cadant.* Ex quibus colligi poteſt, virginitatis profeſſionem tunc temporis non ita rigidam fuiſſe, vt coniugium poſtea initum pro crimine, cenſura eccleſiaſtica digno, habitum ſit.

## §. III.

### *Quando primum cenſuris eccleſiæ, propter nuptias contra ipſarum profeſſionem factas, ſubiici cœperint.*

Seqventibvs autem temporibus cenſuræ eccleſiaſticæ illis inflictæ ſunt. Concilium *Ancyranum* [l] vniuerſaliter de omnibus virginitatem profitentibus, deinde autem profeſſionem ſuam irritam reddentibus, decernit, quod ſegregationi bigamis definitæ, hoc eſt, vnius vel duorum annorum, vti ex canone quodam BASILII [m] diſcimus, ſubiacere eas oporteat. Concilium

(i) Fell. not. in Cyprian. epiſt. IV.

(k) Cyprian. epiſt. LXII. al. IV. ad Pompon.

(l) Con. Ancyr. c. XIX. (tom. I. conc. p. 1474.) ὅσοι παρθενίαν ἐπαγγελλόμενοι, ἀθετοῦσι τὴν ἐπαγγελίαν, τὸν τῶν διγάμων ὅρον ἐκπληρούτωσαν.

(m) Baſil. ep. can. IV. Περὶ τριγάμων καὶ πολυγάμων τὸν αὐτὸν ὡρίσαμεν κανόνα, ὃν καὶ ἐπὶ τῶν διγάμων, ἀναλόγως· ἐνιαυτὸν μὲν γὰρ ἐπὶ διγάμων, ἄλλοι δὲ δύο ἔτη, τοὺς δὲ τριγάμους ἐν τρισὶ καὶ τετράσι πολλάκις ἔτεσιν ἀφορίζουσιν. Trigamorum & polygamorum eundem canonem definimus, quem in digamis proportione; annum enim in digamis, alii vero duos annos; trigamos autem ſæpe tribus & quatuor annis ſeparant.

cilium *Chalcedonense* [n] ſeparari eas iubet, ſi matrimonio coniunctæ fuerint, tempus autem pœnitentiæ conſtituendum epiſcopi arbitrio relinquit. Concilium *Valentinum* in *Gallia* [o] adhuc ſeuerius agit, *De puellis*, inquiens, *quæ ſe Deo vouerunt, ſi ad terrenas nuptias ſponte tranſierint, id cuſtodiendum eſſe decreuimus, vt pœnitentia his non ſtatim detur. Et quum data fuerit, niſi plene ſatisfecerint Deo, in quantum ratio popoſcerit, earumdem communio differatur.* Ex his igitur canonibus, vt plures taceamus, euidenter conſtat, quod temporibus ſubſequutis, proxime poſt ætatem CYPRIANI, hoc eſt ſæculo quarto & quinto, cenſuræ eccleſiaſticæ in profeſſarum virginum matrimonium ſeueriores, quam antea, fuerint: Et ipſæ quidem pro ratione valoris & pretii, quod homines cælibatui & vitæ monaſticæ ſtatuere cœperunt, ſubnatæ videntur.

## §. IV.

### *Coniugium profeſſarum virginum numquam irritum declaratum.*

DVO tamen in ipſa horum temporum ſeueritate & rigore obſeruari merentur. Primum quidem, quod nullum vsquam decretum eccleſiæ de reſcindendis vel irritis declarandis iſtiusmodi matrimoniis factum ſit. *Iouianus* quidem imperator, perhibente SOZOMENO [p], conſtitutionem dedit, qua capitale ſupplicium declarauit, ſi quis ſacram virginem ſibi vxorem rapere, vel ad relinquendam præſentem vitæ rationem propoſitumque deſerendum ſollicitare conatus eſſet. Quæ lex etiamnum in vtroque codice [q] exſtat. Verum hæc lex, ipſo VALESIO

(n) Conc. Chalced. c. XVI. (tom. IV. conc. p. 763.) Vid. ſupra not. (t) pag. 84.)

(o) Conc. Valent. c. II. (tom. II. conc. p. 905.)

(p) Sozom. lib. VI. c. III. Προσεφώνησε δὲ καὶ Σεκούνδῳ, τῷ τότε τὴν ὕπαρχον ἐξουσίαν διέποντι, γενικὴν νομοθεσίαν, εἰς κεφαλὴν τιμωρεῖσθαι παρακελευομένην τὸν ἱερὰν παρθένον μνᾶσθαι πρὸς γάμον πειρώμενον, ἢ καὶ ἀκολάστως μόνον προσβλέποντα, μήτι γε διαρπάζειν ἐπιχειροῦντα. Dedit etiam generalem conſtitutionem ad Secundum, qui tunc erat præfectus prætorii, qua iubebat, eum capitali ſupplicio adfici, qui ſacram virginem ſibi vxorem deſpondere, aut impudice duntaxat adſpicere auſus eſſet; nedum rapere conatus fuiſſet.

(q) Cod. Iuſtin. lib. I. tit. III. leg. V. Si quis, non dicam rapere, ſed attentare tantum iungendi cauſſa matrimonii ſacratiſſimas virgines auſus fuerit, capitali pœna feriatur.

Cod. Theod. lib. IX. tit. XXV. de raptu ſanctimonialium leg. II. Si quis non

ſcite obſeruante, contra raptores tantum & eos lata fuit, qui haſce virgines inuitas ad matrimonium ſollicitarent: ſi qua vero virgo ſponte ſua propoſitum relinqueret & poſtea nuberet, hac lege [r] non prohibita, multo minus facti iſtius pœnam ſubire iuſſa fuit. Et quod ad leges eccleſiaſticas attinet, etſi pœnam quamdam ſpiritualem conſtituebant, actum tamen ipſum non declarabant irritum, ſed eiuſmodi matrimonia, vtvt contra regulas tum in eccleſia obtinentes contracta, confirmabant habebantque rata. Cuius rei locus AVGVSTINI [s], capite proxime præcedenti §. XXIII. adlegatus, ſatis eſt teſtimonium: vt taceamus omnium legum antiquarum ſilentium hac in re, quæ de nulla pœna alia loquuntur, niſi de excommunicatione, eamque conſequente pœnitentia, cuius beneficio in eccleſiæ communionem recipi debeant. EPIPHANII [t] hoc de caſu ſingularis eſt ſententia, *Satius eſt*, inquientis, *vno ſe peccato quam pluribus obſtringere. Satius eſt, vbi a curriculo exciderit virginitatem profeſſus, palam ſibi vxorem legitimam nuptiis adiungere, ac poſt virginitatem longo interuallo ſuſcepta pœnitentia iterum eccleſiæ reconciliari: vtpote qui & peccatum admiſerit & prolapſus fuerit & infractus, & obligatione vulneris opus habeat, vt non occultis in dies immiſſæ a diabolo nequitiæ iaculis ſaucietur.* Quod ille, reor, haud fuiſſet dicturus, ſi tunc moris fuiſſet in eccleſia, profeſſarum virginum coniugia antegreſſi voti vel obligationis obtentu reſcindere.

§. V.

*Libertas nubendi per leges quasdam illis conceſſa, ſi ante quadrageſimum ætatis annum eſſent conſecratæ.*

---

dicam rapere, ſed vel adtemptare matrimonii iungendi cauſſa, ſacratas virgines, vel inuitas, auſus fuerit, capitali ſententia ferietur.

(r) Val ſ. not. in Sozom. lib. VI. c. III. Lex Ioniani aduerſus raptores virginum lata eſt; ſed ſi ſanctimonialis relicto propoſito poſtea nubere voluiſſet, non prohibebatur hac lege.

(s) Auguſt. de bono viduit. c. VIII. IX. X. tot. conf. ſupra c. III. §. XXIII. not. (m) pag. 92.

(t) Epiph. hæreſ. LXI. apoſtolic. num. VII. Κρεῖττον τοίνυν ἔχειν ἁμαρτίαν μίαν, καὶ μὴ περισσοτέρας· κρεῖττον πεσόντα ἀπὸ δρόμου φανερῶς ἑαυτῷ λαβεῖν γυναῖκα κατὰ νόμον, καὶ ἀπὸ παρθενίας πολλῷ χρόνῳ μετανοήσαντα, εἰσαχθῆναι πάλιν εἰς τὴν ἐκκλησίαν, ὡς κακῶς ἐργασάμενον ὡς παραπεσόντα, καὶ κλασθέντα, καὶ χρείαν ἔχοντα ἐπιδέματος, καὶ μὴ καθ᾽ ἑκάστην ἡμέραν βέλεσι κρυφίοις κατατιτρώσκεσθαι, καὶ πονηρίας ὑπὸ διαβόλου αὐτῷ ἐπιφερομένης.

ALTE-

Alterum, quod hac in cauſſa conſiderari debet, hoc eſt, quod per leges imperiales magna libertas omnibus virginibus, ante quadrageſimum ætatis annum conſecratis, indulta fuerit. Quamquam enim canones quidam [u] viceſimo quinto, & alii [w] decimo ſexto vel decimo ſeptimo ætatis anno, quo rationis complementum habere credebantur, eas conſecrare permittunt; tempus tamen ſtatim docuit, quod nullus horum terminorum commode figi potuerit. Hinc alii canones virgines requirunt annos quadraginta [x] natas, antequam velari poſſint, quemadmodum præcipue ex *Gallicanis* & *Hiſpanicis* conciliis, *Agathenſi*, & *Cæſarauguſtano*, videre eſt. Et leges imperiales non tantum hanc ætatem in conſecrandis virginibus requirunt, ſed præterea quoque decernunt, quod, ſi qua virgo ante hanc ætatem velata fuerit, per vim vel ex parentum ſuorum inuidia, (quod ſæpe ſolebat fieri;) nubendi libertatem habere debeat: vti ex nouella *Leonis* & *Maioriani* [y] ad calcem codicis *Theodoſiani* apparet, ita decernente: *Sacrilega haud iudicanda eſt, quæ ſe hoc ante noluiſſe aut certe non poſſe complere adpetiti coniugii honeſtate prodiderit; quum chriſtianæ religionis*

(u) Conc. Carth. III. c. IV. (tom. II. conc. p. 1167.) Placuit, *vt ante viginti quinque annos ætatis* nec diaconi ordinentur, *nec virgines conſecrentur.*

(w) Baſil. ep. can. c. XVIII. Τὰς ὁμολογίας τότε ἐγκρίνομεν, ἀφ' ὅπερ ἂν ἡ ἡλικία τὴν τοῦ λόγου συμπλήρωσιν ἔχῃ· οὐ γὰρ τὰς παιδικὰς φωνὰς πάντως κυρίας ἐπὶ τῶν τοιούτων ἡγεῖσθαι προσήκει· ἀλλὰ τὴν ὑπὲρ τὰ δεκαὲξ ἢ δεκαεπτὰ γενομένην ἔτη, κυρίαν οὖσαν τοῦ λογισμοῦ, ἀνακριθεῖσαν ἐπὶ πλεῖον, εἶτα παραμείνασαν καὶ λιπαροῦσαν διὰ ἱκεσιῶν πρὸς τὸ παραδεχθῆναι, τότε ἐγκαταλέγεσθαι χρὴ ταῖς παρθένοις, καὶ τὴν ὁμολογίαν τῆς τοιαύτης κυροῦν, καὶ τὴν ἀθέτησιν αὐτῆς ἀπαραιτήτως κολάζειν. Profeſſionem ab eo tempore iudicamus, quo ætas rationis complementum habuerit. Non enim pueriles voces omnino in his eſſe ratas exiſtimare oportet: ſed eam *quæ ſupra ſexdecim vel ſeptemdecim annos nata fuerit*, rationisque compos, & diu examinata probataque perſeuerauerit, & vt admittatur, precibus contendat, tum oportet in ſacrarum virginum catalogum referri, eiusque profeſſionem ratam habere & illius infirmationem inexorabiliter punire.

(x) Conc. Agath. can. XIX. (tom. IV. concil. p. 1386.) Sanctimoniales, quamlibet vita earum & mores probati ſint, ante annum ætatis ſuæ quadrageſimum non velentur.

Conc. Cæſaraugust. c. VIII. (tom. II. p. 1010.) Lectum eſt, non velandas eſſe virgines, quæ ſe Deo vouerint, niſi quadraginta annorum probata ætate, quam ſacerdos comprobauerit.

(y) Leo & Maiorian. nouell. VIII.

*instituta atque doctrina melius esse censuerit, virginem nubere, quam impatientiæ ardore naturali professæ pudicitiæ non seruare virtutem.* Hæc duo igitur si recte considerentur, *primum*, quod consecratio virginis haud habenda fuerit valida, nisi quadraginta annos nata esset: Et *secundo*, quod, si post consecrationem ea ætate nupsisset, nuptiæ eius validæ & numquam irritæ declaratæ fuerint: ingens certe discrimen inter veteris ecclesiæ consuetudinem & hodiernam ecclesiæ *Romanensis* praxin hac in re patebit. Quam ob caussam de hac virginum professione distincte loquuti sumus, vt & naturam voti earum explanaremus, & obligationis eius ostenderemus rationes.

### §. VI.

*De ipsarum habitu, forma, ac modo consecrationis.*

Qvod ad ipsam earum consecrationem attinet, res quasdam prorsus peculiares habebat. Solebat enim publice in ecclesia & cum quadam solemnitate ab ipso episcopo, aut certe a presbytero, ab episcopo ad hunc actum speciatim delegato, peragi. Secundum enim antiquos canones hic actus inter alios supremi ecclesiæ ministri officio reseruatus erat, adeoque presbyter aliquis sine eius iussu vel venia perficere illum haud poterat. Canon sextus in codice *Africano* [z] generatim hæc tria, chrismatis confectionem, reconciliationem pœnitentium, & puellarum consecrationem a presbyteris fieri vetare videtur. Sed hoc postremum explicandum est ex eo, quod in concilio *Carthaginensi* tertio [a] dicitur: *Presbyter inconsulto episcopo virgines non consecret.* Quod indicat, mandante episcopo hoc facere eum potuisse. Atque ita FERRANDVS in *breuiatione* [b] sua id intelligit. Vt adeo hoc vnum ex illis sit, quæ episcopi his temporibus sibimet ipsis reseruanda esse, credebant, nec presbyteros sine speciali mandato ea peragere patiebantur. Vnde inferimus, pro alicuius momenti re hoc ipsum habitum &

(z) Cod. Afric. c. VI. (tom. II. conc. p. 1051.) *χρίσματος ποίησις, καὶ κορῶν καθιέρωσις, ἀπὸ πρεσβυτέρων μὴ γένηται· μήτε δὲ καταλλάξαι τινὰ εἰς δημοσίαν λειτουργίαν πρεσβυτέρῳ ἐξεῖναι, τοῦτο πᾶσιν ἀρέσκει.*

(a) Conc. Carthag. III. c. XXXVI. (tom. II. p. 1172.)

(b) Ferrand. breuiat. canon. c. XCI. (ap. Iustell. biblioth. iur. canon. p. 451.) Vt presbyter inconsulto episcopo virgines non consecret, chrisma vero numquam conficiat.

sacer-

*ſacerdotalis cautionis* fuiſſe (quomodo AMBROSIVS [c] id reddit) *vt non temere puella velaretur*, in eccleſiæ ignominiam. Iam ſi qua virgo animi ſui intentionem deſideriumque vſitatæ conſecrationis epiſcopo aperuerat, publicam quamdam propoſiti ſui profeſſionem in eccleſia edere ſolebat; & tunc epiſcopus vel presbyter coram altari conſuetum ſacrarum virginum habitum, quo ab aliis omnibus internoſcebantur, ei imponebat. Res ita ab AMBROSIO repræſentatur, qui de *Marcellina*, ſorore ſua, quæ *Romæ* a *Liberio* conſecrata erat, loquens dicit, quod in ſaluatoris natali [d] ad apoſtolum *Petrum* virginitatis profeſſionem veſtis quoque mutatione ſignarit, *Liberio* ſermonem pro rei ratione de officiis virginitatis habente, quem lector ibi in litteras redactum legere poteſt. Huius mutationis veſtium frequens [e] in antiquis conciliis habetur mentio, & lex ciuilis eius etiam meminit, omnibus [f] mimis & ſcortis publicum habitus virginum, Deo dicatarum, vſum interdicens. Quod ipſum manifeſto indicat, virgines iſtas ex peculiari quodam & ſibi ipſis proprio habitu dignoſci conſueuiſſe. Huius pars vna velamen erat, dictum *ſacrum velamen*, vnde phraſis iſta *velare virginem* [g], in quibusdam antiquis auctoribus, idem ac *conſecrare*

(c) Ambroſ. de virgin. lib. III. p. 124. edit. Baſil. MDLXVII. Neque ego abnuo, ſacerdotalis eſſe cautionis debere, vt non temere puella veletur.

(d) Ambroſ. de virgin. lib. III. ineunte. vid. etiam Ambroſ. ad virginem lapſam c. V. tot.

(e) Conc. Carth. IV. c. XII. (tom. II. conc. p. 1200.) Sanctimonialis virgo, quum ad conſecrationem ſuo epiſcopo offertur, in talibus veſtibus applicetur, qualibus ſemper vſura eſt, profeſſioni & ſanctimoniæ aptis. Ibid. cap. CIV. Si quæ viduæ, quantumlibet adhuc in minoribus annis poſitæ & matura ætate a viro relictæ, ſe deuouerunt domino, & *veſte laicali abiecta* ſub teſtimonio epiſcopi & eccleſiæ *religioſo habitu* apparuerint, cetera. Concil. Arauſic. I. c. XXVII. (tom. III. conc. p. 1451.) Viduitatis ſeruandæ profeſſionem, coram epiſcopo in ſecretario habitam, impoſita ab epiſcopo *veſte viduali* indicandam.

(f) Lex Arcadii in cod. Iuſtin. lib. I. tit. IV. de epiſc. audient. leg. IV. Mimæ & quæ ludibrio corporis ſui quæſtum faciunt, publice habitu earum virginum, quæ Deo dicatæ ſunt, non vtantur. vid. Cod. Theod. lib. XV. tit. VII. lege XII.

(g) Innoc. ep. II. ad Victric. c. XIII. (tom. II. conc. p. 1252.) Hæ vero quæ necdum *ſacro velamine* tectæ, tamen in propoſito virginali ſemper manere promiſerant, licet velatæ non ſint, ſi forte nupſerint, his agenda aliquanto tempore pœnitentia eſt, quia ſponſio earum a Deo tenebatur.

*crare virginem Deo*, significat. Notandum tamen est, librum TERTVLLIANI de *velandis virginibus* haud ita intelligendum esse; non enim virginibus deuotis, sed omnibus virginibus generatim scripsit, persuasurus ipsis, vt graui matronarum habitu vterentur, hoc est, vt velatæ secundum apostoli mandatum incederent. Vnde dicendum est, velum consecratarum virginum notam quamdam distinctionis a communi aliarum velo habuisse, illique adeo nomen *sacri* veli fuisse adfixum, quia signum siue indicium voluntatis earum erat. OPTATVS hoc speciatim de alia habitus earum parte obseruat, quam *mitrellam auream* vocat. Non sacramentum sed signum tantum esse, dicit, quo significent, cui sint deuotæ, ne quis raptor audeat violare, nec sponsus petere perseueret. Atque hinc *Donatistarum* [*h*] cæcum & stultum zelum reprehendit, quo virgines CHRISTI, velis suis & mitrellis aureis, quæ tantum professæ signa voluntatis sint, immutatis, pœnitentiam agere iubeant. EVSEBIVS eiusdem habitus iniicit mentionem sub nomine *coronæ*. Loquens enim de *Ennatha* quadam virgine *Scythopolis* in *Palæstina*, quæ martyrium in persequutione *Diocletianea* subiit, eam [*i*] *virginitatis corona* ornatam fuisse dicit, adludens ad mitrellas aureas OPTATI; nisi forte figurate loquens coronam virginitatis, coronæ martyrii in altero sæculo additam, intelligat; de quibus duabus rebus magnis in antiquis scriptoribus frequens fit sermo. ALBASPINAEVS [*k*] de alio ritu OPTATVM loqui

Gelas. epist. IX. ad episc. Lucaniæ c. XII. (tom. IV. conc. p. 1191.) Deuotis Deo virginibus, nisi aut in epiphaniarum die, aut in albis paschalibus, aut in apostolorum natalitiis *sacrum* minime *velamen* imponant cetera.

(*h*) Optat. contr. Parmen. lib. VI. p. 96. (p. 115. edit. Paris. MDCLXXIX.) Iam illud quam stultum, quam vanum, quod ad voluntatem & quasi ad dignitatem vestram reuocare voluistis, vt virgines Dei agerent pœnitentiam, discentes, vt iam dudum professæ signa voluntatis capitibus, postea vobis iubentibus immutarent: vt *mitrellas aureas* proiicerent, alias acciperent. - - Nudastis denuo capita iam velata: de quibus professionis detraxistis indicia: quæ contra raptores aut petitores videntur inuenta. In mitrella indicium est voluntatis, non castitatis auxilium, vt rem iam Deo deuotam; ne qui sponsabat, perseueret petere, aut ne raptor audeat violare: signum est ergo, non sacramentum.

(*i*) Euseb. de martyr. Palæstin. c. IX. παρθενίας στέμματι καὶ αὐτὴ κεκοσμημένη.

(*k*) Albaspin. not. in Optat. lib. VI. p. 159. (p. 116. edit. cit.) ad verba: *soluerent crimen*, Sed & hodie in virginibus consecrandis hic ritus obseruatur.

existi-

existimat, quem & hodie in virginibus consecrandis obseruari dicit, quæ est solutio crinium in sæcularibus nuptiis, in signum debitæ marito subiectionis, vsitata. At vero OPTATI verba [*l*] nudam tantum adlusionem ad hunc ritum sæcularem videntur inferre. Nam nuptiæ virginum cum CHRISTO figuratæ tantum erant, siue, vt ipse reddit, spiritales & cælestes: adeoque ritus ad eas relatus eiusdem generis fuisse censendus est, hoc est, non proprius sed figuratus tantum, qui auctoris menti maxime conuenire videtur. BARONIVS [*m*] & HABERTVS [*n*] alii cuidam consuetudini se fauere produnt, quæ inter quosdam inuehi cœpit, sed numquam ab ecclesia catholica admissa & approbata. *Eustathius* hæreticus omnes virgines in consecratione tonderi vel radi oportere contendebat: sed concilium *Gangrense* sese illi statim opponens, ritum ipsum damnabat, facto canone in hanc sententiam: *Si qua* [*o*] *mulier propter eam, quam putat, pietatis exercitationem, comam tondeat, quam Deus ei dedit in memoriam subiectionis: vt quæ subiectionis præceptum soluat, anathema sit.* BARONIVS & HABERTVS, hunc canonem de feminis in sæculo & coniugio viuentibus, non vero vitam monasticam amplexis, intelligendam esse, statuunt: at vero verba canonis directe illis aduersantur, quæ id faciebant, asceticæ, siue vt alii vocant, reli-

(*l*) Optat. lib. VI. p. 97. (116.) Spiritale nubendi hoc genus est, in nuptias sponsi iam venerant voluntate & professione sua, & vt sæcularibus nuptiis se renuntiasse monstrarent, spiritali sponso soluerant crinem, iam cælestes celebrauerant nuptias. Quid est, quod eas iterum crines soluere coëgistis?

(*m*) Baron. an. LVII. n. XCIII. In aliquibus ecclesiis, præsertim Syriæ & Aegypti, tam virgo quam vidua, quæ se Deo vouissent & sæculum calcassent (inquit Hieronymus) crinem monasteriorum matribus offerunt desecandum, non intecto postea, contra apostoli voluntatem, incessuræ capite, sed ligato pariter & velato.] nec id quidem, vt Vestales imitentur Romanorum virgines, quæ incisos sibi capillos ad arborem loton suspendebant: sed aliis ex caussis, quas Hieronymus recitat: immo & propter mysterium. cetera.

(*n*) Habert. archierat. p. 598. Tondentur & feminæ, etsi olim tonderi nefas. Concilium Gangrense can. XVI. εἴ τις γυναικῶν cetera (vid. not. seq.) Sed hic canon de feminis in sæculo & coniugio vitam agentibus intelligitur, non vero de iis, qui τὴν μοναδικὴν ἀπόκαρσιν, *tonsuram monasticam* elegerunt.

(*o*) Conc. Gangr. c. XVII. (tom. II. p. 432.) Εἴ τις γυναικῶν διὰ τὴν νομιζομένην ἄσκησιν ἀποκείροιτο τὰς κόμας, ἃς ἔδωκεν ὁ Θεὸς εἰς ὑπόμνησιν τῆς ὑποταγῆς· ὡς ἀναλύουσα τὸ πρόσταγμα τῆς ὑποταγῆς, ἀνάθεμα ἔστω.

gioſæ vitæ profeſſionem prætexentes. Et VALESIVS [p] ingenue fatetur, hunc verum eſſe iſtius canonis ſenſum, & inde demonſtrat, ſacras virgines olim intonſas fuiſſe: idque etiam in *Gallia* tempore *Caroli Calui* vſitatum fuiſſe, ex aliis canonibus demonſtrat, citans HVGONEM MENARDVM [q] in eamdem ſententiam. At concilium *Gangrenſe* non ſatis habuit virium ad hanc conſuetudinem in omnibus locis reprimendam. HIERONIMI enim ætate in aliquibus *Syriæ* & *Aegypti* monaſteriis inualuerat, quamquam ex alio principio, munditiei videlicet, non religionis, vti ex ipſius epiſtola [r] aduerſus *Sabianum* diaconum

(p) Valeſ. not. in Sozomen. lib. V. c. X. Porro ſciendum eſt, ſacras virgines olim intonſas fuiſſe, vt conſtat ex concilio Gangrenſi. Idque etiam in Gallia vſitatum fuit temporibus Caroli Calui, vt docet canon VII. concilii in verno palatio. Plura vide apud Hugonem Menardum in notis ad ſacramentarium Gregorii magni.

(q) Menard. in Sacram. Gregor. tom. III. opp. Gregor. magni p. 442. edit. Pariſ. MDCCV. Tandem virginum crines ſparſi & ſoluti erant inſtar ſponſarum, vt manifeſtum eſt ex eodem Optato lib. 6. *Spiritali ſponſo ſoluerant crinem, iam cœleſtes celebrauerant nuptias*; & infra: *Inueniſtis igitur huiusmodi virgines, quæ iam ſpiritaliter nupſerant; quaſi ſecundas coëgiſtis ad nuptias; vt crines iterum ſoluerent, imperaſtis.* Nam ſchiſmatici catholicas virgines ad ſuas partes raptas vel allectas, pœnitentia prius impoſita, iterum conſecrabant. Ex hoc Optati loco manifeſtum eſt, olim virgines non fuiſſe tonſas, quod etiam confirmatur ex S. Ambroſio cap. 8. lib. ad virginem lapſam. *Amputentur crines, qui per vanam gloriam occaſionem luxuriæ præſtiterunt.* Ibi enim iniungit virgini lapſæ pœnitentiam acturæ de peccato crinium tonſionem, iuxta priſcum morem, quem etiam obſeruare eſt ex lib. 6. Optati, quod ſignum eſt, eam ante lapſum intonſam fuiſſe; & ex S. Hieronymo epiſt. ad Sabinianum, vbi refert de quadam virgine Romæ profeſſa, quæ cum Bethlehem veniſſet, vt morem gentis ſeruaret, tonſa eſt, crinemque amputato i Sabiniano dedit. Et ex concilio Gangrenſi can. XVII. εἴ τις γυναικῶν διὰ τὴν νομιζομένην ἄσκησιν ἀποκείροιτο τὰς κόμας, &c. ἀνάθεμα ἔστω id eſt, *ſi qua mulier propter eam, quæ exiſtimatur, exercitationem*, id eſt, ob vitam monachicam, *tondeat comam*, &c. *excommunicetur.*
At contrarius vſus fuit in partibus Aegypti & Syriæ: ſiquidem illic olim ſanctimoniales, ſeu virgines, ſeu viduæ, tondebantur, vt docet S. Hieronymus epiſt. citata: *Moris eſt Aegypti & Syriæ monaſteriis, vt tam virgo, quam vidua, quæ ſe Deo vouerint, & ſæculo renuntiantes omnes delicias ſæculi conculcarint, crinem monaſteriorum matri offerant deſecandum.* Refertque cauſam, ne a pediculis opprimantur, quia balnea non adeunt, nec oleo vnguntur. Quod hodie apud nos obſeruatur, etiam apud Græcos, vt ſcribit Theodorus Balſamon in canonem citatum.

(r) Hieron. ep. XLVIII. contr. Sabinian. Moris eſt in Aegyptiis & Syris mona-

appa-

apparet. Neque tamen vbique in *Aegypto*, tempore *Athanaſii*, obtinuit. SOZOMENVS [*s*] enim contumeliam, qua ſacræ virgines *Heliopoli* a gentilibus adfectæ ſint, enarrans, tandem etiam tonſas eſſe dicit. Quod manifeſto indicat, non fuiſſe id approbatam in eccleſia conſuetudinem. Neque id ex vlla lege inualuit. THEODOSIVS enim MAGNVS ciuilem ſanctionem [*t*] ad confirmandum decretum eccleſiaſticum, contra praxin iſtam factum, addidit ita habentem: *Feminæ, quæ crinem ſuum contra diuinas humanasque leges, inſtinctu perſuaſæ profeſſionis, abſciderint, ab eccleſiæ foribus arceantur. Non illis fas ſit ſacra adire myſteria, neque vllis ſupplicationibus mereantur veneranda omnibus altaria frequentare. Adeo quidem, vt epiſcopus tonſo capite feminam ſi introire permiſerit, deiectus loco etiam ipſe cum huiusmodi contuberniis arceatur.* Ex quibus omnibus perſpicue intelligitur, tonſuram virginum & viduarum antiquitus haud approbatam fuiſſe conſuetudinem in eccleſia, ſed potius abuſum, quem & ciuiles & eccleſiaſticæ leges correctum iuerint & exterminatum, tametſi contraria praxis poſteriorum temporum illis præualuit. *Ordo Romanus* longam orationem & cærimoniam annuli & armillæ, in earum conſecratione vſitatam, exhibet: antiquæ autem liturgiæ nihil huiusmodi habent, earumque ſilentium argumentum contra antiquitatem rei eſſe videtur. Et ne quis virgines ad ſpeciale aliquod officium in eccleſia, vti quidem diaconiſſæ erant, ordinatas fuiſſe exiſtimet, ab auctore *conſtitutionum apoſtolicarum* [*u*] ſcite obſeruatur, quod earum conſecratio non fuerit ordinatio; adeoque manuum impoſitio; quantum ego quidem obſeruare poſſum, non fuit antiqua cærimonia ad eam neceſſaria. Notandum porro eſt, quod quemadmodum virginum

ſteriis, vt tam virgo quam vidua, quæ ſe Deo deuouerint, ac ſæculo renuntiantes omnes delicias ſæculi conculcauerint, mundanam etiam monaſteriorum matribus offerant deſcendum. cetera.

(*s*) Sozom. lib. V. c. X. Ἐμπαροινήσαντες δὲ πρότερον ᾗ ἐδόκει, τὸ τελευταῖον ἀπέκειρον αὐτάς. Quum omni contumeliæ genere eas adfeciſſent, tandem totonderunt.

(*t*) Cod. Theod. lib. XVI. tit. II. de epiſc. leg. XXVII.

(*u*) Conſtit. apoſtol. lib. VIII. c. XXIV. Παρθένος οὐ χειροτονεῖται· ἐπιταγὴν γὰρ κυρίου οὐκ ἔχομεν. Virgo non fit ordinatione: mandatum enim domini non habemus.



ſocie-

ſocietas magnæ exiſtimationis in eccleſia fuit, ita peculiares quosdam honores ſibi delatos habuerit.

## §. VII.

### *De quibusdam priuilegiis, quæ eis indulta fuerunt.*

VIRGINES & viduæ communiter vna cum clericis [w] a capitatione plebeia, per leges *Valentiniani* aliorumque imperatorum immunes erant. Perſonæ earum erant ſacratæ; & ſeueræ leges in eos factæ, qui vel minimam ipſis violentiam inferre auſi eſſent. Exilium, proſcriptio & capitale ſupplicium ordinariæ ita delinquentium pœnæ [x] erant. *Conſtantinus* ſingularem eis exhibebat reuerentiam, ex ſuo ipſius ærario alimenta ſuppeditans. Et *Helena* mater eius [y] ad conuiuium ipſas vocare, eisque ipſa per ſe miniſtrans menſæ apponere fercula ſolebat. Eccleſia etiam aliquam redituum ſuorum partem eis dabat, peculiaremque locum in æde Dei, ex quadam in ipſas reuerentia, adſignabat, ad quem, vt AMBROSIVS [z] narrat, religioſæ matronæ & nobiles certatim currebant, earum oſcula petentes. Sed hac de re libro proxime ſequenti plura dicturi ſumus, vbi de eccleſiis & de diſtinctis omnium ordinum locis in eccleſia agendum erit.

(w) Cod. Theod. lib. XIII. tit. X. de cenſu leg. IV. In virginitate perpetua viuentes & eam viduam, de qua ipſa maturitas polliceatur ætatis, nulli iam eam eſſe nupturam, a plebeiæ capitationis iniuria vindicandas eſſe, decernimus. Leg. VI. Nulla vidua - - exactionem plebis agnoſcat. Simili autem deuotione habeantur immunes, & ſi quæ ſe ſacræ legi obſequio perpetuo dedicarunt.

(x) Cod. Theod. lib. IX. tit. XXV. de raptu ſanctimonialium. leg. II. Si quis, non dicam rapere, ſed vel adtemptare matrimonii iungendi cauſa, ſacratas virgines, vel inuitas, auſus fuerit, capitali ſententia ferietur. Leg. III. Si quis dicatam Deo virginem, prodigus ſui, raptor ambierit, publicatis bonis deportatione plectatur.

(y) Socrat. lib. I. c. XVII. Τὰς παρθένους τὰς ἀναγεγραμμένας ἐν τῷ τῶν ἐκκλησιῶν κανόνι, ἐπὶ ἑστίασιν προτρέπουσα, δι' ἑαυτῆς λειτουργοῦσα, τὰ ὄψα ταῖς τραπέζαις προσέφερε. Virgines in matricula eccleſiarum adſcriptas ad conuiuium vocabat; eisque per ſe ipſa miniſtrans menſæ apponebat fercula.

(z) Ambroſ. ad virginem lapſam c. VI. Nonne vel illum locum tabulis ſeparatum, in quo in eccleſia ſtabas, recordari debuiſti, ad quem religioſæ matronæ & nobiles certatim currebant, tua oſcula petentes, quaſi ſanctioris & dignioris?

§. VIII.

## §. VIII.

### *De nomine* νονὶς *&* nonna, *eiusque significatione.*

VNVM restat obseruandum, quod ad antiquum harum virginum nomen νονὶς & *nonnæ* pertinet, vnde nomen nostrum *Anglicanum Nun* oriundum esse, censeo. *Moniales* & *ascetriæ* trita earum nomina sunt in antiquis scriptoribus. HIERONYMVS semel nomen *nonnæ* adhibet, & PALLADIVS editionis MEVRSII, [a] νονὶς, at in editione FRONTONIS DVCAEI legitur γραῦς, *anus*. HOSPINIANVS [b] nomen *Aegyptium* esse & *virginem* significare dicit: HIERONYMVS [c] autem significationem paullo latius extendere videtur, vt indiscriminatim viduas, castitatem post primum connubium professas, non minus quam virgines denotet; nam speciatim illud viduis, in viduitate post primi mariti obitum vitam agentibus, applicat. Nomina *agapetarum* & *sororum* prætermittimus, vtpote quæ potius contumeliosa sunt, & ab offensionis pleno abusu ac intolerabili quorumdam vanorum & inconsideratorum hominum in ecclesia praxi originem suam habent: qua de re alibi [cc] diximus copiosius.

## §. IX.

### *Specialiores quædam obseruationes de viduis ecclesiasticis.*

DE viduis ecclesiasticis præterea non multa obseruanda sunt speciatim, quando generatim iisdem legibus & regulis, quibus virgines ecclesiasticæ, subfuerunt, nimirum quod ad earum habitum, consecrationem, professionem, sustentationem

(a) Pallad. histor. Lausiac. c. XLVI. al. LXXXVI.

(b) Hospinian. de monach. lib. I. c. I. p. 3. (p. 5. edit. Geneu. MDCLXIX.) Exstat apud Hieronymum *Nonnæ* vocabulum, quo id etiam genus hominum insignitur, in epistola ad Eustochium virginem: *Maritorum expertæ dominatum* cetera. Apparet autem hoc verbum ab Aegyptiis in vulgi sermonem venisse. Solent enim aliquoties res eius gentis sortiri vocabula, in qua præcipue fuerint, aut inde natæ sint. Aegyptus autem præter ceteras prouincias monachorum gregibus abundauit ab initio & Hieronymi adhuc ætate. Quorum lingua, puto, monachos & sanctos *nonnos* fuisse vocatos, monachas & virgines *nonnas*.

(c) Hieronym. ep. XXII. ad Eustoch. c. VI. (p. 90. edit. Francof.) Illæ [illegible], quæ sacerdotes suo videri [illegible] dominatum, viduitatis [illegible], castæ vocantur & *nonnæ*, post [illegible].

(cc) Lib. VI. c. II. §. XIII. vol. I. p. 53. [illegible]

& alia istiusmodi attinet. Quorum summa in canone quodam primi concilii *Arausicani* [d] ita expressa est: *Viduitatis seruandæ professionem coram episcopo in secretario habitam, imposita a presbytero veste viduali, non esse violandam.* Speciatim de illis obseruandum est: I. Quod tales debuerint esse viduæ, quæ, maritis suis iam pridem amissis, multos annos caste & inculpate vixerant, & domesticorum diligentem habuerant curam, vt auctor *constitutionum* [e] mentem suam verbis apostoli exprimit. Istis autem viduis, quæ paullo ante viros amiserant, non credendum existimabatur, quod periculum esset, ne cupiditatibus suis vel alia quadam tentatione abreptæ promissum desererent. II. Hinc cum ratione inferri poterit, viduas iuniores generatim ab ecclesia fuisse reiectas, nec ad solemnem professionem admissas ante, quam quadragesimum vel quinquagesimum ætatis annum superassent, licet hic terminus nusquam præcise constitutus esse legatur. Quando enim, vt ostendimus supra, virgines nondum quadraginta annos natæ ad virginitatis seruandæ professionem quibusdam ecclesiæ temporibus haud fuerunt admissæ, probabile omnino est, idem de viduis obseruatum, vel forte sexaginta annos ex regula apostoli requisitos fuisse. Viduas, quæ inter diaconissas in ecclesia adsciscebantur, quinquaginta vel sexaginta annos habere oportebat, quemadmodum supra [f], de earum loquentes ordine, ostendimus. Quæ etsi non istæ viduæ fuerunt, de quibus heic nobis sermo est, tamen, quum generatim ex illis eligi, atque hinc etiam viduæ appellari consueuerunt, non multum discriminis ratione ætatis inter ipsas intercessisse, colligas. III. Viduæ vnius tantum viri vxores, hoc

(*d*) Conc. Arausic. c. XXVII.

(*e*) Constitut. apost. lib. VIII. c. XXV. Εἰ μὲν οὐκ πολλοῦ ἀπέβαλε τὸν ἄνδρα καὶ σωφρόνως καὶ ἀκαταγνώστως ἔζησε, καὶ τῶν οἰκείων ἄριστα ἐπεμελήθη ὡς Ἰουδὶθ, καὶ Ἄννα αἱ σεμνόταται, καταλεγέσθω εἰς τὸ χηρικόν· εἰ δὲ νεωστὶ ἀπέβαλε τὸν ὁμόζυγον, μὴ πιστευέσθω· ἀλλὰ χρόνον νεότης κρινέσθω· τὰ γὰρ πάθη ἔσθ' ὅτε δὲ συγγηρᾷ ἀνθρώποις, εἰ μὴ ὑπὸ κρείττονος χαλινοῦ εἰργόμεθα. Si iam diu virum amisit, & caste & laudate vixit, & domesticorum diligentem curam habuit, vt honestissimæ illæ, ac grauissimæ feminæ Judith & Anna, cooptetur in gradum vidualem: Si vero paullo ante maritum amisit, ne ei credatur, sed potius adolescentia tempore exploretur, aliquando enim passiones cum hominibus consenescunt, nisi fortiori freno cohibeamur.

(*f*) Lib. II. c. XXII. §. IV. vol. I. p. 344.

est semel nuptæ, esse debebant, vti plerique veterum id intelligunt, diuersum licet verbis istis sensum dante THEODORETO, qui eas tantum excludit, quæ, priore marito deserto, secundas nuptias in publicam hominum offensionem contraxissent; qui verus apostoli sensus & mens esse videtur, quemadmodum viri docti [g] nunc quidem arbitrantur. IV. Differentia quædam erat inter viduas & virgines, quod ad cærimoniam consecrationis earum, ad minimum in ecclesia *Romana* tempore GELASII. Nam in epistola quadam canonica [h], vbi de velamine, virginibus certis quibusdam diebus festis, non autem aliis temporibus, nisi infirmitatis ratio id postulet, imponendo loquitur, viduas vllo vnquam tempore velari verbis expressis prohibet, quod hoc sit consuetudini & legi contrarium, nec vlla canonum forma præstitutum. Quod arguere videtur, hanc particularem cærimoniam in earum consecratione non fuisse vsitatam. Quamquam eo tempore, quo *Ordo Romanus* conscriptus est, vsus eius inualuit. In hoc enim forma consecrandi viduas [i] ita præscripta exstat: *Vidua, si se ipsam vult Deo dare, debet & a presbytero velari, vel etiam consecratum ab episcopo velamen de altari accipere, & ipsa sibi, non episcopus, illud debet imponere.* Neque vero mirum est, talem mutationem, qualis hæc est, in ecclesia *Romanensi* inueniri. Diligens istiusmodi rerum inquisitor multas alias maioris momenti innouationes inueniet, quas pluribus non persequimur, sed dissertationi nostræ de veteris ecclesiæ ascetis heic imponimus finem.

---

(*g*) Lib. II. c. XXII. §. V. vol. I. p. 345. 346.

(*h*) Gelas. ep. IX. ad episcop. Lucan. c. XII. (tom. IV. conc. p. 1191.) Deuoti Deo virginibus, nisi aut in epiphaniarum die, aut in albis paschalibus, aut in apostolorum natalitiis sacrum minime velamen imponant, nisi forsitan gravi languore correptis, ne sine hoc munere de sæculo exeant, implorantibus non negetur. Cap. XIII. Viduas autem velare pontificum nullus attentet, quod nec auctoritas diuina delegat, nec canonum forma præstituit.

(*i*) Ordo Roman. de consecrat. viduæ p. 167.

LIBER

# *LIBER OCTAVVS*
# DE ANTIQVIS ECCLESIIS, ET DIVERSIS EARVM PARTIBVS, VASIS, CONSECRATIONIBVS, IMMVNITATIBVS, ET ID GENVS ALIIS.

## *CAPVT PRIMVM*
## DE DIVERSIS NOMINIBVS ET PRIMA ORIGINE ECCLESIARVM INTER CHRISTIANOS.

### §. I.
### *De nomine* ecclesia *et* ἐκκλησιαστήριον.



HACTENVS de personis tam clericis, quam laicis, magnum ecclesiæ christianæ corpus constituentibus. Iam de ecclesiis alio sensu verba facere instituimus, primum quidem quatenus pro materiatis ædificiis, siue locis conuentus, ad diuinum cultum erectis; & deinde quatenus pro certis dioecesium, prouinciarum & parochiarum finibus, in quos ecclesia catholica diuisa fuit, sumuntur. De prima acceptione loquentibus nobis fas fuerit ab earum exordiri nominibus, & in primam ecclesiarum inter christianos originem paululum inquirere. Vnum ex vsitatissimis nominibus ecclesiarum pro ædificiis sumtarum fuit hoc ipsum *ecclesia*; quod tamen apud antiquos scriptores *græcos* sæpe concionem populi, ad res sacras vel ciuiles tractandas congregati, significat; atque hoc modo nonnumquam in sacris scripturis adhibetur Act. XIX, 40. Matth. XVIII, 17. Et ISIDORVS PELVSIOTA itidem hoc sensu adhibet, atque inter ἐκκλησίαν & ἐκκλησιαστήριον distinguit, *Aliud* [a], inquiens, *est* ἐκκλησία, *aliud* ἐκκλησιαστήριον: *nam ea ex immaculatis animis constat; hoc autem ex lapidibus & lignis exædificatur.* Et hoc sensu, vt CYRILLVS [b] obseruat,

(a) Isidor. Pelusiot. lib. II. epist. CCXLVI. Ἄλλο ἐστὶν ἐκκλησία καὶ ἄλλο ἐκκλησιαστήριον· ἡ μὲν γὰρ ἐξ ἀμώμων ψυχῶν συνέστηκε, τὸ δὲ ἀπὸ λίθων καὶ ξύλων οἰκοδομεῖται.

(b) Cyrill. catech. XVIII. n. XI. p. 270. (edit. Oxon. MDCCIII.) Ἐκκλησία δὲ κα-

Φερο-

*Φερωνυμία* quædam, ſeu nominis conuenientia cum re, in appellatione ἐκκλησίας habetur, quæ ita dicitur *ἀπὸ τῦ ἐκκαλεῖν*, quod eſt concilium hominum ſolemniter conuocatum. Verum etſi hæc plane antiqua & communis huius vocabuli ſignificatio eſt, non minus tamen alio ſenſu vſurpatum occurrit, denotans locum ſeu ipſum ædificium, in quo [*c*] fit congregatio; atque in hac acceptione & *iudæorum* ſynagogis & templis gentilium opponitur; quemadmodum ex noto iſto *Aureliani* [*d*], imperatoris ethnici, loco apparet, vbi ſenatum reprehendens, *Miror vos*, inquit, *patres ſancti, tam diu de aperiendis Sibyllinis dubitaſſe libris, perinde quaſi in chriſtianorum ECCLESIA, non in templo deorum omnium, tractaretis*: Et ex alio quodam loco AMBROSII [*e*], vbi *Theodoſium* imperatorem in epiſcopi cuiusdam chriſtiani, qui ſynagogam *iudaicam* exuri iuſſerat, gratiam adloquens rogat, num æquum ſit, vt propter ſynagogæ alicuius exuſtionem in populum chriſtianum tam ſeuere animaduertatur, quum *Iudæis* & gentilibus, qui *eccleſias* vaſtarint, parcitum ſit?

§. II.

*De nominibus* dominicum, *et κυριακὸν, nec non* domus columbæ.

ALIVD nomen tritum inter *Latinos* eſt *dominicum* ſeu *domus Dei*, quod *Græco κυριακὸν* reſpondet, vnde cum parua quadam immutatione nomen *Saxonicum* habemus *kyrik*, vel *kyrch*, & *Scoticum* & *Anglicanum kyrk* atque *church*, quæ vocabula omnia vnius eiusdemque valoris ſunt, locum vſui & cultui Dei ſacrum denotantia. Nomen *dominicum* ad minimum CYPRIANO coævum eſt, ſed hic non ad eccleſiam tantum, ſed ad epulum etiam dominicum [*f*], fortaſſis etiam ad *diem dominicum*, applicat.

λεῖται φερωνύμως, διὰ τὸ πάντας ἐκκαλεῖσθαι καὶ ὁμοῦ συνάγειν. Eccleſia nomine rei congruo vocatur, quaſi dicas conuocatio, propter omnium conuocationem & congregationem.

(*c*) Suic. theſaur. eccleſ. pag. 1049. Ἐκκλησία dicitur ἀπὸ τῦ ἐκκαλεῖν, *ab euocando*, cetera.

(*d*) Apud Vopiſcum vit. Aurelian.

(*e*) Ambroſ. ep. XXIX. ad Theodoſ. (ep. XVII. p. 105. b. c. tom. V. opp. edit. Colon. MDCXVI.) Synagoga incenſi eſt perfidiæ locus - - Eccleſia non vindicata eſt, vindicabitur ſynagoga?

(*f*) Cyprian. de opere & eleemoſ. p. 203. (p. 141. edit. Fellii Amſtelod. MDCC.)



Nam,

Nam, vti doctus operum eius editor [g] aliique [h] obseruarunt, vocabulum *dominicum* apud antiquos scriptores tria significat, *1. diem dominicum*, *2. epulum dominicum*, *3. ædificium dominicum.* Et CYPRIANI verba ad vtrumque sensum construi poterunt. Ita enim locupletem aliquam matronam adloquitur: *Locuples & diues es, ET DOMINICVM* (diem vel epulum) *celebrare te credis; quæ corbonam omnino non respicis? quæ in DOMINICVM* (domum domini) *sine sacrificio venis, quæ partem de sacrificio, quod pauper obtulit, sumis?* Idem nomen frequenter in aliis scriptoribus *latinis* occurrit, vt in RVFFINO, qui episcopum introducit, qui philosophum in concilio *Nicæno* ad obsequium Christi perduxit, recens conuersum his verbis adloquentem: *Si hæc ita esse credis, surge & sequere me ad DOMINICVM* [i], *& huius fidei signaculum suscipe.* Et HIERONYMVS [k] auctor nobis est, celebrem ecclesiam *Antiochiæ*, a *Constantino* ædificari cœptam, & finitam dedicatamque a *Constantio*, propter magnificentiam & pulchritudinem suam *dominicum aureum* appellatam fuisse. Nomen *græcum* κυριακὸν frequenter occurrit in conciliis *Ancyrano* [l], *Neocæsariensi* [m] & *Laodiceno* [n], nec non in EVSE-

(g) Fell. in loc. Obseruandum venit, *dominici* voce tria significari apud veteres. 1. *diem ipsam*, ita habetur Apoc. I, 9. & Ignat. ep. ad Trullianos. 2. *Ecclesiam.* ita conc. Neocæs. c. V. iubet catechumenum ingredientem εἰς τὸ κυριακὸν, in loco catechumenorum subsistere. Et Hieronymus in chronico sic voce *dominicæ* vtitur. Et in vernaculis nostris linguis, nostratium *church*, & germanorum *dhom*, ex hoc fonte liquido deducuntur. 3. Ponitur de mysteriis loco ac tempore prædicti celebrari soliti; ita κυριακὸν τελεῖν, est sacris christianis operari. Et fortasse huc facit, quod heic dicitur, *dominicum celebrare te credis?*

(h) Bona rer. liturg. lib. I. c. III. n. II. p. 14. 15.

(i) Ruffin. histor. lib. I. c. III.

(k) Hieronym. chron. olymp. CCLXXVI. an. III. In Antiochia *dominicum*, quod appellatur *aureum*, ædificari cœptum.

(l) Conc. Ancyr. c. XV. (tom. I. conc. p. 1461.) Περὶ τῶν διαφερόντων τῷ κυριακῷ, ὅσα ἐπισκόπου μὴ ὄντος πρεσβύτεροι ἐπώλησαν, ἀναβαλεῖσθαι τὸ κυριακόν. Ex iis quæ pertinent ad *dominicum*, quæcunque dum non esset episcopus, presbyteri vendiderunt, reuocare *dominicum*.

(m) Conc. Neocæs. c. V. ibid. p. 1481.) Κατηχούμενος ἐὰν εἰσερχόμενος εἰς κυριακὸν, κ. τ. λ. Catechumenus si in *dominicum* ingrediens, cetera.

(n) Conc. Laodic. c. XXVIII. (ibid. p. 1501.) Ὅτι οὐ δεῖ ἐν τοῖς κυριακοῖς, ἢ ἐν

BIO

BIO [*o*], qui *Maximinum* tyrannum chriſtianorum eccleſias hoc nomine per edicta ſua inſtaurari iuſſiſſe, auctor eſt. Et *Conſtantinus* diuerſa templa ab ſe ædificata κυριακὰ appellauit, quippe quæ non in vllius mortalium, [*p*], ſed in ipſius omnium regis ac domini honorem, eſſent dedicata. Hæc plana iſtius nominis ratio eſt. An vero hinc cum viro quodam erudito [*q*] concludi liceat, quod a *Græcis*, non autem *Latinis*, prima chriſtianæ religionis fundamenta in *Britannia* iacta ſint, eo quod nomina κυριακὸς & *kyrk* magis ſibi adfinia ſint, illud quidem non adeo planum eſſe exiſtimamus, ſed lectoris cuiuslibet iudicio id relinquimus definiendum.

TERTVLLIANVS ſemel vtitur appellatione *domus columbæ* pro eccleſia. Scribens enim contra *Valentinianos* hæreticos, adyta in doctrina ſua adfectantes, *Eleuſiniis myſteriis* ea comparat, quorum templum ianuis & velamentis munitum erat, vt homines quinquennium inſtitui oporteret ante, quam ad adyta diuinitatis, ſeu ſanctuarii ſecreta, intromitti poſſent. *Sed no-*

---

ταῖς ἐκκλησίαις τὰς λεγομένας ἀγάπας ποιεῖν κ. τ. λ. Quod non oportet in *dominicis* vel in eccleſiis, eas quæ dicuntur agapas facere, cetera.

(*o*) Euſeb. lib. IX. c. X. Καὶ τὰ κυριακὰ δὲ τὰ οἰκεῖα ὅπως κατασκευάζοιεν, συγχωρεῖται. Sed & *dominica* ſua ipſis inſtaurare conceditur.

(*p*) Euſeb. de laud. Conſtant. c. XVII. p. 545. d. ) Κατὰ πόλεις τε καὶ κώμας, χώρας τε πάσας καὶ τὰς τῶν βαρβάρων ἐρήμους, ἱερὰ καὶ τεμένη ἑνὶ τῷ πάντων βασιλεῖ Θεῷ τῷ δὴ καὶ τῶν ὅλων δεσπότῃ καθιερῶσθαι· ἔνθεν καὶ τῆς τοῦ δεσπότου προσηγορίας ἠξίωται τὰ καθιερωμένα· οὐκ ἐξ ἀνθρώπων τυχόντα τῆς ἐπικλήσεως, ἐξ αὐτοῦ δὲ τοῦ τῶν ὅλων κυρίου, παρὸ καὶ κυριακῶν ἠξίωνται τῶν ἐπωνυμιῶν. In vrbibus ac pagis, in agris ac deſertis barbarorum locis, fana ac delubra in honorem vnius omnium regis ac domini dedicauit. Vnde etiam *domini* vocabulo honorata ſunt; non ab hominibus ſed ab ipſo omnium domino cognomentum ſortita. Ab eo quippe *dominica* appellantur.

(*q*) Beuereg. not. in can. XV. concilii Ancyr. p. 1̄8. Hanc ſaltem vocem (κυριακὸν) vt eccleſiam in genere ſignificantem alii germani a græcis mutuati ſunt, vt docet Walafridus Strabo de rebus eccleſ. c. VII. Sic etiam antiqui Saxones eccleſiam quamlibet *kyrik* vocarunt. Vnde in Scotia & ſeptemtrionalibus Angliæ partibus *kyrk*, nobis vulgo, ſed magis corrupto nomine *church*, duplici adſpiratione nuncupatur. Quum autem hæc communis fuerit maioribus noſtris eccleſiæ cuiuslibet templiue denominatio, *veri nobis ſimillimum videtur, prima chriſtianæ religionis ſemina a græcis heic diſperſa fuiſſe.* Neque enim exiſtimandum eſt, quod latini græcum nomen eccleſiis imponerent.

*ſtræ*, inquit, *COLVMBAE* [r] *DOMVS ſimplex, in editis ſemper & apertis & ad lucem. Amat figuram ſpiritus ſancti* (hoc eſt, ignem & lucem, vt mea quidem ſententia, recte interpretatur IVNIVS) *orientem chriſti figuram.* Domus columbæ heic idem videtur eſſe ac domus *CHRISTI*, quippe quem, vti TERTVLLIANVS eodem loco [s] loquitur, columba demonſtrare ſolita eſt: alioquin, vt MEDVS [ſſ] id explicat, pro columbæ ſimili religione, vel pro columbæ ſimilibus diſcipulis *CHRISTI*, accipere poſſumus. Nam quouis modo nomen eccleſiæ indicabit, vt TERTVLLIANVS manifeſto intendit.

## §. III.

### *De diſtinctione inter* domum Dei, domum diuinam *et* domum eccleſiæ.

SVNT duo alia nomina priori iſti adfinia, quæ lectores quidam facile per errorem pro nominibus eccleſiæ accipere poſſent, quam non ſemper ſignificant; adeoque non poſſum, quin eorum hoc loco faciam mentionem. Vnum eſt *domus diuina*, *domus eccleſiæ* alterum. Quorum prius in lege ciuili ſæpiſſime adhibetur, vbi non eccleſiam, ſed imperatoris palatium, vel domum & familiam ſignificat, & id quidem ex horum temporum ſtilo, vbi, quidquid ad imperatores ſpectabat, *diuinum* appellabatur. Exempli cauſſa, *conſtitutiones diuinæ*, *diuale præceptum*, *lex diualis*, *litteræ ſacræ*, *oraculum cæleſte*, & id genus alia, non ſignificant, (vti ſibi quis facile perſuaſerit) ſacras & diuinitus inſpiratas ſcripturas, ſiue leges & oracula Dei, ſed edicta & conſtitutiones imperatorum, qui tunc ipſi *diui*, adeoque omnes res ad ipſos pertinentes, *diuinæ* vocabantur. Secundum hanc loquendi rationem, quando *Theodoſius iunior* imperator edictum promulgauit in hanc ſententiam [t]: *Nulli, ne DIVINAE quidem DOMVI noſtræ, frumentum de horreis publicis pro annona penitus præbeatur, ſed integer canon mancipibus conſignetur, annona in pane cocto domibus exhibenda*, planum eſt & perſpicuum, ipſum per *diuinam domum* ſuam non domum Dei, hoc eſt eccleſiam ſeu tem-

(r) Tertull. contr. Valentin. c. III.

(s) Tert. ibid. c. II. Chriſtum columba demonſtrare ſolita eſt.

(ſſ) Mede's *diſc. of churches* p. 329.

(t) Cod. Theod. lib XIV. tit. XVI. de frumento vrbis Conſtantinop. leg. II.

plum,

plum, sed *palatinos*, qui de domo principis erant, intellexisse, vt GOTHOFREDVS recte illud interpretatur. Posterius nomen *domus ecclesiæ*, οἶκος ἐκκλησίας, ab EVSEBIO, *Pauli Samosatensis* hæretici historiam commemorante, vsurpatur, quem quantumuis a concilio *Antiocheno* officio suo exutum nulla tamen ratione e *domo ecclesiæ* [u] excedere voluisse, dicit. Quare imperatorem *Aurelianum* a patribus interpellatum hoc negotium diiudicasse, iis *domum* tradi præcipiendo, quibus *Italici* christianæ religionis antistites & *Romanus* episcopus scriberent, atque hoc modo *Paulum* cum summo dedecore per sæcularem potestatem ab ecclesia fuisse exturbatum. Quæritur heic, quid per *domum ecclesiæ* intelligat EVSEBIVS. MEDVS [w] pro ecclesia ipsa accipit, & probabilem sententiæ suæ rationem adfert, quod EVSEBIVS ipse se explicet, quando *Paulum* ab ecclesia exturbatum esse, dicat. Et eadem appellatione alibi vtitur, vbi non potest non ecclesiam, seu domum sacri conuentus, significare. Loquens enim de *Maximino* [x], christianorum insectatore, ait: *Tantum iussit, vt ab omni calumnia & vexatione immunes seruaremur, conuentus autem agere, aut DOMOS ECCLESIARVM exstruere, aut aliud quid earum, quæ nobis solemnia sunt, peragere, nequaquam præcepit.* At vero in aliis locis *domus ecclesiæ* potius domum episcopi videtur significare, vt in concilio secundo *Toletano* [y], in quo hoc decretum legitur: *De his, quos voluntas parentum a primis infantiæ annis clericatus officio manciparit, statuimus obseruandum, vt mox, quum detonsi, vel ministerio electorum contraditi fuerint, IN DOMO ECCLESIAE sub episcopali præsentia a præposito sibi debeant erudiri.*

---

(u) Eufeb. lib. VII. c. XXX. Μηδαμῶς ἐκστῆναι τοῦ Παύλου τοῦ τῆς ἐκκλησίας οἴκου θέλοντος, βασιλεὺς ἐντευχθεὶς Αὐρηλιανὸς, αἰσιώτατα περὶ τοῦ πρακτέου διείληφε· τούτοις νεῖμαι προστάττων τὸν οἶκον, οἷς ἂν οἱ κατὰ τὴν Ἰταλίαν καὶ τὴν Ῥωμαίων πόλιν ἐπίσκοποι τοῦ δόγματος ἐπιστέλλοιεν· οὕτω δῆτα ὁ προδηλωθεὶς ἀνὴρ μετὰ τῆς ἐσχάτης αἰσχύνης, ὑπὸ τῆς κοσμικῆς ἀρχῆς ἐξελαύνεται τῆς ἐκκλησίας.

(w) Mede's *disc. of churches* p. 333.

(x) Eufeb. lib. IX. c. IX. αὐτὸ μόνον τὸ ἀνεπηρέαστον ἡμῖν ἐπιτρέπον φυλάττεσθαι, οὐ μὴν συνόδους ἐπικελεῦον ποιεῖσθαι, οὐδ᾽ οἴκους ἐκκλησιῶν οἰκοδομεῖν, οὐδ᾽ ἄλλο τι τῶν συνήθων ἡμῖν διαπράττεσθαι. Lib. VIII. c. XIII. μήτε τῶν ἐκκλησιῶν τοὺς οἴκους καθελὼν, κ. τ. λ. quum nec *ecclesiarum ædes* subuertisset.

(y) Conc. Tolet. II. c. I. (tom. IV. conc. p. 1733.)

Hæc domus in aliis canonibus, *domus sacerdotalis*, ad distinguendum eam ab ecclesia, nuncupatur.

## §. IV.

### *Ecclesiæ dictæ* oratoria, *siue domus precationis.*

QVEMADMODVM templum Dei *Hierosolymitanum* in scriptura sæpius vocatur *domus precationis*; ita christianorum templa, eo quod preces in primis officiis inibi peragendis essent, προσευκτήρια & οἶκοι εὐκτήριοι, *oratoria* siue *domus precationis* vocabantur; cuius rei innumera exempla in EVSEBIO [z], SOCRATE [a], SOZOMENO [b] aliisque antiquis scriptoribus obuia sunt. Sed ve-

(z) Euseb. lib. X. c. III. ἐπὶ δὲ τούτοις, τὸ πᾶσιν εὐκταῖον ἡμῖν καὶ ποθούμενον συνεκροτεῖτο θέαμα, ἐγκαινίων ἑορταὶ κατὰ πόλεις, καὶ τῶν ἄρτι νεοπαγῶν προσευκτηρίων ἀφιερώσεις. Posthæc votiuum nobis ac desideratum spectaculum præbebatur, dedicationum scilicet festiuitas per singulas vrbes, & *oratoriorum* recens structorum consecrationes.

Id. de laud. Constant. c. XVII. Θεομάχοι τινὲς πρώην, τῶν αὐτοῦ προσευκτηρίων τὰς οἰκοδομὰς - - ἐκ βάθρων ἀνορύττοντες καθῄρουν, Nuper quidem, qui Deo bellum indixerant, *oratoria* eius - - ab ipsis fundamentis euerterunt.

Id. de vita Constant. lib. III. c. XLVIII. Τὴν δὲ γ' ἐπώνυμον αὐτοῦ πόλιν ἐξόχῳ τιμῇ γεραίρων, εὐκτηρίοις πλείοσιν ἐφαίδρυνε, Quum vero ciuitatem nominis sui ad summam gloriam extollere instituisset, plurimis eam *oratoriis* exornauit.

(a) Socrat. lib. I. c. XVIII. Τοσοῦτος ἦν ὁ τοῦ βασιλέως περὶ τὸν χριστιανισμὸν πόθος, ὡς καὶ περσικοῦ μέλλοντος κινεῖσθαι πολέμου, κατασκευάσας σκηνὴν ἐκ ποικίλης ὀθόνης, ἐκκλησίας τύπον ἀποτελοῦσαν, ὥσπερ Μωϋσῆς ἐν τῇ ἐρήμῳ πεποιήκει, καὶ ταύτην φέρεσθαι, ἵνα ἔχοι κατὰ τοὺς ἐρημοτάτους τόπους εὐκτήριον ηὐτρεπισμένον. Tantus erat in illo amoris ardor erga Christi religionem, vt quum bellum Persicum immineret, tabernaculum ad instar ecclesiæ, ex variis pictisque velis confici iusserit, sicut Moses olim in solitudine fecerat: atque illud secum portari voluerit, vt in locis etiam desertissimis paratum habeet *oratorium*. Cap. XIX. Παρεκάλει τόπους καταλαμβάνειν ἰδιάζοντας, ἐπὶ τῷ τὰς χριστιανικὰς ἐπιτελεῖν εὐχάς· καταβραχὺ δὲ προϊόντος τοῦ χρόνου, καὶ εὐκτήριον κατεσκεύασε. Hortatus est, vt priuata sibi loca eligerent, in quibus christianorum more Deum precarentur. Dein processu temporis *oratorium* ædificauit.

(b) Sozom. lib. II. c. V. Πλεῖσται γὰρ δὴ καὶ ἄλλαι πόλεις τηνικαῦτα πρὸς τὴν θρησκείαν ηὐτομόλησαν, καὶ αὐτόματοι βασιλέως μηδὲν ἐπιτάττοντος, τοὺς παρ' αὐτοῖς ναοὺς καὶ ξόανα καθεῖλον, καὶ εὐκτηρίους οἴκους ᾠκοδόμησαν. Nam & aliæ plurimæ vrbes eo tempore ad christianam religionem defecerunt, & sua sponte, nihil horum iubente imperatore, templa ac simulacra sua euerterunt & ecclesias ædificarunt.

ro in quibusdam canonibus nomen *oratoriorum* ad priuata facella, siue loca cultui diuino pro priuatarum familiarum commoditate constituta, restringi videtur, quæ a parochialibus ecclesiis dependebant, ab eisque in hoc discrepabant, vt essent tantum loca faciendis precibus, non autem missis celebrandis, destinata; vel si hoc ipsum aliquando priuatis familiis permittebatur, certe maioribus, & solemnioribus diebus festis ad ecclesias parochiales, ad percipiendam sacram synaxin, conferre se debebant. GRATIANVS [c] canonem ex concilio *Aurelianensi* citat, istiusmodi *oratoria* permittentem, sed eucharistiam ibi celebrari omnino interdicentem. Idem priuilegium in nouella quadam IVSTINIANI [d], sed cum eadem exceptione, indulgetur. Atque hoc modo canonem istum concilii *Trullani* [e] intelligendum esse, arbitror, qui clericis in talibus oratoriis publice sacra facere permittit, ea quidem conditione, vt hoc de episcopi illius loci sententia faciant. Nulla enim in his locis administrationis sacramentorum fit mentio, licet *latina* versio vocabulum *baptizant* immisceat, quod in *græco* non est [*], & expressis verbis alio eiusdem concilii canone [f] prohibetur, iubente omnes homines bapti-

(c) Gratian. de consecrat. distinct. I. c. XXXIII. Vnicuique fidelium in domo sua *oratorium* licet habere & ibi orare: Missas autem ibi celebrare non licet.

(d) Iustin. nouell. LVIII. Εἰ μὲν οἴκους οὕτως ἁπλῶς τινες ἔχειν οἴονται δεῖν ἐν τοῖς ἑαυτῶν ἱεροῖς· εὐχῆς δὲ καὶ μόνης χάριν, καὶ οὐδενὸς πραττομένου παντελῶς τῶν ὅσα τῆς ἱερᾶς καθέστηκε λειτουργίας, τοῦτο αὐτοῖς ἐφίεμεν. Si quidem domos ita simpliciter aliqui habere putant oportere in sacris suis, orationis videlicet solius gratia, & nullo celebrando penitus horum quæ sacri sunt mysterii, hoc eis permittimus.

(e) Conc. Trull. c. XXXI. (tom. VI. conc. p. 1155.) Τοὺς ἐν εὐκτηρίοις οἴκοις ἔνδον οἰκίας τυγχάνουσι λειτουργοῦντας ἢ βαπτίζοντας κληρικοὺς, ὑπὸ γνώμης τοῦτο πράττειν τοῦ κατὰ τόπον ἐπισκόπου ὁριζόμεν· ὥστε εἴ τις κληρικὸς μὴ τοῦτο οὕτω παραφυλάττοι, καθαιρείσθω. Clericos, qui in oratoriis, quæ sunt intra domos, sacra faciunt, vel baptizant; hoc illius loci episcopi sententia facere debere decernimus. Quare si quis clericus hoc non sic seruauerit, deponatur.

(*) At in meo exemplari editionis Labb. Parif. MDCLXXI. habetur τὸ βαπτίζοντας vid. not. ant. c. (e).

(f) Concil. Trull. c. LVIII. al. LIX. Μηδαμῶς ἐν εὐκτηρίῳ οἴκῳ ἔνδον οἰκίας τυγχάνοντι βάπτισμα ἐπιτελείσθω· ἀλλ᾽ οἱ μέλλοντες ἀξιοῦσθαι τοῦ ἀχράντου φωτίσματος ταῖς καθολικαῖς προσερχέσθωσαν ἐκκλησίαις, κἀκεῖσε τῆς δωρεᾶς ταύτης ἀπολαυέτωσαν. In æde oratorii, quæ est intra domum, baptismus nequaquam peragatur. Sed qui illuminatione ab omnibus sordibus aliena digni habendi sunt, ad catholicas ecclesias accedant, & hoc illic munere perfruantur.

zari

zari in catholicis, hoc eſt publicis, eccleſiis. Concilium autem *Agathenſe* [g] in *Gallia* euchariſtiam in priuatis oratoriis, veniam concedente epiſcopo, adminiſtrari permittit, quibusdam tamen diebus feſtis ſolemnioribus exceptis. *Si quis*, inquit, *extra parochias, in quibus legitimus eſt ordinariusque conuentus, oratorium in agro habere voluerit; reliquis feſtiuitatibus, vt ibi miſſas teneat, propter fatigationem familiæ, iuſta ordinatione permittimus: Paſcha vero, natalem domini, epiphania domini, aſcenſionem domini, pentecoſtem & natalem S. Ioannis baptiſtæ, vel ſi qui maximi dies in feſtiuitatibus habentur, non niſi in ciuitatibus aut in parochiis teneant. Clerici vero, ſi qui in feſtiuitatibus, quas ſupra diximus, in oratoriis, niſi iubente aut permittente epiſcopo, miſſas facere aut tenere voluerint, a communione pellantur.* Vt adeo his temporibus *oratorium* & *eccleſia catholica* ab ſe inuicem ita diſcrepaſſe videantur, quemadmodum nunc ſacellum priuatum ab eccleſia parochiali differt, licet primis temporibus nulla diſtinctio interceſſerit.

§. V.

*Cur vocatæ ſint* baſilicæ *et* ἀνάκτορα.

ECCLESIAE alio nomine dicuntur *baſilicæ*, quod *Anglice* reddiderimus *Palaces of the great king*, hoc eſt, *magni regis palatia.* Hoc nomen frequenter occurrit apud AMBROSIVM [h], AVGVSTINVM [i], HIERONYMVM [k], SIDONIVM APOLLINAREM [l] aliosque ſæculi quarti & quinti ſcriptores, ante quod tem-

(g) Conc. Agath. c. XXI. (tom. IV. conc. p. 1386.)

(h) Ambroſ. ep. XXXIII. ad Marcellinam de tradendis baſilicis (lib. II. epiſt. XIV. p. 101. b. edit. Colon.) Nec iam Portiana, hoc eſt, extramurana *baſilica* petebatur, ſed *baſilica* noua, hoc eſt intramurana, quæ maior eſt. Conuenerunt me primo viri comites conſiſtoriani, vt & *baſilicam* traderem & procurarem, ne quid populus turbarum moueret.

(i) Aug. de diuerſis ſerm. XII. Sermo habitus Carthagini in *baſilica.* Fauſti, cetera.

(k) Hieron. epiſt. VII. ad Lætam (p. 37. b. edit. Francof.) *Baſilicas* martyrum & eccleſias ſine matre non adeat.

(l) Sidon. lib. V. ep. XVII. Conueneramus ad ſancti Iuſti ſepulcrum, ſed tibi infirmitas impedimento, ne tunc adeſſes, proceſſio fuerat antelucana, ſolemnitas anniuerſaria, populus ingens ſexu ex vtroque, quem capaciſſima *baſilica* non caperet.

Euſeb. in oratione de laudibus Conſtantini c. IX. vtitur nomine ἀνάκτορον, Εἴτω δὲ τὸ ἀνάκτορον, inquiens, εἰς ἀμήχανον ἐπαίρων ὕψος, ἐν ὀκταέδρῳ

pus

pus vix in vllo christiano auctore illud inuenias. Antiquitus enim apud *Romanos* basilicæ appellabantur ædes publicæ, porticibus & ambulationibus magnifice exstructæ, vbi principes siue magistratus ad audiendas & decidendas caussas sedebant; aliaque publici vsus ædificia, velut curia, & mercatorum tabernæ publicæ eodem inter eos nomine veniebant. *Constantino* autem imperatore religionem christianam amplexo, earum multæ ecclesiæ dabantur, in aliumque vsum, ad christianorum videlicet conuentus inibi agendos, adhibebantur; vti ex loco AVSONII [m] liquet, quando in gratiarum actione ad *Gratianum* imperatorem pro suo consulatu ait: *Basilica olim negotiis plena nunc votis pro tua salute susceptis.* Quo ipso dicere voluisse censendus est, quod palatia & aulæ *Romanæ* in ecclesias christianas conversæ sint. Et hinc, reor, nomen *basilicæ* generale aliquod ecclesiarum nomen posterioribus temporibus factum est. Tametsi DVRANTVM & BONAM [n] præterea alias huius appellationis caussas afferre non ignorem, nimirum quia ibi regi omnium Deo cultus & sacrificia offerantur, vel quia tantum ampliores & augustiores ecclesiæ hoc nomine insigniantur; quod vero re ipsa ita non est, nam ex quo primum vsus obtinuit, commune omnium ecclesiarum nomen fuisse, constat.

§. VI.

*Quando primum appellatæ sint* templa.

IDEM de appellatione *templorum* obseruandum est, qua prioribus tribus sæculis vix [o] vllum scriptorem christianum pro quadam ecclesia, sed tantum pro gentilium templis, quæ idolorum receptacula & deorum ipsorum claustra erant, vsum es-

---

μῶ σχήματι κατεποίκιλεν. Interius vero *basilicam* ipsam ad summam erexit altitudinem eamque octaedri forma constructam varie exornauit.

(m) Auson. gratiar. actio pro consulatu p. 190.

(n) Durant. de ritibus eccles. lib. I. c. I. n. IX. Ideo diuina templa, ait Isidorus lib. XV. c. IV. basilicæ nominantur, quia ibi regi omnium Deo cultus & sacrificia offerunt.

Bona rer. liturg. lib. I. c. XIX. n. IV. Ea vox, (basilica) ecclesiis christianorum tributa est, vel propter ædificii magnificentiam: vel quia ibi, vt ait Isidorus *lib. XV. origin. cap. IV.* regi omnium Deo cultus & sacrificia offeruntur: vel quia profanæ basilicæ in ecclesias Christi conuersæ sunt.

(o) Ignat. ep. ad Magnes. n. VII. semel hoc nomine vtitur cum quadam restrictione, ecclesiam vocans ναὸν Θεοῦ, *templum Dei.*

ſe, deprehendas. Superſtitione autem gentilitatis deſtructa, & ſtatuis vbique deiectis, templisque purgatis & in eccleſias chriſtianas conſecratis, ſequentium ſaeculorum ſcriptores templorum nomen eis tribuere non dubitarunt. Vt quum AMBROSIVS [p] *templum Dei* a ſe tradi haud poſſe, diceret, certe *eccleſiam*, non autem *templum idolorum*, intelligebat. Ita quoque LACTANTIVS [q], quando ſe in *Bithynia* litteras oratorias eo tempore docuiſſe adfirmat, quum *Dei templum* euerſum ſit, intelligit eccleſiam *Nicomedienſem*, quae omnium prima perſecutionis *Diocletianeae* tempore vaſtata fuit. EVSEBIVS de eccleſiis, poſt illam perſecutionem reaedificatis, loquens *templa* [r] eas nuncupat, & ſpeciatim eccleſiam a *Paulino* exſtructam *templum in* vrbe *Tyro* [s] vocat. Vt alia loca CHRYSOSTOMI [t], THEODORETI [u], PRVDENTII [w], HI-

(p) Ambroſ. ep. XXXIII. ad Marcellin. ( vid. not. (h) p. 120. ) Reſpondi, quod erat ordinis, *templum Dei* tradi a ſacerdote non poſſe.

(q) Lactant. lib. V. c. II. Quum ego in Bithynia litteras oratorias accitus docerem, contigiſſetque, vt eodem tempore *Dei templum* euerteretur, cetera.

(r) Euſeb. lib. X. c. II. Πάντας τόπους τὸν πρὸ μικροῦ ταῖς τῶν τυράννων δυσσεβείαις ἠρειπωμένον, ὥσπερ ἐκ μακρᾶς καὶ θανατηφόρου λύμης ἀναβιώσκοντα θεωμένοις, νεώς τε αὖθις ἐκ βάθρων εἰς ὕψος ἄπειρον ἐγειρομένους, καὶ πολὺ κρείττονα τὴν ἀγλαΐαν τῶν πάλαι πεπολιορκημένων ἀπολαμβάνοντας. Quum loca cuncta, quae tyrannorum impietas paullo ante ſubuerterat, tamquam ex diuturna ac peſtifera labe reuiuiſcere videremus: *templaque rurſus a ſolo in immenſam altitudinem erigi* & longe maiore cultu ac ſplendore, quam illa, quae prius expugnata fuiſſent, niteſcere.

(s) Euſeb. lib. X. c. IV. οὗ διὰ σπουδῆς ὁ μάλιστα τῶν ἀμφὶ τὸ φοινίκων ἔθνος διαπρέπων ἐν Τύρῳ νεὼς φιλοτίμως ἐπεσκεύαστο. Cuius ſtudio templum illud in vrbe Tyro erat exſtructum, omnium quae in Phoenice ſunt, longe pulcherrimum.

(t) Chryſoſtom. hom. IV. de verbis Ieſaiae tom. III. p. 865. (p. 7.2. a. edit. Francof.) Ταῦτα λέγω ἀεὶ καὶ λέγων οὐ παύσομαι· ὅτι ἐγκώμιον τῆς πόλεως τῆς ἡμετέρας, οὐχ ὅτι σύγκλητον ἔχει, καὶ ὑπάτους ἀριθμεῖν ἔχομεν, οὐχ ὅτι ἀνδριάντας πολλούς, οὐδ' ὅτι ὠνίων ἀφθονίαν, οὐδ' ὅτι θέσεως ἐπιτηδειότητα· ἀλλ' ὅτι δῆμον ἔχει φιλήκοον, καὶ ναοὺς Θεοῦ πεπληρωμένους. Haec ego ſemper loquor, nec loqui deſinam, quoniam haec noſtrae ciuitatis laus eſt, non quod ſenatum habet, non quod conſules numerare poſſumus, neque quod ſtatuas complures, neque quod mercium copiam, neque quod ſitum habet commodum; ſed quod populum habet audiendi ſtudioſum, quod *templa Dei* referta.

(u) Theodoret. hiſtor. lib. I. c. XXXI. †

(w) Prudent. Paſſio Laurentii v. 161 - 164.

Recenſet exin ſingulos
Scribens viritim nomina

LARII

LARII [*x*], AVGVSTINI [*y*] & ſexcentorum aliorum in eamdem ſententiam taceamus; quæ ipſos ab appellatione templorum non abhorruiſſe, oſtendunt, ſi quidem eam ſine ambiguitate & formidine, ne pro gentilium templis acciperetur, adhibere potuerint. A nomine autem *fani* religioſius abſtinebant, neque eo niſi contemtim vtebantur, indignationem & animi ſui dolorem aduerſus quædam conuenticula hæreticorum, quos eodem quo gentiles loco habebant, teſtificaturi. Quemadmodum in AMBROSIO [z] obſeruatur, qui de conuenticulo quodam *Valentinianorum* loquens nomine *templi* vel *eccleſiæ* illud ornare dubitat, ſed *fanum* dicit; nomen ſemper tributum templis idolorum gentilium, quibus *Valentinianos* comparat, vtpote non meliores, quam conuentum gentilium ficta numina colentium; quod idola & imagines, perinde ac gentiles, adorarent.

§. VII.

*Eccleſiæ nonnumquam vocatæ* ſynodi, concilia, conciliabula, conuenticula.

ADHVC generale quoddam eccleſiarum nomen datur, quod non par eſt prætermittamus, quoniam appellationis iſtius ambiguitas quosdam viros doctos in grauem errorem abripuit. CONSTANTINVS in lege quadam *codicis Theodoſiani* [*a*] eccleſiam vocat *ſanctiſſimum catholicæ & venerabile concilium*, quod ALCI-

Longo & locatos ordine
Adſtare pro *templo* iubet.

Id. Paſſi Hyppoliti v. 215. 216.

Stat ſed iuxta aliud, quod tanta frequentia *templum*
Tunc adeat, cultu nobile regifico.

(*x*) Hilar. comment. in pſalm. CXXVI. (p. 416. d. edit. Pariſ. MDCXCIII.) *Conventus* quidem *eccleſiarum*, ſiue tum templi, quos ad ſecretam ſacramentorum religionem ædificiorum ſepta concludunt, *conſuetudo noſtra* vel domum Dei *ſolita eſt nuncupare* vel *templum*

(*y*) Auguſtin. de ciuitate Dei lib. VIII. c. XXVII. (tom. V. opp. p. 492.) Nec tamen nos eisdem martyribus *templa*, ſacerdotia, ſacra & ſacrificia conſtituimus.

(z) Ambroſ. ep. XXIX. (epiſt. XVII. edit. Colon. p. 105. c.) ad Theodoſium: Vindicabitur etiam *Valentinianorum fanum* inuerſum? Quid eſt enim, niſi *fanum*, in quo eſt conuentus gentilium? Licet gentiles duodecim Deos appellant, iſti triginta æonas colunt, quos appellant Deos.

(*a*) Cod. Theod. lib. XVI. tit. II. de epiſc. leg. IV. Habeat vnusquiſque licentiam, *ſanctiſſimo catholicæ venerabilique concilio*, decedens, bonorum quod optauit, relinquere.

ATVS pro synodo ecclesiastica falso accipit; quum tamen GOTHOFREDO recte obseruante, heic, vt in multis aliis antiquorum scriptorum locis, ecclesiam significet. Nam hæc vocabula *concilium*, *synodus*, *conuenticulum*, *conciliabulum* & similia varie accipiuntur. Quamquam enim vt plurimum synodos ecclesiasticas & concilia significant, nonnumquam tamen alios conuentus ecclesiæ ad diuinum cultum denotant, & hinc nomen transferebatur a conuentu ad locum conuentus, seu ecclesiam denotandam, quemadmodum supra de vocabulo *ecclesiæ* nobis fuit obseruatum. Ita quando HIERONYMVS *Nepotianum* laudat, quod *conciliabula martyrum* diuersis floribus & arborum comis vitiumque pampinis adumbrarit, non potest intelligere concilia martyrum, sed ecclesias nominibus martyrum [*b*] appellatas. Atque hoc modo iterum, quando ait: *In tantam rabiem persequutorum feritas excitata est, vt etiam CONCILIABVLA [c] nostra destruerent.* Quomodo GAVDENTIVS intelligi debet in sermone quodam suo de dedicatione ecclesiæ cuiusdam [*d*], quæ *concilium martyrum* dicitur. Ipse conuentus ecclesiasticus sæpe eodem nomine vocatur *concilium.* Vt in passione CYPRIANI a PONTIO [*e*] diacono ipsius scripta: *Iussum est*, (ab imperatore) *vt nulla conciliabula faciant, neque cœmiteria ingrediantur.* Ita vocabulum ab HIERONYMO [*f*] adhibetur, quando de monachorum conuentu in ecclesia ad peragendum Dei cultum loquitur; & a TERTVLLIANO [*g*][r] pro quouis conuentu ecclesiastico, quando *Cederem tibi*, inquit, *si scriptura Pastoris* (HERMAE) *non ab omni CONCILIO ecclesiarum etiam vestrarum inter apocrypha & falsa iudicaretur.* Iam quod *Latini concilia*, id *Græci* συνόδους

(*b*) Hieron. ep. III. epitaph. Nepotian. (p. 16. g. h. edit. Francof.) Hoc idem possumus & de isto dicere, qui basilicas ecclesiæ & *martyrum conciliabula*, diuersis floribus & arborum comis vitiumque pampinis adumbrauit, vt quidquid placebat in ecclesia, tam dispositione quam visu, presbyteri laborem & studium testaretur.

(*c*) Hieronym. com. in Zachar. c. VIII.

(*d*) Gaudent. serm. XVII. in dedicatione basilicæ martyrum. (biblioth. patr. tom. II. p. 277. edit. Par. MDLXXXIX.)

(*e*) Pontii Pass. Cypr.

(*f*) Hieronym. ep. XXII. ad Eustochium c. XV. (p. 95. edit. Francof.) Post hoc *concilium* soluitur & vnaquæque decuria cum suo parente pergit ad mensam.

(*g*) Tertull. de pudicitia c. X.

vocant,

vocant, & hinc obſeruandum eſt, quod ſtilus in edicto imperiali, quo in *paſſione* CYPRIANI chriſtiani *conciliabula facere* prohibentur, apud EVSEBIVM [*h*] ſit συνόδους ποιεῖσθαι, quæ non eccleſiaſticarum ſynodorum, ſed omnium conuentuum eccleſiaſticorum prohibitio eſt. Synodus enim & eccleſia, obſeruante CHRYSOSTOMO [*i*], eiusdem prorſus valoris & ſignificationis vocabula ſunt, adeoque vnum æque ac alterum eccleſiam, ſeu conuentum eccleſiaſticum, denotare poteſt. Et quum *Latinorum* nomen *conuenticulum* ex primigenia notatione nihil niſi conuentum, ſeu concilium, ſignificet, ſæpiſſime ab antiquis ſcriptoribus pro eccleſia adhibetur. Sit in exemplum LACTANTIVS [*k*], qui de perſecutoribus tempore vexationis *Diocletianeæ* loquens, *Aliqui*, inquit, *ad occidendum præcipites exſtiterunt, ſicut vnus in Phrygia, qui vniuerſum populum cum ipſo pariter CONVENTICVLO concremauit.* Et ARNOBIVS [*l*] in eumdem modum loquitur, conſimilem faciens lamentationem, *Noſtra quidem ſcripta cur ignibus meruerunt dari? cur immaniter CONVENTICVLA dirui? in quibus ſummus oratur Deus, pax cunctis & venia poſtulatur magiſtratibus, exercitibus, regibus, familiaribus, inimicis, adhuc vitam degentibus, & reſolutis corporum vinctione: in quibus aliud auditur nihil, niſi quod humanos faciat, niſi quod mites, verecundos, pudicos, caſtos, familiaris communicatores rei, & cum omnibus, quos ſolidet germanitatis neceſſitudine copulatio.* Ex quibus videre eſt, no-

(*h*) Euſeb. lib. VII. c. XI. (p. 211. b. edit. Amſtelod.) Οὐδαμῶς δὲ ἐξέσται οὔτε ὑμῖν οὔτε ἄλλοις τισὶν, ἢ συνόδους ποιεῖσθαι, ἢ εἰς τὰ καλούμενα κοιμητήρια εἰσιέναι. Nullatenus licebit vobis nec quibuscumque aliis, *concilhabula facere*, aut ea quæ vocantur cœmiteria adire. Lib. IX. c. II. πρῶτον μὲν εἴργειν ἡμᾶς τῆς ἐν τοῖς κοιμητηρίοις συνόδου διὰ προφάσεως πειρᾶται. Primum quidem noſtros a conuentibus, qui in cœmiteriis fieri ſolebant, neſcio quo prætextu arcere adgreſſus eſt. Ibid. c. IX. Οὐ μὴν συνόδους ἐπικελεῦον ποιεῖσθαι conuentus agere nequaquam præcipiebat.

(*i*) Chryſoſt. hom. in Pſalm. CXLIX. tom. III. p. 632. (p. 548. e. edit. Francoſ.) Ἐκκλησία συστήματος καὶ συνόδου ἐστὶν ὄνομα. Eccleſia eſt nomen conuentus & congregationis.

(*k*) Lact. lib. V. c. XI.

(*l*) Arnob. contr. gent. lib. IV. p. 152. (p. 90. edit. Hamb. MDCX.) Ambroſiaſter in Eph. IV. p. 948. Vbi omnia loca circumplexa eſt eccleſia, *conuenticula* conſtituta ſunt & rectores & cetera officia in eccleſiis ordinata ſunt.

men *conuenticulorum* nondum hæreticorum conuentibus fuisse tributum, quando autem veteres de his loquendi habebant occasionem, plerumque cum epitheto *hæretica conuenticula* eos vocabant, vt a catholicis ecclesiis distinguerent, vti ex diuersis legibus THEODOSII [*m*], ARCADII & HONORII imperatorum in codice *Theodosiano* perspicimus.

## §. VIII.

### *Cur nonnullis ecclesiæ dicantur* martyria, memoriæ, apostolea *et* prophetea.

ATQVE hæc generalia fuerunt ecclesiarum nomina. Nonnulli vero specialiores appellationes eis tribuebant ex rationibus, quæ non ad omnes extendi poterant. Neque abs re fuerit in hac dissertatione nostra earum etiam facere mentionem. Quæ ecclesiæ super sepulcrum alicuius martyris exstructæ erant, vel de eius nomine, memoriam ipsius conseruandi caussa, nuncupabantur, illæ peculiari *martyrii*, *confessionis* vel *memoriæ* titulo, ex speciali ista ratione sibi dato, gaudebant. Ita de *Constantino* obseruat EVSEBIVS [*n*], quod plurimis nouam ciuitatem suam *Constantinopolin* oratoriis exornarit amplissimisque *martyriis*, & splendidis ædibus, partim in suburbiis partim in ipsa ciuitate constructis. Et quod hoc modo simul martyrum honorauerit memoriam, simul ciuitatem suam ipsi martyrum Deo quasi consecrauerit. Atque ex hoc tempore in omnibus christianis sequentium sæculorum scriptoribus *martyrium* semper ad eiusmodi ecclesiam significandam vsurpatur. SOCRATES [*o*] loquitur de *martyrio Thomæ* apostoli *Edessæ*, & de *martyrio Petri* ac

(*m*) Cod. Theod. lib. XVI. tit. V. de hæreticis leg. X. A conuenticulis suis hæreticæ superstitioni turba propulsetur. It. lib. XVI. tit. IV. leg. IV. Cuncta officia moneantur, tumultuosis se conventiculis abstinere.

(*n*) Euseb. de vita Constant. lib. III. c. XLVIII. Τὴν δὲ ἐπώνυμον αὐτοῦ πόλιν ἐξόχῳ τιμῇ γεραίρων, εὐκτηρίοις πλείοσιν ἐφαίδρυνε, μαρτυρίοις τε μεγίστοις καὶ περιφανεστάτοις οἴκοις· τοῖς μὲν πρὸ τοῦ ἄστεος· τοῖς δ' ἐν αὐτῷ τυγχάνουσι· δι' ὧν ὁμοῦ καὶ τὰς τῶν μαρτύρων μνήμας ἐτίμα, καὶ τὴν αὐτοῦ πόλιν τῷ τῶν μαρτύρων καθιέρου Θεῷ

(*o*) Socrat. lib. IV. c. XVIII. Ἐν τῇ δὲ τῇ πόλει Θωμᾶ τοῦ ἀποστόλου μαρτύριόν ἐστι λαμπρὸν καὶ περιφανὲς, συνεχεῖς τε ἐν αὐτῷ συνάξεις ἐπιτελοῦνται, διὰ τὴν τοῦ τόπου ἁγιότητα. In ea vrbe (Edessæ) illustre ac splendidum est *martyrium* Thomæ apostoli, in quo propter loci sanctitatem collectæ sine intermissione celebrantur.

*Pauli*

*Pauli* [p] in vrbe *Roma*, & de *martyrio Euphemiæ* [q] *Chalcedone*, in quo corpus huius martyris reconditum erat; quæ fuit ecclesia, in qua celebre concilium *Chalcedonense* habitum est, vnde in actibus istius concilii sæpissime vocatur *μαρτύριον Εὐφημίας*, *martyrium* seu basilica *Euphemiæ*. Et ob eamdem rationem, quia saluator noster præcipuus eorum, qui diuinæ religionis caussa mortem perpessi sunt, & magnus suæ ipsius religionis martyr erat, ecclesia, quam *Constantinus* in *Golgatha* monte, in ipsius passionis ac resurrectionis memoriam, ædificauit, ab EVSEBIO [r] aliisque *martyrium Saluatoris* communiter vocari solet, qua de re curiosus lector ampliorem narrationem in peculiari epistola [s] eruditi VALESII, quæ ad calcem *historiæ ecclesiasticæ* EVSEBII habetur, reperire potest. *Latini* loco *martyrii*, pro eiusmodi ecclesia, vtuntur *memoria martyrum*, vt in noto illo AVGVSTINI [t] loco, vbi *Nos*, inquit, *martyribus nostris non templa sicut diis, sed MEMORIAS sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum viuunt spiritus, fabricamus; nec ibi erigimus altaria, in quibus sacrificemus martyribus, sed vni Deo & martyrum & nostro.* Vt adeo, quando AVGVSTINVS alio loco [u] *Eradium*, presbyterum suum, laudat, quod sua ipsius pecunia expensa *memoriam sancti martyris* erexerit, non monumentum siue sepulcrum, sed ecclesiam intelligere debeamus. Atque hoc modo nomen illud ab

(p) Socrat. lib. IV. c. XXIII. Ἀμμώνιος οὕτως ἦν ἀπερίεργος, ὥστε ἐν τῇ Ῥώμῃ ἅμα Ἀθανασίῳ γενόμενος, μηδὲν ἑλέσθαι ἱστορῆσαι τῶν ἔργων τῆς πόλεως· μόνον δὲ ἰδεῖν τὸ Πέτρου καὶ Παύλου μαρτύριον. Ammonius adeo parum curiosus exstitit, vt quum Romam venisset vna cum Athanasio, ex magnificis vrbis operibus nullum videre desiderauerit, sed solas Petri & Pauli basilicas (martyria) viderit.

(q) Socrat. lib. VI. c. VI. (p. 306. d. edit. Amstelod. MDCXCV.) Γενόμενοι δὲ ἐν τῷ μαρτυρίῳ, ἔνθα τὸ σῶμα τῆς μάρτυρος Εὐφημίας ἀπέκειτο κ. τ. λ. Quum in ecclesiam venissent, in qua corpus Euphemiæ martyris reconditum est.

(r) Euseb. lib. IV. de vit. Constant. c. XL. Καὶ δὴ τοῦ ἐν Ἱεροσολύμοις αὐτῷ σὺν πάσῃ φιλοκάλῳ σπουδῇ κατειργασμένου μαρτυρίου προσήκειν τὴν ἀφιέρωσιν ποιήσασθαι, εὖ ἔχειν ἐδοκίμαζε. Et ipse quidem optimum factu esse iudicabat, si eius martyrii, quod singulari studio ac magnificentia Hierosolymis construxerat, dedicationem celebraret.

(s) Valesii epistola de anastasi & martyrio Hierosolymitano.

(t) August. de ciuit. Dei lib. XXII. c. X.

(u) Aug. hom. L. de diuersis, De opera eius & expensa pecunia memoriam sancti martyris habemus.

OPTATO

OPTATO [w] multisque aliis adhibitum legimus. Quod si vero is, cuius in memoriam ecclesia ædificabatur, propheta aliquis vel apostolus fuerat, tunc ecclesia vel προφητεῖον vel ἀποστολεῖον nuncupabatur. Sicut in SOZOMENO [x] videre est, qui de *apostoleo Petri* in vrbe *Roma* loquitur, & iterum de *apostoleo Petri & Pauli* ad *Quercum*, in suburbio *Chalcedonis*, quod RVFFINVS vir consularis in honorem apostolorum istorum construxerat, eamque ob caussam *apostoleum* [y] ab illis cognominarat. Ita in concilio *Constantinopolitano* sub *Menna* [z] *propheteum Iesaiæ* prophetæ memoratur; sicut etiam apud THEODORVM LECTOREM [a], qui reliquias *Samuelis* prophetæ depositas esse dicit ἐν τῷ προφητείῳ αὐτοῦ, in *ipsius propheteo*. Quod vtrumque *propheteum* nihil aliud, quam ecclesias, in istorum vatum honorem exstructas, significare potest, quemadmodum VALESIVS recte interpretatur.

(w) Optat. contr. Parmen. lib. II. (p. 32. edit. Par. MDCLXXIX.) Ecce præsentes sunt ibi duorum *memoriæ apostolorum*. Dicite, si ad has ingredi potuit: ita, vt obtulerit illic, vti *sanctorum memorias* esse constat.

(x) Sozom. lib. IX. c. X. ἐπεὶ δὲ πάλιν ὁ βάρβαρος καὶ φοβερώτερον ἐπιὼν, οὐδὲν πλέον ἤνυε, θαυμάσας αὐτῆς τὴν σωφροσύνην, ἤγαγεν εἰς τὸ Πέτρου ἀποστολεῖον. Sed quum barbarus adhuc terribilius irruens nihil proficeret, admiratus castitatem mulieris, duxit eam in *basilicam Petri*.

(y) Sozom. lib. VIII. c. XVII. Χαλκηδόνος δὲ προάστειον Ῥουφίνου τοῦ ὑπατικοῦ νῦν ἐπώνυμον, ἐν ᾧ βασίλειά ἐστι, καὶ μεγάλη ἐκκλησία, ἣν αὐτὸς Ῥουφῖνος ἐπὶ τιμῇ Πέτρου καὶ Παύλου τῶν ἀποστόλων ἐδείματο, καὶ ἀποστολεῖον ἐξ αὐτῶν ὠνόμασε. Id suburbanum est Chalcedonis, quod nunc ex Rufini viri consularis nomine appellatur: in quo palatium est, & ecclesia maxima, quam Rufinus ipse in honorem apostolorum Petri ac Pauli construxerat & *apostoleum* ob id cognominarat.

(z) Conc. Constant. sub Menna act. III. (tom. V. conc. p. 67. c.) Καὶ μεθ᾽ ὅρκου αὐτοὶ οἱ εὐλαβέστατοι κληρικοὶ εἰρήκασιν, ὅτι ἴσμεν αὐτὸν ἔχοντα προάστειον πλησίον τοῦ προφητείου τοῦ ἁγίου Ἡσαΐου. Cum iuramento ipsi venerabiles clerici dixerunt, quia scimus ipsum habere suburbanum prope *propheteum sancti Iesaiæ*.

(a) Theod. Lect. lib. II. p. 568. Ἐπὶ τῆς αὐτοῦ βασιλείας καὶ ἐπὶ Ἀττικοῦ πατριάρχου, εἰσηνέχθη ἐν Κωνσταντινουπόλει τὰ λείψανα τοῦ ἁγίου Σαμουὴλ καὶ ἀπετέθησαν ἐν τῷ προφητείῳ αὐτοῦ. Eiusdem Arcadii temporibus Attico patriarchatum obtinente, adlatæ sunt Constantinopolim reliquiæ sancti Samuelis & depositæ sunt in *ecclesia eiusdem prophetæ*.

§. IX.

## §. IX.

### *Cur* cœmiteria, menſæ, *et* areæ.

Eadem prorſus ratio duorum aliorum nominum, *cœmiterii* & *menſæ*, quibus eccleſias nonnumquam denotari reperimus, adferenda eſt. Chriſtiani perſecutionis tempore in priuatis fornicibus vel locis ſepulturæ, & ſpeciatim ad monumenta martyrum ſuorum, conuenire ſolebant; vti tum ex concilii *Illiberritani* [b], in ipſo perſecutionis *Diocletianeæ* æſtu congregati, & de conuentibus ſuis in eiusmodi locis ſæpius loquentis, canonibus, tum ex imperatorum perſecutorum, chriſtianis conuentus in cœmiteriis agere interdicentium, edictis, quæ ſupra [c] vidimus, manifeſtum eſt. Iam finitis perſecutionibus eccleſiæ ſuper ſepulcris martyrum, & in locis, vbi erant cœmiteria, exſtruebantur, & hinc cœmiterium vel ſepulcrum alicuius martyris pro nomine eccleſiæ vſurpari cœptum eſt. Ita in ſcriptis Avgvstini frequens fit alicuius eccleſiæ mentio, quæ *menſa Cypriani* dicitur, vbi diuerſos ſermones habuit Avgvstinvs [cc]. Hic erat locus, in quo martyrium ſubierat *Cyprianus*, vbi quum eſſet altare illud, ad quod *Cyprianus* Deo erat immolatus, poſtea eccleſia exſtructa, & ara, ſiue menſa communionis, ad offerendum ibi Deo chriſtianum ſacrificium, erecta fuit. Et quum ambæ paſſionis *Cypriani* eſſent monumentum, iunctim ipſius nomine [d] *menſa Cypriani* vocabantur. Quamquam enim per

(b) Concil. Eliber. c. XXXIV. (tom. I. conc. pag. 974.) Cereos in cœmiteriis per diem placuit non accendi. It. c. XXXV. Placuit prohiberi, ne feminæ in cœmiterio peruigilent, eo quod ſæpe ſub obtentu orationis ſcelera latenter committant.

(c) §. VII. pag. 12[illegible]. vid. Onuphr. de cœmiteriis c. XI. Cœmiteria erant chriſtianis (quod & nunc ſunt) veluti templa & orationum loca, in quibus epiſcopi ſynodos congregabant, ſacramenta adminiſtrabant, verbum Dei concionabantur. Hinc illud ſcitu dignum, quod quum imperator quiſpiam perſequutionem in chriſtianos inſtaurare conſtitui ſet, ante omnia eos a cœmiteriis arcere ſolebat, ne in vnum conueniendi eis facultas eſſet.

(cc) Vid. ſermon. XCIV. & CCXXXVII. de diuerſis ſerm. XXVI. ex editis a Sirmondo. Serm. XXXVIII. & LXXX. in Pſal. omnes recitatos ad *menſam Cypriani*.

(d) Aug. ſerm. CXIII. de diuerſis. Sicut noſtis, quicumque Carthaginem noſtis, in eodem loco menſa Deo conſtructa eſt, tamen *menſa* dicitur *Cypriani*, non quia ibi eſt vmquam Cyprianus epulatus, ſed quia ibi eſt immolatus, & quia ipſa immolatione ſua parauit hanc menſam, non in qua paſcat ſiue paſcatur, ſed in qua ſacrificium Deo, cui ipſe oblatus eſt, offeratur.

mensam primario altare significatur: tamen ad nomen quoque ecclesiæ, in qua AVGVSTINVS tot sermones die memoriæ CYPRIANI sacro ad populum *Carthaginensem* recitauit, extendi manifestum est. Nomen *cœmiterii* etiam sequentibus temporibus pro ecclesia adhiberi continuatum est. Vti ex canone quodam concilii *Laodiceni* [e] apparet, quo decernitur, *Non concedendum esse, vt in COEMITERIA vel in ea, quæ dicuntur, martyria quorumuis hæreticorum abeant ii, qui sunt ecclesiæ, orationis vel venerationis gratia.* CHRYSOSTOMVS sæpe vsurpat vocabula τάφοι μαρτύρων, *sepulcra martyrum* pro ecclesiis. Vt quum [f] ait: *Contemplare ciuitates ad MARTYRVM SEPVLCRA concurrentes & populos eorum amore inflammatos.* Et iterum [g]: *Martyres beati sunt, quia sua accipiunt: ab eorum sepulcris non discedimus. Illic rex & imperator diadema regium abiicit, atque in martyris sepulcro permanet, orans & rogans, vt sibi a periculis liberatio concedatur & contra hostes victoria.* Immo hac in re tam de *Iudæis*, quam *gentilibus* triumphat, quod apostoli in morte ipsis maximis in hoc vniuerso regibus fuerint honoratiores. *Qui ducebantur*, inquit [h], *& circumducebantur, qui contempti erant & vincti, & qui innumera patiebantur mala, dum viuebant: vbi defuncti sunt, regibus ipsis erant magis venerabiles, etiam Romæ, quæ vrbium est regalissima, relictis omnibus ad SEPVLCRA PISCATORIS & tabernaculorum opificis currunt & reges, & præsides & duces. Et Constantinopoli reges nostri magnam gratiam putant, non*

(e) Conc. Laodic. can. CX. (tom. I. conc. p. 1497.) Περὶ τοῦ, μὴ συγχωρεῖν εἰς τὰ κοιμητήρια, ἢ εἰς τὰ λεγόμενα μαρτύρια πάντων τῶν αἱρετικῶν, ἀπιέναι τοὺς τῆς ἐκκλησίας, εὐχῆς ἢ θεραπείας ἕνεκα.

(f) Chrysost. com. in Psalm. CXV. tom. III. p. 404. (p. 349. c. edit. Francof.) Σκόπει καὶ ἐπὶ τῶν μαρτύρων τοὺς τάφους τὰς πόλεις συντρεχούσας, τοὺς δήμους ἀναπτομένους τῷ πόθῳ.

(g) Id. homil. I. in Psalm. XLVIII. ibid. p. 812. (p. 704. edit. cit.) Οἱ μακάριοι μάρτυρες, ἐπειδὴ τὰ ἑαυτῶν λαμβάνουσιν, οὐκ ἀναχωροῦμεν τοῦ τάφου αὐτῶν — ἐκεῖ ὁ βασιλεὺς ῥίπτει τὸ διάδημα, καὶ παραμένει τῷ τάφῳ τοῦ μάρτυρος, δυσωπῶν καὶ δεόμενος δεηθῆναι αὐτῷ λύσιν τῶν δεινῶν καὶ νίκην καθ᾽ ἐχθρῶν.

(h) Chrysost. demonstrat. quod Christus sit Deus tom. V. p. 839. (tom. V. p. 749. edit. Francof.) Οἱ ἀγόμενοι καὶ περιαγόμενοι, οἱ καταφρονούμενοι καὶ δεσμούμενοι, οἱ τὰ μύρια πάσχοντες δεινὰ, τελευτήσαντες αὐτῶν εἰσι τῶν βασιλέων τιμιώτεροι καὶ πῶς, σκόπει ἐντεῦθεν· ἐν τῇ βασιλικωτάτῃ πόλει Ῥώμῃ, πάντα ἀφιέντες, ἐπὶ τοὺς τάφους ἁλιέως καὶ τοῦ σκηνοποιοῦ τρέχουσι καὶ βασιλεῖς καὶ ὕπατοι καὶ στρατηγοί. καὶ ἐν τῇ Κωνσταντινουπόλει δὲ οὐδὲ πρὸς τοὺς ἀποστόλους ἐγγὺς, ἀλλὰ

si pro-

*ſt propter apoſtolos, ſed ſi vel extra eorum veſtibula, corpora ſua ſepeliantur, fiantque piſcatorum oſtiarii reges.* In quibus locis omnibus planum & perſpicuum eſt, quod per ſepulcra apoſtolorum eccleſias intelligat. Atque ita ATHANASIVS [*i*], SOCRATES & alii vocabulum *cœmiterii* pro eccleſia accipiunt. Et fortaſſis HIERONYMVS per *ſepulcra martyrum* idem intelligit, *Dum eſſem Romæ*, inquiens [*k*], *& liberalibus ſtudiis erudirer, ſolebam cum ceteris eiusdem ætatis & propoſiti diebus dominicis ſepulcra apoſtolorum & martyrum circumire, crebroque cryptas ingredi*, cetera. Sed nihil certi definiam, quia cryptas, ſiue fornices ſubterraneas eis iungit, quæ eius ætate non fuerunt eccleſiæ, licet tempore TERTVLLIANI fuerint, qui eas vocat *areas* [*l*] *ſepulturarum*, narrans, *Hilarianum* perſecutorem conuentus ibi agi vetuiſſe: ſed hoc ipſum vlciſcente diuina prouidentia notabiliter punitum fuiſſe, dicit. Qui enim chriſtianis arearum ſuarum libertatem denegauerint, eos ſuas ipſorum areas, nempe penaria ſua vel loca frugibus excutiendis facta, (quæ alia vocabuli *areæ* ſignificatio eſt) perdidiſſe: nam & iuſto Dei iudicio per annum iſtum haud habuiſſe eos meſſem. Lector vocabulum *areæ* pro loco precationis adhibitum, deprehendit in *actis purgationis* CAECILIANI [*m*] epiſcopi *Carthaginis*, & in aliis monumentis ex hoc perſecutionum æuo [*n*], vbi ab eccleſiis ſupra terram ad fornices

παρ' αὐτὰ τὰ πρόθυρα ἔξω ἀγαπητὸν εἶναι ἐνόμισαν οἱ τὰ διαδήματα περικείμενοι τὰ σώματα αὐτῶν κατορύττεσθαι, καὶ γεγόνασι θυρωροὶ λοιπὸν τῶν ἁλιέων οἱ βασιλεῖς.

(*i*) Athan. apol. II. ap. Socrat. lib. II. c. XXVIII. τῇ γὰρ ἑβδομάδι μετὰ τὴν ἁγίαν πεντηκοστὴν, ὁ λαὸς νηστεύσας ἐξῆλθε περὶ τὸ κοιμητήριον εὔξασθαι, διὰ τὸ πάντας ἀποστρέφεσθαι τὴν πρὸς Γεώργιον κοινωνίαν. Hebdomade, quæ eſt poſt ſanctum pentecoſten, populus quum ieiunaſſet, *orationis cauſſa egreſſus eſt ad cœmeterium*, eo quod omnes communionem cum Georgio auerſarentur.

(*k*) Hieron. comment. in Ezek. c. XL.

(*l*) Tertul. ad Scapul. c. III. Doleamus neceſſe eſt, quod nulla ciuitas impune latura ſit ſanguinis noſtri effuſionem. Sicut & ſub Hilariano præſide, quum de *areis ſepulturarum* noſtrarum acclamaſſent: AREAE NON SINT: areæ ipſorum non fuerunt; meſſes enim ſuas non egerunt.

(*m*) Geſta purgat. Cæcilian. ad calcem Optati p. 2[illegible]2. (p. 9[illegible]. b. Par. MDCLXXIX.) Cines *in area martyrum* fuerunt incluſi. Item p. 2[illegible]. (p. 9[illegible]. d.) Tollat aliquis de veſtibus *in area, vbi orationem facitis*, & illic ponantur.

(*n*) Vid. acta concilii Cirtenſis ap. Baronium an. CCCIII. n. XXIV. Paſſio Cypriani. Eius corpus poſitum eſt in *areis* Macrobii Candidi.

ſuas ſubterraneas fugere, easque ſibi eccleſias temporarias conficere cogebantur.

## §. X.

### *Cur* caſæ, tropæa *et* tituli.

CASA aliud nomen eſt in iisdem *actis purgationis* CAECILIANI & FELICIS obuium, quod itidem nomen eccleſiæ [*o*] eſſe, exiſtimo Quamquam enim illud ex hoc ſolo loco dubium quodam modo eſſe poteſt, tamen quum in aliis auctoribus ita vſurpatum inueniam, vnum ex antiquis ècclefiarum nominibus eſſe colligo. BEDA [*p*] enim narrat, quod ciuitas ſancti *Martini* in *Bernicia*, quæ prouinciä *Britanniæ* eſt, vulgo vocetur *Candida Caſa*, eo quod ibi eccleſiam de lapide fecerit *Nynias* epiſcopus. Et diſquirendum relinquo, annon *Caſæ Nigræ* in *Africa*, vbi *Donatus* fuit epiſcopus, aliquam ſimilem denominationis ſuæ rationem habuerint? Cur vero eccleſiæ dictæ ſint *caſæ*, id quidem non facile eſt ad hariolandum. Vſque dum melior huius rei ratio data fuerit, ſtatuere nobis liceat, id a plana & ſimplice earum conditione factum, de qua capite proxime ſequenti plura dicendi locus erit. MEDVS aliud eccleſiarum nomen, (quod non adeo vulgare eſt) in CAIO ROMANO, antiquo ſcriptore apud EVSEBIVM, obſeruauit, qui *tropæa apoſtolorum* ad denotandas duas eccleſias *Petri* & *Pauli* in vrbe *Roma* [*q*], ex coniectura MEDI, adhibet. At vero ratio quædam dubitandi, fateor, ſuppetit, an eo loco eccleſiæ, & non potius monumenta, ſeu ſepulcra iſtorum apoſtolorum, intelligantur. Nam EVSEBIVS tantum de corporibus ipſorum, quæ *Romæ* ſepulta ſint, loquitur; ad quam opinionem confirmandam antiquum iſtum auctorem adlegat, *Ego vero*, inquientem [*r*], *apoſtolorum tropæa poſſum oſtendere. Nam ſiue in Vaticanum, ſiue ad Oſtienſem viam per-*

(*o*) Geſt. purgat. p. 272. (p. 95. b.) Numquid populus Dei ibi fuit? Saturninus dixit, in *caſa* maiore fuit incluſus. (ibid. c.) Creſcentianus dixit, Præſens cum populo fui, incluſus in *caſa* maiore.

(*p*) Bed. hiſt. lib. III. c. IV. Qui locus ad prouinciam Berniciorum pertinens, vulgo vocatur ad *Candidam Caſam*, eo quod ibi eccleſiam de lapide, inſolito Britonibus more, fecerit.

(*q*) Mede's *diſcourſe of churches p. 328.*

(*r*) Euſeb. lib. II. c. XXV. Ἐγὼ δὲ τὰ τρόπαια τῶν ἀποςόλων ἔχω δεῖξαι· ἐὰν γὰρ θελήσῃς ἀπελθεῖν ἐπὶ τὸν βατικανὸν, ἢ ἐπὶ τὴν ὁδὸν τὴν ὠςίαν, εὑρήσεις

*gere*

*gere libet, occurrent tibi tropæa eorum, qui ecclesiam illam fundauerunt;* intelligens ecclesiam *Romanam*, a *Petro* & *Paulo* fundatam, quorum sepulcra tum *Romæ* conspiciebantur, alterum quidem in monte *Vaticano*, in via *Ostiensi* alterum. Quamuis posterioribus temporibus, vbi ecclesiæ super eorum sepulchris ædificatæ fuerunt, ipsorum tropæa nomen harum ecclesiarum facta sunt, sicut ex verbis HIERONYMI [s] ad *Marcellam*, *Romæ* viuentem, discimus, quando scribit: *Est ibi (Romæ) sancta ecclesia, sunt TROPAEA APOSTOLORVM & martyrum: Est Christi vera confessio, est apostoli ore predicata fides, & gentilitate calcata in sublime quotidie erigitur vocabulum christianum.* Nam certum nunc est, sepulcra eorum in ecclesias conuersas esse, & simul sumta *tropæa* dici, vtpote manifesta signa & documenta victoriæ, quam de hostibus suis, ad sanguinem vsque resistendo & post mortem triumphando, reportarunt. Aliud adhuc nomen occurrit, cuius non adeo facile est accuratam reddere rationem, cur videlicet quædam ecclesiæ, speciatim *Romæ*, appellatæ sint *tituli*. In *libro pontificali* in vita *Marcelli* [t] hic ipse viginti quinque *titulos Romæ* propter baptismum recens e paganis conuersorum constituisse dicitur. Et eodem loco matrona quædam nomine *Lucina* vidua domum suam [u] nomine *tituli* seu ecclesiæ dedicasse perhibetur, vbi die noctuque hymnis & orationibus Christum co-

τὰ τρόπαια τῶν ταύτην ἱδρυσαμένων τὴν ἐκκλησίαν.

(s) Hieron. ep. XVIII. ad Marcellam. (tom. I. opp. p. 84. f. ed. Francof.) Gild. de excidio Britan. (tom. V. biblioth. patr. p. 572.) vocat *signa victricia* martyrum. Renouant, inquiens, ecclesias ad solum vsque destructas, basilicas sanctorum martyrum fundant, construunt, perficiunt, ac veluti *victricia signa* passim propalant, dies festos celebrant; sacra mundo corde atque ore conficiunt. Confer his Bed. histor. eccles. lib. I. c. VIII. vbi eadem verba leguntur.

Euseb. de laud. Constant. c. XVII. Τίς θεὸς ἢ καὶ ἥρως οὕτω πολεμηθεὶς, ὡς ὁ ἡμέτερος σωτὴρ, τρόπαια νικητήρια κατὰ τῶν ἐχθρῶν ἤγειρεν; Quis Deus aut heros, æque ac seruator noster oppugnatus, *tropæa victricia* de hostibus erexit?

(t) Pontifical. vit. Marcelli (tom. I. concil. p. 946.) Hic fecit cœmiterium via Salaria, & *viginti quinque titulos* in vrbe Roma constituit, quasi diœceses, propter baptismum & pœnitentiam multorum, qui conuertebantur ex paganis & propter sepulturas martyrum.

(u) Ibid. Matrona quædam, nomine Lucina, vidua, quæ vixerat cum viro Marco annis quindecim, & in viduitate sua habebat annos nouemdecim,

fuerint, donec *Maxentius* tyrannus hoc audito ecclesiam in stabulum animalium conuerterit, *Marcellum*que ipsis coegerit deseruire. Hæ eædem creduntur fuisse ac ecclesiæ parochiales ad sacramentorum administrationem, multitudine conuersorum *Romæ* increscente, erectæ. Quare vero *tituli* vocatæ sint, inter viros eruditos non plane conuenit. BARONIVS [w] ita vocatas esse statuit, quod signum crucis sibi impositum habuerint, quo signo siue titulo ad CHRISTVM pertinere cognitæ sint, quemadmodum res ad imperatoris fiscum pertinentes ex appenso velo, imaginibus imperatoris vel nominis ipsius inscriptione insignito, cognosci solitæ sint. At enim vero non constat, quod signum crucis adeo mature ecclesiis adfixum fuerit; vel si fuerit, quod peculiaris distinctio fuerit ab ecclesia parochiali; nam sine dubio cathedralis, siue episcopalis, ecclesia æque mature atque vllæ aliæ signum illud habuit. MEDVS [x] duas alias rationes adfert & lectori relinquit definiendum, vtrum ita dicta fuerint, quod in earum dedicatione nomen domini nostri IESV CHRISTI illis quasi inscriptum fuerit, vti tum quidem moris erat, nomina siue titulos possessorum domibus & possessionibus imponere; atque ita eiusdem notionis foret cum aliis istis nominibus κυριακὸν & *basilica*; an vero, quia titulum beneficii curialis vel denominationem illis presbyteris dederit, qui-

susceperit beatum virum (Marcellum) quæ & *domum suam nomine tituli* beati Marcelli dedicauit, vbi diu noctuque hymnis & orationibus domino Iesu Christo confitebantur. His auditis a Maxentio, misit, & iussit in eadem ecclesia iterum plancas exsterni, vt ibidem animalia catabuli congregata starent, & ipsis beatus Marcellus deseruiret.
Pii epist. IV. ad Iustum Vien. (tom. I. conc. p. 577.) Presbyter Pastor *titulum condidit*, & digne in domino obiit.

(w) Baron. ad ann. CXII. n. V. Vnde acciderit, vt domus fidelium in sacrum vsum conuersæ, quas nos ecclesias dicimus, a maioribus *tituli* dicerentur, paucis aperiendum. A rebus fiscalibus videtur accepta esse nomenclatura: titulorum namque impositione, rem aliquam sibi fiscus solitus erat vendicare, atque principi consecrare: vt quum ait imperator: Tituli vero, quorum adiectione prædia nostris sunt consecranda substantiis, non nisi publica iustificatione proponantur. Fuisse huiusmodi titulos vela quædam, quæ regiam repræsentarent potestatem, vel imaginibus imperatorum, vel nominis ipsorum inscriptione insignita, multa sunt, quæ poterunt demonstrare, cetera.

(x) Mede's *disc. of churches* p. 323.

bus

bus fuerunt commissæ. Hanc postremam veram istius appellationis rationem esse, credo, donec alia probabilior excogitata fuerit. Quod ad opinionem attinet ONVPHRII, quod horum titulorum [y] numerus hodierno cardinalium presbyterorum numero exacte responderit, nec ii vmquam plures, quam duodetriginta fuerint, persuasio est omni fundamento destituta. OPTATVS enim de pluribus quadraginta ecclesiis in vrbe *Roma*, ante vltimæ persecutionis tempora, loquitur, vti libro proximo fusius ostendemus.

## §. XI.

### *De* tabernaculis, monasteriis *& aliis quibusdam minus vsitatis ecclesiarum nominibus.*

DANTVR diuersa alia minus vsitata ecclesiarum nomina in scriptoribus antiquis, quibus immorari necesse non est. Cuiusmodi sunt *limina martyrum*, qua appellatione vsus est HIERONYMVS [z]; σηκὸς & τέμενος, vocabula idem quod templa significantia, quæ heic illic in THEODORETO [a], SYNESIO [b] & EVAGRIO [c] offendimus. Apud EVSEBIVM in imperatorum

(y) Onuphr. interpret. vocum ecclesiastic. p. 13. sin. seq. Quum primo infinita gentilium multitudo, mox vrbs & Italia omnis fidem Christi suscepisset, non sufficientibus XV. titulis, nec his, qui in eis residebant, presbyteris, tum ob necessitatem, tum ad vrbis & Romanæ ecclesiæ ornamentum & maiestatem & titulorum, & presbyterorum in vnoquoque numerus auctus est: factique sunt *tituli XXVIII. quem numerum numquam excessisse vsque ad nostra tempora, satis constat.*

(z) Hieron. ep. XV. ad Marcellam p. 76. a. edit. Francof.) Ad *martyrum limina* pene inuisa properabat.

(a) Theodoret. serm. de martyr. (tom. IV. opp. p. 606. lin. penult. seqq.) Τὰ μὲν γὰρ ἐκείνων οὕτω παντελῶς διελύθη τεμένη, ὡς μηδὲ τῶν σχημάτων διαμεῖναι τὸ εἶδος, μηδὲ τῶν βωμῶν τὸν τύπον τοὺς νῦν ἀνθρώπους ἐπίστασθαι· αἱ δὲ τούτων ὗλαι καθωσιώθησαν τοῖς τῶν μαρτύρων σηκοῖς. Horum namque templa sic destructa sunt, vt ne figurarum quidem permanserit species, nec ararum formam huius sæculi homines sciant: harum autem materia omnis martyrum fanis dicata est.

(b) Synes. ep. LVIII. ἅπας αὐτοῖς ἱερὸς ἀποκεκλείσθω, καὶ σηκὸς καὶ περίβολος, omnis illis religiosa ædes ac septa claudantur.

(c) Euagr. lib. I. c. XIV. Ἐπόθει τὸ τέμενος τοῦτο δὴ τοῦ ἁγίου θεάσασθαι, Ardebam cupiditate visendi *delubrum* sancti illius viri. Id. l. lib. VI. c. VIII. πεπίωκε καὶ τὰ πολλὰ τῆς καλύμμης ὀργανικῆς, καὶ ὃ πρόσθεν ἴσαμεν ψηφίον, καὶ

gen-

gentilium rescriptis aliquoties *domus synaxeos* [*d*] pro ecclesia occurrit. CHRYSOSTOMVS *sedem doctrinæ* [*e*] vocat ab exercitio prædicandi inibi verbum Dei. Et multa alia istiusmodi nomina inuenias, quæ explicatione haud indigent. Sunt autem duo nomina magis vsitata in EVSEBIO, quæ nonnulli viri docti falso intellexerunt. Vno loco de *Therapeutis* in *Aegypto* loquens, quos primos christianos a sancto *Marco* conuersos & a PHILONE IVDAEO tecte descriptos esse existimat, ecclesias ipsorum *σεμνεῖα* & *μοναστήρια* appellat, quod nonnulli pro monasteriis sensu hodierno per errorem accipiunt; quum tamen EVSEBIVS [*f*] diserte dicat, fuisse nomen a PHILONE non ipsorum domiciliis sed ecclesiis datum. Nam *Postquam*, inquit, *PHILO*, *cuiusmodi essent illorum domicilia, descripsit, de ecclesiis, quas variis in locis exstructas habent, ita dicit: In singulis domiciliis est quoddam sacellum, quod SEMNEVM & MONASTERIVM appellatur, in quo soli, remotis arbitris, sanctioris vitæ mysteria peragunt. Nec cibum potumve, nec eorum, quæ ad corporis curam pertinent, quidquam eo secum inferunt: sed legem duntaxat & prophetarum oracula hymnosque, & alia huiusmodi, quibus pietas simul ac scientia augentur, consummantur.* Hæc non descriptio est monasterii sensu hodierno accepti, sed ecclesiæ, atque ita nomen initio vsurpatum fuisse videmus, quemadmodum in hunc vsque diem inter *Germanos* vsurpatur, qui hinc ecclesias quasdam suas *munsters*, vti nos *Angli minsters*, appellant, quæ antehæc erant collegiatæ ecclesiæ ac scholæ eruditionis, de quibus libro antecedenti diximus. Hoc porro

σύμπαντα τὰ καλούμενα βρυσία, καὶ τὰ περὶ τὸν πάνσεπτον σηκὸν τῆς θεοτόκου, μόνης τῆς μέσης στοᾶς παραδόξως σωθείσης. Corruit præterea magna pars regionis, quæ Ostracine dicitur: Psephium item, cuius antea mentionem feci, & vniuersa loca, quæ vulgo Brysia appellantur: ædificia denique, quæ erant circa venerabilem ecclesiam deiparæ virginis, sola media porticu mirabili quodam modo conseruata.

(*d*) Euseb. lib. VII. c. VIII. †

(*e*) Chrysost. hom. II. in Ioan. †

(*f*) Euseb. lib. II. c. XVII. εἶθ' ἑξῆς τὰς οἰκήσεις αὐτῶν ὁποῖαί τινες ἦσαν διαγράψας, περὶ τῶν κατὰ χώραν ἐκκλησιῶν ταῦτα φησίν· ἐν ἑκάστῃ δὲ οἰκίᾳ ἔστιν οἴκημα ἱερὸν, ὃ καλεῖται σεμνεῖον καὶ μοναστήριον· ἐν ᾧ μονούμενοι τὰ τοῦ σεμνοῦ βίου μυστήρια τελοῦνται, μηδὲν εἰσκομίζοντες, μὴ ποτὸν μὴ σιτίον μήτε τι τῶν ἄλλων, ὅσα πρὸς τὰς τοῦ σώματος χρείας ἀναγκαῖα, ἀλλὰ νόμους καὶ λόγια θεσπισθέντα διὰ προφητῶν καὶ ὕμνους, καὶ τ' ἄλλα, οἷς ἐπιστήμη καὶ εὐσέβεια συναύξονται καὶ τελειοῦνται.

inde

inde confirmatur, quod EVSEBIVS vocabulo *monasterii* nomen σεμνεῖον iungat, illud hoc ipso explanaturus, quod ab optimis criticis antiquis pariter & recentioribus HESYCHIO, BVDAEO, SVICERO & aliis pro templo seu loco diuini cultus accipitur. EVSEBIVS aliud nomen ecclesiæ habet, cuius ideo tantum heic facimus mentionem, quod eidem falsæ interpretationi obnoxium est. Vocat ipsam *tabernaculum*: quæ priuata tantum appellatio est, ecclesiis mobilibus nec certo loco fixis peculiaris & propria. Nam EVSEBIVS de *Constantini* expeditione, quam contra *Persas* meditatus erat, loquens dicit, quod inter ceteras præparationes ad hoc bellum tabernaculum [*g*] in speciem ecclesiæ curauerit faciendum, in quo preces ad Deum victoriæ auctorem vna cum episcopis, in hac expeditione adsidue secum versaturis, fundere decreuisset. SOCRATES [*h*] eadem de re loquens, tabernaculo comparat, quod *Moses* olim in solitudine fecit, dicitque, *Constantinum* id confici iussisse, vt in locis etiam desertissimis εὐκτήριον ἠυτρεπισμένον, *paratum oratorium* haberet. Et ab hoc exemplo, quemadmodum obseruat SOZOMENVS [*i*], singulæ *Romanorum* legiones proprium sibi tabernaculum facere, & sacerdotes ac diaconos proprios ac peculiares habere cœperunt.

## §. XII.

## *De distinctione inter* ecclesiam matricem *et* diœcesanam.

DVM in hoc argumento versamur, non abs re fuerit, le-

(*g*) Euseb. de vit. Constant. lib. IV. c. LVI. ἔπειτα καὶ τὴν σκηνὴν τῷ τῆς ἐκκλησίας σχήματι πρὸς τὴν ἐκείνου τοῦ πολέμου παράταξιν σὺν πολλῇ φιλοτιμίᾳ κατειργάζετο· ἐν ᾗ τῷ θεῷ τῷ τῆς νίκης δοτῆρι, τὰς ἱκετηρίας ἅμα τοῖς ἐπισκόποις ποιεῖσθαι ἐπενόει.

(*h*) Socrat. lib. I. c. XVIII. Τοσοῦτος ἦν ὁ τοῦ βασιλέως περὶ τὸν χριστιανισμὸν πόθος, ὡς καὶ Περσικοῦ μέλλοντος κινεῖσθαι πολέμου, κατασκευάσας σκηνὴν ἐκ ποικίλης ὀθόνης, ἐκκλησίας τύπον ἀποτελοῦσαν, ὥσπερ Μωυσῆς ἐν τῇ ἐρήμῳ πεποιήκει καὶ ταύτην φέρεσθαι, ἵνα ἔχοι κατὰ τοὺς ἐρημοτάτους τόπους εὐκτήριον ἠυτρεπισμένον. Tantus porro in illo erat amoris ardor erga Christi religionem, vt, quum bellum Persicum immineret, tabernaculum ad instar ecclesiæ, ex variis pictisque velis confici iusserit, sicut Moses olim in solitudine fecerat: atque illud secum portari voluerit, vt in locis etiam desertissimis paratum haberet oratorium.

(*i*) Sozom. lib. I. c. VIII. ἐξ ἐκείνου δὲ καὶ τὰ ῥωμαίων τάγματα, ἃ νῦν ἀριθμοὺς καλοῦσιν, ἕκαστον ἰδίαν σκηνὴν κατεσκευάσατο, καὶ ἱερέας, καὶ διακόνους ἀπονενεμημένους ἔχειν.

ctorem de duobus illis vocabulis erudire, quæ ad hanc materiam quodam modo ſpectant, & propter ambiguitatem ſuam ſæpe perperam capiuntur ac confunduntur, quæ ſunt *eccleſia matrix* & *diœceſana*, quæ eiusdem valoris vocabula eſſe videntur, ſed ſæpenumero inter ſe admodum diſcrepant. *Eccleſia matrix* interdum ſumitur pro originali quadam eccleſia, ab ipſis apoſtolis plantata, vnde aliæ poſtea deriuatæ fuerunt ac propagatæ. Sic TERTVLLIANVS [*k*] iſtas eccleſias vocat, quibus apoſtoli prædicarunt, vel viua voce, vel epiſtolis ſuis, ad quas omnes doctrinæ debeant diiudicari. Et hoc ſenſu eccleſia *Hieroſolymitana* a ſecundo generali concilio *Conſtantinopolitano* [*l*] mater omnium eccleſiarum in toto terrarum orbe nuncupatur: Et *Arelatenſis* mater *Gallicarum*, eo quod a *Trophimo* [*m*], apoſtolorum miſſionario & primo loci epiſcopo, plantata eſſe creditur. Aliis temporibus eccleſia matrix metropolim ſiue principem cuiusque prouinciæ eccleſiam denotat, vti in quibusdam canonibus *Africanis* [*n*], vbi matrix nonnumquam pro ſede primatis, a qua alii epiſcopi controuerſiarum diiudicationem expetere debebant, vſurpatur. Vt plurimum autem cathedralem ſiue epiſcopalem eccleſiam ſignificat, quæ eccleſia magna, & eccleſia catholica, & ſedes principalis plerumque dicebatur, in oppoſitione minorum *titulorum*, ſiue eccleſiarum parochianarum, quibus presbyteri præſidebant ſinguli. Ita in canone quodam codicis *Africani* dicitur: *Non habenti neceſſitatem nec epi-*

(*k*) Tertull. de præſcript. c. XXI. Conſtat proinde, omnem doctrinam, quæ cum illis eccleſiis apoſtolicis matricibus & originalibus fidei conſpiret, veritati deputandam.

(*l*) Epiſt. Synod. ad Damaſum ap. Theodoret. lib. V. c. IX. τῆς δὲ μητρὸς ἁπασῶν τῶν ἐκκλησιῶν τῆς ἐν Ἱεροσολύμοις, τὸν αἰδεσιμώτατον καὶ θεοφιλέστατον Κύριλλον ἐπίσκοπον εἶναι, γνωρίζομεν. *Matris* vero *eccleſiarum omnium Hieroſolymitanæ* reuerendiſſimum & religioſiſſimum Cyrillum epiſcopum eſſe, ſignificamus.

(*m*) Libellus precum epiſcoporum Gallor. ad Leon. ap. Baron. an. CCCCL. p. 12[illegible]. Cuius honoris obtentu eccleſiam Arelatenſem omnes deceſſores prædeceſſoresque noſtri velut matrem debito ſemper honore coluerunt, cetera.

(*n*) Cod. Afric. can. CXIX. al. CXX. (tom. II. conc. p. 1127.) εἰ δὲ μὴ ἦν, μὴ προκριματισθῇ ἐν τῇ ματρίκι κ. τ. λ. Si autem non fuit, non præiudicetur *matrici*.

ſcopo

*ſcopo liceat MATRICIS ECCLESIAE* [o] *nec presbytero rem tituli ſui vſurpare.* *Græca* huius canonis translatio heic imperfecta eſt & corrupta, quemadmodum SVICERVS [p] bene obſeruauit, & hac ipſa CVIACIVS & alii in errorem abrepti matricem pro matricula ſiue catalogo, vel deſcriptione locorum, quæ illi diœceſi reſpondent, acceperunt, quum tamen eccleſia cathedralis ſiue epiſcopalis intelligatur. Quemadmodum etiam in alio canone [q], qui dicit: *Si in MATRICIBVS CATHEDRIS epiſcopus negligens fuerit aduerſus hæreticos, conueniatur a vicinis epiſcopis diligentibus & ei ſua negligentia demonſtretur, vt ſe excuſare non poſſit.* Matrix cathedra ſiue eccleſia heic eſt eccleſia epiſcopi, ſiue ea, quæ ipſius curam & conſtans domicilium requirit, tamquam principalis diœceſeos eccleſia. Hæc a FVLGENTIO FERRANDO [r] manifeſto aliis inferioribus eccleſiis in diœceſi opponitur, quibus presbyteri tantum præſidebant, quando dicit: *Ad eligendum epiſcopum ſufficiat matricis arbitrium.* Et iterum: *Epiſcopus matricis non vſurpet, quidquid donatum fuerit eccleſiis, quæ in diœceſi conſtitutæ ſunt.* Hæ eccleſiæ in diœceſi conſtitutæ eædem ſunt atque illæ, quas nunc eccleſias parochianas vocamus; quamuis ipſæ nonnumquam *diœceſes* in *libro pontificali* [s] & canonibus *Africanis* [t] dicantur; & in aliis quibusdam canoni-

(o) Cod. Afric. can. XXXIII. μὴ οὔσης ἀνάγκης, μηδὲ ἐπισκόπῳ ἐξεῖναι καταχρήσασθαι πράγματι ἐκ τοῦ τίτλου τῆς ἐκκλησιαστικῆς μάτρικος.

(p) Suicer. theſ. eccleſ. voce μάτριξ.

(q) Cod. Africar. can. CXXIII. (tom. II. conc. p. 1129.)

(r) Ferrand. breuiat. can. c. XI. ex concilio Septimunicenſi & concilio Macrianenſi. (apud Iuſt II. biblioth. iuris can. p. 448.) Item can. XXXVIII. ex concilio Hipponiregienſi.

(s) Pontific. vit. Marcelli. Hic viginti quinque titulos in vrbe Roma conſtituit, quaſi *diœceſes* propter baptiſmum, & pœnitentiam multorum, cetera.

(t) Cod. Afric. can. LIII. tot. Dico, ſi placet, circa hos, non tantum *diœceſes* non eſſe ſeruandas, verum & de propria eccleſia, quæ illis malè fauerit, omnimodo adnitendum, vt etiam auctoritate publica reiiciantur, atque ab ipſis principalibus cathedris remoueantur. Oportet enim, vt qui vniuerſis fratribus ac toto concilio inhæſerit, non ſolum ſuam iure integro, ſed & *diœceſes* poſſideat. At vero, qui ſibimet putant plebes ſuas ſufficere, fraterna dilectione contemta, non tantum *diœceſes* amittant, ſed vt dixi, etiam propriis publica careant auctoritate, vt rebelles. Can. LVI. Audiuimus conſtitutum, vt *diœceſes* non mereantur epiſcopos accipere, niſi conſenſu eius, ſub quo fuerant conſtitutæ: ſed in prouincia noſtra cum ali-

bus [u] *ecclesiæ diœcesanæ*, vt in concilio *Tarraconensi*, quo episcopi diœceses singulis annis visitare iubentur, vt prouideant, ne qua ecclesia diœcesana, hoc est, ecclesia intra diœcesin suam, reparatione destituatur. Vt adeo *ecclesia matrix* & *ecclesia diœcesana* ex isto antiquo stilo ab se inuicem distinctæ fuerint, vti nunc apud nos ecclesia cathedralis ab ecclesia parochiana distinguitur. Ecclesia matrix alias vocabatur *cathedra principalis* [w], vbi episcopum continuo oportebat residere: & nonnumquam *ecclesia catholica*, quemadmodum VALESIVS [x] ex EPIPHANIO [y] & NICEPHORO [z] obseruauit, in oppositione minorum ecclesiarum, quæ ei erant subiectæ. Quamquam, vt antea nobis fuit obseruatum, concilium *Trullanum* ecclesiam quamlibet, in qua baptismus peragebatur, *catholicam ecclesiam* [a] vocet, in

qui forte in diœcesi, concedente eo episcopo, in cuius potestate fuerant constitutæ, ordinati sunt episcopi, etiam *diœceses* sibi vindicant, cetera.

(u) Conc. Tarracon. c. VIII. (tom. IV. concil. p. 1565.) Multorum casuum experientia magistrante, reperimus non nullas diœcesanas esse ecclesias destitutas: ob quam rem id hac constitutione decreuimus, vt antiquæ consuetudinis ordo seruetur, & annuis vicibus ab episcopo *diœceses* (edit. Labb. habet: diœcesano) visitentur: & si qua forte basilica reperta fuerit destituta, ordinatione ipsius reparetur.

(w) Conc. Carth. V. c. V. (tom. II. conc. p. 1216.) Placuit, vt nemini sit facultas, relicta *principali cathedra*, ad aliquam ecclesiam in diœcesi constitutam se conferre.

(x) Vales. not. in Theodor. Lector. lib. I. p. 553. Notandum est, Nicephorum maiorem ecclesiam vocare τὴν καθόλε; non quod reliquæ ecclesiæ huic subiectæ non essent catholicæ; sed per excellentiam quamdam maior ecclesia patriarchalis dicebatur catholica. Sic Epiphanius in hæresi Arianorum haud procul ab initio catholicam ecclesiam vocat maiorem ecclesiam vrbis Alexandriæ, quæ sibi subiectas habebat plures minores ecclesias.

(y) Epiphan. hæres. LIX. n. I. Ὅσαι γὰρ ἐκκλησίαι τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ὑπὸ ἕνα ἀρχιεπίσκοπον ἐσαι. κ. τ. λ. Quotquot Alexandriæ *catholicæ* communionis *ecclesiæ* sunt, vni archiepiscopo subiectæ, cetera.

(z) Niceph. lib. XV. c. XXII. ὃς ἅμα τῷ γενέσθαι οἰκονόμος, τὰ ἐν ἑκάσῃ τῶν ἐκκλησιῶν προσφερόμενα, διετύπε τὲς κατὰ τόπες κληρικὲς ἀποφέρεσθαι· ἄχρις ἐκείνε, πάντα τῆς καθόλε ἐκκλησίας νομιζομένης. Qui quum munus œconomi obiret, quæ in ecclesia quaque muneris loco offerrentur, ea vt loci cuiusque clerici ferrent, constituit, quum ad id tempus ecclesia vniuersalis (catholica) dona eiusmodi omnia tulisset.

(a) Concil. Trullan. c. LIX. (tom. VI. conc. p. 1170.) Μηδαμῶς ἐν εὐκτηρίῳ οἴκῳ

oppo-

oppoſitione priuatarum ædium oratoriarum, in quibus baptiſmum adminiſtrari haud licebat. Neceſſe fuit, eccleſiarum nomina ſub huius libri initium ſigillatim enarrare, quia eorum alia cognitione digna, alia ambigua ſunt, vt lector vno obtutu ea inueniat explanata, nec circa vocabula, quoties in ſequenti ſermone occurrunt, hæſitet.

## §. XIII.

### *Teſtimonia de eccleſiis primi ſæculi, collecta a* Medo.

NVNC proxime in originem eccleſiarum inquirendum eſt, hoc eſt, quo tempore chriſtiani eas pro diuino cultu conſtituerint? Plane ſingularis & noua ſententia a quibusdam viris doctis hiſce poſterioribus temporibus diuulgata eſt, chriſtianos tribus prioribus ſæculis iſtiusmodi diſtincta cultus diuini loca non habuiſſe, ſtatuentibus. Innituntur illi locis quibusdam male intellectis ORIGENIS, MINVCII FELICIS, ARNOBII & LACTANTII, in quibus chriſtiani nulla templa habuiſſe dicuntur, quod eo accipiunt, quaſi eccleſias habuiſſe, auctores iſti negent. Quæ opinio etſi non indocte a VEDELIO [*b*] SVI-

ἔνδον οἰκίας τυγχάνοντι βάπτισμα ἐπιτελείσθω· ἀλλ' οἱ μέλλοντες ἀξιοῦσθαι τοῦ ἀχράντου φωτίσματος ταῖς καθολικαῖς προσερχέσθωσαν ἐκκλησίαις. In æde oratoria, quæ eſt intra domum, baptiſmus nequaquam peragatur: ſed qui illuminatione ab omnibus ſordibus aliena digni habendi ſunt, *ad catholicas eccleſias* accedant & hoc illic munere perfruantur.

(*b*) Vedel. exercitat. in Ignat. ep. ad Magneſ. c. IV. n. II. p. 6?. Ignatii tempore chriſtiani templa non habebant, immo poſt Ignatii etiam tempora iis carebant aliquamdiu. Origenis tempore, qui poſt annum CC. ſcripſit, templis carebant chriſtiani, vt patet ex libro VIII. aduerſus Celſum: vbi Celſus chriſtianis exprobrat: *poſt hæc Celſus & aras & ſimulacra & delubra nos ait defugere, quo minus fundentur &c.* Hoc Origenes non negat, ſed agnoſcit. *Quia*, inquit, *haud quaquam Deum inſenſibilibus* (h. e. inanimatis) *templis colendum exiſtimamus.* Negat autem cauſſam, propter quam Celſus putabat chriſtianos templa defugere. Putabat Celſus id ideo fieri, *vt confirmarent inuiſibilis ſuæ & inexplicabilis communionis fidem.* Sed eam cauſſam Origenes negat & veram adducit. Verba notanda ſunt, ex quibus conſtabit, tum noluiſſe Chriſtianos fundare templa, tum cur fundare noluerint. *Non igitur* ad noſtræ huius inuiſibilis *& inexplicabilis animorum coniunctionis & tanti conuentus confirmationem, ſimulacrorum templorumue fundationes defugimus, ſed quia per Ieſu doctrinam comperimus, quemadmodum colendus ſit Deus, ea nos cauemus, quæ ſub pietatis prætextu & opinatione quadam impios reddunt, qui a vero per Ieſum cultu errando falluntur, qui vtique ſolus ad pietatem eſt via, & in vero illud*

CERO [c] aliisque defenditur, omni tamen fundamento caret, & ab auctoribus, quos adlegant, immo ab illis ipsis, qui eam fouent & tuentur, confutatur. MEDVS elaboratam dissertationem ad hanc opinionem confutandam edidit, in qua veterum testimonia erudite conlegit, quæ christianas ecclesias tribus prioribus sæculis exstitisse, probant. Præcipua eius argumenta in eorum gratiam, qui auctorem non habent, strictim enarrabimus, illisque alia quædam addemus. Primo loco ostendit, quod veteres, AVGVSTINVS [d], BASI-

*profatus : Ego sum via, veritas & vita.* Eodem tempore vixit Minucius Felix, in cuius Octauio Cœcilius idem christianis obiicit, *Cur nullas aras habent? templa nulla? nulla nota simulacra?* Hic expresse Octauius fatetur: *Delubra & aras non habemus.* Post hos vixit Arnobius Afer post annum CCC. apud quem rursus gentiles christianis templorum defectum obiiciunt, lib. 6. aduersus Gent. *In hac consueuistis parte crimen nobis maximum impietatis adfigere, quod neque ædes sacras venerationis ad officia exstruamus, non Deorum alicuius simulacrum constituamus aut formam, non altaria fabricemus, non aras.* Vbi etiam agnoscit Arnobius, templa nulla a christianis exstrui, sed crimen quod in eo collocabant gentiles amolitur. Circa annum CCCXVII. vixit Lactantius, qui lib. 1. de falsa relig. c. 2. gentes accusat, quod templa, aras, simulacra haberent. *Cur igitur*, inquit, *oculos in cœlum non tollitis? & aduocatis Deorum nominibus in aperto sacrificia celebratis? cur ad parietes & ligna & lapides potissimum, quam illo spectatis, vbi eos esse creditis? quid sibi templa? quid aræ volunt? quid ipsa denique simulacra* &c. Quibus verbis etsi idololatrica templa ethnicorum perstringit; tamen haud obscure indicat, christianos etiam tum templa omnia fugisse. Etenim quod Origenes in genere dixerat, christianos ne in impietatem delaberentur, templis abstinuisse, id Lactantius iam in specie declarat, indicans quid impietatis christiani euitarint, scilicet existimasse eos sacrificia in aperto celebranda: ad parietes non esse spectandum sed in cœlum, adeoque quia Deus ubique sit, templis opus non esse. Hic aperte profiteor, me rationes illas propugnare non velle, sufficit enim ostendere, christianorum veterum praxin suis rationibus, qualescumque eæ demum fuerint, nixam fuisse. Ex quibus apparet, quandoquidem Lactantii tempore hæc opinio christianorum fuit, sacra in aperto celebranda, non ad parietes adorandum Deum; quia vbiuis sit, templis ethnicorum opus non habere, eos quoque templis tum quoque caruisse. Ex his veterum testimoniis luce clarius meridiana est, veterem ecclesiam ad prædicta vsque tempora, templis omnino caruisse.

(*c*) Suicer. thes. ecclef. voce ναὸς, p. 390.

(*d*) Aug. quæst. LVII. in Leuitic. (tom. IV. opp. p. 220. c.) Sicut ecclesia dicitur locus, quo ecclesia congregatur. Nam ecclesia homines sunt, de quibus dicitur, vt exhiberet sibi gloriosam ecclesiam. Hanc tamen vocari etiam i-

LIVS

LIVS [e] & auctor ſub nomine deliteſcens HIERONYMI, CHRYSOSTOMVS, SEDVLIVS, OECVMENIVS & THEOPHYLACTVS in commentationibus ſuis in locum *Pauli* 1 Cor. XI, 22. *Num domos non habetis ad edendum & bibendum? aut eccleſiam Dei contemnitis?* vocabulum *eccleſiæ* hoc loco non pro congregatione, ſed pro loco, Dei cultui conſecrato, accipiant. Et quod apoſtoli ſemper in certum locum ad preces & ſupplicationes faciendas in monte *Sione* coierint, qui fuerit *hyperoon* ſiue cœnaculum, toties in actis apoſtolorum memoratum; vbi apoſtoli fuerint congregati, quando ſpiritus ſanctus in ipſos deſcendit Act. II; vbi ſeruator vltimam cœnam celebrarit; vbi diſcipulis ſuis poſt reſurrectionem ſuam duobus diebus dominicis, proxime ſe ſubſequutis, apparuerit Io. XX. Locus iſte, vbi ſeptem diaconi electi fuerint & ordinati Act. VI. Et vbi primum concilium *Hieroſolymitanum* coactum fuerit. Act. XV. Quo in loco poſtea pulchra eccleſia erecta, & *eccleſia montis Sion*, & *ſuperior apoſtolorum*

pſam domum orationum, idem apoſtolus teſtis eſt, vbi ait, Numquid domos non habetis ad manducandum & bibendum, an eccleſiam Dei contemniti? Et hoc quotidianus loquendi vſus obtinuit, vt ad eccleſiam prodire, aut ad eccleſiam confugere non dicatur, niſi quod ad locum ipſum parietesque prodierit vel confugerit, quibus eccleſiæ congregatio continetur.

(e) Baſil. regul. maior. quæſt. XXX. † Regul. minor. quæſt. CCCX. ὥσπερ οὐδὲ κοινὸν σκεῦος ἐπιτρέπει ὁ λόγος εἰσφέρεσθαι εἰς τὰ ἅγια, οὕτως οὐδὲ τὰ ἅγια ἐν κοινῷ οἴκῳ ἐπιτελεῖσθαι· τῆς παλαιᾶς διαθήκης φανερῶς προστάγματι Θεοῦ μηδὲν τοιοῦτον ἐπιτρεπούσης γίνεσθαι, τοῦ κυρίου λέγοντος· μὴ γὰρ οἰκίας οὐκ ἔχετε εἰς τὸ ἐσθίειν καὶ πίνειν; τί εἴπω ὑμῖν; ἐπαινέσω ὑμᾶς; ἐν τούτῳ οὐκ ἐπαινῶ· ἐγὼ γὰρ παρέδωκα ὑμῖν ὃ καὶ παρέλαβον· καὶ τὰ ἑξῆς· ἐξ ὧν παιδευόμεθα, μήτε τὸ κοινὸν δεῖπνον ἐν ἐκκλησίᾳ ἐσθίειν καὶ πίνειν, μήτε κυριακὸν δεῖπνον ἐν οἰκίᾳ καθυβρίζειν, ἐκτὸς εἰ μὴ ἐν ἀνάγκῃ ἐπιλέξηταί τις καθαρώτερον τόπον, ἢ οἶκον ἐν καιρῷ εὐθέτῳ. Quemadmodum ratio non permittit, vt vas vllum commune in ſancta introferatur, eodem etiam modo vetat ſancta in domo communi celebrari; cum ex iuſſu Dei in veteri teſtamento nihil iſto modo fieri permittatur. Cum autem Dominus dicat, *plusquam templum eſt heic:* & apoſtolus item, *Numquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? Quid dicam vobis? Laudabo vos? in hoc non laudo. Ego enim accepi a domino, quod & tradidi vobis*, & quæ ſequuntur: vnde ſane admonemur, non debere nos, neque communem cœnam *in eccleſia* manducare, aut bibere, neque dominicam in priuata domo in contumelia habere: extra quam ſi quis, quum neceſſitas poſcat, locum ædemue elegantiorem deligat in tempore opportuno.

*eccle-*

*ecclesia* tempore CYRILLI episcopi *Hierosolymitani* [*f*] & HIERONYMI [*g*] dicta sit. Quod hæc fuerit domus congregationis, memorata Act. II, 46. vbi apostoli de templo reuersi panem frangere, hoc est, eucharistiam celebrare consueuerint. Putat enim cum multis aliis criticis, verba [*] ἐν οἴκῳ, non *domatim* vel *per domos*, sed *in domo* siue loco, in quo congregatio fieri solebat, reddi debere. Proximum eius argumentum petitum est ex iis, quæ EVSEBIVS [*h*] de *Therapeutis* in *Aegypto*, siue *Essenis* siue christianis, obseruat, quod σεμνεῖα sua, siue loca diuino cultui constituta, inde a temporibus *Marci* habuerint. Et quod eiusmodi loca intelligenda sint in omnibus *Pauli* epistolis, vbi ecclesias [*i*] in hac vel illa domo salutat; hoc est, congregationes, quæ in istiusmodi piorum christianorum domibus, qui aliquam ædium suarum partem oratorio, in quod ecclesia coiret, destinauerant. Tale cœnaculum a LVCIANO, vel quisquis auctor est dialogi *philopatris* dicti, circa tempus *Traiani* de-

(*f*) Cyrill. catech. XVI. n. II. (p. 225. edit. Oxon. MDCCIII.) Οἴδαμεν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον τὸ λαλῆσαν ἐν προφήταις, καὶ ἐν τῇ πεντηκοστῇ κατελθὸν ἐπὶ τοὺς ἀποστόλους ἐν εἴδει πυρίνων γλωσσῶν, ἐνταῦθα ἐν τῇ Ἱερουσαλὴμ, ἐν τῇ ἀνωτέρᾳ τῶν ἀποστόλων ἐκκλησίᾳ· πάντων γὰρ ἡμῖν ἐστι τὰ ἀξιώματα· ἐνταῦθα Χριστὸς ἐξ οὐρανῶν κατῆλθεν· ἐνταῦθα τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐξ οὐρανῶν κατῆλθεν. Scimus spiritum sanctum, qui loquutus est per prophetas, & in die pentecostes descendit super apostolos in specie ignearum linguarum, *heic Hierosolymis in superiore apostolorum ecclesia.* Omnium enim apud nos insignia. Heic Christus de cœlo descendit, hic spiritus sanctus de cœlo descendit.

(*g*) Hieron. epist. XXVII. epitaph. Paulæ (p. 112. edit. Francof.) Vnde egrediens adscendit Sion, quæ in arcem vel speculam vertitur. Hanc vrbem quondam expugnauit & reædificauit Dauid. De expugnata scribitur: *Væ tibi ciuitas Ariel*, id est, leo Dei & quondam fortissima, quam expugnauit David. De ea, quæ ædificata est, dictum est: *Fundamenta eius in montibus sanctis, diligit dominus portas Sion, super omnia tabernacula Iacob*: non eas portas, quas hodie cernimus in fauillam & cinerem dissolutas, sed portas, quibus non præualet infernus & per quas credentium ad Christum ingreditur multitudo. Ostendebatur illi columna *ecclesiæ* porticum sustinens, infecta cruore Domini, ad quam vinctus dicitur & flagellatus. Monstrabatur locus, vbi super centum viginti credentium animas spiritus sanctus descendisset, vt Ioëlis vaticinium compleretur.

(*) Ἐν οἴκῳ, quod auctor noster, tamquam a Medo explicatum, heic ponit, non legitur act. II, 46. sed κατ' οἶκον, & in cod. Cantabrigiensi κατ' οἴκους.

(*h*) Euseb. lib. II. c. XVII. vid. supra §. XII. not. (*f*) pag. 136.

(*i*) Vid. Rom. XVI, 3. 5. Coloss. IV, 15. 1 Cor. XVI, 19. Philem. 1. 2.

scribi-

ſcribitur, vbi introducit quemdam *Critiam*, narrantem ſibi, quod chriſtiani ipſum in hyperoon aliquod, ſiue locum congregationis ſuæ, adduxerint, eo quidem conſilio, vt religionis ſuæ conſortem ipſum efficerent. Porro ex traditione eccleſiaſtica, ex auctore *recognitionum* ſub nomine CLEMENTIS ROMANI deriuata, argumentatur, qui *Theophilum*, cui *Lucas* euangelium ſuum inſcripſiſſe creditur, *Antiochiæ* domum ſuam eccleſiæ nomine conſecraſſe [*k*] perhibet. Et idem de domo *Pudentis*, *Romani* ſenatoris & martyris in actis *Pudentis* adfirmatur, quod poſt eius martyrium in eccleſiam conuerſa ſit. Tandem hoc ſæculum primum teſtimonio CLEMENTIS ROMANI ex genuina ipſius ad *Corinthios* epiſtola, concludit dicentis [*l*], quod Deus non minus apta loca, quam tempora & horas, vbi & quando ſolemniter celebrari velit, definierit, vt omnia ſancte & ordine fierent.

## §. XIV.

### *Teſtimonia de eccleſiis ſecundi ſæculi.*

De ſecundo ſæculo oſtendit, quod IGNATIVS in epiſtola ſua ad *Magneſianos* [*m*] eos hortetur, vt in locum vnum conueniant, quem ille *ναὸν Θεοῦ*, *templum Dei*, vocet; & quod in epiſtola ſua ad *Philadelphianos* [*n*] dicat, eſſe vnicuique eccleſiæ vnum

(*k*) Recognit. lib. X. n. LXXI. Intra ſeptem dies, plus quam decem millia hominum credentes Deo, baptizati ſunt, & ſanctificatione conſecrati, ita vt omni auiditatis deſiderio *Theophilus*, qui erat cunctis potentibus in ciuitate ſublimior, *domus ſuæ ingentem baſilicam eccleſiæ nomine conſecraret.*

(*l*) Clem. ep. I. ad Corinth. n. XL. Κατὰ καιροὺς τεταγμένους τάς τε προσφορὰς καὶ λειτουργίας ἐπιτελεῖσθαι, καὶ οὐκ εἰκῆ ἢ ἀτάκτως ἐκέλευσεν γίνεσθαι ἀλλ' ὡρισμένοις καιροῖς καὶ ὥραις· πῶς τε καὶ διὰ τίνων ἐπιτελεῖσθαι θέλει; αὐτὸς ὥρισεν τῇ ὑπερτάτῃ αὐτοῦ βουλήσει· ἵν' ὁσίως πάντα γινόμενα ἐν εὐδοκήσει, εὐπρόσδεκτα εἴη τῷ θελήματι αὐτοῦ. Statutis temporibus, oblationes & officia perfici, neque temere vel inordinate fieri præcepit, ſed præfinitis temporibus & horis: vbi etiam & a quibus celebrari velit, ipſe excellentiſſima ſua voluntate definiuit: vt pure & ſancte omnia facta in beneplacito accepta eſſent voluntati eius.

(*m*) Ignat. ep. ad Magneſ. n. VII. Μηδὲ πειράσητε εὔλογόν τι φαίνεσθαι ἰδίᾳ ὑμῖν· ἀλλ' ἐπὶ τὸ αὐτὸ μία προσευχή, μία δέησις - - πάντες οὖν ὡς εἰς ναὸν συντρέχετε Θεοῦ. Neque operam detis, vt vobis aliquid ſeorſim rationi videatur conſentaneum, ſed in vnum conuenientibus vna ſit oratio, vna deprecatio. - - Omnes itaque velut in vnum templum Dei concurrite.

(*n*) Epiſt. ad Philad. n. IV. Ἓν θυσιαστήριον, ὡς εἷς ἐπίσκοπος ἅμα τῷ πρεσβυτερίῳ

altare, vnum episcopum cum presbyterio & diaconis. Hodiernum quidem exemplar *Græcum* paullo aliter atque *Medus* legit, omittens vocabulum ecclesiæ, sed mentio altaris facta satis est testimonium, quod stata loca pro conuentibus suis ecclesiasticis habuerint. Eodem sæculo PIVS episcopus *Romanus* duas breviores epistolas ad *Iustum* episcopum *Viennensem* in *Gallia* scripsit; quarum in priore *Euprepia* [o] quædam pia matrona titulum domus suæ ecclesiæ ad celebrandas inibi missas adsignasse dicitur; & in posteriore laudatur quidam presbyter nomine *Pastor*, quod titulum, hoc est ecclesiam, ante obitum suum [p] condiderit. CLEMENS ALEXANDRINVS sub finem huius sæculi nomine *ecclesiæ* pro loco conuentus æque ac pro ipsa congregatione vtitur. De ecclesia enim loquens, *Non iam*, inquit, *locum* [q], *sed congregationem electorum, ecclesiam voco.* Atque ita etiam in notissima sua homilia *Quis diues saluetur*, introducit episcopum *Asianum*, cui *Ioannes* apostolus iuuenem quemdam tradiderat christiana disciplina erudiendum, querentem & illacrimantem, quod iuuenis malus & perditus & ad extremum latro factus nunc pro *ecclesia* [r] montem occupasset cum sui simillimis commilitonibus. Ex his manifestum est, quod eius ætate vocabulum *ecclesiæ* non minus pro loco sacri conuentus, quam pro ipso conventu, acceptum fuerit.

## §. XV.

### *Testimonia de ecclesiis tertii sæculi.*

SAECVLI tertii testimonia copiosiora sunt & planiora. TERTVLLIANVS perspicue significat, quod ecclesias habuerint, quando de christianis, qui idola pro gentilibus fabricabantur, negantibus, se quod facerent colere, querens ait: *Tota die ad hanc par-*

καὶ διακόνοις κ. τ. λ. Vnum altare, sicut vnus episcopus cum presbyterio & diaconis.

(o) Pii ep. I. (ep. III. tom. I. conc. p. 576.) ad Iustum. Soror nostra Euprepia titulum domus suæ pauperibus adsignauit; vbi nunc cum pauperibus nostris commorantes missas agimus.

(p) Pii ep. II. (IV. ibid. p. 577.) Presbyter Pastor titulum condidit & digne in domino obiit.

(q) Clem. Alexandr. Strom. VII. οὐ νῦν τὸν τόπον, ἀλλὰ τὸ ἄθροισμα τῶν ἐκλεκτῶν, ἐκκλησίαν καλῶ.

(r) Ap. Euseb. lib. III. cap. XXIII. & in bibliothec. patr. Combesis. Νῦν ἀντὶ τῆς ἐκκλησίας τὸ ὄρος κατείληφε μεθ' ὁμοίου στρατιωτικοῦ

tem

*tem zelus* [*s*] *fidei perorabit, ingemens christianum ab idolis in ECCLESIAM venire, de aduersaria officina in DOMVM DEI venire, attollere ad Deum patrem manus matres idolorum.* Et alio loco [*t*] ecclesiam domum columbæ vocat, intelligens per columbam Christum, vel religionem ipsius columbæ similem, quemadmodum supra [*tt*] explicauimus. Et rursus diserte distinguit inter baptisterium & ecclesiam, quæ hisce temporibus loca a se inuicem separata erant. *Aquam* [*u*] *adituri ibidem*, inquit, *sed & aliquanto prius IN ECCLESIA sub antistitis manu contestamur, nos renuntiare diabolo, & pompæ & angelis eius.* TERTVLLIANVM sequitur HIPPOLYTVS [*w*], qui signa venientis antichristi describens ait: *Templa diuina domorum instar erunt, locis omnibus euersiones fient ECCLESIARVM.* Sed huic adlegato non firmiter insisto, quia opus spurium est & recentioris æui, quam quidem venditatur, sicut VSSERIVS probauit, nec minus COMBEFISIVS confessus est, qui genuinum HIPPOLYTI scriptum de *Christo* & *Antichristo* publicauit, in quo istiusmodi locus non reperitur [*x*]. Testimonium autem fide dignum in eodem sæculo ex gentili quodam scriptore habemus. Nam LAMPRIDIVS in vita *Alexandri Seueri* [*y*] de ipso narrat, quod quum christianos inter & popinarios de loco quodam publico orta esset controuersia, vtraque parte sibi eum deberi dicente, imperator litem in christianorum gratiam definiens rescripserit, *melius esse, vt quomodocunque illic Deus colatur, quam po-*

(*s*) Tertull. de idol. cap. VII.

(*t*) Tertull. adu. Valent. c. III. Nostræ columbæ domus simplex, in editis semper & apertis & ad lucem.

(*tt*) Vid. supra §. II. pag. 115. 116.

(*u*) Tertull. de coron. milit. c. III.

(*w*) Hippolyt. de consummat. mundi. (biblioth. patr. græco-lat. tom. II. p. 346.) οἱ ναοὶ τοῦ Θεοῦ ὡς οἶκοι ἔσονται, καὶ καταστροφαὶ τῶν ἐκκλησιῶν.

(*x*) Vid. Combesis. auctar. nouiss. p. 57. Quod Hippolyti nomine opus de Antichristo hactenus pluteos onerauerat, sequioris Græciæ monumentum est, ac plane straminneum, nihil æui illius sinceritatem redolens, aut venam magni cum simplicitate Theologi sacrisque in scripturis versati; cuius parens ea ipsa persuasio fuerit, quod scripsisse Hippolytum de antichristo apud antiquos peruulgatum sit.

(*y*) Lamprid. vit. Alex. c. XLIX. Quum christiani quendam locum, qui publicus fuerat, occupassent, contra popinarii dicerent, sibi eum deberi; rescripsit imperator, melius esse vt quomodocumque illic Deus colatur, quam popinariis dedatur.

*pinariis dedatur.* Circa medium hoc sæculum vixit celebris ille GREGORIVS NEOCAESARIENSIS, cognomine *Thaumaturgus*, qui ipse diuersas ecclesias *Neocæsareæ* & in adiacentibus partibus *Ponti* ædificauit, vt in vita eius refert GREGORIVS NYSSENVS [z]; qui etiam quamdam canonicam epistolam scripsit, in qua certæ classes siue stationes [a] pœnitentium in certis ecclesiæ partibus describuntur. Quia vero nonnulli viri docti dubitant, an non potius ista epistolæ pars commentitia sit, & ab alia quadam manu addita, ideo non maius ei pretium, quam par est, statuimus, sed tantum obseruamus, quod eædem classes pœnitentium ex aliis huius epistolæ canonibus, qui genuini esse permittuntur, colligi possint. Circa idem illud tempus CYPRIANVS

(z) Gregor. Nyssen. vit. Gregor. Thaumat. tom. III. p. 567. Πάντων κατὰ τόπον πάντα εὐκτηρίοις ἐπὶ τῷ ὀνόματι τοῦ χριστοῦ κατὰ σπουδὴν ναοὺς ἀνεγειρόντων, θυμὸς καὶ φθόνος εἰσέρχεται τῷ τηνικαῦτα τῆς ἀρχῆς τῶν Ῥωμαίων ἐπιστατοῦντι — καὶ νομίσας δυνατὸν εἶναι τῇ θείᾳ δυνάμει τὴν ἰδίαν ἀντιστῆναι πικρίαν, καὶ ἐπισχεῖν μὲν τοῦ μυστηρίου τὸ κήρυγμα, καταλῦσαι δὲ τῶν ἐκκλησιῶν τα συστήματα, μεταστῆσαι δὲ πάλιν ἐπὶ τὰ εἴδωλα τοὺς προκεχωρηκότας τῷ λόγῳ κ. τ. λ. Omnibus in omni loco *templa* ad orandum sub nomine Christi studiose *exstruentibus*, furor quidam atque inuidia inuasit eum, qui tunc præerat imperio Romanorum - - & arbitratus fieri posse, vt sua sæuitia diuinæ potentiæ resisteret & mysterii quidem prædicationem inhiberet & *constitutas ecclesias euerteret*, traduceret autem rursus eos, qui sermoni adiuncti essent, ad simulacra, cetera.

(a) Gregor. Thaumat. epist. can. c. XI. (p. 41. opp. Par. MDCXXII.) Ἡ πρόσκλαυσις ἔξω τῆς πύλης τοῦ εὐκτηρίου ἐστὶν, ἔνθα ἑστῶτα τὸν ἁμαρτάνοντα χρὴ τῶν εἰσιόντων δεῖσθαι πιστῶν, ὑπὲρ αὐτοῦ εὔχεσθαι· ἡ ἀκρόασις ἔνδοθι τῆς πύλης ἐν τῷ νάρθηκι· ἔνθα ἑστάναι χρὴ τὸν ἡμαρτηκότα, ἕως τῶν κατηχουμένων, καὶ ἐντεῦθεν ἐξέρχεσθαι· ἀκούων γὰρ, φησὶ, τῶν γραφῶν, καὶ τῆς διδασκαλίας, ἐκβαλλέσθω καὶ μὴ ἀξιούσθω προσευχῆς· ἡ δὲ ὑπόπτωσις, ἵνα ἔσωθεν τῆς πύλης τοῦ ναοῦ ἱστάμενος, μετὰ τῶν κατηχουμένων ἐξέρχηται· ἡ σύστασις, ἵνα συνίσταται τοῖς πιστοῖς καὶ μὴ ἐξέρχηται μετὰ τῶν κατηχουμένων· τελευταῖον, ἡ μέθεξις τῶν ἁγιασμάτων. Fletus, seu luxus, est extra portam oratorii, vbi peccatorem stantem oportet fideles ingredientes orare, vt pro se precentur. Auditio est intra portam, in loco quem νάρθηκα vocant, in ferula: vbi oportet eum, qui peccauit, stare post catechumenos, vsque ad catechumenos, & illinc egredi. Audiens enim, inquit, post scripturam & doctrinam eiiciatur; & precatione ne dignus censeatur. Subiectio autem, seu substratio est, vt intra templi portam stans cum catechumenis egrediatur. Congregatio seu consistentia est, vt cum fidelibus consistat, & cum catechumenis non egrediatur. Postremo est participatio sacramentorum.

de

de loco conuentus chriſtianorum nomine *dominici* [*b*] loquitur, vt iam obſeruatum nobis eſt; & alio loco eccleſiam & capitolium, altare domini & aras ſimulacrorum atque idolorum, ſibi inuicem opponit. Loquens enim de quibusdam lapſis & ſine acta pœnitentia in eccleſiam recipi volentibus, *Quid ſupereſt*, inquit [*c*], *quam vt eccleſia capitolio cedat, & recedentibus ſacerdotibus, ac domini altare remouentibus, in cleri noſtri ſacrum venerandumque conſeſſum, ſimulacra atque idola cum aris ſuis tranſeant?* Circa hoc tempus etiam DIONYSIVS epiſcopus *Alexandriæ* de eccleſiis, tamquam cultui diuino adſignatis, loquitur, dirimens hanc quæſtionem: *Num mulieres tempore ſeparationis ſuæ domum Dei* [*d*] *ingredi deceat.* Id porro ex reſcripto GALLIENI imperatoris, apud EVSEBIVM [*e*] memorato, liquet, quo chriſtianis eccleſias ſuas ſub nomine τόπων θρησκευσίμων reſtituit: Ex eo etiam patet, quod ex epiſtola AVRELIANI [*f*] notauimus, qui ſenatum reprehendebat, quod tam diu de *Sibyllinis* dubitaſſent libris, perinde quaſi in chriſtianorum eccleſia non in templo deorum omnium tractarent. Ita quoque ex altero eius reſcripto apud EVSEBIVM [*g*], quo *Paulum Samoſatenſem* rogatus a concilio *Antiocheno* e domo eccleſiæ expelli iuſſit. Sed teſtimonium EVSEBII reliqua omnia ſuperat. Loquens enim de pacatis temporibus, quibus chriſtiani a perſecutione *Valeriana* ad *Diocletianeam* vſque gauiſi ſint, obſeruat, quod chriſtianorum multitudo his quinquaginta annis adeo increuerit, vt priſca ædificia, ipſos ca-

(*b*) Cyprian. de oper. & eleemoſ. vid. §. II. not. (f) p. 113.

(*c*) Cyprian. ep. LV. al. LIX. ad Cornelium.

(*d*) Dionyſ. ep. can. II. (apud Beuereg. tom. II. p. 4. e.) Περὶ τῶν ἐν ἀφέδρῳ γυναικῶν, εἰ προσήκει αὐτὰς οὕτω διακειμένας εἰς τὸν οἶκον εἰσίεναι τοῦ Θεοῦ, περιττὸν καὶ τὸ πυνθάνεσθαι νομίζω. De mulieribus autem, quæ ſunt in abſceſſu, an eas ſic adfectas oporteat *domum Dei ingredi*, ſuperuacaneum vel interrogare exiſtimo.

(*e*) Euſeb. lib. VII. c. XIII. τὴν εὐεργεσίαν τῆς εἰμῆς δωρεᾶς διὰ παντὸς τοῦ κόσμου ἐκβιβασθῆναι προστέταχα· ὅπως ἀπὸ τόπων θρησκευσίμων ἀποχωρήσωσι. Indulgentiam beneficii noſtri per vniuerſum orbem diffundi præcepimus, vt cuncti a *religioſis locis* abſcedant.

(*f*) Apud Vopiſc. vit. Aurelian. vid. §. I. not. (d) pag. 113.

(*g*) Euſeb. lib. VII. c. XXX. cit. §. III. not. (u) pag. 117.

 pere

pere non potuerint, adeoque in singulis vrbibus spatiosas ab ipsis fundamentis [h] exstruxerint ecclesias.

§. XVI.

*Ad obiectionem ex* Lactantio *et* Arnobio *respondetur.*

Vnica obiectio, quæ contra hæc omnia cum aliqua specie fieri solet, petita est ex antiquis apologetis origene [hh], minvcio felice [i], arnobio [k] & lactantio [l], qui di-

(h) Euseb. lib. VIII. c. I. Πῶς ἄν τις διαγράψειε τὰς μυριάνδρους ἐκείνας ἐπισυναγωγὰς καὶ τὰ πλήθη τῶν κατὰ πᾶσαν πόλιν ἀθροισμάτων· τάς τε ἐπισήμους ἐν τοῖς προσευκτηρίοις συνδρομάς; ὧν δὴ ἕνεκα μηδαμῶς ἔτι τοῖς παλαιοῖς οἰκοδομήμασιν ἀρκούμενοι, εὐρείας εἰς πλάτος ἀνὰ πάσας τὰς πόλεις ἐκ θεμελίων ἀνίστων ἐκκλησίας. Quis innumerabilem hominum quotidie ad fidem Christi confugientium turbam, quis numerum ecclesiarum in singulis vrbibus, quis illustres populorum concursus in ædibus sacris cumulate possit describere? Quo factum est, vt *priscis ædificiis* iam non contenti in singulis vrbibus *spatiosas ab ipsis fundamentis exstruerent ecclesias.*

(hh) Origen. c. Celsum lib. VIII. p. 390. εἰ δὲ καὶ ναοὺς ναοῖς δεῖ παραβαλεῖν, ἵνα παραστήσωμεν τοῖς ἀποδεχομένοις τὰ Κέλσου, ὅτι ναοὺς μὲν ἱδρύεσθαι τοὺς πρέποντας τοῖς εἰρημένοις ἀγάλμασι καὶ βωμοῖς οὐ φεύγομεν, ἐκτρεπόμεθα δὲ τῷ πάσης ζωῆς χορηγῷ ἀψύχους καὶ νεκροὺς οἰκοδομεῖν ναούς· ἀκουέτω ὁ βουλόμενος, τίνα τρόπον διδασκόμεθα, ὅτι τὰ σώματα ἡμῶν ναὸς τοῦ Θεοῦ ἐστί· καὶ εἴ τις διὰ τῆς ἀκολασίας ἢ τῆς ἁμαρτίας φθείρει τὸν ναὸν τοῦ Θεοῦ, οὗτος ὡς ἀληθῶς ἀσεβὴς εἰς τὸν ἀληθῆ ναὸν φθαρήσεται. Quod si etiam templa templis conferenda sunt, vt discant Celsi fautores, non obstare nos, quo minus templa condantur, conuenientia iam dictis aris & statuis, cauere tamen, ne omnis vitæ largitori templa struamus exanima & mortua: audiat qui vult nostram doctrinam, quod corpora nostra templum Dei sunt, & quod, si quis per intemperantiam aut per peccatum aliud corrumpit templum Dei, is peribit, vt in verum templum vere impius.

(i) Minuc. Octau. p. 29. (p. 31. edit. Hall.) Cur nullas aras habent, *templa nulla*, nulla nota simulacra?

(k) Arnob. aduers. gent. lib. VI. (p. 113. edit. Hamburg.) Quod quum ita se habeat, qui possumus iudicari Deos habere contemtui? quos nisi sunt recti & magnarum mentium admiratione laudabiles, Deos negamus exsistere, nec potestatibus posse cælitus applicari. Sed *templa illis exstruimus nulla*, nec eorum effigies adoramus, non mactamus hostias, non tura ac vina libamus. Ecquid amplius possumus vel honoris eis tribuere, vel dignitatis, quam quod eos in ea ponamus parte, qua verum caput, ac dominum summumque ipsum regem, cui debent diuina nobiscum, quod esse se sentiunt, & vitali in substantia contineri? *Numquid* enim *delubris aut templorum eum constructionibus honoramus?*

(l) Lactant. lib. II. c. II. Cur ad parietes & ligna & lapides potissimum, quam illo spectatis, vbi eos esse creditis? Quid sibi templa? Quid aræ volunt?

cere

cere videntur, quod chriſtiani ipſorum ætate nec templa habuerint nec altaria, nec debuerint habere. Verum vti MEDVS fuiſſe demonſtrat, hæc tantummodo contra iſtiusmodi templa dicta ſunt, quæ gentiles defendebant, diuinitatem idolis includentes. Alias enim auctores illi, ex quibus iſta obiectio deprompta eſt, ſibi ipſi mirifice contradicerent. Nam ARNOBIVS [m], conuenticula eos ſua habuiſſe, fatetur, quæ vltima perſecutione immaniter diruta eſſe, queritur. Idem dicit LACTANTIVS (n), templa Dei nuncupans, quæ DIOCLETIANVS deſtrui iuſſerit, quum litteras oratorias in *Bithynia* doceret. Et ORIGENES ipſe [o] de adornandis chriſtianis eccleſiis ac altaribus, in homilia quadam ſua in *Ioſuam*, a RVFFINO *latine* verſa, loquitur.

## §. XVII.

### *Collectiones quædam addititi æ ad hanc materiam.*

HVC vſque MEDVS in collectionibus ſuis progreditur, & huic obiectioni reſpondet; quibus pauca addemus, ab eo non obſeruata. LACTANTIVS alio loco *inſtitutionum* [p] de conventiculo quodam chriſtianorum in vrbe quadam *Phrygiæ* loquitur, quod gentiles cum vniuerſo populo inibi congregato concremarint. Et in libro ſuo de *mortibus perſecutorum*, poſt

(m) Arnob. lib. IV. p. 152. p. 50. edit. Hamb.) ſupra §. VII. not. (l) pag. 125.

(n) Lactant. lib. II. c. II. citat. §. VI. not. (q) pag. 122.

(o) Origen. homil. X. in Ioſuam. Sunt quidam in eccleſia credentes quidem & habentes fidem in Deum & acquieſcentes in omnibus diuinis præceptis: quique etiam erga ſeruos Dei religioſi ſunt & ſeruire eis cupiunt, ſed & *ad ornatum eccleſiæ* vel miniſterium ſatis prompti paratique ſunt, in artibus vero ſuis & conuerſatione propria obſcœnitatibus & vitiis inuoluti, nec omnino deponentes veterem hominem cum artibus ſuis, ſed inuoluti vetuſtis vitiis & obſcœnitatibus ſuis, ſicut & iſti pannis & calceamentis veteribus obtecti, præter hoc quod in Deum credunt & erga ſeruos Dei vel *eccleſiæ cultum* videntur eſſe deuoti, nihil adhibent emendationis vel innouationis in mores.

Ibid. Sciendum eſt, - - - quod ſi qui tales ſunt in nobis, quorum fides id tantummodo habet, vt ad eccleſiam veniant, & inclinent caput ſuum ſacerdotibus, officia exhibeant, ſeruos Dei honorent, *ad ornatum quoque altaris vel eccleſiæ aliquid conferant*, cetera.

(p) Lactant. lib. V. c. XI. Aliqui ad occidendum præcipites extiterunt, ſicut vnus in Phrygia, qui *vniuerſum populum cum ipſo pariter conuenticulo concremauit.*

MEDI

MEDI mortem publicato, specialiorem narrationem de ecclesiis per orbem terrarum destructis habet. Nam non tantum editissimæ ecclesiæ *Nicomediensis* [q] destructionem memorat, sed eadem quoque mala ecclesiis orbis terrarum accidisse significat. In ipsa enim *Gallia*, quam CONSTANTIVS, vir alioquin in omni vita placidissimus, tum moderatus sit, persequutionem eo progressam fuisse dicit, vt ecclesiæ diruerentur [r], hominibus licet veris Dei templis sub clementi eius regimine seruatis. LACTANTIVS eo tempore in *Gallia* vixit, *Crispum*, filium *Constantini* & nepotem *Constantii*, litteris latinis erudiens, adeoque in relatione sua falli non potuit. Vt proinde EVSEBIVM ex eo interpretari debeamus, quando *Constantium* nullas ecclesiarum ædes subuertisse [s] dicit, hoc est, non mandasse quidem expressis verbis, sicut alii fecerint imperatores, vt subuerterentur, sed conniuisse tamen eas subuertentibus, vt reliquis imperatoribus faceret satis, & passum esse parietes dirui, vt vitæ & saluti hominum consuleret. Quomodocumque autem res se habet, in hoc certe EVSEBIVS & LACTANTIVS concordant, fuisse in *Gallia* ante persecutionem vltimam ecclesias. Similem narrationem de ecclesiis *Britanniæ* a GILDA traditam habemus, qui generatim

(q) Lactant. de mort. persecut. c. XII. (p. 1076. edit. Lips. MDCCV.) Ille dies primus leti primusque malorum caussa fuit; quæ & ipsis & orbi terrarum acciderunt. Qui dies quum illuxisset, agentibus consulatum senibus ambobus octauum & septimum, repente adhuc dubia luce *ad ecclesiam* profectus cum ducibus & tribunis & rationalibus venit, & reuulsis foribus simulacrum Dei quæritur. Scripturæ repertæ incenduntur, datur omnibus præda, rapitur, trepidatur, discurritur. Ipsi vero in speculis (*in alto* enim *constituta ecclesia* ex palatio videbatur) diu inter se concertabant, vtrum ignem potius supponi oporteret. Vicit sententia Diocletiani, cauens ne magno incendio facto pars aliqua ciuitatis arderet. Nam multæ ac magnæ domus ab omni parte cingebant. Veniebant igitur Prætoriani, acie structa, cum securibus & aliis ferramentis; & iussi vndique tandem illud editissimum paucis horis solo adæquarunt.

(r) Ibid. c. XV. Constantius, ne dissentire a maiorum præceptis videretur, conuenticula, id est, parietes, qui restitui poterant, dirui passus est, verum autem Dei templum, quod est in hominibus, incolume seruauit.

(s) Euseb. lib. VIII. c. XIII. Μήτε τῶν ἐκκλησιῶν τοὺς οἴκους καθελὼν, μήθ᾽ ἕτερόν τι καθ᾽ ἡμῶν καινουργήσας, τέλος εὐδόκιμον καὶ τρισμακάριον ἀπείληφε τοῦ βίου. Cum nec ecclesiarum ædes subuertisset, aut quidquam ad versus nostros esset molitus, tandem felicissimum ac beatissimum vitæ exitum consequutus est.

de

de vltima perſecutione dicit [t], per totum terrarum orbem & ſpeciatim in *Britannia* eccleſias ſubuerſas eſſe; chriſtianos enim, finita perſecutione [u], renouaſſe eccleſias ad ſolum vſque deſtructas, aliasque præterea fundaſſe, vt publica monimenta ac tropæa eſſent martyrum. OPTATVS [w] quadraginta baſilicarum in vrbe *Roma* ante poſtremam perſecutionem meminit, quæ chriſtianis ablatæ, & poſtea, mandante *Maxentio*, reſtitutæ ſint, vti AVGVSTINVS [x] plus vice ſimplici fidem nobis facit. In *Africa* de eccleſiis ſub hac perſecutione dirutis, vt *Zamæ* & *Furnis*, in *geſtis purgationis* CAECILIANI ac FELICIS [y], relatum legimus. Aliæ ademtæ erant, & dum reſtituerentur, concilia & conuentus eccleſiaſtici in priuatis habebantur ædibus, vti de concilio *Cirtenſi* OPTATO [z] & poſt ipſum AVGVSTINO [a] obſeruatur, quando hic ait: *Commemoratum eſt, vſque adeo non eſſe incredibile, quod in priuatam domum pauci illi epiſcopi*

(t) Gildas de excid. Britann. in initio. Ad perſecutionem Diocletiani tyranni nouennem, in qua ſubuerſæ per totum mundum ſunt eccleſiæ, cetera.

(u) Ibid. Renouant eccleſias ad ſolum vſque deſtructas, baſilicas ſanctorum martyrum fundant, conſtruunt, perficiunt, ac veluti victricia ſigna paſſim propalant. Vid. Bedæ hiſtor. eccleſ. lib. I. c. VI. & VIII. qui iisdem Gildæ verbis vtitur.

(w) Optat. lib. II. p. 49. (p. 39. edit. Par. MDCLXXIX.) Non enim grex aut populus appellandi fuerant pauci, qui inter *quadraginta*, & quod excurrit, *baſilicas*, locum, vbi colligerent, non habebant.

(x) Auguſtin. breuic. collat. diei III. c. XVIII. (tom. VII. opp. p. 588. a. edit. Baſil. MDLXIX.) Geſta alia recitarunt, in quibus legebatur, Melchiades miſiſſe *cum litteris Maxentii imperatoris* & litteris præfecti prætorii ad præfectum vobis, *vt ea reciperentur, quæ tempore perſecutionis ablata memoratus imperator chriſtianis iuſſerat reddi.* Et quum his quoque geſtis nullum Melchiadis crimen & cognitori & catholicis defenſoribus appareret, dixerunt Donatiſtæ, Stratonem diaconum, quem cum aliis Melchiades ad *recipienda loca eccleſiaſtica* miſerat, ſuperioribus geſtis recitatum eſſe traditorem. It. lib. poſt collat. c. XIII. (ibid. p. 602. a.) Recitauerunt etiam alia geſta, vbi Melchiadem legebant miſiſſe diaconos *cum litteris Maxentii imperatoris* & præfecti prætorii ad præfectum vrbis, vt *reciperent loca, quæ fuerant a chriſtianis tempore perſecutionis ablata.*

(y) Geſta purgat. p. 276. (p. 96. b. poſt Optat. edit. cit.) Et Zamæ & Furnis dirui baſilicas & vri ſcripturas vidi.

(z) Optat. lib. I. p. 39. (p. 16. edit. cit.) Apud Cirtam ciuitatem, quia baſilicæ nec dum fuerant reſtitutæ, in domum Vrbani Cariſi conſederunt.

(a) Auguſt. breuic. collat. diei III. c. XVII. (tom. VII. opp. p. 587. c. edit. Baſil. cit.)

*persecutionis tempore conuenerunt, vt feruente persecutione etiam in carcere doceantur baptizati martyres, & illic a christianis celebrata sacramenta, vbi christiani propter eadem sacramenta tenebantur inclusi.* Sed vt ne nimius sim in eiusmodi exemplis, ipse imperialium edictorum, quæ vltimam persecutionem excitarunt, tenor euidentissimum testimonium est, quod christiani in omnibus mundi partibus publicas habuerint ecclesias, ad quas coierint, quamdiu eas frequentandi habuerint opportunitatem. EVSEBIVS [b] enim edicta in vniuersum terrarum orbem missa fuisse dicit, quæ ædes sacras solo æquari ac funditus subuerti, & sacros divinarum scripturarum libros concremari iusserint. Id quod a THEODORETO [c] etiam, HIERONYMO [d] & in *gestis purgationis* CAECILIANI & FELICIS [e] ad calcem OPTATI adnotatum est. Vt adeo non minus dubitari possit, an christiani ante vltimam persecutionem biblia habuerint, quam an ecclesias possederint. Qui contrariam sententiam tuentur, caussa cadunt & sibimet ipsis contradicunt. Quando enim ARNOBII & LACTANTII auctoritatem adlegant, christianis nulla fuisse templa demonstraturi, ante dictis testimoniis coguntur adfirmare, *Arnobii & Lactantii* ætate, hoc est sæculo tertio, templa eos habuisse; quod idem est, ac rem eamdem adfirmare atque negare, & tum sese tum istos antiquos auctores manifestæ contradictionis arguere. Testimoniis a MEDO ex sæculo tertio medio citatis memorabilem historiam addere lector potest, quam de *Marino* martyre an. CCLIX. tempore *Gallieni* imperatoris refert EVSEBIVS, „Honor quidam est viris, inquit, apud *Romanos*, quem qui a„depti sunt, centuriones dicuntur. Hic locus quum vacaret „*Cæsareæ*, *Marinus* ordine gradus sui ad eam promotionem „vocabatur. Verum quum honore illo iam iam potiturus esset,

(b) Euseb. lib. VIII. c. II. *τῶν μὲν προσευκτηρίων τοὺς οἴκους ἐξ ὕψους εἰς ἔδαφος αὐτοῖς θεμελίοις καταῤῥιπτουμένους, τὰς δὲ ἐνθέους καὶ ἱερὰς γραφὰς κατὰ μέσας ἀγορὰς πυρὶ παραδιδομένας αὐτοῖς ἐπείδομεν ὀφθαλμοῖς.*

(c) Theodoret. lib. V. c. XXXIX. *πάσας καταλύσειν τὰς ἐκκλησίας ἠπείλησε καὶ μέν τοι καὶ τέλος ἐπέθηκεν οἷς ἠπείλησε.* (Rex Persarum Isdigerdes) cunctas ecclesias se destructurum minatus est, sed & minas suas ad effectum perduxit.

(d) Hieron. comment. in Zach. c. VIII. In tantam rabiem persecutorum feritas excitata est, vt etiam conciliabula nostra destruerent.

(e) Gesta purgat. Cæcil. p. 277. (p. 96. ed. cit.) Vbi scripturæ inueniuntur, ipsa domus diruitur.

qui-

„quidam ad tribunal accedens, *Marinum* accuſare cœpit, ad-„ſerens, illi quidem vtpote chriſtiano homini & imperatoribus „ſacrificare renuenti, *Romanam* dignitatem capeſſere legibus „non licere; ſibi vero gradum illum competere. Ea re com-„motus iudex, *Achæus* nomine, primum quidem *Marinum* in-„terrogauit, cuiusnam eſſet ſententiæ. Cognito deinde, quod „chriſtianum ſe eſſe conſtantiſſime profiteretur, trium horarum „ſpatium ad deliberandum ei conceſſit. Proinde quum ex præ-„torio egreſſus eſſet, *Theotecnus* ciuitatis epiſcopus ad illum „accedens & ſermocinando longius eum abſtrahens prehenſa „manu ad eccleſiam [*f*] eum perducit. Quumque interius ad „ipſum altare eum ſtatuiſſet, reducta tantiſper eius chlamyde, „gladium illi, quo præcinctus erat, oſtendens, mox ſacrorum „euangelicorum codicem ex aduerſo locat, iubens, vt ex du-„obus, vtrum mallet, eligeret. *Marinus* nihil cunctatus, pro-„tenſa dextra codicem quum apprehendiſſet; his eum verbis „*Theotecnus* compellauit: Adhære igitur, adhære Deo eiusque „virtute roboratus conſequere, quod elegiſti. Vade in pace. „Poſthac egredientem illum ab eccleſia, præco præ foribus „prætorii euocare cœpit. Iam enim præſtitutum tempus ef-„fluxerat. Admotus igitur tribunali, quum maiorem quam an-

(*f*) Euſeb. lib. VII. c. XV. Τιμή τίς ἐςι παρὰ Ῥωμαίοις τὸ κλῆμα, οὗ τοὺς τυχόντας φασὶν ἑκατοντάρχους γίνεσθαι· τόπου σχολάζοντος, ἐπὶ τοῦτο προκοπῆς τὸν Μαρῖνον ἡ τοῦ βαθμοῦ τάξις ἐκάλει· ἤδη τε μέλλοντα τῆς τιμῆς ἔχεσθαι, παρελθὼν ἄλλος πρὸ τοῦ βήματος, μὴ ἐξεῖναι μὲν ἐκείνῳ τῆς Ῥωμαίων κατέχειν ἀξίας κατὰ τοὺς παλαιοὺς νόμους, χριςιανῷ γε ὄντι καὶ τοῖς βασιλεῦσι μὴ θύοντι, κατηγόρει· αὐτῷ δὲ ἐπιβάλλειν τὸν κλῆρον· ἐφ' ᾧ κινηθέντα τὸν δικαςήν, Ἀχαιὸς οὗτος ἦν, πρῶτον μὲν ἐρέσθαι, ποίας ὁ Μαρῖνος γνώμης εἴη· ὡς δὲ ὁμολογοῦντα χριςιανὸν ἐπιμόνως ἑώρα, τριῶν ὡρῶν ἐπιδοῦναι αὐτῷ εἰς ἐπίσκεψιν διάςημα· ἐκτὸς δῆτα γενόμενον αὐτὸν τοῦ δικαςηρίου, Θεότεκνος ὁ τῇδε ἐπίσκοπος ἀφέλκει προσελθὼν δι' ὁμιλίας· καὶ τῆς χειρὸς λαβὼν ἐπὶ τὴν ἐκκλησίαν προσάγει· εἴσω τε πρὸς αὐτῷ ςήσας τῷ ἁγιάσματι· μικρόν τε παραναςείλας αὐτοῦ τῆς χλαμύδος καὶ τὸ προσηρτημένον αὐτῷ ξίφος ἐνδείξας, ἅμα τε ἀντιπαρατίθησι προσαγαγὼν αὐτῷ τὴν τῶν θείων εὐαγγελίων γραφήν· κελεύσας τῶν δυοῖν ἑλέσθαι τὸ κατὰ γνώμην· ὡς δ' ἀμελλητὶ τὴν δεξιὰν προτείνας, ἐδέξατο τὴν θείαν γραφήν· ἔχου τοίνυν ἔχου, φησὶ πρὸς αὐτὸν ὁ Θεότεκνος, τοῦ θεοῦ, καὶ τύχοις ὧν εἵλου· πρὸς αὐτοῦ δυναμούμενος, καὶ βάδιζε μετ' εἰρήνης· εὐθὺς ἐκεῖθεν ἐπανελθόντα αὐτὸν, κῆρυξ ἐβόα καλῶν πρὸ τοῦ δικαςηρίου· καὶ γὰρ ἤδη τὰ τῆς προθεσμίας τοῦ χρόνου πεπλήρωτο· καὶ δὴ παραςὰς τῷ δικαςηρίῳ, καὶ μείζονα τῆς πίςεως τὴν προθυμίαν ἐπιδείξας, εὐθὺς ὡς εἶχεν ἀπαχθεὶς τὴν ἐπὶ θανάτῳ, τελειοῦται.

„tea alacritatem fidei oſtendiſſet, ſtatim inde, ita vt erat, ad „ſupplicium abductus martyrio coronatus eſt.„ Num, qui hanc legit hiſtoriam, dubitare poteſt, loca iſta religioſa, quæ *Gallienus* chriſtianis reſtituiſſe paullo ante [*g*] dictus eſt, proprie dictas eccleſias cum ſacris menſis ſeu altaribus fuiſſe? Teſtimoniis e TERTVLLIANO citatis vnum adhuc addi poterit, quo perſpicue inter eccleſiarum partes diſtinguit, quemadmodum pœnitentium diſciplina tum requirebat. Loquens enim de conſceleratæ impudicitiæ flagitiis dicit, omnia iſta monſtra non tantum [*h*] a naue ſeu corpore eccleſiæ, ſed ab omni etiam eius parte ſubmoueri; extra fores ſub dio ſtare ipſos debere, nec ſub tectum concedendi habere veniam. Hæc diſciplina in eccleſia *Antiochena* tempore *Babylæ* ann. CCXLVII. obtinuit, quando ſecundum narrationem, a CHRYSOSTOMO [*i*] & EVSEBIO [*k*] datam, *Babylas Philippum* Cæſarem, cum omnibus ipſi apparentibus in poſtrema paſchæ vigilia ab eccleſia excluſum, precationum in eccleſia participem ſimul cum reliquo populo fieri, non ante voluit permittere, quam confeſſionem ſcelerum feciſſet, iiſque, qui lapſi fuerant, & in *pœnitentium loco* (μετανοίας

(*g*) Euſeb. lib. VII. c. XIII. vid. §. XV. not. (*e*) pag. 149.

(*h*) Tertull. de pudicit. c. IV. Reliquas autem libidinum furias impias & in corpora & in ſexus, vltra iura naturæ, non modo *limine* verum omni eccleſiæ tecto ſubmouemus, quia non ſunt delicta ſed monſtra.

(*i*) Chryſoſtom. contr. gentil. tom. I. p. 741. (p. 656. b. edit. Francof.) τὸν βασιλέα τῶν τῆς ἐκκλησίας προθύρων ἐξήλασε. Imperatorem a *templi veſtibulo* exegit. Vid. p. 741. (pag. 661.) Τὸν βασιλέα ἀναιδῶς τοῖς ἱεροῖς ἐπιπηδῶντα περιβόλοις, καὶ πάντα συγχέοντα καθάπερ τινὰ κύνα καὶ οἰκέτην ἀγνώμονα τῶν δεσποτικῶν ἀπείργων αὐλῶν. Regem impudenter in *templi ſepta* ingredientem atque omnia confundentem, quaſi canem quemdam aut ſeruum improbum *a domini ſui aula excluſit.*

(*k*) Euſeb. lib VI. c. XXXIV. Τοῦτον (Φίλιππον) κατέχει λόγος χριστιανὸν ὄντα, ἐν ἡμέρᾳ τῆς ὑστάτης τοῦ πάσχα παννυχίδος, τῶν ἐπὶ τῆς ἐκκλησίας εὐχῶν τῷ πλήθει μετασχεῖν ἐθελῆσαι· οὐ πρότερον δὲ ὑπὸ τοῦ τηνικάδε προεστῶτος ἐπιτραπῆναι εἰσβαλεῖν, ἢ ἐξομολογήσασθαι, καὶ τοῖς ἐν παραπτώμασιν ἐξεταζομένοις, μετανοίας τε χώραν ἴσχουσιν, ἑαυτὸν καταλέξαι· Hunc (Philippum Cæſarem) vtpote chriſtianum, fama eſt in poſtrema paſchæ vigilia precationum in eccleſia participem ſimul cum reliquo populo fieri voluiſſe: ſed epiſcopum, qui tunc eccleſiæ præerat, non prius illi aditum permiſiſſe, quam confeſſionem ſcelerum feciſſet, iiſque qui humanitus lapſi fuerant & *in pœnitentium loco* ſtabant, ſeſe adiunxiſſet.

χώρα

χώρα EVSEBIO dicitur) ſtabant, ſe adiunxiſſet. Non iam in huius hiſtoriæ fidem, quam viri docti alii in dubium [l] vocant, defendunt alii [m], ſtudioſius inquiram: Sufficit in rem præſentem, quod EVSEBIVS & CHRYSOSTOMVS talem narrationem de antiquis eccleſiis faciant, quæ ipſas a communibus domibus ſæculo tertio medio diſtinctas fuiſſe demonſtrat. Quid? quod AVGVSTINVS [n] & auctor commentariorum ſub nomine

(l) Caue prim. chriſt. p. 46. (p. 37. 38. edit. Germanic. Lipſ. 1723. 8uo.) *Ich will nach eines einzigen exempels gedencken, nemlich des fürſten Philippi, von welchem Euſebius (lib. VI. c. XXXIV.) ausdrücklich bekräfftiget, daſs er ein chriſt, und der allererſte chriſtliche käyſer geweſen ſey, wie denn auch ſolches nach Euſebio eine groſſe menge alter und neuer geſchichtſchreiber bejahen. Ja es erzehlen uns etliche* (act. Pont. apud Sur. ad 14. Martii t. 3.) *noch gar die hiſtorie dabey, daſs dieſer Philipp und ſein John durch die predigt des märtyrers Pontii wären bekehret, und von dem Römiſchen biſchoff Fabian getaufft worden. Allein ungeacht dieſe hiſtorie gar lieblich dem buchſtaben nach klinget, und von vielen berühmten leuten verfochten wird; ſo muſs ich doch meines orts bekennen, daſs es mir gar nicht in den kopff will, daſs eine ſo gottloſe und laſterhaffte perſon, als der käyſer Philipp war, ſolte entweder ein chriſt geweſen, oder doch wenigſten dafür ſeyn gehalten worden. Wenn ers geweſen wäre, was gilts, die gantze welt würde davon voll geweſen ſeyn. Ich bin gut dafür, daſs kein hiſtorienſchreiber damals nicht davon geſchrieben hat, noch iſt ſonſt bey andern heydniſchen oder chriſtlichen ſcribenten vor dem Euſebio mit einer ſylbe davon gedacht worden. Ja Origenes, welcher eben damals und bey regierung dieſes käyſers ſeine ſchutzſchrifft zu rettung der chriſtlichen religion, und gantz und gar noch zwo epiſteln, eine an Philippum, die andere an ſein weib Severam, geſchrieben, [wenn wir anders Euſebio glauben beymeſſen] gedencket nicht allein nichts davon, ſondern gibt noch heimlich darinne zu verſtehen, daſs dergleichen ſachen gar mit einander nicht können vorgegangen ſeyn. Denn als Celſus die kühn- und verwegenheit der chriſten ſchalt, daſs ſie vorgäben und ausſprengeten, wenn ſie nur die damaligen käyſer könten auf ihre ſeite und zu ihrer religion bringen, ſo würden gar bald die andern leute mit einander nachfolgen: ſo leugnete dieſe auflage ſchlechter dings Origenes,* [adu. Celſ. l. VIII. p. 425.] *und gab dieſes zur antwort:* Es iſt nicht nöthig, daſs ich hierauf weiter antworte; denn kein einziger chriſt hat dergleichen ding iemals geſagt. *Nun aber würde er warlich nicht ſo geantwortet haben, dafern der käyſer zur ſelbigen zeit ein chriſt geweſen wäre* cetera.

(m) Pagi critic. in Baron. ann. CCXLVII. n. VI. † Huet. Origenian. lib. I. c. 3. n. XII. tot.

(n) Auguſtin. contr. Fauſt. lib. XII. c. XXXVI. Ex hoc quippe illis credentibus conſtructa ſunt domicilia pacis, baſilicæ chriſtianarum congregationum.

AMBROSII [o] verbis expressis adfirmant, quod, religione christiana in terrarum orbe plantata, ecclesiæ exstructæ fuerint, vt pro regibus & omnibus in auctoritate constitutis preces in illis fierent ex mandato apostoli 1 Tim. II, 1. quo AVGVSTINVS vsum & ædificationem ecclesiarum fundat. Non immoramur martyrologiis nec istiusmodi scriptoribus, quales sunt ABDIAS BABYLONIVS & ANACLETVS, qui de ecclesiis in *Persia* a *Simone* & *Iuda*, *Alexandriæ* a *Marco*, & *Romæ* a *Petro* exstructis loquuntur, quia libri recentiores sunt & spurii: Attamen si primas conuersiones ex iis, quæ tempore *Constantini* acciderunt, metiri nobis licet, concludere poterimus, quod simulac populus aliquis ad fidem CHRISTO dandam perductus fuerit, de ecclesiis ad diuinum cultum sibi apparandis illico laborauerit. Ita quum *Frumentius Indos* Christo lucratus esset, multas passim ecclesias, teste SOCRATE [p], construxit, quod a RVFFINO etiam confirmatur, qui non tantum huius rei meminit, sed addit quoque, „Deo mentem eius & animos instigante requirere sollicitius cœpisse, si qui inter negotiatores Romanos christiani essent, & ipsis potestatem maximam dare, ac monere, vt CONVENTICVLA [q] per loca singula facerent, ad quæ *Romano* „ritu orationis caussa confluerent.„ THEODORETVS [r] & SOCRATES [s]

(o) Ambros. in Ephes. IV. Vbi omnia loca circumplexa est ecclesia, conuenticula constituta sunt.

(p) Socrat. lib. I. c. XIX. *εὐκτήρια πολλὰ ἱδρύει.*

(q) Ruffin. lib. I. c. IX.

(r) Theod. lib. I. c. XXIV. *τὴν ἀξιάγαστον ἐκείνην καταλαβὼν δοριάλωτον παρεκάλει δεῖξαι τῆς οἰκοδομίας τὸ σχῆμα· ὁ δὲ τὸν Βεσελεὴλ τῆς ἀρχιτεκτονικῆς σοφίας ἐμπλήσας, καὶ ταύτην ἠξίωσε χάριτος, ὡς τὸν θεῖον διαγράψαι νεών· καὶ ἡ μὲν διέγραψεν, οἱ δὲ ὤρυττόν τε καὶ ᾠκοδόμουν κ. τ. λ.* Ad mirabilem illam captiuam profectus rex, rogauit, vt exstruendi templi formam ostenderet. Tum vero is, qui Bezehelem architecturæ peritia instruxerat, isti quoque mulieri tantam gratiam indulsit, *vt Dei templum delinearet*. Et illa quidem formam operis describebat: illi vero fodiebant atque exstruebant, cetera.

(s) Socrat. lib. I. c. XX. *Ὁ μὲν βασιλεὺς μαθὼν παρὰ τῆς αἰχμαλώτου τὸ σχῆμα τῶν παρὰ Ῥωμαίοις ἐκκλησιῶν, εὐκτήριον οἶκον ἐκέλευσε γενέσθαι· εὐθύς τε πρὸς οἰκοδομὴν προσέταξεν εὐτρεπίζεσθαι· καὶ ὁ οἶκος ἠγείρετο.* Rex quum ex captiua muliere formam ecclesiarum, quæ apud Romanos sunt, didicisset, *ecclesiam construi* iussit, & cuncta quæ ad hoc opus necessaria erant, confestim parari. *Ecclesia* ergo *construitur*.

& RVFFINVS [t] idem in conuersione *Iberorum*, quæ feminæ cuiusdam captiuæ ministerio facta est, obseruant, quod ecclesias ad formam ecclesiarum *Romanarum* construere gentem illam docuerit; quo facto legationem ad *Constantinum* (in cuius ætatem vtraque hæc conuersio incidit) misisse ipsos dicunt, qua episcopum cum clericis ad se mitti postularint, qui cœptum erga se Dei munus explerent, & in ecclesiis suis sacra peragerent. Iam itaque cum ratione concludere poterimus, tale quid in omnibus, ipsis etiam primis, conuersionibus obseruatum fuisse, licet discrimen inter tempora persecutionis & inter tempora pacis admittatur. Nam etsi non eiusmodi publica & magnifica ædificia quibusdam temporibus; semper tamen loca ad divinum cultum speciatim destinata, iam ante placidum *Constantini* imperium, habuerunt, quemadmodum supra adducta testimonia sole meridiano clarius demonstrant.

# *LIBRI OCTAVI*

## *CAPVT SECVNDVM*

## DE DIFFERENTIA INTER ECCLESIAS PRIMORVM SAECVLORVM ET ECCLESIAS SEQVENTIVM TEMPORVM, ET DE GENTILIVM TEMPLIS AC IVDAEORVM SYNAGOGIS IN ECCLESIAS CHRISTIANAS CONVERSIS.

### §. I.

### *Priscæ ecclesiæ simplices & modicæ.*

VNICA residua obiectio contra ea, quæ capite antecedenti persequuti sumus, sumta est ex vno alteroue loco veterum, vbi innuere videntur, quod magna fuerit differentia inter ætatem apostolicam, & eam, quæ est insequuta, quod ad hoc ecclesiarum negotium attinet. ISIDORVS PELVSIOTA hac de re agens *Apostolorum tempore* [a], inquit, *quum ecclesia & spiritualibus*

(t) Ruffin. lib. I. c X. Adest captiua, edocet Deum Christum, supplicandi ritum veneran dique modum, in quantum de his aperire feminæ fas erat, pandit. *Fabricari* tamen *ecclesiam monet*, formamque describit: - - cunctis idem volentibus *ecclesia extruitur* instanter, cetera.

(a) Isidor. Pelus. lib. II. epist. CCXLVI. Ὅτι μὲν ἐπὶ τῶν ἀποστόλων, ὅτε ἡ ἐκκλη-

*gratiis*

*gratiis abundaret & vitæ ſplendore affluerct, nulla templa erant: at noſtra tempeſtate templa plus quam par ſit exornata ſunt, eccleſia autem, ne quid grauius dicam, comicis cauillis inceſſitur. Ego vero, ſi mihi optio daretur, temporibus illis fuiſſe mallem, in quibus templa quidem non perinde ornata erant, eccleſia autem diuinis ac cæleſtibus gratiis vndique cincta & redimita erat, quam his noſtris, in quibus templa quidem omnis generis marmoribus coboneſtata ſunt, eccleſia autem ſpiritualibus illis gratiis nuda & vacua eſt.* Quæ verba ſi ſenſu ſtrictiore accipias, tibi forte videbuntur innuere, quod apoſtolorum ætate nullæ eccleſiæ conſtructæ fuerint; nam vltra ætatem apoſtolicam comparationem non extendit: ſed ego eum potius putare exiſtimo, quod apoſtoli non tales habuerint eccleſias, quales ipſius ætate exſtiterint, hoc eſt, tam ſplendidæ ac magnificæ, tam opulentæ & pulchræ, vti multæ in ſubſequutis ſæculis. Quod ſane veriſſimum eſt. Nam ſub primam nationum conuerſionem eccleſiæ ſemper ſtatui ac conditioni conuerſorum conueniebant, qui ſtatus plerumque perſequutioni obnoxius erat, vbi non multi diuites nec multi nobiles erant vocati. Immo vero in ipſis illis locis, vbi reges ad propagandam religionem nihil non conferebant, eccleſiæ res aliæ atque nunc erat, quemadmodum ex ipſa noſtræ gentis hiſtoria condiſcere poſſumus. Fuit aliquando tempus, vt BEDA refert, quum nulla eccleſia lapidea in omni inſula noſtra exſiſteret, ſed ex lignis vniuerſæ exſtruerentur. Quapropter quum *Nynias* epiſcopus de lapide eccleſiam faceret, hic adeo inſolitus [*b*] *Britonibus* mos erat, vt hinc vulgo *Ad candidam caſam* appellaretur. Idem auctor [*c*] narrat, *Finan* epiſcopum ſecundum in inſula *Lindisfarnenſi*, poſtea epiſcopatus *Dunelmenſis* nomen ſortita, „feciſſe „eccleſiam epiſcopali ſedi congruam, quam tamen non de la-

bis certe statuit eo tempo: habuisse Christianos templa, licet non ita ornata fuerint.

σία ἐκόμα μὲν χαρίσμασι πνευματικοῖς, ἔβρυε δὲ πολιτείᾳ λαμπρᾷ, ἐκκλησιαστήρια οὐκ ἦν· ἐπὶ δὲ ἡμῶν τὰ ἐκκλησιαστήρια πλέον τοῦ δέοντος κεκόσμηται, ἡ δ' ἐκκλησία· ἀλλ' οὐδὲν βούλομαι δυσχερὲς εἰπεῖν, κωμῳδεῖται· ἐγὼ γοῦν εἴγε αἵρεσις μοι προὔκειτο, εἱλόμην ἂν ἐν τοῖς καιροῖς ἐκείνοις γεγενῆσθαι, ἐν οἷς ἐκκλησιαστήρια μὲν οὕτω κεκοσμημένα μὴ ἦν, ἐκκλησία δὲ θείοις καὶ οὐρανίοις χαρίσμασιν ἐστεμμένη, ἢ ἐν τούτοις, ἐν οἷς τὰ μὲν ἐκκλησιαστήρια παντοίοις κεκαλλώπισται μαρμάροις, ἡ δὲ ἐκκλησία τῶν πνευματικῶν χαρισμάτων ἐκείνων ἔρημη καὶ γυμνὴ καθέστηκε.

(*b*) Bed. hiſtor. lib. III. c. IV. Vulgo vocatur *ad candidam caſam*, eo quod ibi eccleſiam de lapide, inſolito Britonibus more, fecerit.

(*c*) Bed. lib. III. c. XXV.

pide

„pide ſed de robore ſecto totam compoſuerit atque arundine „texerit; atque ita duraſſe eam, donec *Eadbertus*, epiſcopus ſe- „ptimus, ablata arundine, plumbeis laminis eam totam, hoc „eſt, & tectum & ipſos quoque parietes eius, cooperire cura- „verit.„ Nullus poſthac narrationem mirabitur, quam de ec- cleſiis *Cyrenes* in deſertis *Lybiæ* facit SVLPICIVS SEVERVS [*d*], quando *Cum ipſo presbytero*, inquit, *ad eccleſiam proceſſimus, quæ fe- re duobus millibus aberat, a conſpectu noſtro interiectu montis excluſa. Erat autem vilibus texta virgultis, non multo ambitioſior, quam noſtri hoſpitis tabernaculum, in quo niſi incuruus quis non poterat conſiſtere. Quum hominum mores quæreremus, illud præclarum animaduertimus, ni- hil eos æque emere, neque vendere. Quid ſit fraus aut furtum, neſci- unt. Aurum atque argentum, quæ prima mortales putant, neque habent, neque habere cupiunt. Nam quum ego presbytero illi decem nummos au- reos obtuliſſem, refugit altiore conſilio proteſtatus, eccleſiam auro non ſtrui, ſed potius deſtrui.* Hæc exempla ad explanandam ISIDORI mentem facere poſſunt, quum apoſtolorum tempore nulla, vel non ita opulenta & exornata templa, fuiſſe dicit, quemad- modum pax & adfluentia ac æmulatio poſterioribus ſæculis illa plerumque produxit.

§. II.

*Rationes, ob quas ædificia eccleſiaſtica amplificata fuerunt & immutata.*

EQVIDEM multæ euidentes rationes erant, propter quas ædificia incrementi, quod ipſa religio capiebat, proportione mutari oporteret. Pacis enim & perſecutionis tempora diuer- ſiſſime ſpectabantur, & pro diuerſiſſima vtrorumque ratione re- rum eccleſiaſticarum diuerſiſſima quoque erat conditio. Perſequu- tionem ſemper paupertas, fidelium paucitas & ſpes fallaces co- mitabantur: vt adeo vel magnificis & ſumtuoſis ædificiis nihil vterentur, vel conſtruere illa non poſſent; vel certe ad id faci- endum non haberent animum, quia quotidie metuendum ipſis erat, ne exſtructa ſtatim ſpoliarentur & diruerentur. Pacis au- tem temporibus magni conuerſorum cœtus, deſertis templis, ad eccleſiam tranſibant, & hi quidem ſæpius homines opulenti ac in dignitate conſtituti. Quid? quod ſub quibusdam gentilibus imperatoribus eccleſia ſereniore quadam, ac minus interrupta

(*d*) Sulpic. Seuer. dial. I. c. II. (c. V. p. 383. edit. Lipſ. MDCCIII.)

quiete ac tranquillitate gaudebat, vti in fausto illo interuallo, quod inter mortem *Cypriani* & vltimam persecutionem intercessit. Atque tum quidem paullo maiores & sumtuosiores ecclesias exstruere necessum ad illudque faciendum vires habebant, nec omni spe destituti erant, fore, vt operibus suis pietatis in firma ac durante pace frui sibi daretur. Vt adeo in isto auspicatissimo interuallo, quum, EVSEBIO [e] obseruante, plerique domestici, liberi ac serui *Diocletiani* imperatoris christiani facti essent, & innumerabilis hominum turba quotidie ad religionem christianam confugeret; prisca eorum ædificia capere eos non possent, sed in singulis vrbibus ampliores & spatiosiores ecclesiæ ab ipsis fundamentis exstruerentur. Quarum quum multæ in persecutione ista decennali destructæ essent, rursus a solo in immensam altitudinem erigebantur, & longe maiore cultu ac splendore, quam illæ, quæ prius expugnatæ fuerant, nitescebant: simulac *Constantinus* christianorum spem, edictis in religionis christianæ gratiam promulgatis, erexisset, quemadmodum idem EVSEBIVS [f] fidem nobis facit.

## §. III.

### *Speciatim christianorum imperatorum munificentia hanc in rem contribuit.*

IMPERATORIBVS autem christianam religionem amplexis, duæ aliæ rationes erant, quæ multum omnino ad splendorem ac magnificentiam ecclesiarum christianarum contribuebant. Quarum *prima* erat magna liberalitas & munificentia ipsorum imperatorum, qui ad multa eaque splendida ædificia, in diuersis ciuitatibus in honorem Christi erigenda, magnos sumtus impendebant: Et *secunda*, ipsorum edicta de gentilium tem-

(e) Euseb. lib. VIII. c. I. vid. cap. I. §. XV. not. (b) p. 150.

(f) Euseb. lib. X. c. II. Μάλιστα δ' ἡμῖν τοῖς ἐπὶ τὸν χριστὸν τοῦ θεοῦ τὰς ἐλπίδας ἀνηρτημένοις, ἄλεκτος παρῆν εὐφροσύνη καί τις ἔνθεος ἅπασιν ἐπήνθει χαρά· πάντα τόπον τὸν πρὸ μικροῦ ταῖς τυράννων δυσσεβείαις ἠρειπωμένον, ὥσπερ ἐκ μακρᾶς καὶ θανατηφόρου λύμης ἀναβιώσκοντα θεωμένοις, νεώς τε αὖθις ἐκ βάθρων εἰς ὕψος ἄπειρον ἐγειρομένους, καὶ πολὺ κρείττονα τὴν ἀγλαΐαν τῶν πάλαι πεπολιορκημένων ἀπολαμβάνοντας. Nobis vero præcipue, qui spem omnem in Christo positam habemus, incredibilis quædam inerat lætitia & diuina quædam hilaritas in omnium vultu emicabat; quum loca sancta, quæ tyrannorum impietas paullo ante subruerat, tamquam ex diuturna ac pestifera labe reuiuiscere videremus: templaque rursus a solo in immensam altitudinem erigi & longe maiore cultu ac splendore quam illa, quæ prius expugnata fuissent, nitescere.

plis

plis in ecclesias christianas conuertendis. *Constantinus* ad ecclesias in omnibus Orientis partibus, exempli gratia *Hierosolymis*, *Antiochiæ*, *Nicomediæ*, iuxta quercum *Mambre*, *Heliopoli* in *Phœnicia* aliisque compluribus locis erigendas, decorandas, exornandasque nullis parcebat sumtibus, qua de re, quisquis volet, apud EVSEBIVM & [*g*] SOCRATEM plura legere potest. Speciatim *Constantinopoli* inter alias ecclesias exornatissimum martyrium, quod *ecclesiæ Constantinianæ* nomen obtinuit, in apostolorum memoriam ædificauit, quod, vti EVSEBIVS [*h*] loquitur, „in immensam altitudinem extulit, vario lapidum genere splendidum reddidit, a solo ad cameram vsque marmoreis crustis „illud operiens. Porro cameram lacunaribus minutissimi o„peris obducens totam auro inbracteauit. Et supra quidem, „æs tegularum loco impositum vniuerso ædificio munimentum „aduersus imbres præbebat. Quod itidem auro plurimo su„perfusum resplendebat; adeo vt procul spectantium oculos „fulgore præstringeret, solis radiis æris obiectu repercussis. To„tum vero solarium reticulatis quibusdam anaglyphis ex ære „& auro fabrefactis erat circumdatum.„ Fundamenta quoque celebratissimæ ecclesiæ iecit, quæ *sancta Sophia & magna* dicta & annis triginta tribus post, nimirum ann. CCCLX. a *Constantio* filio eius absoluta fuit & dedicata, qui eam basilicæ *Iacis* (quæ alia erat ecclesia a *Constantino* ædificata) coniunxit, ambas vno ambitu comprehendens, vti SOCRATES [*i*] & auctor

(*g*) Euseb. de vit. Const. lib. III. c. L. tot. c. LI. tot.
Socrat. lib. I. c. XVI. XVII. XVIII.

(*h*) Euseb. de vit. Constant. lib. IV. c. LVIII. Ἐπὶ τούτοις τὸ μαρτύριον ἐν τῇ ἐπωνύμῳ πόλει, ἐπὶ μνήμῃ τῶν ἀποστόλων οἰκοδομεῖν παρεσκευάζετο· αὐτὸς δὲ νεὼν ἅπαντα εἰς ὕψος ἄφατον ἐπάρας, λίθων ποικίλαις παντοίων ἐξαστράπτοντα ἐποίει, εἰς αὐτὸν ὄροφον ἐξ ἐδάφους πλακώσας· διαλαβὼν δὲ λεπτοῖς φατνώμασι τὴν στέγην, χρυσῷ τὴν πᾶσαν ἐκάλυπτεν· ἄνω χαλκὸς μὲν ἀντὶ κεράμου, φυλακὴν τῷ ἔργῳ πρὸς ὑετῶν ἀσφάλειαν παρεῖχε· καὶ τοῦτον δὲ πολὺς περιέλαμπε χρυσὸς, ὡς μαρμαρυγὰς τοῖς πόρρωθεν ἀφορῶσι ταῖς ἡλίου αὐγαῖς ἀντανακλωμέναις ἐκπέμπειν· δικτυωτὰ δὲ πέριξ ἐκύκλου τὸ δωμάτιον ἀνάγλυφα, χαλκῷ καὶ χρυσῷ κατειργασμένα.

(*i*) Socrat. lib. II. c. XVI. Κατὰ δὲ τὸν καιρὸν τοῦτον, καὶ ὁ βασιλεὺς τὴν μεγάλην ἐκκλησίαν ἔκτισεν, ἥτις Σοφία μὲν προσαγορεύεται νῦν· συνῆπται δὲ τῇ ἐπωνύμῳ Εἰρήνῃ, ἣν ὁ πατὴρ τοῦ βασιλέως μικρὰν οὖσαν τὸ πρότερον, εἰς κάλλος καὶ μέγεθος ηὔξησε· καὶ νῦν εἰσὶν εἰς ἕνα περίβολον ἄμφω ὁρώμεναι, μιᾶς τὴν προσωνυμίαν ἔχουσαι·
Per idem tempus imperator *magnam ecclesiam* fabricabat, quæ nunc *Sophia*



cogno-

*chronici Alexandrini* [*k*] memoriæ prodiderunt. *Constantini* exemplum imperatores succedentes sequebantur, præcipue autem *Iustinianus*, qui inter alia huiusmodi opera ecclesiam *Sophiæ*, quæ *Anastasii* tempore conflagrauerat, reædificabat. Et iam propter magnitudinem, artificiosam architecturam, opulentiam ac pulchritudinem suam, gloria mundi fiebat; adeo vt *Iustinianus* absoluto illo dixisse perhibeatur: Νενίκηκά σε Σολομών, *Vici te Solomon.* Qui specialiorem huius ecclesiæ descriptionem legere cupiunt, illi eam strictim delineatam deprehendent apud EVAGRIVM [*l*], PROCOPIVM [*m*] & AGATHIAM [*n*], paullo fusius autem & exactius apud PAVLVM SILENTIARIVM, huiusque doctum commentatorem DV FRESNIVM, cuius accurata cognitio in hisce materiis omnes superat, qui ipsum antecesserunt. Nos ex ipso tales obseruationes excerpsimus, quas ad institutum nostrum putauimus esse necessaias; quibus autem totum opus legere volupe est, sub finem IOANNIS CINNAMI, inter historicos *Byzantinos*, *Lutetiæ Parisiorum* an. MDCLXX. in lucem publicam datos, illud poterit inuenire.

### §. IV.

### *Edicta quoque ipsorum de gentilium templis in ecclesias conuertendis.*

ALTERA ratio, quam ad ecclesiarum christianarum magnificentiam multum contulisse diximus, erant promulgata diuersorum imperatorum de gentilium templis in ecclesias conuertendis edicta. Et primum quidem, quum reformatio gen-

dicitur. Est autem coniuncta ei basilicæ, quæ cognominatur *Irene*, quam pater imperatoris, quum prius esset modica, pulcram simul & amplam reddiderat. Et nunc ambæ vno ambitu comprehensæ, vnius basilicæ vocabulo appellantur.

(*k*) Chronic. Alex. alias Paschale dict. an. CCCLX. p. 685. (p. 294. edit. Paris. MDCLXXXVI.) Ἐπὶ τῆς αὐτῆς συνόδου τῶν ἐπισκόπων, οὐ μετὰ πολλὰς ἡμέρας τοῦ ἐνθρονισθῆναι τὸν Εὐδόξιον ἐπίσκοπον Κωνσταντινουπόλεως, τὰ ἐγκαίνια τῆς μεγάλης ἐκκλησίας τῆς αὐτῆς πόλεως ἐτελέσθη, δι' ἐτῶν λδ' μικρῷ πρὸς, ἀφ' οὗ θεμελίους κατεβάλλετο Κωνσταντῖνος. In eadem synodo episcoporum non post multos dies ab inauguratione Eudoxii episcopi Constantinopoleos, encænia magnæ ecclesiæ eiusdem vrbis celebrata sunt, anno trigesimo quarto plus minus, ex quo fundamenta Constantinus iecerat.

(*l*) Euagr. lib. IV. c. XXXI. tot.

(*m*) Procop. de ædificat. Iustin. lib. I. c. I. tot.

(*n*) Agath. lib. V. p. 152. seqq. edit. Par. MDCLX.

tilita-

tilitatis in sua quasi infantia esset, nulla idolorum templa in ecclesiarum vsum conuertebantur, sed vel gentilibus ad tempus relinquebantur, vel occludebantur, vel etiam diruebantur. Ad annum vsque vicesimum quintum *Constantini*, id est, an an. CHRISTI CCCXXXIII. templa magnam partem tolerabantur; sed hoc anno leges hic suas publicabat, quibus templa, aras & imagines destrui iubebat, ad quas leges in codice *Theodosiano* [o] nonnumquam respicitur, & secundum hasce leges innumera templa in omnibus orbis terrarum partibus deuastabantur, eorum reditibus fisco adiudicatis, vti non tantum e christianis scriptoribus HIERONYMO [p], EVSEBIO [q] aliisque, sed ex scriptorum quoque gentilium EVNAPII [r], LIBANII [s] & IVLIANI [t] querelis constat. Sub nonnullis sequentibus imperatoribus

(o) Cod. Theod. lib. IX. tit. XVII. de sepulcris violatis leg. II.

(p) Hieron. Chronic. an. CCCXXXII.

(q) Euseb. de vit. Constantin. lib. III. c. LIV. Ἔνθεν εἰκότως ἐγυμνοῦτο μὲν αὐτοῖς τῶν κατὰ πόλιν νεῶν τὰ προπύλαια, θυρῶν ἔρημα γινόμενα βασιλέως προστάγματι· ἑτέρων δ' ἡ ἐπὶ τοῖς ὀρόφοις στέγη, τῶν καλυπτήρων ἀφαιρουμένων, ἐφθείρετο. Quorumdam in vrbibus fanorum vestibula nudebantur, valuis iussu imperatoris orbata; aliorum tectum corrumpebatur, tegulis amotis.

(r) Eunap. vit. Aedesii (p. 34. graec. p. 50. lat. edit. Antuerp. MDLXVIII. 8u.) Τούτων οὐδὲν εἴχομεν ἀναγράφειν, ὅτι τὸ μὲν ἐπέκρυπτεν ἴσως Αἰδέσιος διὰ τοὺς χρόνους· Κωνσταντῖνος γὰρ ἐβασίλευε, τὰ τε τῶν ἱερῶν ἐπιφανέστατα καταστρέφων καὶ τὰ τῶν χριστιανῶν ἀνεγείρων οἰκήματα. Qua de re non habeo quod scribam; fieri namque potest, vt illud occultum habuerit Aedesius, ob temporum iniquitatem, quod tum Constantinus imperium regeret, *qui fana toto orbe celebratissima euertebat, & christianorum adificia exstruebat.*

(s) Liban. orat. apologetic. XXVI. p. 591. Κωνστάντιον καὶ τὴν ἐκείνου βασιλείαν, ὃς παρὰ τοῦ πατρὸς σπινθῆρα κακῶν δεξάμενος εἰς φλόγα πολλὴν τὸ πρᾶγμα προήγαγεν, ὁ μὲν γὰρ ἐγύμνωσε τοῦ πλούτου τοὺς θεοὺς, ὁ δὲ κατέσκαψε τοὺς ναοὺς, καὶ πάντα ἱερὸν ἐξαλείψας νόμον, ἔδωκεν αὐτὸν, οἷς ἴσμεν. Constantius est atque illius regnum, qui coeptas a patre malorum scintillas ad incendium magnum prouexit opus, ille enim opulentia deos spoliauit; hic etiam templa funditus euertit, & omni lege sacra abrogata, dedit quibus scimus.

(t) Iulian. orat. VII. p. 424. Πατρῷα μὲν ἱερὰ κατεσκάπτετο παρὰ τῶν παίδων, ὀλιγωρηθέντα πρότερον ὑπὸ τοῦ πατρὸς, καὶ ἀποσυληθέντα τῶν ἀναθημάτων ἃ τέθειτο παρὰ πολλῶν μὲν καὶ ἄλλων· οὐχ ἥκιστα δὲ τῶν προπατόρων αὐτοῦ· καθαιρομένων δὲ τῶν ἱερῶν, ἀνῳκοδομεῖτο παλαιὰ καὶ νέα μνήματα. Paterna liberi templa demoliebantur, ab ipso quidem patre antea contemta ac donariis spoliata: quae quum alii plerique, tum maiores illius praecipue dedicauerunt. Ac

eadem ratio claudendi vel vaſtandi templa inibatur, quemadmodum ex narratione RVFFINI [u] de vniuerſali eorum deſtructione in *Aegypto*, ex *Valentiniani* facta mandato, patet. Sed proxime regnantis *Theodoſii* tempore alia methodus cum eorum quibusdam inita fuit. Nam, quemadmodum GOTHOFREDVS [w] ex *chronico Alexandrino* an. CCCLXXIX obſeruat, *Theodoſius templum Heliopolitanum, quod Balanii dicebatur, ingens & celeberrimum in chriſtianorum eccleſiam conuertit*, ἐποίησε αὐτὸ ἐκκλησίαν χριστιανῶν. Et circa idem illud tempus, vt SOCRATES narrat, duo *Macarii*, monachorum in *Aegypto* patres, in inſulam quamdam, in qua nullus erat chriſtianus, iuſſu *Valentis* imperatoris deportati, omnibus, qui in inſula degebant, ad chriſtianæ religionis fidem adductis, fabricam templi ipſorum [x] in eccleſiæ ſpeciem commutarunt. Idem celebri *deæ cæleſtis* templo *Carthagine Aurelii* epiſcopi opera, regnante *Honorio*, an. CCCXCIX. contigit, quod auctor libri de *prædictionibus* ſub nomine PROSPERI [y] ſequentem in modum narrat: *Antiſtes Aurelius, cæleſtis iam patriæ ciuis, cathedram illic loco cæleſtis & habuit, & ſedit. Ipſe tunc aderam cum ſociis & amicis, atque (vt ſe adoleſcentium ætas impatiens circumquaque vertebat) dum curioſi ſingula quæque pro magnitudine inſpicimus, mirum quoddam & incredibile noſtro ſe ingeſſit aſpectui, titulus æneis grandioribusque litteris in frontiſpicio templi conſcriptus, AVRELIVS PONTIFEX DEDICAVIT. Hunc legentes populi mirabantur. Præſago tunc ſpiritu acta, quæ præſcius Dei ordo certo iſto fine con-*

quum templa ſubuerterentur, vetera interim nouaque monumenta reſtituebantur.

(u) Ruffin. lib. II. c. XXVIII. Per cunctas Aegypti vrbes, per caſtella, per vicos, per omne rus, per ripas fluminis, per eremum quoque ſi qua fana vel potius buſta reperiri potuerunt, inſtantia vniuscuiusque epiſcopi ſubruta & ad ſolum deducta ſunt, ita vt denuo rus culturæ redderetur, quod iniuſte fuerat dæmonibus deputatum.

(w) Gothofr. com. in cod. Theod. lib. XVI. tit. II. de pagan. leg. XXV.

(x) Socrat. lib. IV. c. XXIV. Εἰς πίστιν τοῦ χριστιανισμοῦ ἤγαγον τόν τε ἱερέα καὶ πάντας τοὺς ἐκεῖ ἐνοικοῦντας ἐν τῇ νήσῳ· εὐθὺς οὖν τὰ μὲν ἀγάλματα ἐξέβαλον· τὸ δὲ σχῆμα τοῦ ναοῦ εἰς ἐκκλησίας τύπον μεταποιήσαντες, ἐβαπτίζοντο κ.τ.λ. Sacerdotem & reliquos qui in inſula degebant, ad chriſtianæ religionis fidem adduxerunt. Statim itaque ſimulacra proiicientes, *fabricam templi in eccleſiæ ſpeciem commutarunt* & baptiſmum ſuſceperunt. cetera

(y) Proſper. de promiſſion. lib. III. c. XXXVIII.

*ne concluserat.* Non diu post, anno nimirum CCCCVIII. *Honorius* duas leges per imperium occidentale publicauit, vlla amplius templa in ciuitatibus dirui vetans, quod a rebus illicitis, aris atque idolis, quæ omnia quocumque loco inuenta destrui iubebat, repurgata ornamento vel vsui publico [z] esse possent. Hæ leges, vt recte obseruat GOTHOFREDVS, rogantibus patribus *Africanis* publicatæ esse videntur, qui, quemadmodum ex canone quodam [*a*] codicis *Africani* apparet, ab imperatore petierant, vt templa idolorum, quæ in agris vel in locis abditis constituta nullo ornamento essent, omnimodo destrui iuberet. *Arcadius* aliam istiusmodi legem pro imperio occidentali promulgabat, quæ tantum ad destructionem templorum in agris [*b*], non in ciuitatibus, attinebat, vtpote in quibus non eiusmodi periculum a superstitione erat metuendum, quandoquidem in meliorem vsum conuerti poterant. Et ex hoc fundamento auctor, qui sub nomine PROSPERI [*c*] latere voluit, nomine religionis & deuotionis *Honorium* laudat, quod omnia templa cum suis adiacentibus spatiis ecclesiis contulerit, idola

(z) Cod. Theod. lib. XVI. tit. X. de paganis lib. XVIII. Aedes inlicitis rebus vacuas ne quis conetur euertere. Decernimus enim, vt ædificiorum quidem sit integer status. It. leg. XIX. Aedificia ipsa templorum, quæ in ciuitatibus vel oppidis vel extra oppida sunt, ad vsum publicum vindicentur: aræ locis omnibus destruantur.

(*a*) Cod. Afric. can. LVIII. (tom. II. concil. p. 1086.) *Ὧν χάριν αἰτῆσαι δεῖ τοὺς θρησκευτικωτάτους βασιλεῖς, ὥστε τὰ ἐγκαταλείμματα τῶν εἰδώλων τὰ κατὰ πᾶσαν τὴν Ἀφρικὴν κελεῦσαι παντελῶς ἀνακοπῆναι· καὶ γὰρ ἐν πολλοῖς τόποις παραθαλασσίοις καὶ διαφόροις κτήσεσιν, ἀκμάζει ἔτι τῆς πλάνης ταύτης ἡ ἀδικία· ἵνα παραγγελθῶσι καὶ αὐτὰ ἀπαλειφθῆναι καὶ οἱ ναοὶ αὐτῶν οἱ ἐν τοῖς ἀγροῖς καὶ ἐν ἀποκεκρυμμένοις τόποις χωρὶς τινὸς εὐκοσμίας καθεστῶτες παντὶ τρόπῳ κελευσθῶσι καταστραφῆναι.* Instant etiam aliæ necessitates religiosis imperatoribus postulando, vt reliquias idolorum per omnem Africam iubeant penitus amputari: namque in plerisque locis maritimis, atque possessionibus diuersis, adhuc erroris istius iniquitas viget: vt præcipiantur & ipsa deleri & templa eorum, quæ in agris vel in locis abditis constituta nullo ornamento sunt, iubeantur omnimodo destrui.

(*b*) Cod Theod. lib. XVI. tit. X. de paganis leg. XVI. Si qua in agris templa sunt, sine turba & tumultu diruantur. His enim deiectis, omnis superstitionis materia consumetur.

(*c*) Prosp. de promiss. lib. III, c. XXXVIII. Honorius christiana religione & deuotione præditus templa omnia cum suis adiacentibus spatiis ecclesiis contulit, simulque eorum simulacra confringenda in potestatem dedit.

tantum

tantum destrui iubens. Ita quidem est, legem postea a *Theodosio iuniore* [*d*] rogatam reperimus, omnia templa destrui præcipientem. Verum, vt GOTHOFREDVS recte eam videtur interpretari, destruendi vox hac in lege accipi commode potest pro superstitione sua spoliari; quia in eadem lege sequitur, quod conlocatione signi crucis expiari debeant, quod indicio erat, in ecclesias esse commutata. Quæ eius obseruatio ex eo confirmari porro potest, quod de *Theodosio* refert EVAGRIVS [*e*], quod videlicet templum *Antiochiæ*, ab incolis *Tychæum*, hoc est *Fortunæ* templum, nominatum, in ecclesiam conuersum *Ignatio* dedicauerit. Idem magno templo *Taneos* in *Aegypto* accidit, vti ex *itinerario Hierosolymitano* ANTONINI martyris obseruauit VALESIVS [*f*]. CLVVERIVS etiam in descriptione sua *Italiæ* loci cuiusdam meminit ex *itinerario Hierosolymitano*, qui *Sacraria* dictus, & inter *Fulginium* & *Spoletium* oppida, ad *Clitumni* amnis fontes situs fuerit, quem ab initio nihil aliud nisi *Iouis Clitumni* templum [*g*] fuisse existimat; quamquam alius quidam vir doctus [*h*] id aliquo modo dubium faciat, quia in præsenti nulla ibi ecclesia reperiatur. Sed vtcumque id est, satis exemplorum hu-

(*d*) Cod. Theod. ibid. leg. XXV. Cuncta eorum fana, templa, delubra, si quæ nunc etiam restant integra, præcepto magistratuum destrui, conlocationeque venerandæ christianæ religionis signi expiari præcipimus.

(*e*) Euagr. lib. I. c. XVI. *ὑποθεμένου τοῦ παναγάθου θεοῦ Θεοδοσίῳ, τὸν θεοφόρον μείζοσι τιμῆσαι τιμαῖς, ἱερόν τε πάλαι τοῖς δαίμοσιν ἀνειμένον, Τυχαῖον τοῖς ἐπιχωρίοις ὠνόμαστο, τῷ ἀθλοφόρῳ καὶ μάρτυρι ἀναθεῖναι· καὶ σηκὸς εὐαγὴς, καὶ τέμενος ἅγιον τῷ Ἰγνατίῳ τὸ πάλαι Τυχαῖον γέγονε κ.τ.λ.* Quum Deus Opt. Max. Theodosio id suggessisset, vt deiferum martyrem maiori honore adficeret, vtque templum iam pridem dæmoniis consecratum, quod incolæ *Tychæum* nominabant, fortissimo victori ac martyri dedicaret. Itaque *quod olim fuerat delubrum genii publici, factum est templum & sacra ædes beati Ignatii.*

(*f*) Vales. not. in Sozom. lib. V. c. XXI. Memorabile est, quod legitur in itinerario Hierosolymitano Antonini Martyris pagina 32. vbi de campo Taneos loquitur: *Immensum ibi fuit templum, quod modo est ecclesia: Cuius vna porta se clausit ante dominum Iesum, quando beata Maria cum ipso fugit in Aegyptum, & adhuc non potest operiri.*

(*g*) Cluuer. Ital. vet. p. 702. *Sacraria* ista nulla alia fuere, nisi quæ ab initio ad varios Clitumni amnis fontes variis Iouis Clitumni nominibus numinibusque posita, ea haud dubie postea in christianæ religionis vsum conuersa.

(*h*) Holsten. adnotat. in Cluuer. p. 124.

ius

ius praxeos vidimus; & BEDA [i], *Gregorium magnum Augustino* monacho de fanis inter *Saxonas* in *Britannia* eadem mandata dedisse, auctor est, nimirum vt fana bene constructa non destruerentur, sed a cultu dæmonum in obsequia veri Dei commutarentur. Ita quoque *Romæ* contigisse obseruat, vt non multo post *Bonifacium IV*, imperante *Phoca*, templum gentilium, *Pantheon* vocatum ab antiquis, in ecclesiam omnium sanctorum [k] conuerterint. Aliquando fana deiiciebantur, ligna autem & lapides ecclesiæ donabantur, ex quibus noua ædificia in vsum religionis construebant, quomodo SOZOMENVS [l] & RVFFINVS [m] speciatim de templis *Bacchi* & *Serapis* apud *Alexandriam* obseruant. Iam supra [mm] ex AVSONIO ostendimus, quod porticus siue basilicæ *Romanæ* itidem in ecclesias conuersæ fuerint. Idem de quibusdam *Iudæorum* synagogis tradit *chronici Alexandrini* auctor, qui speciatim synagogæ [n] alicuius *Samarita-*

(*i*) Bed. lib. I. c. XXX. Quum Deus omnipotens vos ad reuerendissimum virum, fratrem nostrum Augustinum episcopum perduxerit, dicite ei, quid diu mecum de caussa Anglorum cogitans tractaui: videlicet quod fana idolorum destrui in eadem gente minime debeant: sed ipsa, quæ in eis sunt idola, destruantur, aqua benedicta fiat, in eisdem fanis adspergatur, altaria construantur, reliquiæ ponantur. Quia si fana eadem bene constructa sunt, necesse est, vt a cultu dæmonum in obsequia veri Dei debeant commutari, vt dum gens ipsa eadem fana sua non videt destrui, de corde errorem deponat, & Deum verum cognoscens ac adorans, ad loca quæ consueuit familiarius concurrat.

(*k*) Bed. lib. II. c. IV. Hic est Bonifacius quartus a beato Gregorio Romanæ vrbis episcopo, qui impetrauit a Focate principe donari ecclesiæ Christi templum Romæ, quod Pantheon vocabatur ab antiquis, quasi simulacrum esset omnium deorum. In quo ipse eliminata omni spurcitia fecit ecclesiam sanctæ Dei genetricis atque omnium martyrum Christi, vt exclusa multitudine dæmonum multitudo ibi sanctorum memoriam haberet.

(*l*) Sozom. lib. VII. c. XV. ὑπὸ τοῦτον τὸν χρόνον Ἀλεξανδρέων ἐπίσκοπος τὸ παρ' αὐτοῖς Διονύσου ἱερὸν εἰς ἐκκλησίαν μετεσκεύαζε· δῶρον γὰρ εἰλήφει τοῦτο παρὰ τοῦ βασιλέως· - - Τὸ μὲν δὴ Σεράπιον ὧδε ἥλω, καὶ μετ' οὐ πολὺ εἰς ἐκκλησίαν μετεσκευάσθη, Ἀρκαδίου τοῦ βασιλέως ἐπώνυμον. Eodem tempore Alexandrinæ vrbis episcopus, templum Bacchi, quod illic erat, in ecclesiam commutauit. Illud enim ab imperatore petitum dono acceperat. - - Et Serapium quidem hoc modo captum & expugnatum nec multo post in ecclesiam Arcadio imperatori cognominem immutatum est.

(*m*) Ruffin. lib. II. c. XXIII.

(*mm*) Vid. cap. I. §. V. litt. [m] pag. 121.

(*n*) Chron. Alex. siue Paschale inter historicos Byzantin. an. X. Zenon. ἐποίησε τὴν συναγωγὴν αὐτῶν, τὴν οὖσαν εἰς τὸ καλούμενον γαργαρίδην, εὐκτήριον οἶκον μέγαν

 *nouum*

*norum* in loco *Gargarida* dicto, meminit, quam *Zeno* imperator in magnam eccleſiam chriſtianam conuerterit.

Et quamquam inter viros doctos non conuenit, vtrum templa, quæ ab *Hadriano* ædificata eſſe dicuntur, ſibi ipſi an Chriſto exſtruxerit; (nam CASAVBONVS [o] & PAGIVS [p] ſibi ipſi ea facere voluiſſe, exiſtimant, HVETIO [q] interim relationem LAMPRIDII, qui ea nomini Chriſti conſecranda fuiſſe

(o) Caſaubon. not. in Lamprid. vit. Alexandr. Seuer. p. 170. De Tiberio narrant hoc Tertullianus & alii patres græci ac latini: de Hadriano vero nemo illorum, ſi ſatis memini, ſimile quidquam. Et mirum profecto, tam nobilem hiſtoriam tot fidei chriſtianæ propugnatores acerrimos, viros vndecumque doctiſſimos, & quorum intererat hoc ſcire, potuiſſe fugere. Sed videtur hæc de Hadriano ſuſpicio multo poſt eius ſæculum hominum mentes inſediſſe: quum neque Iuſtinus martyr, neque Athenagoras, neque Tertullianus, neque Cyprianus, aut omnino quiſquam ex illa veterum patrum manu, vel tenuiſſimam eius rei ſuſpicionem ſando vmquam accepiſſent. Vnde autem vulgo multi ſæculo Lampridii hanc de Hadriano concepiſſent opinionem, declarat auctor, quum ſubiicit: *qui templa in omnibus ciuitatibus ſine ſimulacris iuſſerat fieri: quæ hodie idcirco, quia non habent numina, dicuntur Hadriani, quod ille ad hoc paraſſe dicebatur.* En fontem & originem huius opinionis. Iuſſerat Hadrianus templa fieri in omnibus ciuitatibus, ſuo nomini, ſine dubio, conſecranda: quod & Spart. in vita illius teſtatur, ſed mortuo Hadriano prius, quam hæc templa abſoluerentur, manſere pleraque illorum imperfecta, neque vmquam dedicata ſunt. Exemplo poteſt eſſe illud, quod Tiberiade magnifice inchoatum, mox relictum eſt nec dum abſolutum, tandemque in vſum balnearum a ciuibus deſtinatum. Epiphanius contra Ebionitas: ναὸς μέγιςος κ. τ. λ. [vid. ſeq. not. (r)]. Talia ædificia in pleriſque ciuitatibus adhuc Lampridii ætate exſtabant, inchoata ſolum, non perfecta, non dedicata: ac proinde, vt ait ipſe, ſine numine & ſimulacro vllo. Eo factum, vt in animum inducerent multi, quibus heic adſentitur Lampridius, non ſibi Hadrianum illa templa exſtruxiſſe, verum Chriſto. cetera.

(p) Pagi Critic. in Baron. an. CXXXIV. n. IV. Quod ad Lampridium ſpectat, is de Alexandro Seuero in eius vita c. XLIII. loquens ait: *Chriſto templum facere voluit, eumque inter Deos recipere, quod & Hadrianus cogitaſſe fertur, qui templa in omnibus ciuitatibus ſine ſimulacris iuſſerat fieri: quæ hodie idcirco, quia non habent numina, dicuntur Hadriani, quæ ille ad hoc paraſſe dicebatur: ſed prohibitus eſt ab iis, qui conſulentes ſacra, reppererant omnes chriſtianos futuros, ſi id optato eueniſſet, & templa reliqua deſerenda.* Sed, vt Caſaubonus, in notis ad eum locum obſeruat, de Tiberio narrant hoc Tertullianus & alii patres græci ac latini. cetera.


(q) Huet. demonſtrat. euangel. propoſ. III. §. XXII. XXIII. p. 65. (p. 43. 44. edit. Francof. MDCCXXII. 4to.)

dicit,


# ICHNOGRAPHIA TEMPLORUM ORIENTALIUM.




Ichnographia Templorum Beveregij





Ichnographia Leonis Allatij.





Ambo.




Ichnographia Jacobi Goar




Ichnographia partis interioris S. SOPHIÆ.




A. Synthronus
B. S. Bema
C. Altare
D. Portæ Sanctæ
E. Cancelli Bematis
F. Prothesis
G. Diaconicum
H. Solea
I. Naos
K. Ambo
L. Portæ Speciosæ
M. Narthex.
N. Baptisterium
O. Magnæ Portæ
P. Porticus
Q. Circuitus
R. Locus Episcopi extra S. Bema
S. Locus Diaconorum
T. Locus Lectorum
V. Pulpitum
X. Sedes Imperialis
Y. Locus Mulierum
Z. Ciborium



uicit,

dicit, defendente;) certum tamen eſt, poſteaquam in alios vſus adhibita fuerunt, ad minimum nonnulla ex illis in eccleſias chriſtianas eſſe commutata. Teſte enim EPIPHANIO [r] *Tiberiade* ingens templum fuit, *Adrianium* dictum, quod *Iudæi* in publicas balneas commutarunt. IOSEPHVS autem COMES, conuerſus quidam *Iudæus*, ætate *Conſtantini* eccleſiam ex eo condidit. Idem alii cuidam horum templorum apud *Alexandriam* opera *Athanaſii* accidit, quod olim *Licinianum* gymnaſium ſiue palatium fuit, vt idem ille EPIPHANIVS [s] auctor eſt. Vt adeo iam partim imperatorum, ſuo ipſorum ſumtu eccleſias exſtruentium, munificentia & gentilium templa in eccleſias conuerti iubentium edictis; partim priuatorum chriſtianorum pacis temporibus zelo ac liberalitate eccleſiæ longe alia atque prioribus ſæculis, hoc eſt, multo nobiliora ac ſplendidiora, pretioſiora & magnificentiora ædificia euaſerint, ſub quo incremento ipſas in proxime ſequenti huius libri parte conſiderabimus.

---

(r) Epiphan. hæreſ. XXX. n. XII. Ναὸς δὲ μέγιστος ἐν τῇ πόλει προϋπῆρχε, τάχα οἶμαι Ἀδριάνειον τοῦτο ἐκάλουν, ἀτελὲς δὲ τοῦτο τὸ Ἀδριάνειον διαμένον τάχα οἱ πολῖται εἰς δημόσιον λουτρὸν ἐπειρῶντο ἐπισκευάσαι· ὅπερ εὑρὼν ὁ Ἰώσηπος, ἐκ τούτου τὴν πρόφασιν ἔσχε, καὶ ὡς ἤδη εὗρε διὰ τετραπήχων λίθων τετραπέδων, ἕως ὕψους τινὸς ἀνεγηγερμένον, ἐντεῦθεν ἄρχεται ποιεῖσθαι τῆς ἐκκλησίας τὴν ἐπιμέλειαν - - - πολλάκις δὲ κακούντων τὸν ἄνδρα ἐκείνων εἰς ὕστερον μέρος τι τοῦ ναοῦ ἐν Τιβεριάδι οἰκοδομήσας, καὶ μικρὰν ἐκκλησίαν ἀποτελέσαι. Erat in eadem vrbe (Tiberiade) templum ingens olim exſtructum, quod Adrianium, niſi fallor, appellabant. Quod quum imperfectum hactenus manſiſſet, oppidani publicas in balneas commutare ſtudebant. Hoc Ioſephus nactus, ad id quod animo conceperat, accommodare inſtituit. Et vt quadrato lapide quaternum cubitorum certam ad altitudinem erectum inuenerat, veteri ſtructuræ nouam eccleſiæ molem imponere ſtatuit. - - At ſæpe alias vexantibus iudæis tandem veteris templi partem exſtruxit, in eaque paruam eccleſiam condidit.

(s) Epiph. hæreſ. LXIX. Arian. n. II. Εἰσὶ τοίνυν πλείους τὸν ἀριθμὸν ἐν τῇ Ἀλεξανδρείᾳ σὺν τῇ νῦν κτισθείσῃ τῇ Καισαρείᾳ καλουμένῃ, ὃ πρότερον Ἀδριανὸν ἐτύγχανεν, ὕστερον Λικινιανὸν γέγονε γυμνάσιον, εἴτουν βασίλειον. μετέπειτα δὲ ἐν χρόνοις Κωνσταντίου ἔδοξεν αὐτὴν οἰκοδομηθῆναι ἐκκλησίαν κ. τ. λ. Sane complures Alexandriæ eccleſiæ ſunt, præter eam, quæ nuper exſtructa Cæſaria dicitur. Quæ olim *Adrianum*, poſtea *Licinianum* gymnaſium ſiue baſilica fuit: deinde imperante Conſtantio ædificari in ea eccleſiam placuit.

# *LIBRI OCTAVI*

## *CAPVT TERTIVM*

## DE DIVERSIS ANTIQVARVM ECCLESIARVM FORMIS ET PARTIBVS: ET PRIMVM QVIDEM DE NARTHECE EXTERIORE.

### §. I.

### *Ecclesiarum antiquarum diuersæ fuerunt formæ.*

EX iis, quæ capite præcedenti diximus, facile ad colligendum est, ecclesias antiquitus non vniuersas ad vnam prorsus eamdemque formam siue figuram fuisse ædificatas. Quando enim gentilium fana & publicæ porticus in ecclesias conversæ fuerunt, ista ædificia omnia ac singula ad eamdem formam fuisse exstructa, vix sibi quis persuadebit. Neque enim tum inter christianos vlla certa regula circa hanc rem obtinuit. *Constitutionum*, quæ apostolis vulgo tribuuntur, auctor significare videtur, quod generatim oblongæ fuerint, naui [*a*] similes. Hæc forma alias vocatur *dromica*, quia, vt LEO ALLATIVS [*b*] & post eum SVICERVS [*c*] coniectant, ecclesiæ ad hanc formam constructæ amplum spatium deambulationi accommodatum habuerunt. Atque hanc celeberrimæ ecclesiæ *sanctæ Sophiæ Constantinopoli* formam fuisse, PAVLVS SILENTIARIVS aliique scriptores perhibent. Sed hæc forma non adeo vniuersalis fuit, vt nullas aliarum formarum ecclesias deprehenderemus. Ec-

(*a*) Constit. apostol. lib. II. c. LVII. Πρῶτον μὲν ὁ οἶκος ἔστω ἐπιμήκης, κατ' ἀνατολὰς τετραμμένος· ἐξ ἑκατέρων τῶν μερῶν τὰ παστοφόρια πρὸς ἀνατολήν, ὅστις ἔοικε νηΐ. P imum quidem *sit ædes oblonga* orientem versus *naui similis*, vtrimque p stophoria in orientem.

(*b*) Allat. de templi Græcorum.

(*c*) Suicer. thes. eccles. voce ναός (tom. II. p. 390. a.) Alia (templa) sunt δρομικά, quæ forma quadrata, lateribus paribus, vel imparibus, substructa sunt; quorum in culmine asseres, seu trabes cantheriis colligantur, & tegulis superpositis conteguntur; adeo vt templi parietes proiecturis asserum tegantur. Cur autem δρομικὰ vocentur, explicatu non est facile: si quid tamen coniecturæ dandum, videntur a deambulatione, qua per tabulas super trabibus expansis a facie templi ad sanctuarium ipsum progrediuntur, nomen habere: ex iis enim inferius templi spatium vniuersum hac atque illac percurrebatur. Sic dicta a δρόμος, quod *cursum & peruagationem* significat.

clesia

clesia enim, quam *Constantinus* in ipso seruatoris nostri sepulchro in *Golgatha* monte fabricauit, rotunda fuit, quemadmodum ex EVSEBIO [*d*] & WALAFRIDO STRABONE [*e*] discimus. Quam *Antiochiæ* exstruxit, eam octaëdri formam habuisse, EVSEBIVS [*f*] auctor est. Istiusmodi etiam fuit ecclesia *Nazianzi* a *Gregorio*, *Gregorii Nazianzeni* parente, ædificata, vt in oratione, quam filius in funere patris [*g*] recitauit, legimus, qui eam tamquam octo latera æqualia habentem describit. Aliæ ecclesiæ in formam crucis exstructæ fuerunt, vti ista *Simeonis Stylitæ*, cuius apud EVAGRIVM [*h*] iniicitur mentio. Et basilica apostolorum *Constantinopoli* a *Constantino* ædificata, similiter hanc crucis formam retulit, vti ex GREGORII NAZIANZENI *somnio Anastasiæ* discimus, vbi [*hh*] sic describitur:

> Σὺν τοῖς ϗ μεγάλαυχον ἕδος χριστοῖο μαθητῶν,
> Πλευραῖς σταυροτύποις τέτραχα τεμνόμενον.
> *Inter quos, quod quadruplici, crucibusque notato*
> *Est latere, eximie fulget apostolicum.*

Istæ ecclesiæ ita nonnumquam efficiebantur, addito cuiuis lateri fornice, (quos fornices *Græci* ἀψίδας nominant) vt CEDRENO [*i*] & ZONARAE in vita obseruatur *Iustini iunioris*, qui tem-

(*d*) Euseb. vit. Constant. lib. III. c. XXXVIII. †

(*e*) Strabo de rebus eccles. c. IV. (bibl. patr. max. tom. XV. p. 193. e.) Verissima relatione didicimus, in ecclesia quam apud Aeliam Constantinus imperator cum matre Helena super sepulcrum domini miræ magnitudinis in *rotunditate* constituit, cetera.

(*f*) Euseb. lib. III. c. L. Εὐκτήριον οἶκον εἰς ἀμήχανον ἐπάρας ὕψος· ἐν ὀκταέδρου μὲν συνεστῶτα σχήματι. Basilicam ipsam ad summam erexit altitudinem: figura quidem octaedri constructam.

(*g*) Naz. orat. XIX. de laud. patr. p. 313. ὀκτὼ μὲν ἰσοπλεύροις εὐθείαις εἰς ἑαυτὸν ἀπαντῶντα, κιόνων δὲ καὶ στοῶν κάλλεσι δι' ὀρόφων, εἰς ὕψος αἰρόμενον κ. τ. λ. *Octo æquilateris* rectis in se occurrit, & columnarum, ac porticuum elegantia per laquearia in altum adsurgit, cetera.

(*h*) Euagr. lib. I. c. XIV. ἡ δὲ τοῦ νεὼ οἰκοδομία, σύγκειται μὲν σταυροῦ δίκην, Templi fabricæ *formam crucis* refert.

(*hh*) Nazianz. carm. IX. tom. II. p. 79.

(*i*) Cedren. vit. Iustin. in compend. histor. p. 390. Τῷ ζ' ἔτει ἤρξατο Ἰουστῖνος κτίζειν τὸν ναὸν τῶν ἁγίων ἀποστόλων Πέτρου καὶ Παύλου ἐν τῷ ὀρφανοτροφείῳ· προσέθηκε δὲ καὶ εἰς τὸν ναὸν τῶν Βλαχερνῶν τὰς δύο ἀψίδας, καὶ ἐποίησεν αὐτὴν σταυρωτήν (al. σταυρωτὴν). Septimo anno, Iustinus cœpit condere ædem apostolorum Petri

plo, quod est in *Blachernis*, duos eiusmodi fornices addidit effecitque vt crucis formam referret. VALESIVS etiam in *itinerario Hierosolymitano* ANTONINI *martyris* [k] obseruat, quod ecclesia a *Constantino* ad quercum *Mambre* ædificata, figuram quadrangulam atriumque in medio discoopertum habuerit: & quod per medium cancellum ex vno latere intrauerint christiani, ex alio vero *Iudæi*. Nonnullæ ecclesiæ siue templa vocata etiam sint *octachora*, sed hæc, VALESIO recte obseruante, eadem cum *octagonis* fuerunt, vti ex sequenti inscriptione apud GRVTERVM [l] patet:

*Octachorum sanctos templum surrexit in vsus,*
*Octagonus fons est munere dignus eo.*


SVICERVS & ALLATIVS alius formæ templorum mentionem faciunt, quando ea vocant τρουλλωτά, κυλινδρωτά, θολωτά & κυκλοειδῆ, hoc est, rotunda ad arcus siue sphæræ, vel cylindri, vel scuti, vel circuli figuram, cuiusmodi *Pantheon Romæ* fuisse dicitur. Enim vero, si proprie loqui velimus, hæc non tam forma ecclesiæ, quam figura vnius partis quarumdam ecclesiarum, speciatim ecclesiæ *sanctæ Sophiæ*, fuit, cuius corpus in formam trullæ ædificatum erat, tota autem ædes si spectabatur, oblonga erat, ceterarum ecclesiarum formæ similis, quemadmodum lector iudicare poterit, si diuersas figuras in sequenti tabula inter se comparauerit, quarum vna, ecclesiam *sanctæ Sophiæ* repræsentans, desumta est ex DV FRESNII *Constantinopoli christiana*, alia ex *pandectis* BEVEREGII, tertia quædam ex LEONE ALLATIO, & quarta ex IACOBO GOAR, quæ omnes a SCHELSTRATO in concilio suo *Antiocheno* constructæ & compositæ, de ipsius exemplari vna cum nominibus, ad quamuis ipsarum partem spectantibus, heic repræsentantur. Hisce aliam figu-

& Pauli, in loco qui a pupillis educandis orphanotropheum dicitur. Addidit & templo, quod est in Blachernis, *duos fornices*, effecitque vt ea crucis formam referret.

(k) Anton. Mart. ap. Valesf. not. in Euseb. de vit. Constant. lib. III. c. LIII. De Bethlehem vsque ad radicem Mambre sunt millia viginti quatuor: in quo loco requiescunt Abraham, Isaac & Iacob & Sarra, simul & Ioseph ossa. *Est ibi basilica ædificata per quadrum*, & atrium in medio discoopertum & per medium cancellum ex vno latere intrant christiani, ex alio vero iudæi, incensa differentes multa.

(l) Gruter. thesaur. p. 1166.

# Delineatio antiqui Templi cum exedris suis, ex Eusebii aliorumque auctorum descriptione.




1 Propylaeum sive Vestibulum magnum hoc est, primus introitus in Aream ante Ecclesiam.

2 Μεσαύλιον Atrium s. Area e Vestibulo ad Ecclesiam ducens.

3 Cantharus s. Phiala in medio Atrii.

4 Porticus s. Peristilia circa aream, alias Narthex exterior Ecclesiae; Locus Lugentium.

5 Porta magna in Ecclesiam intromittens.

6 Portae duae minores ab utroque illius latere.

7 Portae septentrionales et meridionales.

8 Porticus a septentrionali et meridionali Ecclesiae latere.

9 Ferula s. Narthex interior, Locus Catechumenorum et Audientium Judaeorum ac gentilium.

10 Locus Substratorum, sive tertii ordinis Poeniten-tium pone Ambonem.

11 Ambo sive Pulpitum.

12 Adscensus ad duo latera Ambonis.

13 Porticus inferiores Locus Virorum.

14 Catechumena s. Hyperoa, Locus Mulierum supra porticus Virorum.

15 Cancelli Bematis.

16 Bema s. Sanctuarium.

17 Altare s. Mensa sacra.

18 Ἱ[illegible] alias Ciborium.

19 Thronus Episcopi [illegible]

20 Throni secundi Presbyterorum in forma semicirculi circum Altare.

21 Diaconicum minus.

22 Prothesis s. Paratorium

23 Sceuophylacium s. Diaconicum magnum.

24 Baptisterium * Vestibulum.

25 Piscina in medio Baptisterii.

26 Pastophoria, domicilia clericorum cum scholis et bibliothecis ab utroque Ecclesiae latere.

27 Περίβολος, exterior ambitus, in locum refugii concessus.

n. 2.

plo, q
fecitqu
*rario h*
clesia
drangu
per m
alio v
sint *oc*
*octagon*
[*l*] pa

SVICE
ciunt.
*ειδη*,
scuti,
tur.
ma e
speci
trulla
ga e
lecto
ter s
præs
*na*, :
LAT
STR
de ip
part

(*k*

(*l*

ram addidimus, exhibentem pulcherrimum illud in vrbe *Tyro* templum, ſtudio *Paulini* epiſcopi exſtructum, & ab EVSEBIO [*m*] in oratione ſua *panegyrica* de ædificatione & fundatore huius templi deſcriptum: quam orationem ſatis longam lector curioſus in decimo hiſtoriæ ipſius eccleſiaſticæ libro legere poteſt. Cuius nos deſcriptionem tamquam omnium antiquiſſimam & veriſſimam heic magnam partem ſequemur, alias iſtiusmodi res tantum intermixturi, quæ ad explanandas formas & partes aliarum eccleſiarum neceſſariæ fuerint, ſiquidem, vti obſeruatum nobis eſt, non omnes inuicem ſibi conſimiles fuerunt, ſed forma, ſitu & diuerſis partibus aliæ ab aliis diſtinctæ.

## §. II.

### *Et diuerſus aliarum ab aliis ſitus.*

VT ab earum ſitu ſeu poſitu incipiamus; ita plerumque locatæ erant, vt frons, ſiue præcipuus introitus occidentem verſus, ſanctuarium autem, ſiue locus, in quo altare ſtabat, orientem verſus ſpectaret. In quibusdam tamen eccleſiis res aliter ſe habebat, vti ex obſeruatione SOCRATIS [*n*] de eccleſia „ *Antiochena* patet, *Antiochiæ*, inquientis, *quæ eſt in Syria*, *inuerſus* „ *eſt eccleſiæ ſitus*, *neque enim altare ad ſolis ortum ſpectat ſed ad occaſum.* „ Idem etiam PAVLINVS [*o*] NOLANVS de ſua ipſius quadam ſtructura obſeruauit. Et templum alterius *Paulini* in vrbe *Tyro* in eumdem modum poſitum fuiſſe videtur. EVSEBIVS enim introitum in illud, non autem altaris ſitum, tamquam ad ſolis ortum reſpicientem deſcribit. Vt adeo, licet auctor *conſtitutionum* [*p*] inter alias huius generis regulas de eccleſiis orientem verſus exſtruendis præcipiat, ex iſtis tamen exemplis appareat, morem illum non adeo vniuerſalem fuiſſe, ſed admiſiſſe exceptiones, prout neceſſitas id requiſierit vel tulerit loci opportu-

(*m*) Euſeb. lib. X. c. IV. tot.

(*n*) Socrat. lib. V. c. XXII. Ἐν Ἀντιοχείᾳ τῆς Συρίας ἡ ἐκκλησία ἀντίστροφον ἔχει τὴν θέσιν· οὐ γὰρ πρὸς ἀνατολὰς τὸ θυσιαστήριον, ἀλλὰ πρὸς δύσιν ὁρᾷ.

(*o*) Paulin. ep. XII. ad Seuer. Proſpectus baſilicæ non, vt vſitatior mos eſt, Orientem ſpectat, ſed ad domini mei beati Felicis baſilicam pertinet, memoriam eius adſpiciens.

(*p*) Conſtit. apoſt. lib. II. c. LVII. ὁ οἶκος ἔστω ἐπιμήκης κατ' ἀνατολὰς τετραμμένος. Aedes ſit oblonga *orientem verſus.*

nitas.

nitas. Quæ obſeruatio non tantum ab VSSERIO epiſcopo [q] & BONA cardinali [r], ſed pridem etiam ante eos a WALAFRIDO STRABONE facta eſt, quando ait [s]: *Non magnopere curabant illius temporis iuſti, quam in partem orationis loca conuerterent, dum tantum videretur, vbi eliminatæ ſunt dæmonum ſordes, ibi Deum creatorem omnium, qui vbique eſt, coli & adorari. Sed tamen vſus frequentior & rationi vicinior habet in orientem orantes conuerti, & pluralitatem maximam eccleſiarum eo tenore conſtitui. S. Patricius* autem in *Hibernia*, quemadmodum e IOCELINO, vitæ illius ſcriptore, obſeruauit VSSERIVS [t], hac in re ab omnibus aliis diuerſus fuit. Eccleſiam enim in oppido *Sabul* prope *Dunum* in *Vltonia* ædificauit, quæ neque ad ortum, neque ad occaſum ſolis, ſed ab aquilonali parte verſus meridianam plagam reſpexit. Atque ita hiſtoria eccleſiaſtica, ſi ſtudioſius eam perquiſiuerimus, eccleſiarum, omnis generis ſitum habentium, exempla nobis ſuppeditabit.

(q) Uſher's *Lettres* ep. 49.

(r) Bon. rer. liturg. lib. I. c. XX. n. IV. Quod attinet ad ſitum, ita erant diſpoſita, vt ad ortum ſolis æquinoctialem verterentur. - - Paulinus tamen Nolanus ep. XII. adſerit, ſe in baſilica, quam ædificauit, hunc morem neglexiſſe. *Proſpectus*, inquit, *baſilicæ* cetera [vid. not. (o)]. Quod vero non omnia altaria, quæ in eadem eccleſia ſunt, ad ortum reſpiciant, ſic excuſat Walafridus Strabo c. IV. *Cognoſcimus, non erraſſe illos vel errare, qui templis nouiter Deo conſtructis, vel ab idolorum ſqualore mundatis propter aliquam loci opportunitatem in diuerſas plagas altaria ſtatuerint, quia non eſt locus, vbi non ſit Deus. Veriſſima enim relatione didicimus, in eccleſia, quam apud Aeliam Conſtantinus imperator cum matre Helena ſuper ſepulcrum domini miræ magnitudinis in rotunditate conſtituit; itemque Romæ in templo, quod ab antiquis* Pantheon *dictum, a S. Bonifacio papa, permittente Phoca imperatore, in honorem omnium ſanctorum conſecratum eſt: in eccleſia quoque S. Petri principis apoſtolorum, altaria non tantum ad orientem, ſed etiam in alias partes eſſe diſtributa. Hæc quum ſecundum voluntatem vel neceſſitatem fuerint ita diſpoſita, improbare non audemus. Sed tamen vſus frequentior & rationi vicinior habet in orientem orantes conuerti & pluralitatem maximam eccleſiarum eo tenore conſtitui.* Narrat Procopius *lib. I de bello Perſico c. XVII.* Dianæ & Iphigeniæ templa in vrbe Comana Deo a chriſtianis conſecrata fuiſſe, nihil immutata ſtructura: in quibus aliisque ſimilibus neceſſarium fuit, ad veterem ſitum altaris conſtructionem accommodare.

(s) Strabo de reb. eccleſ. c. IV. (biblioth. patr. max. tom. XV. p. 183. b.)

(t) Uſher's *Lettres* ep. 49.

§. III.

§. III.

*Plerumque in tres, interdum etiam in quatuor vel quinque, partes diuisæ.*

Iam diuersas antiquarum ecclesiarum partes consideraturis nobis obseruandum est, quod, quemadmodum in templo Dei *Hierosolymitano* non tantum sanctum & sanctum sanctorum, sed etiam exteriora atria pro partibus templi habita fuerunt, immo ipsum quoque atrium gentilium, quippe quod diserte *domus dei* & *domus precationis* dicitur; ita etiam in ecclesiis christianis, quæ cum respectu quodam ad templum *Iudaicum* ædificatæ fuerunt, totus ambitus siue peripheria latiore quodam sensu tamquam pars ecclesiæ spectari consueuerit, adeoque vbi ecclesiæ asyla, seu loca perfugii, regnantibus christianis imperatoribus, acceperunt, non tantum interiora ædificia, sed exteriora etiam atria & limites, pro apto & sufficienti sanctuario fuerint reputati, quemadmodum in vltima huius libri parte videbimus. Hinc igitur duplex orta est ecclesiarum diuisio, provt videlicet strictiore quodam vel latiore sensu fuerunt acceptæ. Sensu strictiore, ædificia intra parietes solum complexæ, plerumque in tres partes dispescebantur, quarum *prima NARTHEX*, vbi stabant pœnitentes & catechumeni: *secunda NAOS*, in quo communicantes suum quisque locum habebant: & *tertia BEMA*, vbi clerici stabant ad rem sacram super altari faciendam. Latiore autem sensu, alius erat *NARTHEX* extra parietes, sub quo comprehendebatur πρόπυλον siue *vestibulum*; tum *atrium*, siue *area*, inde ad templum ducens, porticibus siue peristyliis circumdata, vt mox in templo *Paulini* videbimus. Erant quoque diuersæ *exedræ*, vt *baptisterium*, *diaconica*, *pastophoria*, aliaque adiacentia ædificia, quæ vel extra vel intra ecclesiam esse existimabantur, prout sensu vel strictiore vel latiore sumebantur.

§. IV.

*Atque hæ in alias partes subdiuisæ.* Narthex *exterior includebat* I. πρόπυλον *seu* vestibulum.

Evsebivs templum *Paulini* describens sensu latiore id accipit, & idcirco descriptionem suam inchoat a περιβόλῳ seu *exteriore ambitu*, atria exteriora includente, quem a *narthece* intra

ecclesiam distinguendi caussa *exteriorem narthecem* dicere licuerit. In sacri huius septimenti, interuallo quodam ab ecclesia disiuncti, fronte ortum solis versus primum ædificium, quod in adspectum cadebat, splendidum & spatiosum erat vestibulum, quod EVSEBIO aliisque *græcis* scriptoribus πρόπυλον μέγα, *latinis* autem *vestibulum magnum* dicitur, ad distinguendum illud a minoribus vestibulis ecclesiæ contiguis. Hoc ipsum idem EVSEBIVS appellat etiam πρώτην εἴσοδον, *primum introitum*, a secundo eum distinguens, qui erant portæ ecclesiæ.

## §. V.

## 2. Atrium, *siue* area *ante ecclesiam, porticibus seu peristyliis circumdata.*

INTER hoc vestibulum & ecclesiam spatiosa erat *area*, EVSEBIO [u] αἴθριον, & PAVLINO SILENTIARIO [w] in descriptione *sanctæ Sophiæ* αὐλή dicta; *latini atrium* & *impluuium* vocant, quia locus erat apertus & patens sine vllo tecto, si a quatuor spatii istius lateribus discesseris, vtpote quæ aliquibus porticibus (στοὰς EVSEBIVS appellat), quæ columnis vndique attollebantur, circumsepta erant: vnde, quemadmodum DVFRESNIVS [x] obseruat, hoc spatium recentioribus auctoribus τετράτυ-

(u) Euseb. lib. X. c. IV. Μέσον αἴθριον ἠφίει εἰς τὴν τȣ̃ ȣ̓ρανȣ̃ κάτοψιν, λαμπρὸν καὶ ταῖς τȣ̃ φωτὸς ἀκτῖσιν ἀνειμένον ἀέρα παρέχον. Medium spatium *apertum & patens* reliquit, vt & cæli adspectum præberet & aërem splendidum solisque radiis collustratum præstaret. Id. de vita Const. lib. III. c. XXXV. Διέβαινε δ' ἑξῆς ἐπὶ παμμεγέθη χῶρον, εἰς καθαρὸν αἴθριον ἀναπεπταμένον. Transgressus inde est ad vastissimum locum *libero patentem cælo.*

(w) Paul. Silent. part. II. vers. 174.

> Τέτρασιν αἰθούσῃσι περίδρομον ὄψεαι αὐλήν,
> Ὧν μία μὲν νάρθηκι συνάπτεται, αἱ δὲ μὲν ἄλλαι
> Πεπταμέναι τελέθουσι πολυγνάμπτοισι κελεύθοις.

*Atrium* quatuor porticibus circumdatum licet intueri, quarum quidem vna narthecei coniungitur, aliæ vero semitis multifidis apertæ sunt.

(x) Du Fresne com. in Paul. Silent. p. 536. ad modo citata verba: Obseruandum, exteriorem vestibuli porticum ad atrii porticus pertinuisse, si non & tertia fuit, quod iam monuimus: alioquin atrium Sophianum tribus constitisset porticibus, non vero quatuor, proindeque non τετράστυλον fuisset vel *quadriporticus* sed *triporticus*, vti eiusmodi atria dicuntur Anastasio in S. Hilario PP. *Nymphæum & triporticum ante oratorium sanctæ crucis*, cetera.

τράτυ-

τράςυλον & *quadriporticus* dicitur. In hoc loco prima classis pœnitentium stabat secundum EVSEBIVM [y], qui illum iis, quibus nondum licuerit vltra in ecclesiam progredi, congruentem mansionem præbuisse, disertis verbis adfirmat. Hoc est, stabant illi vel in atrio, vel porticibus, vt fidelium in ecclesiam vadentium preces expeterent. Vel si forte grauiorum criminum rei essent, inde etiam expellebantur, & in area sub dio exspectare cogebantur, stabantque ibi tempestati expositi, quæ pars ipsorum pœnitentiæ erat. Hoc TERTVLLIANVS [z] innuere videtur, quando de monstruosis quibusdam peccatoribus loquens dicit, quod non modo a limine, verum omni ecclesiæ tecto, submoueantur. Atrium itaque apertus semper locus seu area fuit ante templum: proindeque isti auctores, qui atrium seu vestibulum & porticus inter se confundunt, formam antiquarum ecclesiarum plane perperam capiunt; istæ enim res distinctæ *narthecis* partes, quemadmodum ostendimus, fuerunt.

§. VI.

*3. Huius in medio fons positus, ex quo se lauabant, qui ecclesiam ingrediebantur, quibusdam auctoribus* cantharus *et* phiala *dictus.*

PORRO notandum est, quod in medio atrio plerumque fons quidam siue cisterna collocata fuerit in vsum populi, ad abluendum ex ea manus faciemque, priusquam templum ingrederentur. EVSEBIVS [zz] huius expressam mentionem in templo *Paulini* facit, *Heic*, inquiens, *sacrarum expiationum signa posuit*, κρήνας, *fontes scilicet ex aduerso ecclesiæ structos, qui interius sacrarium ingressuris copiosos latices ad abluendum ministrarent.* PAV-

(y) Euseb. lib. X. c. IV. Ἡ πρώτη αὕτη εἰσιόντων αὕτη διατριβὴ, κόσμον ὁμοῦ καὶ ἀγλαΐαν τῷ παντὶ, τοῖς τε τῶν πρώτων εἰσαγωγῶν ἔτι δεομένοις, κατάλληλον τὴν μονὴν παρεχομένη. Hoc primum intrantium diuersorium est, cunctis quemdam ornatum ac nitorem concilians; iis vero qui institutione adhuc opus habent, congruentem præbens mansionem.

(z) Tertull. de pudicit. c. IV. Reliquas autem libidinum furias - non modo limine, verum omni ecclesiæ tecto submouemus, quia non sunt delicta sed monstra.

(zz) Euseb. lib. X. c. IV. Ἐνταῦθα καθαρσίων ἐτίθει σύμβολα· κρήνας ἄντικρυ εἰς πρόσωπον ἐπισκευάζων τοῦ νεὼ, πολλῷ τῷ χεύματι τοῦ νάματος τοῖς περιβόλων ἱερῶν ἐπὶ τὰ ἔσω προϊοῦσι τὴν ἀπόρρυψιν παρεχομένας.

LINVS episcopus *Nolanus* eiusdem rei meminit, sed nomen *canthari* [*a*] ei tribuit, quod significat longum aquæ conceptaculum, siue statuam ludicris formis elaboratam, per quas aquæ saliunt. Ita DVFRESNIVS obseruauit, quod in quibusdam locis fontes leonibus, aquam ex ore eructantibus, circumdati fuerint; vnde locus iste quibusdam recentioribus *græcis* scriptoribus λεοντάριον dicitur. A nonnullis etiam vocatur *nymphæum*, ἐμβάτης & κολυμβεῖον, quæ appellationes omnes fontem aquæ significant. PAVLVS SILENTIARIVS in descriptione templi *sanctæ Sophiæ* Φιάλην, *phialam* nominat, quod *anglice* reddi potest *the Basin*. SOCRATES autem Φρέαρ appellat. De velitatione enim inter catholicos & hæreticos *Macedonianos* in ecclesia *Acacii Constantinopoli* loquens, „tantam hominum cædem factam esse „dicit, vt ecclesiæ illius atrium sanguine compleretur, puteum „quoque (τὸ Φρέαρ [*b*]) qui fuerit in atrio, cruore redundasse „& sanguinem in coniunctam porticum effluxisse vsque ad ipsam „plateam.„ CHRYSOSTOMVS [*c*] etiam de his fontibus loquitur, vt qui communis vsus in atriis ante ecclesias fuerint. Et in sermonibus suis popularibus ad morem abluendi manus, ecclesiam ingressuris [*d*] vsitatum, sæpe adludit. Idem facit TER-

(*a*) Paulin. ep. XII. ad Seuerum:

Sancta nitens famulis interluit atria lymphis
Cantharus, intrantumque manus lauat amne ministro.

(*b*) Socrat. lib. II. c. XXXVIII. γίνεται φόνος ἀνθρώπων πολλῶν, ὥστε τὴν αὐλὴν τῆς ἐκκλησίας ἐκείνης αἵματος πλήρη γενέσθαι, καὶ τὸ ἐν αὐτῇ φρέαρ ὑπερβλύσαι τῷ αἵματος, ἐκρεῖν δὲ τοῦτο καὶ εἰς τὴν ἐχομένην στοὰν ἄχρι τῆς πλατείας αὐτῆς.

(*c*) Chrysostom. homil. LVII. tom. V. edit. Sauil. p. 390. τὰς κρήνας εἶναι ἐν ταῖς αὐλαῖς τῶν εὐκτηρίων οἴκων νενόμισται.

(*d*) Chrysost. hom. LII. in Matth. (tom. I. p. 566. a. edit. Francof.) Καὶ ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ τοιοῦτον ὁρῶμεν ἔθος κρατοῦν παρὰ τοῖς πολλοῖς, καὶ ὅπως μὲν καθαροῖς εἰσέλθοιεν ἱματίοις σπουδάζοντας, καὶ ὅπως τὰς χεῖρας νίψαιντο κ. τ. λ. In non nullis iam ecclesiis hunc morem corroboratum videmus, vt diligenter multi studeant, quomodo *manibus loti*, candidis induti vestimentis, *in ecclesiam ingrediantur*. Id. homil. LXXII. in Ioan. (ibid. p. 465. a. εἶτα χεῖρας μὲν νιπτόμεθα εἰς ἐκκλησίαν εἰσιόντες, τὴν δὲ καρδίαν οὐκέτι. Deinde *ingressuri templum manus lauamus* non corda. Id. hom. III. in Ephes. (tom. V. p. 888.) εἰπέ μοι, ἆρα ἂν ἕλοιο χερσὶν ἀνίπτοις τῇ θυσίᾳ προσελθεῖν; οὐκ ἔγωγε οἶμαι· ἀλλ' ἐθέλοις ἂν μηδὲ ὅλως προσελθεῖν, ἢ ῥυπαραῖς χερσίν. Dic mihi velles ne ad sacrificium manibus illotis accedere? Non, opinor; sed malles potius non prorsus accedere. Id. in Psalm. CXL. (tom. III.

TVLLIA-

TVLLIANVS [*e*] *Quæ ratio eſt*, inquiens, *manibus quidem ablutis, ſpiritu vero ſordente, orationem obire?* Similiter SYNESIVS [*f*] de ciſternis ſiue malluuiis, in templorum veſtibulis collocatis, loquitur.

## §. VII.

### *An ſuperſtitioſus aquæ benedictæ vſus huius antiqui moris corruptio ſit.*

PRAESENTIS eccleſiæ *Romanæ* ſcriptores BARONIVS [*g*] & alii aquæ ſuæ benedictæ vſum ex hac vetuſta conſuetudine deriuant pariter ac defendunt. At vero DV FRESNIVS [*h*] magis proprie loqui videtur, quando horum fontium loco aquas ″ luſtrales ſucceſſiſſe, adfirmat. Ablutio enim veterum nihil expiationis in ſe habebat, ſed indifferens tantum erat cærimonia, ad externam corporis ſpectans decentiam, vel ad ſummum emblema quoddam, homines de animæ puritate, qua atria ſanctisſimi Dei intrare deberent, admonens. Et proinde quisquis has materias ſtudioſe inter ſe comparauerit, is non poterit non concludere, quod recentior conſuetudo antiquæ illius inepta

opuſc. p. 477.) Κάθαιρε τοίνυν αὐτὰς (χεῖρας) ἐλεημοσύνῃ, φιλανθρωπίᾳ, προστασίᾳ δεομένων, καὶ οὕτως αὐτὰς εἰς εὐχὰς ἄγε· εἰ γὰρ ἀνίπτοις αὐτὰς οὐκ ἐπιτρέπεις εἰς εὐχὴν ἐπαίρεσθαι, πολλῷ μᾶλλον ἁμαρτήμασιν οὐκ ἂν εἴης δίκαιος αὐτὰς μιαίνειν· εἰ τὸ ἔλαττον δέδοικας, πολλῷ μᾶλλον τὸ μεῖζον φρίξον· τὸ μὲν γὰρ ἀνίπτοις χερσὶ προσεύχεσθαι, οὐ τοσοῦτον ἄτοπον κ.τ.λ. Purga manus eleemoſyna, clementia, ſubueniendo iis, qui indigent & ita eas Deo expandito ad orationem. Si enim non permittis, vt eæ tollantur illota ad orationem: multo magis non æquum eſt, vt eas peccatis inquines: Si, quod minus eſt, vereris: multo magis pertimeſce, quod maius eſt. Illotis enim orare manibus non eſt adeo abſurdum cetera.

(*e*) Tertull. de orat. c. XI.

(*f*) Syneſ. epiſt. CXXI. Anaſtaſio. ὡς ἔστι γε τὸ δημόσιον ξίφος οὐχ ἧττον, ἢ τὰ ἐν τοῖς προτεμενίσμασι χέρνιβα, πόλεως καθαρτήριον. Quandoquidem publicus gladius non minus, quam *luſtralis aqua, quæ in templorum veſtibulis collocatur*, ciuitatis eſt piaculum.

(*g*) Baron. an. LVII. n. CVII. ſeqq.

(*h*) Du Freſne com. in Paul. Silent. p. 530. Hæ fontium aquæ quotannis in peruigilio ſacrorum Theophaniorum interdum in ipſo feſto die conſecrabantur & benedicebantur, quarum benedictionis ordo habetur in *euchologio*: vnde νόσων ἀπελαστικὸν· δαιμόνων φυγαδευτικὸν apud Clement. in conſtit. apoſt. ἰαματικὸν ψυχῶν καὶ σωμάτων, alibi ἁμαρτημάτων λυτήριον &c. in eodem *euchologio* dicuntur. *Harum loco ſucceſſere*, praeſertim apud latinos, *quæ in templorum valuis exponi ſolent luſtrales vndæ*, vti, qui de ritibus eccleſiaſticis ſcripſere, pridem docuerunt.

solum imitatio, vel mera corruptio sit, si non potius peiori fonti περιῤῥαντηρίῳ, *aspergillo*, quo de tam sæpe loquuntur gentiles, originem suam debeat. Res sibi adeo similes sunt, vt quidam recentiores librarii, qui codicem SOZOMENI descripserunt, ex errore eas inter se confuderint. Quando enim SOZOMENVS de *Iuliani*, in *Galliis* adhuc morantis, in templum quoddam sacrificandi caussa ingressu, comitante illum inter ceteros *Valentiniano*, dicit, sacerdotem gentilium more ingredientes eos [*i*] conspersisse; VALESIVS [*k*] obseruauit, quod in quibusdam exemplaribus pro *more gentilium* legatur *more ecclesiastico*: quod ille antiquariis tribuit, qui aspersionem aquæ lustralis inde conficere studuerint; eosque ob suam vel ignorantiam vel impudentiam, pro eo ac meruerunt, ingenue castigat.

## §. VIII.

*Non nisi atrium & porticus in exteriore narthece in mortuorum sepulturam adhibitæ.*

SED reuertamur ad veterum ecclesiarum considerationem. Dum de narthece exteriore loquimur, non abs re fuerit obseruare, quod multis adhuc annis, postquam loca sepulturæ in ciuitatibus fuerunt permissa, a proprie sic dicto templo cohibitæ, & solum in hisce narthecis exterioris partibus, atrio videlicet & porticibus, in quibus describendis iam versamur, concessæ sint: quemadmodum e canone quodam concilii *Namnetensis* an. DCLVIII. apparet, in hunc modum decernente [*l*]: *In ecclesia nullatenus sepeliantur, sed in atrio, aut porticu, aut in exedris ecclesiæ.* Quod ideo tantum animaduertimus, vt ostendamus, quem in vsum hæ narthecis exterioris partes adhibitæ

(*i*) Sozom. lib. VI. c. VI. ἐπεὶ ἔμελλεν ὑπεραμείβειν τοῦ ναοῦ τὸν οὐδὸν, θαλλούς τινας διαβρόχους κατέχων ὁ ἱερεὺς νόμῳ ἑλληνικῷ περιέῤῥανε τοὺς εἰσιόντας. Quum limen templi transgressurus esset (Iulianus) sacerdos verbenas aqua tinctas manu gestans, *gentilium more ingredientes conspersit.*

(*k*) Vales. in h. l. In codice Fuketiano scriptum inueni νόμῳ ἐκκλησιαστικῷ. Quod idcirco retuli, non quod scripturam eam probem, sed vt studiosus lector perspiciat, quam periculosum sit coniecturæ suæ indulgere. Etenim antiquarius, qui codicem illum descripsit, quum adspersionis aquæ mentionem fieri videret hoc loco, id more ecclesiastico factum esse credidit. Quasi non & pagani huiusmodi adspersionibus aquæ lustralis vsi fuerint diu ante aquæ lustralis exordium. Nota sunt veterum græcorum περιῤῥαντήρια.

(*l*) Concil. Namnetens. c. VI.

fuerint,

fuerint. Sed hac de re pluribus agendum erit, quando de cœmiteriis & ritibus funeralibus priscæ ecclesiæ tractabimus.

# *LIBRI OCTAVI*
## *CAPVT QVARTVM*
## DE NARTHECE INTERIORE DEQVE ILLIVS PARTIBVS ET VSIBVS.

### §. I.

*De minoribus προπύλοις seu porticibus ante fores ecclesiæ.*

POSTQVAM *exteriorem narthecem* considerauimus, nunc in *interiorem narthecem* intra ecclesiam ab EVSEBIO introducimur. In talibus enim magnificis structuris, qualis *Paulini* erat, *narthex* seu πρόναος, (*Ante-temple* lingua patria nobis appellare lubet), nomen pluribus partibus commune erat. Et in quibusdam splendidissimis templis, vti illud *sanctæ Sophiæ* erat, quemadmodum ex PROCOPIO & PAVLO SILENTIARIO obseruauit DVFRESNIVS, non minus quatuor distincti *nartheces* erant. Aditus ad interiorem narthecem in templo *Paulini* extra porticus seu peristylia erat, ante ecclesiam per tria interiora vestibula, (τὰ ἐνδοτάτω πρόπυλα EVSEBIO vocantur) totidem portas patentes efficientia, ex quibus media reliquis duabus maior erat & sublimior, quomodo plerumque in hodiernis nostris ecclesiis cathedralibus videmus, hoc tantum cum discrimine, vt istæ ad orientem spectarent, nostræ autem ad occidentem. Habebat etiam porticus septemtrionali pariter ac [a] australi lateri contiguas, nec non vestibula & ianuas, per quas introibatur. Hæc vestibula in illis ecclesiis, quæ non alium quemdam narthecem habebant, ad recipiendam primam classem pœnitentium faciebant, quæ *lugentes* vocabantur, & alias ad atrium & porticus ante ecclesiam remitti solebant, vti iam in templo *Paulini* ostendimus. Et hæc accurate obseruanda sunt iis, qui

(a) Euseb. de vita Constant. lib. III. c. XXXVII. de ecclesia Hierosolymis exstructa: Ἀμφὶ δ᾽ ἑκάτερα τὰ πλευρὰ, διπλῶν στοῶν ἀναγείων τε καὶ καταγείων δίδυμαι παραστάδες τῷ μήκει τοῦ νεὼ συνεξετείνοντο. Ad vtrumque latus, geminæ porticus tam subterraneæ quam supra terram eminentes, totius basilicæ longitudinem æquabant.

veteres

veteres non volunt perperam intelligere, quando de loco *lugentium* diuerso modo loqui videntur. DVFRESNIVS etiam e PAVLINO NOLANO [*b*] obseruauit, quod hæc vestibula & portæ nonnumquam *arcus*, a modo structuræ, quæ arcuatum opus erat, dicantur; item *apsides* ex eadem ratione; ἀψὶς enim rem quamlibet significat ad figuram arcus, vel alius rei conuexæ, quale cælum est, curuatam. Et idcirco canonem tricesimum secundum concilii *Carthaginensis* de isto loco intelligi oportere existimat, quando ait [*c*]: *Cuiuscumque pœnitentis publicum & vulgatissimum crimen est, quod vniuersa ecclesia nouerit, ANTE APSIDEM,* (hoc est ante vestibulum vel fores ecclesiæ) *manus ei imponatur.* Hic etiam locus erat, vbi pauperes de ecclesia ante & post sacra sese sistebant, vt a venientibus de altari colligerent vitæ subsidia. Cuius consuetudinis mentio a GREGORIO NAZIANZENO [*d*] iniicitur & a CHRYSOSTOMO [*e*], qui hoc intuitu pauperes decrepitos, claudos & cæcos, eleganter more suo *regii palatii custodes* vocat, intelligens ecclesiam.

§. II.

*De* narthece, pronao, *siue* ferula.

PER hasce portas in ecclesiam intromissis nobis primus, qui occurrit, locus est πρόναος seu narthex intra parietes. Hic in recentioribus libris ecclesiasticis *Græcorum* semper dicitur νάρθηξ, & speciatim monachis vel mulieribus destinatus erat, & ad rogationes, supplicationes, ac nocturnas vigilias faciendas adhibebatur. Defunctorum quoque cadauera, antequam sepulturæ mandarentur, dum illis iusta persoluebantur, in eodem

(*b*) Paulin. epist. XII. ad Seuer. Alma domus triplici patet ingredientibus arcu.

(*c*) Conc. Carth. III. c. XXXII. tom. II. conc. p. 1171.

(*d*) Naz. orat. XVI. de amore pauperum (tom. I. p. 246. c. d.) οἱ πολλοὶ δὲ αὐτῶν οὐδὲ ὑπ' αἰσχύνης τὰς πανηγύρεις φεύγουσιν· αὐτὸ μὲν οὖν τοὐναντίον, εἰς ταύτας ὠθοῦνται διὰ τὴν χρείαν, ταύτας δὴ λέγω πανδήμους καὶ ἱερὰς, ἃς ἡμεῖς ἐπὶ θεραπείᾳ τῶν ψυχῶν ἐξευρόμεθα, ἢ κατά τι μυστήριον συνιόντες, ἢ τοῖς μάρτυσι τῆς ἀληθείας πανηγυρίζοντες. Multi eorum ne pudore quidem a publicis conuentibus deterrentur: quin potius in eos sese ob necessitatem intrudunt, hos inquam publicos & sacros conuentus, quos ob animarum curationem excogitauimus, aut mysterii cuiuspiam celebrandi caussa coëuntes, aut ob veritatis martyres diem festum agitantes.

(*e*) Chrysost. hom. X. in 1 Thess. p. 1484. (in edit. Francof. allegata verba non inuenio.)

hoc loco retineri ſolebant, quemadmodum SVICERVS [*f*] ex ipſorum *Triodio*, *Pentecoſtario* & *Typico* aliisque auctoribus fuſe demonſtrat. MORINVS [*g*] antiquas eccleſias quingentis annis narthecem non habuiſſe, ſed in duas duntaxat partes, *ſanctuarium* & *aulam laicorum* diuiſas, narthecem autem a monachis orientalibus ſexto demum ſæculo ſubintroductum fuiſſe opinatur. Enim vero hac in re manifeſto fallitur; licet enim nomen fortaſſis non ita antiquum ſit, res ipſa tamen eſt. Fuit enim hæc ſemper diſtincta quædam & ſeparata eccleſiæ pars, quemadmodum facile ſibi perſuadebit, quisquis antiquum eius vſum conſiderauerit.

## §. III.

### *Vſus eius pro catechumenis & ſecundi ordinis pœnitentibus.*

ECCLESIA enim, ex quo primum catechumenos & pœnitentes in diſtinctos ordines ac claſſes diuiſit, diſtincta etiam loca pro illis in eccleſia habuit. Et hæc vilior eccleſiæ pars locus energumenorum erat, eorumque catechumenorum ac pœnitentium, qui plerumque ἀκροώμενοι ſiue *audientes* dicebantur, eo quod heic ſtare & hymnis, ſcripturarum lectioni, & ſermonibus a concionatore fieri ſolitis auſcultare ipſis permiſſum erat: quo facto ſine vllis precibus vel ſolemni benedictione di-

(*f*) Suicer. theſ. eccleſ. voce νάρθηξ. Νάρθηξ eſt locus in eccleſia, etſi alii extra eccleſiam ponant: cuius frequens mentio in libris eccleſiaſticis græcorum. Triodion in ſabbatho ſancto: Ἡ δὲ πρώτη ὥρα ψάλλεται ἐν τῷ νάρθηκι ὁμοίως, καὶ αἱ λοιπαὶ λιταὶ ψάλλονται ὁμοίως ἐν τῷ νάρθηκι. *Prima hora canitur in narthece ſimiliter; & reliquæ ſupplicationes canuntur ſimiliter in narthece.* Pentecoſtarium in dominica reſurrectionis: Καὶ ἐξερχόμεθα ἅπαντες ἐν τῷ νάρθηκι, διὰ τοῦ βορείου μέρους κρατοῦντες καὶ τὰ κηρία ἡμμένα. *Et egredimur omnes ad narthecem, per partem borealem, tenentes accenſas candelas.* Typicum c. XXV. Καὶ ποιοῦμεν ἐν τῷ νάρθηκι παννυχίδα εἰς τοὺς κοιμηθέντας. *Et vigilamus tota nocte in narthece mortuorum cauſſa.* cetera.

(*g*) Morin. de pœnit. lib. VI. c. I. §. X. (p. 357. edit. Antuerp. MDCLXXXII.) Secundum eſt, nuſquam apud antiquos auctores narthecis mentionem fieri. Antiqui enim græci, vt & latini, eccleſias in duas tantum partes diſtinxerunt, in *aulam* ſiue *atrium laicorum*, & *ſanctuarium*, in quo conſiſtere epiſcopis, presbyteris & diaconis tantum licebat. Sanctum non modo ἱερατεῖον, ſed ſæpiſſimo βῆμα vocarunt, vt & ἅγιον τῶν ἁγίων, quandoque etiam ἄδυτον, ἀνάκτορον & ἱλαστήριον. Vſurpari cœpit νάρθηξ in Typicis & Euchologiis poſt annos a Chriſto nato quingentos. Tum enim orientales monachi cœperunt eccleſias in tres partes diuidere, ἱερατεῖον, ναὸν, καὶ νάρθηκα.

mittebantur. Quemadmodum ex auctore *constitutionum* [h], canonibus BASILII [i], GREGORIO NYSSENO [k] aliisque scriptoribus videre est.

---

(h) Constit. apost. lib. VIII. c. V. *Μετὰ τὴν ἀνάγνωσιν τοῦ νόμου καὶ τῶν προφητῶν τῶντε ἐπιστολῶν ἡμῶν καὶ τῶν πράξεων καὶ τῶν εὐαγγελίων ἀσπαζέσθω ὁ χειροτονηθεὶς τὴν ἐκκλησίαν - - καὶ μετὰ τὴν πρόσρησιν προσλαλησάτω τῷ λαῷ λόγους παρακλήσεως· καὶ πληρώσαντος αὐτοῦ τὸν τῆς διδασκαλίας λόγον - - ἀναστάντων ἁπάντων ὁ διάκονος ἐφ' ὑψηλοῦ τινος ἀνελθὼν κηρυττέτω· Μή τις τῶν ἀκροωμένων· μή τις τῶν ἀπίστων.* Post lectionem legis & prophetarum & epistolarum nostrarum & actorum atque euangeliorum salutet ecclesiam ordinatus - - & post salutationem adloquatur populum sermone hortatorio. Quo sermone habito ad docendum - - edicat diaconus ex loco alto: ne quis adsit *audientium*, ne quis infidelium.

(i) Basil. can. LVII. *Ὁ ἀδελφῇ ἰδίᾳ ἐκ πατρὸς ἢ ἐκ μητρὸς συμμιανθεὶς, εἰς οἶκον προσευχῆς μὴ ἐπιτρεπέσθω παρεῖναι, ἕως ἂν ἀποστῇ τῆς παρανόμου καὶ ἀθεμίτου πράξεως· μετὰ δὲ τὸ ἐλθεῖν εἰς συναίσθησιν τῆς φοβερᾶς ἁμαρτίας, τριετίαν προσκλαιέτω, τῇ θύρᾳ τῶν εὐκτηρίων οἴκων παρεστηκὼς, καὶ δεόμενος τοῦ λαοῦ εἰσιόντος ἐπὶ τὴν προσευχὴν, ὥστε ἕκαστον μετὰ συμπαθείας ὑπὲρ αὐτοῦ ἐκτενεῖς ποιεῖσθαι πρὸς κύριον τὰς δεήσεις· μετὰ δὲ τοῦτο ἄλλην τριετίαν εἰς ἀκρόασιν μόνην παραδεχθήτω, καὶ ἀκούων τῆς γραφῆς καὶ τῆς διδασκαλίας ἐκβαλλέσθω, καὶ μὴ καταξιούσθω προσευχῆς· ἔπειτα εἴπερ μετὰ δακρύων ἐξεζήτησεν αὐτὴν, καὶ προσέπεσε τῷ κυρίῳ μετὰ συντριμμοῦ καρδίας καὶ ταπεινώσεως ἰσχυρᾶς, διδόσθω αὐτῷ ὑπόπτωσις ἐν ἄλλοις τρισὶν ἔτεσι· καὶ οὕτως ἐπειδὰν τοὺς καρποὺς τῆς μετανοίας ἀξίους ἐπιδείξηται, τῷ δεκάτῳ ἔτει εἰς τὴν τῶν πιστῶν εὐχὴν δεχθήτω, χωρὶς προσφορᾶς· καὶ δύο ἔτη συστὰς εἰς τὴν εὐχὴν τοῖς πιστοῖς, οὕτω λοιπὸν καταξιούσθω τῆς τοῦ ἀγαθοῦ κοινωνίας.* Qui cum propria ex patre vel ex matre sorore pollutus est, in domum orationis ne permittatur accedere: donec ab iniqua & nefaria actione desistat. Postquam autem in horrendi peccati sensum & animaduersionem venerit, triennio defleat, stans propter fores domus oratoriæ, & rogans populum ingredientem ad orationem, vt vnusquisque pro ipso misericorditer ad dominum intensas fundat preces. Postea autem alio triennio ad solam *auditionem* admittatur, & scripturam ac doctrinam *audiens* eiiciatur, & nec oratione dignus habeatur. Deinde si quidem illam cum lacrimis exquisiuit, & domino cum cordis contritione, & valida humiliatione supplex procidit: detur ei substratio in aliis tribus annis. Et sic postquam pœnitentiæ fructus dignas ostenderit, decimo anno in fidelium orationes suscipiatur sine oblatione: & cum duobus annis vna cum fidelibus ad orationem substiterit, sic deinceps dignus habeatur boni communione.

(k) Gregor. Nyssen. epist. ad Letoium c. V. (tom. II. opp. p. 120. edit. Paris. MDCXXXVIII.) *Τρισεννέα γάρ εἰσιν ἐνιαυτοὶ, καθ' ἕκαστον βαθμὸν τῆς ἐνναδικῶν ἐτῶν ὁρισθείσης, ὥστε ἐν μὲν τῷ παντελεῖ ἀφορισμῷ ἐνναετῆ χρόνον διαγενέσθαι ἀπειργόμενον τῆς ἐκκλησίας· ἄλλα δὲ τοσαῦτα ἔτη ἐν τῇ ἀκροάσει παραμεῖναι, μόνης τῶν διδασκάλων καὶ τῆς τῶν γραφῶν ἀκροάσεως, καὶ*

§. IV.

§. IV.

*Nec non pro* iudæis, *gentilibus*, *hæreticis & ſchiſmaticis.*

Hvc etiam *iudæis*, gentilibus, hæreticis ac ſchiſmaticis nonnumquam veniendi data fuit copia, vt ſcripturarum lectioni & ſermonum recitationi intereſſent, quia hæc cultus diuini pars ad ædificationem ac inſtitutionem ipſorum faciebat. Concilium quidem *Laodicenum* [*l*] hæreticis in eccleſiam venire interdicit. In *Africa* autem aliisque locis permiſſum erat. Nam in concilio *Carthaginenſi* quarto [*m*] canon hanc in rem expreſſis verbis legitur: *Vt epiſcopus nullum prohibeat ingredi eccleſiam & audire verbum Dei, ſiue gentilem, ſiue hæreticum, ſiue iudæum, vſque ad miſſam catechumenorum.* Præterea e diuerſis CHRYSOSTOMI pariter ac AVGVSTINI homiliis, hanc communem & vulgatam praxin fuiſſe, conſtat. Aequum igitur eſt ſtatuere, hos omnes ſtationem ſuam habuiſſe in viliore eccleſiæ parte, quæ *narthex* dicta fuit, vel quocumque alio nomine ea venit.

§. V.

*Hæc pars eccleſiæ non locus baptiſterii, vt in præſentibus noſtris eccleſiis.*

Beveregivs & alii quidam heic baptiſterium videntur collocare, vti in præſentibus noſtris eccleſiis. Verum nihil certius eſt, quam quod per plura ſæcula baptiſterium locus ab eccleſiæ corpore diſtinctus, & *exedris*, ſiue locis eccleſiæ contiguis, adnumeratus fuerit. Quam ob cauſſam plura heic de eo dicere prætermittimus, in vltima huius libri parte, quum ad *exedras* eccleſiæ deuenerimus, cumulatius id facturi.

§. VI.

*Cur vocata ſit* narthex, *& de diuerſis* narthecum *generibus in compluribus eccleſiis.*

μετὰ τῆς τȣ͂ λαȣ͂ συςάσεως ἀξιȣ́μενον κ. τ. λ. Ter nouem ſunt anni, nouenario annorum numero in vnoquoque gradu præfinito, vt in perfecta quidem ſegregatione nouem annorum tempore verſetur ab eccleſia prohibitus; alios autem tot annos *in auditione permaneat*, *ſola doctorum & ſcripturarum auditione* & conuerſatione cum populo *dignus habitus* cetera.

(*l*) Conc. Laodic. can. VI. (tom. I. conc. p. 1497.) Περὶ τȣ͂, μὴ συγχωρεῖν τοῖς αἱρετικοῖς εἰσιέναι εἰς τὸν οἶκον τȣ͂ Θεȣ͂, ἐπιμένοντες τῇ αἱρέσει. Non oportere permitti hæreticis, vt in domum domini ingrediantur, ſi in hæreſi permaneant.

(*m*) Conc. Carth. IV. c. LXXXIV. (tom. II. p. 1206.)

Si quæras, cur iſthæc eccleſiæ pars *narthex* vocata ſit, reſpondeo, ideo quod figura illius ſimilis eſſe credebatur *ferulæ*, quod nomen *latinum* eius eſt. Nam figura quæuis oblonga, ſiue dromica, vt *Græci* vocant, *narthex* ipſis dicebatur, quemadmodum SVICERVS & DVFRESNIVS e THEODOSIO ZYGOMALA [*n*] obſeruarunt. Atque hinc hæc pars eccleſiæ, quum eſſet longa quidem ſed anguſta, e tranſuerſo frontis eccleſiæ, *narthex* ſeu *ferula* ex hac ratione appellabatur. Et porro notandum eſt, quasdam eccleſias tres quatuorue habuiſſe *nartheces*, ſed hoſce extra parietes. Porticus enim talium eccleſiarum, qualis erat *ſancta Sophiæ*, quæ ad earum latera ſeptemtrionale, occidentale & auſtrale exſtructæ erant, *nartheces* vocabantur, quemadmodum e PROCOPIO, PAVLO SILENTIARIO & concilio generali ſexto demonſtrat DVFRESNIVS [*o*], quod hæc longa & anguſta eſſent ædificia, & figuram referrent narthecis. Et eiusmodi eccleſias non alios nartheces intra parietes habuiſſe exiſtimat, ſed hoſce nartheces propriam & congruentem pœnitentibus & aliis, quibus in nauem eccleſiæ ingredi haud licuerit, præbuiſſe ſtationem: In eccleſiis autem, contiguas ſibi

(*n*) Zygomal. ap. Cruc. Turco-græc. Νάρθηξ τὸ ἔξω τοῦ ναοῦ δρομικὸν δίκην νάρθηκος. οὗτος ναρθηκοφόρος, ὁ ῥάβδον φέρων ἐκ νάρθηκος· πᾶν δρομικὸν νάρθηξ λέγεται. Narthex extra templum dromicum inſtar narthecis. Sic narthecophorus, qui baculum geſtat e narthece. *Omne dromicum narthex dicitur.*

(*o*) Du Freſn. com. in Paul. Silentiar. p. 535. Quatuor in æde Sophiana nartheces ſtatuit Codinus: ἀπὸ τοῦ βήματος μέχρι τῶν τεσσάρων ναρθήκων, vt & Anonymus: καὶ τῶν τεσσάρων ναρθήκων κατεχρύσωσε τὰ ὀροφὰ ἐξ ὑελίου χρυσοῦ λαμπρότατα. Sed iure addubitari poteſt, an hoc loco quatuor aliquas porticus exteriores innuerit, binas ſcilicet ad occidentem & duas alias ad ſeptemtrionem & meridiem. Quod quidem indicare videtur idem Anonymus, ſcribens Iuſtinianum ſtatuiſſe (an vere, alii viderint) vt, quiſquis pro delictorum modo arceretur a ſacris, in his quatuor narthecibus ſtaret: quo quidem loco φίνας nartheces vocat, incomperta mihi ratione, niſi forte quod ad templi fines haberentur porticus iſtæ exteriores. Certe tertium narthecem eiusdem ædis Sophianæ obſeruare eſt in ſexta ſynodo Act. XVIII. vbi δικύμβαλον ἐν τρίτῳ νάρθηκι μεγάλης ἐκκλησίας ſtatuitur, nullo alio indicio: qui quidem tertius narthex prima forte fronte fuerit e tribus porticibus, quas ad occidentem in æde Sophianæ ſtitiſſe ſcribit Paulus Silentiarius, quæque ἐξώπυλος νάρθηξ videtur nuncupari apud eumdem Anonymum p. 248. Nam auctor eſt Goarus, etiamnum græcis ἐξωνάρθηκας exteriores porticus, vt inte-

porti-

porticus non habentibus, narthecem viliorem ecclesiæ partem intra muros fuisse, qui ita factus fuerit, vt vsui porticuum in aliis ecclesiis responderet. Atque hæc vera huius rei ratio & vnica diuersas auctorum de antiquo *narthece* ecclesiæ narrationes inter se conciliandi via esse videtur.

# *LIBRI OCTAVI*

## *CAPVT QVINTVM*

## DE NAO, SEV NAVE ECCLESIAE, EIVSQVE PARTIBVS AC VSIBVS.

### §. I.

### *De portis speciosis ac regiis: cur ita vocatæ.*

NARTHECEM ista ecclesiæ pars, quæ proprie *ναὸς*, *templum* & *nauis ecclesiæ* dicebatur, excipiebat. Hæc a *narthece* certis repagulis ligneis separata erat, quemadmodum reliqua loca omnia in ecclesia plerumque distinguebantur. Introitus in hanc e narthece per portas patebat, quas libri rituales recentiores & scriptores *Græci* *πύλας ὡραίας* ac *βασιλικὰς* *speciosas* & *regias* portas appellant; quæ ita per allusionem ad nomen *basilicæ* dictæ videntur, vt quæ regium Dei palatium, domum ac templum eius, denotent. Quamquam forte alia ratio huic appellationi inter recentiores *Græcos* adsignari potest, qui portam regiam vocarint, quod reges ipsorum coronam suam heic deponere solerent, antequam vlterius in ecclesiam progrederentur. Id quod LEO GRAMMATICVS in vita *Michaelis* [a] impera-

riores *ἱσωνάρθηκας* dici. Porro *δικύμβαλον* ni fallor, locus est constans duabus trullis, *κυμβαλικῶς*, seu in modum cymbali, quemadmodum fuit maior ædis trulla, exstructis. Ita *τρικύμβαλον τῦ τζυκανιστηρίυ* memorat alicubi Codinus in orig. In e igitur Allatius hæc verba de narthece infert: *Narthex vero extra ecclesiam forte an antiquis temporibus fuerit, non disputo.* Nam vt narthecces, quod ex prædictis satis patet, olim extra ecclesiam, seu potius extra ecclesiæ septa, fuere, etsi forte, vt pronai, sacri haberentur; ita vicissim pro certo haberi debet, posterioribus sæculis narthecem, eam ædis sacræ partem, quam hodie *nauim* vocamus, appellatam, vt patet ex Euchologio & ceteris græcorum ritualibus libris, & aliquot inferioris ætatis scriptoribus, quos laudat idem Allatius in dissertat. *de recentiorum græcorum templis* p. 110. & sequentibus.

(a) Leo grammatic. p. 456. (edit. Par. MDCLVII.) *Μετὰ δὲ τῶν βασιλικῶν πυλῶν*

toris animaduertit, vbi tamquam rem insolentem indecentemque in ipso obseruat, quod quum venerit ad portas regias, coronam haud deposuerit suam, quemadmodum reges facere consueuerint. Nonnulli itidem dies festi ex eadem ratione inter illos vocabantur ἑορταὶ θεοστεπταὶ, *dies coronati*, ideo quod imperatores regio induti habitu in magnam ecclesiam *sanctæ Sophiæ* his diebus, qui duodecim solemniores per annum erant, sese conferebant. Vt adeo tum isti dies tum illæ portæ a solemniore quadam cærimonia ab imperatoribus, quando per illas ingressi sunt, adhibita denominationem suam habere possint. Sed priorem istam rationem magis probabilem duco, & vix vllam huius fecissem mentionem, nisi ad vnam duasue consuetudines, quæ, dum eius memini, mihi succurrerunt, explanandas fecisset.

## §. II.

### *Nauis ecclesiæ plerumque in quadrum ædificata & nonnullis* oratorium laicorum *dicta.*

Haec ecclesiæ pars plerumque quadratum fuisse videtur ædificium in medio inter sanctuarium & narthecem; vti in epistola quadam *Theodosii* & *Valentiniani* sub finem concilii *Ephesini* [b], quæ codici etiam *Theodosiano* [c] inserta est, descriptum

ἐλθὼν ὁ βασιλεὺς, οὐκ ἀπέθετο τὸ στέφος, καθὼς ἔθος ἐστὶ τοῖς βασιλεῦσι, ἀλλὰ μετ' αὐτοῦ εἰσῆλθεν μέχρι τῶν ἁγίων θυρῶν. Ad regias autem vsque portas progressus imperator, diadema, prout imperatores solent, non deposuit, sed ad sanctas vsque fores cum eo penetrauit.

(b) Concil. tom. III. p. 1236. c. Ἐπὶ γὰρ ἡμετέρων καιρῶν οὐ μόνον τὰ θεῖα θυσιαστήρια, καὶ τὸ εὐκτήριον τοῦ λαοῦ τὸ τετράγωνον τοίχων περιβολῇ τειχιζόμενον, εἰς ἀσφάλειαν συντελεῖν τῶν προσφευγόντων θεσπίζομεν, ἀλλ' εἴ τι καὶ περαιτέρα τούτου τυγχάνει, ἄχρι τῶν τελευταίων θυρῶν τῆς ἐκκλησίας, ὧν τοῖς εὔξασθαι προῃρημένοις πρῶτον ἐμβαίνειν συμβαίνει, ἐλέου βωμὸν τοῖς προσφεύγουσιν εἶναι προστάττομεν. Nostris temporibus non solum *sacrosancta altaria* & *quadratum populi oratorium* murorum ambitu circumseptum, confugientium securitati conferre sancimus: *sed quidquid præterea inde est loci vsque ad ecclesiæ fores extremas*, per quas preces facturi primum ingrediuntur, hoc totum confugientibus misericordiæ aram esse definimus & constituimus.

(c) Cod. Theod. lib. IX, tit. XLV. de his qui ad ecclesiam confugiunt leg. IV. p. 306.

legimus,

legimus, vbi de ecclesiis tamquam locis perfugii loquentes in tres partes eas diuidunt, 1. *altare* seu *sanctuarium*, 2. *quadratum populi oratorium*, & 3. *quidquid præterea inde est loci vsque ad ecclesiæ fores extremas*. Iam vero vti his vltimis verbis *narthex* ante memoratus describitur, nomine licet suo haud appellatus, ita proxime antecedentibus verbis nauis, siue media pars ecclesiæ describitur, quæ *oratorium populi* vocabatur, quod populus præcipue hunc locum occuparet, habens ibi pro diuersa ætatis, sexus, honoris, dignitatis ac conditionis ratione stationes suas ac regiones peculiares, quod discrimen antiquitus in quibusdam, licet forte non in omnibus, ecclesiis obseruatum fuit.

## §. III.

*Cuius in parte viliore* substrati, *siue tertii ordinis pœnitentes consistebant.*

Heic enim omnium primi sub ipsum introitum per *portas regias*, in humiliore huius partis statione, post *ambonem* *ὑποπίπτοντες*, *substrati*, hoc est tertii ordinis pœnitentes, stabant, ita dicti a ritu prosternendi se ad pedes episcopi vel sacerdotis, simulac sermo esset finitus, vt ab eo impositis sibi manibus benedictionem reciperent, istarumque precum participes redderentur, quas congregatio pro ipsis specialiter ad Deum fundebat, quo facto statim ante sacræ communionis celebrationem abire iubebantur. Hoc genus pœnitentium in concilio *Nicæno* [*d*] memoratur, licet peculiaris locus eis non adsignetur. Ex TERTVLLIANO autem & SOZOMENO, stationem eos suam in hac ecclesiæ parte habuisse, colligere possumus. TERTVLLIANVS [*e*] enim de *Romana* loquens disciplina ad *Zephyrinum* papam dicit: *Tu quidem pœnitentiam mœchi, ad exorandam fraternitatem in ecclesiam inducens, conciliciatum & concineratum, cum dedecore & horrore compositum, PROSTERNIS IN MEDIVM ante viduas; ante presbyteros omnium lacinias inuadentem, omnium vestigia lambentem, omnium genua detinentem*, cetera. Hanc pœnitentium stationem,

(*d*) Concil. Nic. can. XI. (tom. II. conc. p. 34.) Ὅσοι οὖν γνησίως μεταμέλονται, τρία ἔτη ἐν ἀκροωμένοις ποιήσουσιν οἱ πιστοὶ, καὶ ἑπτὰ ἔτη ὑποπεσοῦνται. Quicumque germane & vere pœnitentia ducuntur, tres annos inter auditores exigent vt fideles, & septem annis *prosternentur supplices*.

(*e*) Tertull. de pudicit. c. XIII.

onem, a ſic dictorum *lugentium* ſtatione diuerſam fuiſſe, oportet; horum enim ſtatio, (vti vidimus ſupra) extra fores eccleſiæ erat, iſtorum autem ante viduas & presbyteros in media eccleſia. Atque hoc modo SOZOMENVS [*f*] rem plane repræſentat, quando *Illic*, inquit, *in propatulo eſt pœnitentium locus: in quo illi ſtant mœſti, ac veluti lugentes. Peractisque iam miſſarum ſolemnibus excluſi a communione ſacrorum, quæ initiatis præberi mos eſt, cum gemitu ac lamentis pronos ſe in terram abiiciunt. Tum epiſcopus cum lacrimis ex aduerſo occurrens, pariter ipſe humi prouoluitur: & vniuerſa eccleſiæ multitudo ſimul confitens, lacrimis perfunditur. Poſthæc vero primus exſurgit epiſcopus, ac proſtratos erigit: factaque, vt decet, precatione pro peccatoribus pœnitentiam agentibus, eos dimittit.* Hæc exercitia in eccleſia, non ante fores eccleſiæ, peragenda erant. Et idcirco hæc pœnitentium claſſis non ſine ratione ab omnibus hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſcriptoribus intra portas regias, poſt ambonem eccleſiæ, collocatur.

§. IV.

*Et* ambo *ſiue* pulpitum *poſitum.*

*AMBO* ſiue *pulpitum* locus erat lectoribus & cantoribus clericisque in prima cultus publici parte, *miſſa catechumenorum* dicta, miniſtrantibus adſignatus. Nomen habebat, non vti WALAFRIDVS STRABO ſibi perſuaſit, ab *ambiendo*, quod, qui in eo ſint, ambiat; ſed ab ἀναβαίνειν, ab *adſcendendo*, quia locus erat editus, ad quem per gradus adſcendebatur. Nomen enim primitiuum eſt ἄμβων, quod, quemadmodum recte obſeruarunt VALESIVS & HABERTVS, in antiquis *græcis* ſcriptoribus, AESCHYLO & EVSTATHIO, accliuitates & faſtigia montium ſignificat, & hinc factum eſt, vt hunc locum editiorem in eccleſia denotet. SOZOMENVS [*g*] nomen βήματος ex eadem

(*f*) Sozom. lib. VII. c. XVI. Ἐνθάδε γὰρ ἔκδηλός ἐστιν ὁ τόπος τῶν ἐν μετανοίᾳ ὄντων· ἑστᾶσι δὲ κατηφεῖς, καὶ οἱονεὶ πενθοῦντες. ἤδη δὲ πληρωθείσης τῆς τοῦ θεοῦ λειτουργίας, μὴ μετασχόντες ὧν μύσταις θέμις, σὺν οἰμωγῇ καὶ ὀδυρμῷ πρηνεῖς ἐπὶ γῆς ῥιπτοῦσι σφᾶς· ἀντιπρόσωπος δὲ δεδακρυμένος ὁ ἐπίσκοπος προσδραμὼν, ὁμοίως ἐπὶ τοῦ ἐδάφους πίπτει· σὺν ὀλολυγῇ καὶ τὸ πᾶν τῆς ἐκκλησίας πλῆθος δακρύων ἐμπιπλᾶται.

(*g*) Sozom. lib. VIII. c. V. Μέσον ἑαυτὸν πᾶσι παρέχων ἐπὶ τοῦ βήματος τῶν ἀναγνωστῶν καθεζόμενος ἐδίδασκεν. Ipſe in medio omnium conſiſtens, *ex lectorum ſuggeſtu* populum ſedens docuit.

ratione

ratione ei tribuit. Vt autem ab altero *bemate*, quod erat sanctuarium seu altare, distinguat, βῆμα γνωςῶν, *bema lectorum* vocat, quum alterum illud *bema* magis proprie episcoporum esset ac presbyterorum. Apud CYPRIANVM *pulpitum* dicitur & *tribunal ecclesiæ*, eiusque vsus etiam ita ab ipso explanatur, vt sit mensa lectorum. Heic enim lectores stabant legentes euangelia & epistolas, vt ex iis discimus, quæ de *Celerino* & *Aurelio*, duobus notissimis confessoribus, narrat, quos [h] lectores ordinarat, vt, qui euangelium *CHRISTI* coram tortoribus erant confessi, id etiam de pulpito seu tribunali ecclesiæ lectitarent. Hic locus etiam erat, vbi stabant cantores, quomodo e canone concilii *Laodiceni* [i] manifestum est, qui dicit, *non oportere præter canonicos cantores, qui* ἄμβωνα, *suggestum, adscendunt, & ex membrana legunt, aliquos alios canere in ecclesia.* Heic etiam diptycha legebantur, quemadmodum ex noto quodam loco concilii *Constantinopolitani* sub *Menna* [k] apparet, vbi populus exclamabat: τὰ δίπτυχα τῷ ἄμβωνι. *Dipthycha amboni imponantur.* BONA cardinalis [l] heic episcopos quoque & presbyte-

Id. lib. IX. c. II. Καὶ ἀναλογιζόμενος ἐκ τῆς πύλης παρακειμένης λεωφόρου, εἰκάζω αὐτὴν κεῖσθαι περὶ τὸν ἄμβωνα· βῆμα δὲ τοῦτο τῶν ἀναγνωςῶν. Memini enim adesse me, tunc quum vxor Cæsarii sepeliretur, & ex adiacente via publica iudicans, coniicio illam iacere *circa ambonem, quod est pulpitum lectorum.*

(h) Cyprian. ep. XXXIII. edit Pamel. (ep. XXXVIII. edit. Fell.) Interim placuit, vt ab officio lectoris incipiat (Aurelius) quia & nihil magis congruit voci, quæ dominum gloriosa prædicatione confessa est, quam celebrandis diuinis lectionibus personare: post verba sublimia, quæ Christi martyrium prolocuta sunt, euangelium Christi legere, vnde martyres fiunt: *ad pulpitum post catastam venire.*
Id. ep. XXXIV. (al. XXXIX.) Hunc ad nos, fratres dilectissimi, cum tanta domini dignatione venientem, testimonio & miraculo eius ipsius, qui persecutus fuerat, illustrem, quid aliud quam super pulpitum, id est, *super tribunal ecclesiæ* oportebat imponi, vt loci altioris celsitate subnixus & plebi vniuersæ pro honoris sui caritate conspicuus, legat præcepta & euangelium domini, quæ fortiter ac fideliter sequitur?

(i) Conc. Laodic. c. XV. (tom. I. conc. p. 1500.) περὶ τοῦ, μὴ δεῖν πλέον τῶν κανονικῶν ψαλτῶν τῶν ἐπὶ τὸν ἄμβωνα ἀναβαινόντων, καὶ ἀπὸ διφθέρας ψαλλόντων, ἑτέρους τινὰς ψάλλειν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ.

(k) Conc. Constantin. V. sub Menna act. V. (tom. V. concil. p. 184. a.)

(l) Bona rer. liturgic. lib. II. c. VI. n. III. Solebant antiquitus tam episto-

ros fermones fuos ad populum habuiffe exiftimat. In quam fententiam PRVDENTIVM [m] citat & SIDONIVM APOLLINAREM [n], quorum ex verbis porro concludit, quod *ambo* nonnumquam *ara* dictus fuerit. Verum hæc obferuatio errore quodam fundata videtur. Epifcopi enim olim non ex ambone feu pulpito, fed in gradibus altaris concionabantur, quemadmodum hunc morem *Childeberti* regis tempore in *Gallia* adhuc viguiffe, oftendit VALESIVS [o]. Et propterea SOCRATES [p] & SOZOMENVS [pp] tamquam fingulare quidpiam in CHRYSOSTOMO notare videntur, quod verba facturus adfcendere in ambonem confueuerit; fed hoc eum feciffe dicit SOCRATES, quo facilius ab omnibus exaudiretur. Non igitur hinc poffumus concludere, quod ambo ordinarius concionandi locus fuerit, fed potius altare; & fi de epifcoporum concionibus in gradibus aræ habitis legimus, de altari potius quam de ambone intelligendum hoc eft. Sed vero in *Africa* AVGVSTINVS fermones fuos ad populum ex ambone videtur habuiffe, quem locum ille interdum exedram [q], aliquando etiam apfi-

læ quam euangelium legi in *ambone* feu *pulpito*, ex quo etiam epifcopus conciones habebat.

(m) Prud. hymn. de Hippolit.

*Fronte fub aduerfa gradibus fublime tribunal*
*Tollitur, antiftes prædicat vnde Deum.*

(n) Sidon. carm. XVI. ad Fauftum:

*Seu te confpicuis gradibus venerabilis aræ*
*Concionaturum plebs fedula circumfiftit.*

(o) Valef. in Socrat. lib. VI. c. V. Ex hoc loco *Socratis* apparet, epifcopos olim folitos non effe ex ambone feu pulpito concionem ad populum habere. Id enim tamquam fingulare quidpiam in Chryfoftomo notat Socrates, quod verba facturus confcendere in ambonem confueuiffet, vt a populo facilius exaudiretur. Vt plurimum autem epifcopi in gradibus altaris concionabantur. Id docet Childeberti regis conftitutio, quam Sirmondus retulit in tomo primo conciliorum Galliæ p. 300. fed mutilam.

(p) Socrat. lib. VI. c. V. Ὁ ἐπίσκοπος, τοῦ Εὐτροπίου ὑπὸ τὸ θυσιαστήριον κειμένου, καὶ ἐκπεπληγότος ὑπὸ τοῦ φόβου, καθισθεὶς ἐπὶ τοῦ ἄμβωνος, ὅθεν εἰώθει καὶ πρότερον ὁμιλεῖν χάριν τοῦ ἐξακούεσθαι. Epifcopus, dum Eutropius fub menfa altaris iaceret metu perculfus, fedens in ambone, vnde etiam antea concionari folebat, quo facilius ab omnibus exaudiretur, obiurgatoriam in eum habuit orationem.

(pp) Sozom. lib. VIII. c. V. vid. fub lit. anteced. (g).

(q) Auguft. de ciuit. Dei lib. XXII. c. VIII. In gradibus *exedræ*, in qua de fudem

dem [r] vocat, quod ideo adnotamus, quia hæc vocabula variam ſignificationem inter veteres habuerunt, dum modo ambonem, forte ab orbiculata eius figura, modo transuerſarias alas & exteriora ædificia eccleſiæ, denotarunt. Nonnulli *apſidem* pro *ambone* accipiunt in iſto concilii tertii *Carthaginenſis* canone, quo, qui publicum & vulgatiſſimum crimen, quod vniuerſa eccleſia nouerit, admiſiſſent, ante *apſidem* [s] pœnitentiam agere iubentur. Sed DV FRESNIVS, quemadmodum notauimus ſupra [ſſ], alio ſenſu id nominis accipit, pro veſtibulo eccleſiæ, neque ſemper facile eſt ad exacte definiendum, quid per illud intelligatur.

§. V.

*Et ſupra hunc ambonem communicantes & quarta claſſis pœnitentium, quos* conſiſtentes *vocabant, ſuum quiuque habebant locum.*

SED progredimur. In hac eccleſiæ parte omnes fideles, ſiue quicumque communionis eccleſiæ participes erant, loca ſibi adſignata habebant; & inter hos quarta pœnitentium claſſis, quos *conſiſtentes* vocabant, quia conſiſtere, & orationes eccleſiæ audire ipſis permiſſum erat, catechumenis aliisque pœnitentibus iam dimiſſis, nondum autem oblationem facere aut ſacrificii altaris participes eſſe poterant. Quo intuitu cum reliquo populo ſtare dicuntur & communicare, orationum tantum participes facti ſine oblatione, quemadmodum canones concilii *Nicæni* [t] & BASILII [u] id exprimunt. An ab aliis

periore loquebar loco, feci ſtare ambos fratres, quum eorum legeretur libellus.

(r) Aug. ep. CCXXV. Honoratiores & grauiores in *apſidem* adſcendentes, cum epiſcopo colloquuntur, cetera.
It. epiſt. CCIII. In futuro Chriſti iudicio nec *apſides* gradatæ, nec cathedræ velatæ, cetera.

(s) Conc. Carth. III. c. XXXII. (tom. II. conc. p. 1171.) Cuiuscumque pœnitentis publicum & vulgatiſſimum crimen eſt, quod vniuerſa eccleſia nouerit, *ante apſidem* manus ei imponatur.

(ſſ) Cap. IV. §. I. pag. 184.

(t) Conc. Nic. can. XI. (tom. II. conc. p. 33.) Δύο ἔτη χωρὶς προσφορᾶς κοινωνήσουσι τῷ λαῷ τῶν προσευχῶν. Duobus annis *ſine oblatione* erunt orationum cum populo participes.

(u) Baſil. epiſt. can. LVI. Ἐν δ' ἔτεσι συστήσεται μόνον τοῖς πιστοῖς, προσφορᾶς

 com-

communicantibus loco per se distincto separati fuerint, in nullo auctore, praeter ELIGIVM NOVIOMENSEM, qui circa annum DCXL. vixit, inuenio. Hic in homilia quadam sua [w] ad poenitentes ita eos adloquitur: *Cur in sinistra parte ecclesiae positi estis? Non sine caussa vsus ecclesiae hoc obtinuit, sed quia dominus in iudicio OVES, id est iustos, a DEXTRIS; HAEDOS vero, id est peccatores, a SINISTRIS ponet.* Sed vero quum hic sit recentior quidam scriptor, & viri docti [x] dubitent, an genuinus sit nec ne, nihil ex hoc loco, quod ad primitiuam huius consuetudinis ecclesiae originem spectat, definire possumus.

## §. VI.

### *Loca virorum & mulierum vtplurimum alia ab aliis separata.*

TANTVMMODO hoc ex probatis auctoribus certum est, viros & mulieres in hac ecclesiae parte antiquis temporibus distincta habuisse loca. *Constitutionum* auctor hac de re, tamquam consuetudine [y] suo tempore in ecclesia vsitata, loquitur, quando mulieres separatim sedere iubet; & idcirco partem officii diaconissarum facit, vt custodiant introitum mulierum in ecclesia. *Ianitores*, inquit [z], *stent ad introitus virorum, diaconissae*

δὲ ȣ̓ μεταλήψεται· πληρωθέντων δὲ τȣ́των μεθέξει τῶν ἁγιασμάτων. In quatuor annis solum stabit cum fidelibus, sed non erit oblationis particeps. Iis autem expletis, erit sacramentorum particeps.

Concil. Ancyran. c. VIII. (tom. I. conc. p. 1460.) Οἱ δὲ δεύτερον καὶ τρίτον θύσαντες μετὰ βίας, τετραετίαν ὑποπεσέτωσαν, δύο δὲ ἔτη χωρὶς προσφορᾶς κοινωνησάτωσαν, καὶ τῷ ἑβδόμῳ τελείως δεχθήτωσαν. Qui bis vel ter sacrificarunt per vim, triennio substernantur, duobus autem annis sine oblatione communicent & septimo perfecte suscipiantur.

(w) Elig. hom. VIII. ad poenitent. (bibliothec. patr. tom. II. p. 99.)

(x) Albertin. de eucharist. lib. III. p. 906. Circa idem tempus viuebat Eligius Nouiomensis episcopus, sub cuius nomine editae sunt sexdecim homiliae, in quarum *octaua* dicitur: *Nos vere*, cetera. Et in decima quinta: *Sicut caro*, cetera. - - Verum non opus est de horum verborum sensu exactius inquirere. Duas enim illas homilias (vt de reliquis taceam) Eligii istius non esse, sed auctoris alicuius eo longe recentioris, ex ipsismet aperte liquet. cetera.

(y) Constit. apostol. lib. II. c. LVII. αἱ γυναῖκες κεχωρισμένως καὶ αὗται καθεζέσθωσαν. Sedeant mulieres separatim.

(z) Constit. apost. lib. II. c. LVII. οἱ μὲν πυλωροὶ εἰς τὰς εἰσόδȣς τῶν ἀρρένων, φυλάσσοντες αὐτάς, αἱ δὲ διάκονοι εἰς τὰς τῶν γυναικῶν.

nissae

*nissæ vero ad mulierum, custodiendi caussa.* CYRILLVS huius distinctionis, tamquam in sua ipsius ecclesia *Hierosolymis* vsitatæ, mentionem quoque facit, [*a*] *Separatio*, inquiens, *fiat, viri vt sint cum viris, mulieres cum mulieribus.* Idem AVGVSTINVS indicat, quod sexus quisque [*b*] distinctum in ecclesia locum habuerit: speciatim partis feminarum, vt distinctæ in baptisterio [*c*] ecclesiæ, meminit. PAVLINVS [*d*] eiusdem partis feminarum in vita AMBROSII mentionem iniicit, narrans, quemadmodum *Ambrosium*, quum in tribunali aliquando constitutus esset, *Ariana* quædam femina tribunal conscendens apprehenso vestimento eius, attrahere voluerit ad *partem mulierum*, vt ab ipsis cæsus de ecclesia pelleretur. Hæc distinctio ita generatim tempore CONSTANTINI obseruabatur, vt SOCRATES [*e*] matrem ipsius *Helenam* disciplinæ ecclesiæ hoc respectu semper se submisisse & in parte mulierum vna cum ceteris Deum orasse, dicat. Atque hæc distinctio, vt plurimum ligneis parietibus facta erat, vt auctor est CHRYSOSTOMVS, qui hæc notatu digna verba de

Id. Lib. VIII. c. XX. Ὁ ἐν τῇ σκηνῇ τοῦ μαρτυρίου καὶ ἐν τῷ ναῷ προχειρισάμενος τὰς φρουρὰς τῶν ἁγίων σου πυλῶν, Qui in tabernaculo testimonii & in templo custodes feminas ianuis tuis sanctis præfecisti.

(*a*) Cyrill. præfat. in catech. n. VIII. διεστάλθω τὰ πράγματα, ἄνδρες μετὰ ἀνδρῶν, καὶ γυναῖκες μετὰ γυναικῶν.

(*b*) August. de ciuit. Dei lib. II. c. XXVIII. Populi confluunt ad ecclesias casta celebritate, *honesta vtriusque sexus discretione.*

(*c*) Aug. ibid. lib. XXII. c. VIII. Admonetur in somnio Innocentia, appropinquante pascha, vt *in parte feminarum* obseruanti ad baptisterium, quæcumque illi baptizata primitus occurrisset, eumdem locum signo Christi signaret.

(*d*) Paulin. vit. Ambros. p. 5. (p. 39. e. edit. Colon. MDCXVI.) Sirmium quum ad ordinandum episcopum Anemium perrexisset, ibique Iustinæ tunc temporis reginæ potentia & multitudine coadunata de ecclesia pelleretur, vt non ab ipso, sed ab hæreticis Arianis episcopus in eadem ecclesia ordinaretur, essetque constitutus in tribunali, nihil curans eorum, quæ a muliere excitabantur, vna de virginibus Arianorum impudentior ceteris, tribunal conscendens, apprehenso vestimento sacerdotis, quum illum attrahere vellet ad *partem mulierum*, vt ab ipsis cæsus de ecclesia pelleretur, ait ei: etsi ego indignus tanto sacerdotio sum, tamen te non conuenit vel professionem tuam, in qualemcumque sacerdotem manus iniicere, vnde debes vereri Dei iudicium, ne tibi aliquid mali eueniat.

(*e*) Socrat. lib. I. c. XVII. οὕτω δὲ εἶχεν εὐλαβῶς περὶ ταῦτα, ὡς καὶ συνεύχεσθαι ἐν τῷ τῶν γυναικῶν τάγματι.

huius consuetudinis origine habet: *Oportebat quidem nos*, inquit, *interiore pariete*, (parietem cordis intelligit) [*f*] *a mulieribus disseparari: verum quoniam non vultis, necessarium esse patres nostri putauerunt, saltem his ligneis parietibus vos disseparare. Audiui autem ego a senioribus, non fuisse hos parietes ab initio. In CHRISTO enim IESV non est mas neque femina. Apostolorum etiam tempore vna viri & mulieres orabant: & mulieres veræ mulieres & viri similiter viri erant. Nunc vero e contrario, mulieres quidem meretricum sibi mores adsumserunt; viri autem furorem equorum imitantur. An non audistis, viros ac mulieres in cœnaculo congregatos fuisse & cælo conuentum illum dignum fuisse?* EVSEBIVS [*g*] tamen hanc distinctionem ad *Philonis Iudæi* & *Marci* ætatem refert, & viri quidam docti eam ex ecclesia *iudaica* in christianam non multo post apostolorum tempora inuectam esse, existimant. Nonnulli paullo curiosius agunt, quando hanc mulierum partem omnino ad septentrionale ecclesiæ latus referunt. Licet enim hæc consuetudo ecclesiarum occidentalium in sæculis posterioribus fuerit, quando AMALARIVS FORTVNATVS & RADVLPHVS TVNGRENSIS, atque auctores *Micrologi* & *ordinis Romani* vixerunt, quos in hanc sententiam DVRANTVS [*h*] citat, antiquitus tamen in multis

(*f*) Chrysost. hom. LXXIV. in Matth. (tom. I. p. 7[illegible]3. sub fin. edit. Francof.) Ἐχρῆν μὲν οὖν ἔνδον ἔχειν τὸ τεῖχος τὸ διεῖργον ὑμᾶς τῶν γυναικῶν· ἐπειδὴ δὲ οὐ βούλεσθε, ἀναγκαῖον ἐνόμισαν εἶναι οἱ πατέρες, κἂν ταῖς σανίσιν ὑμᾶς ταύταις διατειχίσαι, ὡς ἔγωγε ἀκούω τῶν πρεσβυτέρων, ὅτι τὸ παλαιὸν οὐδὲ ταῦτα ἦν τὰ τειχεῖα· ἐν γὰρ Χριστῷ Ἰησοῦ οὐκ ἔνι ἄρσεν ἢ θῆλυ· καὶ ἐπὶ τῶν ἀποστόλων δὲ ὁμοῦ καὶ ἄνδρες, καὶ γυναῖκες ἦσαν· καὶ γὰρ οἱ ἄνδρες ἄνδρες ἦσαν καὶ αἱ γυναῖκες, γυναῖκες· νῦν δὲ πᾶν τοὐναντίον, αἱ μὲν γυναῖκες εἰς τὰ τῶν ἑταιρίδων ἑαυτὰς ἐξώθησαν ἤθη, οἱ δὲ ἄνδρες ἵππων μαινομένων οὐδὲν ἄμεινον διάκεινται· οὐκ ἠκούσατε, ὅτι ἦσαν συνηγμένοι ἄνδρες καὶ γυναῖκες ἐν τῷ ὑπερῴῳ, καὶ τῶν οὐρανῶν ἐκεῖνος ὁ σύλλογος ἄξιος ἦν.

(*g*) Euseb. lib. II. c. XVII. (p. 45. c. edit. Amstelod. MDCXCV.) Τί δεῖ τούτοις ἐπιλέγειν τὰς ἐπὶ ταυτὸν συνόδους, καὶ ἰδίᾳ μὲν ἀνδρῶν, ἰδίᾳ δὲ γυναικῶν ἐν ταυτῷ διατριβὰς, καὶ τὰς ἐξ ἔτους εἰσέτι καὶ νῦν πρὸς ἡμῶν ἐπιτελουμένας ἀσκήσεις. Quid præterea heic attinet commemorare *cætus* & *virorum ac mulierum seorsum degentium* studia atque exercitationes, quæ apud nos etiamnum in vsu sunt.

(*h*) Durant. de ritib. eccles. lib. I. c. XVIII. Separantur viri & feminæ in ecclesia, ait Amalar. Fortunat. non solum ab osculo carnali, sed etiam situ locali. & *eod. lib. cap. 2.* Masculi stant in australi parte & feminæ in boreali, vt ostendatur per fortiorem sexum firmiores sanctos constitui, in maioribus tenta-

eccle-

ecclesiis *græcis* rem aliter se habuisse, in propatulo est. Neque ista monumenti descriptio, quam nonnulli ex *Roma subterranea* producunt, contrarium demonstrat, quæ de hominibus [*i*] in *sinistra parte virorum* sepultis loquitur. Nam vt in istius inscriptionis antiquitatem non inquiramus, nihil amplius ea probat, quam quod viri ad sinistrum latus in ecclesiis *Romanis* sederint: quod nihil impedit, quo minus mulieres ad idem latus loca sua habuerint, si eadem consuetudo *Romæ* obtinuit, atque *Constantinopoli* in aliisque *græcis* ecclesiis, secundum quam viri infra, mulieres autem in porticibus siue cœnaculis supra illos ad sinistrum, si non etiam ad dextrum ecclesiæ latus, sedebant. Ita enim GREGORIVS NAZIANZENVS [*k*] templum *Anastasiæ* describit, vt viros ad cancellos altaris constitisse; virgines vero & matronas de solariis supra illos auscultasse, dicat. Atque ita in æde *Sophiana* aliisque ecclesiis *Græcis* pluribus fuit.

---

tionibus æstus huius mundi. Ordo Romanus *de offic. missæ*. Ipse vero diaconus stat versus meridiem, ad quam partem viri solent confluere. Plenius Micrologus *de eccles.* obseruat. c. 9. & Radulph. Tungrens. *de canon. obseruant. proposit.* 23.

(*i*) Arringh. Roma subterran. lib. II. c. X. n. XXIII. (p. 204. edit. Paris. MDCLIX):
AD SANCTVM PETRVM APOSTOLVM ANTE REGIA
IN PORTICV COLVMNA SECVNDA QVOMODO INTRAMVS
SINISTRA PARTE VIRORVM
LVCELLVS ET IANVARIA HONESTA FEMINA.

(*k*) Naziantz. somn. de templo Anastas. (tom. II. p. 78.)

Λαοὶ δ᾽ οἱ μὲν ἔχοντο περισταδὸν, ὥστε μέλισσαι
Σιγαλίδος· ἦν γὰρ ἀγὼν ἀσσοτέρω πελάσαι·
Οἱ δ᾽ ἱεροῖς προθύροισι περιστείνοντο ῥέοντες,
Οὔασιν ἠδὲ ποσὶν ἶσον ἐπειγόμενοι·
Ἄλλους δ᾽ αὖτ᾽ ἀγοραί τε πολυσχιδέες θ᾽ ἅμ᾽ ἀγυιαὶ,
Ποσσὶ κροαινόμεναι, πέμπον ἐμοῖσι λόγοις·
Αἱ δ᾽ ἄρ᾽ ἀφ᾽ ὑψηλῶν τεγέων εὔκοσμον ἀκουὴν.
ἁγναὶ παρθενικαὶ κλῖνον ἅμ᾽ ἐσθλογάμοις.

Plebs vero propius cupiens accedere, partim
Circa suggestum fusa erat instar apum:
Pars sese veniens ad limina sacra premebat,
Auribus approperans, approperansque pede.
Multifidique vrbis vici, foraque omnia, rursum
Mittebant alios ad mea dicta greges.
Denique virginei cœtus, matronæ & honestæ,
E tectis aures ad mea verba dabant.

§. VII.

## §. VII.

### *Cur hæc mulierum loca dicta sint κατηχέμενα & ὑπερῷα.*

QVAM ob caussam hæc loca mulierum ab istis *græcis* scriptoribus, qui de illis loquuntur, nuncupantur ὑπερῷα, *solaria*, siue *porticus superiores*, vti ab EVAGRIO [*l*] templum *sanctæ Sophiæ* describente, cumprimis autem a PAVLO SILENTIARIO [*m*], qui ea disertis verbis θηλυτέρων ὑπερώϊα *superiores feminarum porticus* vocat. Dicebantur etiam κατηχέμενα, quemadmodum ex edicto quodam *Leonis* [*n*] imperatoris patet, qui hæc ὑπερῷα & κατηχέμενα rem vnam eamdemque interpretatur. SVICERVS [*o*], HOSPINIANVS, & alii quidam viri docti hæc falso pro iis locis accipiunt, in quibus steterunt catechumeni, & vbi tabulæ quoque catecheticæ adseruari consueuerunt: at DV FRESNIVS [*p*] verius obseruat, ita fuisse dicta, *quod diuinos, qui a sacerdotibus & cantoribus concinebantur, hymnos ibi auditu exciperent mulieres.* In harum porticuum superiorum vna imperatrix consistere solebat, vti ex EVAGRIO obseruat DV FRESNIVS [*pp*].

(*l*) Euagr. histor. lib. IV. c. XXXI. Ὑπερῷά τε μετεωρίζουσιν ἑτέροις παραπλησίοις κίοσι, προκύπτειν τοῖς βουλομένοις διδόντες εἰς τὰ τελούμενα· ὅθεν καὶ ἡ βασιλὶς παροῦσα ταῖς ἑορταῖς τῇ ἱερουργίᾳ τῶν μυστηρίων ἐφίσταται. Et solaria sustinent, quæ aliis item similibus columnis suffulta, iis qui mysteria spectare voluerint, ex sublimi conspiciendi copiam faciunt. Et hoc etiam loco imperatrix diebus festis sacrorum mysteriorum solemnitati interesse solet.

(*m*) Paul. Silent. descript. S. Sophiæ part. I. v. 256.
Ἔνθα δὲ θηλυτέρων ὑπερώϊα καλὰ νοήσεις.

(*n*) Leo nouell. LXXIII. Ἐν τοῖς τῶν ἐκκλησιῶν ὑπερῴοις, ἅπερ ὁ πολὺς ἄνθρωπος κατηχέμενα καλεῖν ἔγνω, συνοικεῖν τινὰς γυναιξὶν, *In ecclesiarum cœnaculis*, quæ promiscuum vulgus κατηχέμενα vocare solet, quidam cum mulieribus habitant.

(*o*) Suicer. thesaur. eccles. voce κατηχέμενα

(*p*) Du Fresn. com. in Paul. Silent. p. 550. Porticus superiores feminis precantibus addictæ, vt plurimum *catechumeniorum* vel *catechumenorum* nomine donantur a scriptoribus: non quod in iis vmquam catechumeni constiterint, sed quod diuinos, qui a sacerdotibus & oratoribus concinebantur, hymnos ibi auditu exciperent mulieres: vnde & κατηχέμενα *loca Dei verbo officiisque ecclesiasticis audiendis superne exstructa*, recte viri docti interpretantur.

(*pp*) Du Fresn. ibid. p. 553. §. XL. In istarum aularum superiorum vna imperatrix consistere solebat, quum diuinis officiis intereerat. Id diserte tradit Euagrius

Et

Et hinc facile intelligi poteſt, quid PAVLVS DIACONVS [q] ſibi velit, quando ait: *Proceſſit & imperatrix Eirene, quum præceſſiſſent imperatores, ſceptris obſequentibus per ſcholas ante latis; & adſcendentibus per aneæ portæ adſcenſum in CATECHVMENIA eccleſiæ*, hoc eſt in locum, vbi mulieres ad audiendum conſidebant. In his catechumeniis ſynodi nonnumquam cogebantur, quemadmodum de concilio *Conſtantinopolitano*, *Ioannis Comneni* tempore ad an. MCLXV. celebrato, obſeruauit LEO ALLATIVS [r], quod *ἐν τοῖς δεξιοῖς κατηχουμένοις τοῦ ἁγίου Ἀλεξίου*, *in dextris catechumeniis ſancti Alexii* habitum ſit: Et nonnulla alia eodem loco habita [s] memorantur.

## §. VIII.

### *Priuatæ cellulæ ab harum tergo, meditationi, lectioni & orationi accommodatæ.*

INTERIORES harum porticuum partes nonnumquam diuiſæ erant in paruas cellas ſeu loca ſeceſſus, ad parietes eccleſiæ, & hoc non tantum in mulierum, ſed etiam virorum parte, quomodo colligi poteſt ex narratione, quam de iſtis facit PAVLINVS NOLANVS [t], qui eas *cubicula* vocat, locosque illis, qui lectioni vel meditationi vel priuatæ orationi vacare velint, ac-

vbi de columnis Theſſalicis, quæ ad Septemtrionem & meridiem, vtramque aream ſeptemtrionalem & meridianam ſuſtinebant: *ἐν δεξιᾷ δὲ κατὰ τὸ εὐώνυμον, κίονες αὐτοῖς περατετάχαται ἐκ Θετταλοῦ λίθου πεποιημένοι· ὑπερῷα δὲ μετεωρίζουσιν ἑτέροις κ. τ. λ.* vid. ſub lit. antec. (l).

(q) Paul. diacon. hiſtor. miſcell. lib. XXIII.

(r) Leo Allat. de conſenſ. eccleſ. lib. II. c. XI. p. 645. Μηνὶ μαΐῳ, Ἰνδικτιῶνος τρίτης, προκαθημένου τοῦ ἁγιωτάτου ἡμῶν δεσπότου καὶ οἰκουμενικοῦ πατριάρχου κυρίου Λέοντος ἐν τοῖς δεξιοῖς κατηχουμένοις τοῦ ἁγίου Ἀλεξίου, συνεδριαζόντων καὶ ἱερωτάτων ἀρχιερέων κ. τ. λ. Menſe maio, indictione tertia, præſidente ſanctiſſimo noſtro domino & œcumenico patriarcha domino Leone *in dextris catechumeniis ſancti Alexii*, adſidentibus & ſanctiſſimis præſulibus, cetera.

(s) Leo Allat. ibid. c. XII. p. 681. προκαθημένου τοῦ ἁγιωτάτου ἡμῶν δεσπότου καὶ οἰκουμενικοῦ πατριάρχου κυρίου Μιχαὴλ ἐν τοῖς δεξιοῖς κατηχουμένοις τοῦ ἁγίου Ἀλεξίου κ. τ. λ. Præſidente ſanctiſſimo domino noſtro & œcumenico patriarcha, domino Michaële, *in dextris catechumeniis* ſancti Alexii, cetera.

(t) Paulin. ep. XII. ad Seuer. Cubicula intra porticus quaterna longis baſilicæ lateribus inſerta ſecretis orantium, vel in lege domini meditantium, præterea memoriis religioſorum ac familiarium accommodatos ad pacis æternæ requiem locos præbent.

commodatos præbere dicit. Hæ cellæ ſpectabantur tamquam partes *catechumeniorum*, & nonnumquam in vſus profanos piorum vſuum loco adhibebantur. Nam quemadmodum e decretis concilii *Trullani* [u] & *Leonis* [w] imperatoris colligi licet, nonnulli eas, loco oratoriorum, hoſpitia efficiebant, & cum vxoribus ſuis ibi habitabant. Ad quem abuſum corrigendum in vtrisque hiſce decretis omnes iſtiusmodi homines catechumeniorum manſionibus extrudi iubentur.

## §. IX.

### *Locus virginum ac viduarum ab aliis diſtinctus.*

PORRO notandum eſt, non tantum viros & feminas diſtincta loca, ſed etiam virgines & viduas peculiarem ſibi adſignatam ſtationem habuiſſe. Id quod ex AMBROSII [x] ſermone *ad virginem lapſam* diſcimus. *Nonne*, inquit, *vel illum locum tabulis ſeparatum, in quo in eccleſia ſtabas, recordari debuiſti? Ad quem religioſæ matronæ & nobiles certatim currebant tua oſcula petentes, quæ ſanctiores & meliores te erant.* Hoc quoque ex auctore *conſtitutionum* [y] apparet, qui de ordine, quo quisque in eccleſia ſede-

(u) Conc. Trull. c. XCVII. (tom. VI. conc. p. 1183.) τοὺς ἢ γαμετῇ συνοικοῦντας ἢ ἄλλως ἀδιακρίτως τοὺς ἱεροὺς τόπους κοινοποιοῦντας, καὶ καταφρονητικῶς περὶ αὐτοὺς ἔχοντας, καὶ οὕτως ἐν αὐτοῖς καταμένοντας, καὶ ἐκ τῶν ἐν τοῖς σεβασμίοις ναοῖς κατηχουμένων ἐξωθεῖσθαι προστάσσομεν. Eos qui vel cum vxore cohabitant vel alioqui indiſcriminatim ſacra loca communia faciunt: & contemtim in eis adficiuntur, & ſic in eis permanent; etiam ex iis, quæ ſunt in venerabilibus templis, catechumenorum manſionibus extradi iubemus.

(w) Leo nouell. LXXIII. Πρᾶγμα κακῶς μὲν καὶ πρὸ τῶν κωλυόντων αὐτὸ δικαίων γινόμενον, χεῖρον δὲ μετὰ τὸ κωλυθῆναι τολμώμενον (φημὶ δὲ τὸ ἐν τοῖς τῶν ἐκκλησιῶν ὑπερῴοις, ἅπερ ὁ πολὺς ἄνθρωπος κατηχούμενα καλεῖν ἔγνω, συνοικεῖν τινὰς γυναιξὶν) οὐκ ἄξιον παριδεῖν· οὐκοῦν οὐδὲ παροφθήσεται ἡμῖν· - - ὁρίζομεν, μηδένα μηδαμῶς μήτε ἱερέα, μήτε τῶν ἐκ τοῦ λαοῦ γυναιξὶ συνοικοῦντα, ἐν τοῖς λεγομένοις κατηχουμένοις οἰκεῖν, εἰ δέ τις εὑρίσκοιτο τὸν ἅγιον οἶκον οὕτω κοινοποιῶν, τοῦτον μὲν βασιλείῳ χειρὶ ἀτίμως ἐκεῖθεν ἐξωθεῖσθαι. Quæ res etiam antequam iure prohibita eſſet, deteſtabiliter committebatur, ac vero poſt prohibitionem multo deteſtabilius audetur (quod nempe in eccleſiarum cœnaculis, quæ promiſcuum vulgus κατηχούμενα vocare ſolet, quidam cum mulieribus habitant) eam neglectim habere æquum non eſt, neque vero ita a nobis habebitur. - - Statuimus, vt omnino nullus neque ſacerdos, neque profanus in dictis cœnaculis cum mulieribus habitet: ac ſi quis ſacram ædem hoc modo fœdare deprehendatur, hic illinc ignominioſe principali manu exturbetur.

(x) Ambroſ. ad virgin. lapſam c. VI.

(y) Conſtit. apoſt. lib. II. c. LVII. ὡς γὰρ οἱ ποιμένες ἕκαστον τῶν ἀλόγων, αἰγῶν

re debeat, loquens virgines, viduas, & anus primas omnium locat, deinde nuptas & matresfamilias infra iſtas ſeorſim, tum liberos, filias cum matribus, & filios cum patribus ſuis, aut proxime poſt ipſos; & denique adoleſcentes omnes pro ætatis ſuæ ratione in diuerſis ſtationibus. Hic ordo erat in iſtis eccleſiis, quæ non habebant hyperoa ſeu cœnacula, de quibus diximus. Nam alioquin, vti ex NAZIANZENO obſeruauimus, virgines & matronæ in porticibus ſuperioribus ſeparata loca habebant. Non heic ORIGENEM, poſt DVRANTVM & BONAM adlegamus, quia ſenſum auctoris ſui manifeſto perperam accipiunt, qui non de eccleſia chriſtiana, ſed de templo *Iudaico* loquitur, & id quidem cum tam perſpicuæ hiſtoriæ mentione, vt mirum ſit, ab vllo homine erudito in prauum ſenſum rapi potuiſſe. ORIGENIS verba ita habent: „Venit ad nos quædam traditio talis „(z), quaſi ſit aliquis locus in templo, vbi virginibus quidem „conſiſtere licet & orare Deum: expertæ autem torum viri„lem non permittebantur in eo conſiſtere. *Maria* autem, „poſtquam genuit ſaluatorem, ingrediens adorare ſtetit in il„lo virginum loco: prohibentibus autem eis, qui nouerant ad„huc, eam filium genuiſſe, *Zacharias* ſtetit, atque dixit prohi„bentibus eam, quoniam digna eſt virginum loco, quum ſit „virgo. Ergo quaſi manifeſtiſſime *Zachariam* aduerſus legem „agentem, & in loco virginum permittentem ſtare mulierem, „occiderunt inter templum & altare viri generationis illius.„

φυσὶ καὶ προβάτων κατὰ συγγένειαν καὶ ἡλικίαν ἱστῶσι· καὶ ἕκαστον αὐτῶν τὸ ὅμοιον τῷ ὁμοίῳ συντρέχει, οὕτω καὶ ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ· οἱ μὲν νεώτεροι ἰδίᾳ καθεζέσθωσαν, ἐὰν ᾖ τόπος· εἰ δὲ μή, στηκέτωσαν ὀρθοί· οἱ δὲ τῇ ἡλικίᾳ ἤδη προβεβηκότες καθεζέσθωσαν ἐν τάξει· τὰ δὲ παιδία ἑστῶτα προσλαμβανέσθωσαν αὐτῶν οἱ πατέρες καὶ μητέρες· αἱ δὲ νεώτεραι πάλιν ἰδίᾳ ἐὰν ᾖ τόπος· εἰ δὲ μήγε, ὄπισθεν τῶν γυναικῶν ἱστάσθωσαν· αἱ δὲ ἤδη γεγαμηκυῖαι καὶ τεκναρχῆσαι ἰδίᾳ ἱστάσθωσαν· αἱ παρθένοι δὲ καὶ αἱ χῆραι καὶ πρεσβύτιδες πρῶται πασῶν στηκέτωσαν ἢ καθεζέσθωσαν. Vt paſtores ſingulas pecudes, capras dico & oues, pro generis & ætatis ratione locant, & quodque eorum ſimile cum ſimili congregatur, ſic in eccleſia adoleſcentes quidem ſeorſim ſedeant, ſi locus ſit: ſin autem non ſit, ſtent, ætate vero prouecti ordine ſedeant, pueros autem ſtantes patres & matres eorum ſuſcipiant; rurſus adoleſcentulæ ſeorſim, ſi fuerit locus. Si vero non fuerit, poſt mulieres locentur. Nuptæ item & matres familias item ſeorſum: virgines autem & viduæ & anus primum omnium ſtent aut ſedeant.

(z) Origen. hom. XXVI. in Matth. pag. 162. edit. Baſil. (p. 80. m. edit. Pariſ. MDCIIII.)

Nihil in hunc locum in præſenti commentamur, ſed eum, ſicut inuenimus, lectoris iudicio relinquimus. De loco virginum in eccleſia chriſtiana hoc vnum adhuc habemus notare ex AMBROSIO, quædam ſcripturæ [a] dicta parietibus eccleſiæ in hoc loco inſcripta fuiſſe, ſtatui virginum accommodata, exempli cauſſa *Paulinum* illud 1 Cor. VII, 34. *Diſcrimen eſt vxorem inter & virginem, quæ non eſt nupta, cogitat, quæ domini ſunt, quomodo ſit ſancta corpore & ſpiritu:* quod monitum AMBROSIVS virginem illam, ad quam ſcribit, recordari debuiſſe dicit, quia oculis eius ipſe paries eccleſiæ ingeſſiſſet.

## §. X.

### Σωλέον *ſeu* ſolea, *hoc eſt thronus magiſtratuum in hac parte eccleſiæ.*

VNVS adhuc locus, in quibusdam eccleſiis memorandus eſt, antequam hac templi parte relicta in ſanctuarium progrediamur, qui is eſt, quem CODINVS [b] & alii quidam ex recentioribus ſcriptoribus *græcis* σωλέον, *ſoleam*, vocant, locus alicuius notæ in templo *Sophiano*, de quo tamen inter viros eruditos non conuenit, quisnam aut vbinam fuerit, & quem vſum in eccleſia habuerit. GRETSERVS in notis ſuis ad CODINVM [c] pauimentum fuiſſe putat, ad introitum in ſanctuarium, vel lo-

(a) Ambroſ. ad virgin. lapſam c. VI. Nonne vel illa præcepta, quæ oculis tuis ipſe ſcriptus paries ingerebat, recordari debuiſti: *diuiſa eſt mulier & virgo: quæ non eſt nupta, cogitat, quæ domini ſunt, quomodo ſit ſancta corpore & ſpiritu?* Tu autem in contrarium vertens dictum, ita cogitabas, ita gerebas, vt nec corpore eſſes ſancta nec ſpiritu.

(b) Codin. in origin. de templo Sophiæ. ἐποίησε τὸ κιβώριον, καὶ τοὺς κίονας, καὶ τὰ στήθεα τοῦ θυσιαστηρίου ἐξ ἀργυρίου, καὶ χρυσώσας αὐτά, τὸ δὲ μῆλον, καὶ τὰ κρίνα, καὶ τὸν σταυρὸν τοῦ κιβωρίου ὁλόχρυσα, τὸν δὲ ἄμβωνα, καὶ τὸν σωλέα χρυσᾶ. Confecit ciborium & columnas, & ſtelas altaris ex argento deaurato; pomum & lilia cum cruce ciborii ex auro; ambonem item & *ſoleam* ex auro.
Id. de officiis c. XVII. Καὶ κατέρχεται ὁ βασιλεὺς τοῦ ἄμβωνος οὐκ ἐκ τοῦ μέρους μέντοι, ὅπερ ἀνῆλθεν, ἤγουν τοῦ πρὸς τὰς ὡραίας πύλας ὁρῶντος, ἀλλ' ἐκ τοῦ ἑτέρου τοῦ πρὸς τὸν σωλέαν καὶ τὸ ἅγιον βῆμα. Deſcenditque imperator ex ambone, non ea parte, qua adſcendit, ea ſcilicet, quæ ad ſpecioſas portas reſpicit, ſed ex altera *ſoleæ* & ſancto tabernaculo obuerſa.

(c) Gretſer. in Cod. de origin. Conſtant. lib III. c. XII.

cum

cum eiusmodi bemati, siue tabernaculo contiguum. MORINVS [*d*] & ALLATIVS [*e*] locum dicunt fuisse intermedium inter bema & ambonem. SCHELSTRATVS [*f*] paullo specialius locum designat, quod fuerit ante cancellos sanctuarii, vbi solium imperatoris ex dextra parte, ex sinistra vero parte sedilia diaconorum & lectorum constituta erant. SVICERVS [*g*] & MEVRSIVS adhuc confidentius statuunt, fuisse modo thronum imperatoris, σωλεῖον a *latino* vocabulo *solium*, nuncupatum. Et BEVEREGIVS [*h*] in eamdem propendet sententiam. DV FRESNI-

(*d*) Morin. de ordinat. part. II. p. 187. n. 52. Graece vario modo scriptum reperitur, ὁ σωλέας, ἡ σωλία, ἡ σωλέα, τὸ σωλεῖον, ὁ σωλεὺς, aliquando etiam pro σω scribitur σο. Locus est in ecclesiis graecorum intermedius inter sanctuarium & chorum. A choro ingressus est in sanctuarium, vel a sanctuario in chorum per mediam soleam. Altior est & eminentior choro. Illuc vsque procedunt, qui corporis Christi participes esse volunt. Ex vna igitur parte cancellis sanctuarii contiguus est, ex altera, choro, cetera.

(*e*) Allat. de templis graec. epist. II. §. V. (p. 44. edit. Colon. MDCXLV.) Quaeris, vbinam *solea* collocanda sit? Respondeo, si coniecturae non fallunt, bemati ambonique proximum fuisse, colligo ex Codino c. XVII. de offic. καὶ κατέρχεται κ. τ. λ. vid. sub litt. (b). Et in originibus de templo S. Sophiae: ἐποίησε τὸ κιβώριον κ. τ. λ. vid. itidem sub litt. (b).

(*f*) Schelstrat. concil. Antioch. p. 192.

(*g*) Suicer. thesaur. voce σωλέας & Meursius in glossar.

(*h*) Beuer. not. in conc. Nicaen. c. XI. Ex his verbis [Sozomeni lib. VII. c. XXIII. vid. sub litt. (k)] finis, ni fallor, tandem imponatur tortuosae isti quaestioni, quae doctorum ingenia huc vsque exercuit, quidnam nimirum esset *soleas* ille a recentioribus graecis toties decantatus, & quem in ecclesia vsum habuerit? Inter omnes enim conuenit, aliquid fuisse in recentiorum, praesertim graecorum ecclesiis, σωλείαν, σωλίαν, σωλεῖον, atque etiam σολέαν, σολίον, vel σελεῖον, dictum, idque prope cancellos collocatum fuisse. Consentiunt itidem omnes, hoc latinum esse vocabulum, & plerique nihil aliud esse quam *solium*, & tamen quidnam esset istud solium, se ignorare ingenue fatentur: nisi quod Iacobus Goar solium Christi per nomen illud designari adfirmat. Sed miror, nemini de hac re agenti, eorum, quae supra citantur, Sozomeni verborum in mentem venisse, quibus D. Ambrosius locum imperatoribus in ecclesia adsignasse traditur, ante cancellos altaris. Vbi enim imperator sedere solitus est *solium* meritissimo iure nominetur. Ab Ambrosii autem temporibus & deinceps, vt edictis verbis constat, imperatoris sedes erat ante cancellos, vbi omnes vno ore concinunt σωλεῖον vel σωλέαν collocatum esse; quod haud dubie itaque ipsum erat imperatoris solium siue sedes; quod etiam solii instar erectum fuisse, fidem facit Cedrenus. cetera.

VS [*i*] hoc tamquam probabile ſimiliter admittit, ſed putat, poſſe quoque ſignificare limina cancellorum, ſiue inferius fundamentum, cui cancelli ſanctuarii inſiſtant, & ita dici a vocabulo *ſolum*, vnde nomen *gallicum Seuil*, & *anglicanum Sill* ſiue *Groundſil.* Hanc ſoleam plerumque auro & pretioſis lapidibus valde exornatam, & nonnumquam populi oſculationibus & ſalutationibus honoratam fuiſſe putat; vnde phraſes *exoſculari limina*, & *liminibus martyrum adfundi*, in SIDONIO APOLLINARI & PRVDENTIO obuiæ, hanc in rem ab ipſo explicantur. Sed vero priorem iſtam opinionem magis probabilem eſſe duco, qua pro ſolio imperatoris, quod ad orientalem eccleſiæ extremitatem in virorum porticu e regione altaris erat, vbi nunc *Sultani* inter *Turcas* ſedes eſt, accipitur. Iſte enim locus, qui BEVEREGIO *embolus* & aliis ſcriptoribus *circuitus* dicitur, in templo *ſanctæ Sophiæ* erat porticus virorum infra & mulierum ſuperne. Et quemadmodum imperatrix ſedem ſuam in ſuperiore conclauium feminarum extremitate habuit, ita imperator in virorum loco proxime ante cancellos altaris ſedere conſueuit, ex quo tempore *Theodoſius*, vti SOZOMENVS narrat [*k*], *Ambroſio*, ipſum propter ſedem intra conſepta altaris ſumtam (quamquam id facere moris erat imperatoribus) redarguenti, ſeſe ſubmiſit. Poſt quam admonitionem tum ipſe, tum ſucceſſores eius, ſtationem ſuam ſemper extra cancellos ſumſerunt, vnde ille locus *ſolium*, ſeu ſedes imperatoris, dictus videtur. Quod aliquan-

(*i*) Du Freſn. not. in Paul. Silent. p. 584. -- 587.

(*k*) Sozom. lib. VII. c. XXV. Ἔθος ἦν τοὺς βασιλεῖς ἐν τῷ ἱερατείῳ ἐκκλησιάζειν, κατ᾽ ἐξοχὴν τῶν ὁρίων τοῦ λαοῦ κεχωρισμένους· κολακείας δὲ ἢ ἀταξίας εἶναι τοῦτο συνιδὼν, τόπον εἶναι βασιλέως ἐν ἐκκλησίᾳ τέταχε, τὸν πρὸ τῶν δρυφάκτων τοῦ ἱερατείου· ὥστε τοῦ μὲν λαοῦ τὸν κρατοῦντα τὴν προεδρείαν ἔχειν· αὐτοῦ δὲ τοὺς ἱερέας προκαθῆσθαι· ταύτην δὲ τὴν ἀρίστην παράδοσιν ἐπῄνεσε Θεοδόσιος ὁ βασιλεὺς, καὶ οἱ μετὰ ταῦτα ἐκράτυναν· καὶ ἐξ ἐκείνου νυνὶ φυλαττομένην ὁρῶμεν. Moris erat, vt imperatores intra conſepta altaris in eccleſia conſiſterent, honoris cauſſa a multitudine populi ſeparati. Quod ex aſſentatione vel ex diſciplinæ corruptione profectum eſſe Ambroſius animaduertens, locum imperatori in eccleſia adſignauit ante cancellos altaris: ita vt imperator quidem plebem: ipſum vero imperatorem ſacerdotes in eccleſia præcederent. Hanc egregiam ordinationem imperator Theodoſius comprobauit, & ſucceſſores eius poſtea confirmarunt; atque ex eo tempore in hunc vſque diem obſeruari eam videmus.

tum

tum ex iis firmatur, quæ ex CEDRENO [*l*] & CODINO [*m*] obſeruat SVICERVS, quod *Iuſtinianus* ſolcam ex auro & onychite lapide fecerit, quæ materiæ ſolio adornando, non autem pauimento eccleſiæ ponendo, accommodatæ ſunt. Non procul hinc in quibusdam recentioribus *Græcorum* templis alium locum obſeruat DV FRESNIVS [*n*], *ſenatorium* appellatum, quem nonnulli pro alio tantum ſedium epiſcopi ac presbyterorum, qui erant ſenatus eccleſiæ, nomine accipiunt. DV FRESNIVS autem locum fuiſſe putat, in quo conſtiterint principes ſeu magiſtratus, ſenatores vocitati, vnde locus eorum *ſenatorii* nomine in eccleſia venerit.

---

(*l*) Suic. theſ. tom. II. p. 1209. voce σωλέας. Cedrenus: Ἡ τρέλλα τῆς ἁγίας τοῦ Θεοῦ μεγάλης ἐκκλησίας φθερικὴ οὖσα ἔπεσε, τόν τε ἄμβωνα, καὶ τὰς σωλέας ἐξ ὀνυχίτου λίθου ὄντας συνέτριψε, καὶ εἰς χοῦν ἀπετέλεσε. Trulla ſanctæ Dei magnæque eccleſiæ fornicata quum eſſet, lapſu ſuo ambonem & *ſoleas, qui ex onychite lapide erant*, contriuit & in puluerem conuertit.

(*m*) Suic. ibid. Codin. in originibus de templo Sophiæ: ἐποίησε κ. τ. λ. vid. ſub litt. anteced. (b)

(*n*) Du Freſn. comm. in Paul. Silent. p. 560. Presbyterium *ſenatorium* videtur appellari in eodem *Ordine Romano* non ſemel, voce latina, quæ idem quod πρεσβυτέριον ſonat: vbi ad *ſenatorium* dicitur *deſcendere pontifex, vt ſuſcipiat oblationes principum*, vel *vt communicet eos, qui in ſenatorio ſunt*. Deſcendit nempe ab altari, vbi ſacra peragit, in presbyterium, vt principum & fidelium oblationes ſuſcipiat, vel vt *communicet* eos, qui ſunt in presbyterio, nempe ſacerdotes, clericos, atque adeo populum ipſum, quod diſerte ibi dicitur. - - Sed vt verum fatear, neſcio, an his locis in *ordine Romano*, *ſenatorium* idem ſit omnino, quod *presbyterium*. Dubitandi cauſſam mouet, quod in eo *locus principum* fuiſſe dicitur: *Pontifex autem ſuſtentatus hinc inde dextra læuaque a primicerio notariorum, deſcendit ad ſenatorium, quod eſt locus principum, vt ſuſcipiat oblationes eorum.* Et infra: *Pontifex deſcendit ad ſenatorium, - - & ſuſcipit oblationes principum per ordines arcuum.* Siquidem enim *ſenatorium* locus fuit, in quo conſiſtebant principes, ſeu magnates, dum ſacræ intererant liturgiæ; idem ille forte fuerit cum ſolea, ſeu pauimento editiori ante cancellos bematis, ita appellatus, quod ibi *ſenatores* ſeu *principes* conſiſterent. Nam obſeruandum ſupra, ad ſacros cancellos adſignatam fuiſſe imperatoribus in eccleſia ſedem ab Ambroſio. *Senatores* autem appellatos magnates, apud ſcriptores chriſtianos veteres, notum eſt. Proinde in *ſenatorio* pontifex non modo ſuſcipiebat oblationes principum, ſed & populum ibidem communicabat. cetera.

LIBRI

# LIBRI OCTAVI
## CAPVT SEXTVM
## DE BEMATE, ID EST TERTIA TEMPLI PARTE, QVAE ALTARE ET SANCTVARIVM DICEBATVR, DEQVE EIVS PARTIBVS ET VSIBVS.

### §. I.

### *Sanctuarium olim vocatum* bema *et* tribunal.

TERTIA & intima antiquarum ecclesiarum pars erat, quam nunc lingua patria *chancel* nuncupamus; sed priscis temporibus multis ea nominibus aliis venit. Vnum ex vsitatissimis nominibus erat βῆμα, seu *tribunal*, quod, vti supra notauimus, variæ significationis vocabulum est, denotans interdum *ambonem* seu *pulpitum*, & nonnumquam altare, & interdum sedes seu thronos episcopi ac presbyterorum, aliquando etiam vniuersum spatium, in quo hi throni ac altare consistebant. Quo sensu canonem illum concilii *Laodiceni* [a] intelligo, quo presbyteri ante episcopi introitum βῆμα, seu sacrum tribunal, ingredi, & sedere in tribunali prohibentur. SVICERVS [b] in liturgiis CHRYSOSTOMI & BASILII hoc sensu frequenter adhiberi obseruauit.

(a) Conc. Laodic. c. LVI. (tom. I. conc. p. 105.) Ὅτι οὐ δεῖ πρεσβυτέρους πρὸ τῆς εἰσόδου τοῦ ἐπισκόπου εἰσιέναι καὶ καθίζεσθαι ἐν τῷ βήματι.

(b) Suicer. thes. eccles. voce βῆμα (tom. I. p. 682.) Βῆμα *est locus in templo, tabulato inclusus, sacer ac venerandus, & clericis tantum, viris sæcularibus raro, mulieribus numquam, penetrabilis.* In liturgia Basilii magni p. 44. Τοῦ ἱερέως λέγοντος τὴν εὐχὴν μυστικῶς ἐν τῷ βήματι, ἐν τῷ αὐτῷ καιρῷ λέγει ἔξω τοῦ βήματος τὰ εἰρηνικά. *Sacerdote orationem secrete in tabernaculo recitante, eodem tempore extra tabernaculum recitat preces pro pace.* Eadem habes in liturgia Chrysostomi p. 70. In eadem liturgia p. 77. Εἰσέρχεται εἰς τὸ ἅγιον βῆμα, *in sanctum tabernaculum ingreditur.* A Chrysostomo hom. XXXV. tom. V. ed. Par. p. 553. vocatur ἱερὸν βῆμα *sacrum tabernaculum.* De Flauiano episcopo: Εἰ μὴ πνεῦμα ἅγιον ἦν ἐν τῷ κοινῷ τούτῳ πατρὶ καὶ διδασκάλῳ, οὐκ ἂν ὅτε πρὸ μικροῦ ἀνέβη ἐπὶ τὸ ἱερὸν βῆμα τοῦτο, καὶ πᾶσιν ὑμῖν ἔδωκεν εἰρήνην, καὶ ἐπεφθέγξασθε αὐτῷ κοινῇ πάντες· καὶ τῷ πνεύματί σου. *Nisi esset spiritus sanctus in hoc communi patre ac doctore, quum paullo ante in SACRVM HOC TRIBVNAL adscendit, ac vobis omnibus pacem dedit, eique simul omnes acclamastis, & cum spiritu tuo.* Ex his patet, βῆμα fuisse elatiorem templi partem, siue chorum, nomen habentem a gradibus, quibus eo adscendebatur.

ſeruauit. Et CHRYSOSTOMVS [c] in homilia quadam ſua paullo ſpecialius id deſcribit, quod ſit locus, quo epiſcopus ad ſermonem habendum, orandum, ſacræ menſæ adſiſtendum & tremendum ſacrificium pro populo offerendum per adſcenſum vadat. Ex quibus facile ad intelligendum eſt, id cum non pro ſolo altari ſiue throno epiſcopi, ſed pro vniuerſo ſpatio accipere, vbi conſiſtebant, & vbi hæc diuerſa officia peragebantur. Et ratio nominis βήματος erat, quam CHRYSOSTOMVS itidem innuit, quando paſtores & epiſcopos eccleſiæ in id *adſcendere* dicit. Nam *bema* & *ambo* eamdem habent originem ab ἀναβαίνειν, quod erant loci reliquis editiores, & tribunalibus iudicum ſimiles, in quæ per gradus adſcendebatur. Iam *bema* peculiariter clericis adſignatum erat, eamque ob cauſſam, vt libro quodam antecedenti [cc] adnotauimus, clerici interdum οἱ τοῦ βήματος fuerunt appellati.

§. II.

*Etiam* ἅγιον vel ἱερατεῖον *et* ſacrarium.

NOMEN *ſanctuarii* etiam huic eccleſiæ parti tribuebatur. *Græci* id peculiariter vocabant ἅγιον *ſanctum*; & hinc altare dicebatur ἅγιον ἁγίων, *ſanctum ſanctorum*, quam appellationem EVSEBIVS [d] in deſcribendo templo *Paulini* adhibet. In aliis locis [e] vocat ἁγίασμα, quod nomen eſt, quo LXX. interpretes ſanctuarium veteris teſtamenti appellant. *Latini ſacrarium* nuncupant. Exempli gratia in concilio *Bracarenſi* primo, quod lai-

(c) Chryſ. ſt. hom. XXXIX. de pentec. ſt. tom. V. p. 553. (p. 403. edit. Francof.) Διὰ τοῦτο οὐκ ἀναβαίνοντι μόνον, οὐδὲ διαλεγομένῳ πρὸς ὑμᾶς, οὐδὲ εὐχομένῳ ὑπὲρ ὑμῶν ταύτην ἐπιφθέγγεσθε τὴν φωνήν, ἀλλ' ὅταν παρὰ τὴν ἱερὰν ταύτην ἑστήκῃ τράπεζαν· ὅταν τὴν φρικτὴν ἐκείνην θυσίαν ἀναφέρειν μέλλῃ. Id circo non quum adſcendit tantum, neque quum vos alloquitur, neque cum pro vobis orat, hac illi voce adclamati, ſed quum huic ſacræ menſæ adſiſtit, quum tremendum ſacrificium eſt oblaturus.

(cc) Lib. I. c. V. §. XI. volum. I. p. 52.

(d) Euſeb. lib. X. c. IV. p. 391. (p. 312. b. edit. Amſtelod.) ἐφ' ἅπασί τε τὸ τῶν ἁγίων ἅγιον, θυσιαστήριον ἐν μέσῳ θείς, poſtremo *ſanctum ſanctorum*, altare videlicet in medio conſtituit.

(e) Euſeb. lib. VII. c. XV. τῆς χειρὸς λαβὼν ἐπὶ τὴν ἐκκλησίαν προάγει· εἴσω τε πρὸς αὐτῷ στήσας τῷ ἁγιάσματι κ. τ. λ. Prehenſa manu ad eccleſiam ipſam perduxit, quumque interius ad ipſum *altare* eum ſtatuiſſet, cetera.

cis [*f*] *sanctuarium* ad communicandum ingredi interdicit. Et in concilio *Vasensi*, quod de officio *sacrarium* disponendi [*g*] loquitur. Et in concilio *Carthaginensi* quarto, quod oblationes inter se dissidentium fratrum tum in *sacrario* [*h*] tum in gazophylacio recipi vetat.

## §. III.

### *Et* θυσιαστήριον, *locus altaris.*

GRAECI quoque id vocant θυσιαστήριον, *locum altaris*. Quamquam enim hoc vocabulum communiter ipsum altare seu mensam domini significat, in quibusdam tamen vetustis canonibus & scriptoribus ecclesiasticis, ex obseruatione HABERTI [*i*] & MEDI [*k*], ad totum sanctuarium intra cancellos, vbi nullis nisi clericis esse licebat, denotandum adhibetur. Vti in conciliis *Laodiceno* [*l*] & *Trullano* [*m*], quae feminas & laicos ad θυσιαστήριον ingredi vetant, quod de integro altaris loco seu sanctuario intelligendum est. Atque ita in SOCRATE [*n*], THEODORETO [*o*] & aliis scriptoribus multis, qui de *Theodosii* imperatoris per *Ambrosium* facta exclusione extra cancellos altaris loquuntur.

(*f*) Concil. Bracar. I. c. XXXI. Ingredi *sacrarium* ad communicandum non liceat laicis, nisi tantum clericis.

(*g*) Concil. Vasens. c. III. Cuius officium est *sacrarium* disponere & sacramenta suscipere.

(*h*) Conc. Carth. IV. c. XCIII. Oblationes dissidentium fratrum neque in *sacrario* neque in gazophylacio recipiuntur.

(*i*) Habert. Archierat. p. 663. θυσιαστήριον aliquid aliud praeter altare & sacram mensam saepe significare, nempe spatium siue locum sanctuarii seu sacrarii sacerdotalis τοῦ ἱερατείου, in quo & prothesis minus altare, & sacra mensa altare maius positum est. Quod elucet ex illa formula quotidie in his officiis obuia: εἰσέρχεσθαι εἰς τὸ θυσιαστήριον, non vero dicitur εἰσέρχεσθαι εἰς τὴν ἁγίαν τράπεζαν. Can. LXIX. in Trullo: μὴ ἐξέστω τινὶ τῶν ἁπάντων ἐν λαϊκοῖς τελοῦντι ἔνδον ἱεροῦ εἰσιέναι θυσιαστηρίου. Nulli plane laico liceat intra sacrum altare ingredi.

(*k*) Med. comment. apocalypt. p. 479.

(*l*) Conc. Laodic. c. XLIV. (tom. I. conc. p. 1504.) Ὅτι οὐ δεῖ γυναῖκας ἐν τῷ θυσιαστηρίῳ εἰσέρχεσθαι.

(*m*) Conc. Trull. c. LXIX. (tom. VI. conc. p. 1174.) vid. sub litt. (i).

(*n*) Socrat. lib. I. c. XXV. †

(*o*) Theodor. lib. I. c. XIV. †

§. IV.

## §. IV.

### Presbyterium *et* diaconicum.

Cyprianus epistola LV. *consessum cleri* id vocat. Et Forbesius [p] & alii quidam viri docti etiam *diaconicum* appellatum putant, quod presbyteri ibi sederint, diaconis illis ministrantibus. Ita canonem concilii *Laodiceni* [q] intelligunt, decernentem: *Quod non oportet ministros locum habere in diaconico & sacra vasa tangere.* Sed notandum est, quod, licet vocabulum *diaconicum* in isthoc canone sanctuarium significare possit, vsitatius tamen sacrarium, seu sacrorum vasorum receptaculum, denotet, qua de re exponemus fusius, quando de exedris ecclesiæ loquemur.

## §. V.

### Chorus *etiam.*

In quibusdam canonibus nomen *chori* etiam habuisse videtur, vnde *anglicanum* nostrum *quire* deriuandum. Vt in concilio *Toletano* quarto, quod ordinem & modum, quo homines in ecclesia communicare debeant, præscribens decernit, vt [r] *sacerdotes & leuitæ ante altare communicent, in choro clerus, extra chorum populus.* Tametsi nonnulli *chorum* potius pro loco cantorum & lectorum in altera parte ecclesiæ accipiant.

## §. VI.

### *Hic locus a reliquo spatio per septa, siue* cancellos, *separatus.*

Evsebivs hanc templi *Paulini* partem describens dicit, septis e ligno reticulatis munitam [s] fuisse, minutissimo opere ad summum artis fastigium elaboratis, vt promiscuæ multitudini inaccessa esset. Hæc septa *latini cancellos* vocant, vnde nomen nostrum *anglicanum chancel.* In aliis *græcis* scriptoribus κιγκλίδες

(p) Forbes. Irenic. lib. II. c. XI. p. 221. edit. Aberd. MDCXXXVI. 4t.

(q) Conc. Laodic. c. XXI. Ὅτι οὐ δεῖ ὑπηρέτας ἔχειν χώραν ἐν τῷ διακονικῷ, καὶ ἅπτεσθαι δεσποτικῶν σκευῶν.

(r) Conc. Toletan. IV. c. XVIII. (tom. V. conc. p. 1711.)

(s) Euseb. lib. X. c. IV. αὖθις καὶ τάδε ὡς ἂν εἴη τοῖς πολλοῖς ἄβατα, τοῖς ἀπὸ ξύλου περιέφραττε δικτύοις, εἰς ἄκρον ἐντέχνου λεπτουργίας ἐξησκημένοις, ὡς θαυμάσιον τοῖς ὁρῶσι παρέχειν τὴν θέαν. Vtque hæc sacraria multitudini inaccessa essent, ea rursus ligneis cancellis muniuit, minutissimo opere ad summum artis fastigium elaboratis, adeo vt admirabile intuentibus spectaculum exhibeant.

dicuntur. Vnde apud THEODORETVM [t] τα ἔνδον τῶν κιγκλίδων, *locus intra cancellos*, aliud tantummodo altaris nomen est. Et *cancellis manus iniicere*, phrasi SYNESII [u] idem est, atque sanctuarium ad altare apprehendere.

§. VII.

*Multitudini inaccessus. Vnde* adyta *vocatus.*

HORVM cancellorum beneficio, vt EVSEBIVS auctor est, vniuersum altaris spatium omnibus præter clericos inaccessum tempore diuini officii præstabatur. Concilium *Laodicenum* canonem habet, speciatim feminis [w] interdicentem, ne ad θυσιαστήριον ingrediantur. Et alius quidam eiusdem concilii canon [x] generalioribus verbis solis ἱερατικοῖς ibidem communicare permittit. Quo in canone per τὰς ἱερατικὰς nonnulli omnes omnino clericos inferiores æque ac superiores intelligunt. HABERTVS [y] autem superiores tantum clericos, sacerdotes ac diaconos, intelligi; & omnes inferiorum ordinum clericos, subdiaconos, lectores, ceteros, ab hac parte non minus quam populum exclusos fuisse, existimat. Quomodocumque vero res se habet, inter omnes conuenit, quod populus ista ætate locum ibi nullum habuerit. AMBROSIVS permittere nolebat, vt ipse imperator in hac parte communicaret [yy],

(t) Theodoret. lib. V. c. XVIII. p. 222. d. προσενεγκὼν δὲ ὥσπερ εἰώθει, ἔνδον παρὰ τὰς κιγκλίδας μεμένηκεν κ. τ. λ.

(u) Syn. f. cit. st. p. 303. b. ὦ ποσάκις ταῖς κιγκλίσι τὰ χεῖρε προσμάξομαι; O quoties cancellis manus iniiciam?

(w) Conc. Laodic. c. XLIV. Ὅτι οὐ δεῖ γυναῖκας ἐν τῷ θυσιαστηρίῳ εἰσέρχεσθαι.

(x) Ibid. c. XIX. καὶ μόνοις ἐξὸν εἶναι τοῖς ἱερατικοῖς εἰσιέναι εἰς τὸ θυσιαστήριον καὶ κοινωνεῖν.

(y) Habert. archierat. part. X. obseruat. IX. p. 269. Tertium est, *solis sacerdotibus & diaconis ad altare in sanctuario communicare licuit.* De solis sacerdotibus concilium Laodicenum decernere nonnulli arbitrantur, ob hæc verba canonis XIX. καὶ μόνοις κ. τ. λ. [vid. sub lit. x)] *Et solis sacerdotibus licere ad altare accedere & communicare.* Ita vertit heterodoxus auctor. Verum τὸ ἱερατικοῖς, melius reddiderat Dionysius Exiguus, *sacro ministerio deditis*, quo sensu & diaconi solum comprehenduntur, qui heic etiam ad altare in sanctuario communicant: nam hypodiaconi & lectores extra sanctuarium, ad eius limen.

(yy) Theodoret. lib. V. c. XIX. τὰ ἔνδον, ὦ βασιλεῦ, μόνοις ἐστὶν ἱερεῦσι βατά. τοῖς δὲ ἄλλοις ἅπασιν ἄδυτά τε καὶ ἄψαυστα· ἔξιθι τοίνυν, καὶ τοῖς ἄλλοις κοινώνει τῆς στάσεως. Interiora loca, imperator, solis sacerdotibus patent; Reliquis

sed

ſed ipſum abſcedere iubebat, ſimulac progreſſus ad altare dona obtuliſſet. Quæ conſuetudo per aliquot ſæcula poſt continuata eſt. Sicut ex iis apparet, quæ *Theodoſius iunior* ipſe de ſe dicit in actis concilii *Epheſini* [z], *Ad ſacra altaria*, inquiens, *munerum tantum offerendorum cauſſa accedimus : & quum circumſeptum ſacrorum adytum ingreſſi ſumus, ſtatim egredimur; Nec quidquam ex propinqua diuinitate nobis arrogamus.* Atque conuenienter huic praxi in concilio *Trullano* [a] decretum inuenimus in hanc ſententiam : *Nulli omnium liceat, qui quidem ſit in laicorum numero, intra ſepta ſacri altaris ingredi, nequaquam tamen ab eo prohibita poteſtate & auctoritate imperiali, quandoquidem voluerit creatori dona offerre, ex antiquiſſima traditione.* Atque hinc iſta eccleſiæ pars **ἄβατα** & **ἄδυτα** a THEODORETO [b], EVSEBIO aliisque *græcis* ſcriptoribus, & *latinis adyta*, hoc eſt, *inacceſſa*, dicta eſt; quia huc accedere populo non licebat, qui penitus inde excluſus erat. Quamquam notandum eſt, pro diuerſa temporum ac locorum ratione diuerſas conſuetudines hac in re videri obtinuiſſe. Nam antiquiſſima conſuetudo fuit, vt tam viri quam mulieres ad altare venirent, ibique communicarent, quemadmodum ſæculo tertio moris fuiſſe videtur, tempore, quo vixit DIONYSIVS ALEXANDRINVS, qui de viris [c] & feminis [d] ad ſacram menſam ſtantibus manusque ad recipiendum illic epu-

omnibus inacceſſa ſunt & intacta. Abſcede igitur, & vna cum aliis conſiſte.

Sozom. lib. VII. c. XXV. (vid. c. V. §. X. litt. (k) p. 206.

(z) Edict. Theod. ad eundem conc. Epheſ. (tom. III. conc. p. 1237. d.) τοῦ ἁγιωτάτου θυσιαστηρίου διὰ μόνην τὴν τῶν δωρεῶν προσφορὰν ἐφαπτόμεθα· καὶ εἰς τὴν τῶν θείων κύκλων περιστοιχισμένην ἔπαυλιν ἅμα τῷ εἰσελθεῖν ὑπεκβαινόμεθα· καὶ οὐδὲν ἐκ τῆς ἀγχιστευούσης θειότητος ἑαυτοῖς ἀπονέμομεν.

(a) Conc. Trull. c. LXIX. Μὴ ἐξέστω τινὶ τῶν ἁπάντων ἐν λαϊκοῖς τελοῦντι ἔνδον ἱεροῦ εἰσιέναι θυσιαστηρίου· μηδαμῶς ἐπὶ τούτῳ τῆς βασιλικῆς εἰργομένης ἐξουσίας καὶ αὐθεντίας, ἡνίκα ἂν βουληθείη προσάξαι δῶρα τῷ πλάσαντι, κατά τινα ἀρχαιοτάτην παράδοσιν.

(b) Theodoret. lib. V. c. XVIII. vid. litt. (yy)

(c) Dionyſ. ap. Euſeb. lib. VII. c. IX. Τραπέζῃ παραστάντα, καὶ χεῖρας εἰς ὑποδοχὴν τῆς ἁγίας τροφῆς προτείναντα, κ. τ. λ. qui ad ſacram menſam adſtiterit, & manus ad ſuſcipiendum ſacrum cibum porrexerit, cetera

(d) Dionyſ. ep. ill. ad Baſilidem c. II. de mulieribus, quæ menſtruo ſanguinis fluxu laborant: οὐδὲ αὐτὰς ἂν αἱ πισταὶ οὖσαι καὶ εὐλαβεῖς, τολμήσειαν οὕτως διακειμέναι ἢ τῇ τραπέζῃ τῇ ἁγίᾳ προσελθεῖν, ἢ τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος τοῦ Χρι-

lum euchariſticum porrigentibus, loquitur. Atque hoc modo id VALESIVS intelligit [e]. Idem quoque priuilegium populo *Galliæ* ſæculo ſexto indultum erat. Concilium enim *Turonicum* ſecundum an. DLXVII. ſancta ſanctorum [f] laicis & feminis ad orandum & communicandum oblationis tempore patere iubet; quamquam aliis temporibus, ſi quod aliud officium præter communionem perageretur, in chorum cantorum ſeu intra cancellos ſanctuarii ingredi ipſis haud licuit. Ex quibus etiam diſcimus, quæ pars eccleſiæ hoc æuo in *Gallia* dicta ſit chorus, nempe quæ proxime intra cancellos ſanctuarii erat, vbi inferiorum ordinum clerici tempore oblationis conſiſtebant.

## §. VIII.

## Sanctæ portæ *et* vela, *ſanctuarium a reliquo templo ſeparantia.*

RECENTIORES *Græci* introitum in hanc templi partem *portas ſanctas* appellant, quod e naue eccleſiæ aditum in ſanctum ſanctorum præbebant. Sed harum portarum in antiquis ſcriptoribus rara ſit mentio. De vſu autem velorum, quæ hoc loco ad impediendum proſpectum altaris pendebant, ſæpius loquuntur. ATHANASIVS *βῆλα τῆς ἐκκλησίας vela eccleſiæ* vocat. Loquens enim de *Arianorum* furore, quo abrepti eccleſiam quamdam tempore *Conſtantii* diripuerant, ait: *Arrepta ſubſellia, & thronum, & menſam, lignea enim erat, & VELA ECCLESIAE* [g]

ςῦ προσάψαϑαι. Ad quem Dionyſii locum recte notat Balſamon; *ὡς ἔοικε δὲ, τὸ παλαιὸν εἰσήρχοντο γυναῖκες εἰς τὸ θυσιαστήριον, καὶ ἀπὸ τῆς ἁγίας τραπέζης μετελάμβανον.* Id eſt, olim quidem, vt apparet, mulieres ad altare accedebant, & e ſacra menſa participabant.

(e) Valeſ. not. in Euſeb. lib. VII. c. IX. Fideles communicaturi ad altare accedebant, ibique corpus Chriſti de manu presbyteri ſtantes, non vt hodie genibus flexis, accipiebant.

(f) Conc. Turon. II. c. II. (tom. V. p. 854.) Vt laici ſecus altare, quo ſancta myſteria celebrantur, inter clericos tam ad vigilias quam ad miſſas, ſtare penitus non præſumant: ſed pars illa, quæ a cancellis verſus altare diuiditur, choris tantum pſallentium pateat clericorum. *Ad orandum vero & communicandum laicis & feminis ſicut mos eſt, pateant ſancta ſanctorum.*

(g) Athan. ep. ad ſolitar. tom. I. p. 847. (edit. Pariſ. MDCXXVII.) *Ἁρπάσαντες τὰ συμψέλλια, καὶ τὸν θρόνον, καὶ τὴν τράπεζαν, ξυλίνη γὰρ ἦν, καὶ τὰ βῆλα τῆς ἐκκλησίας, τά τε ἄλλα, ὅσα ἠδυνήθησαν ἐξενέγκαντες, ἔκαυσαν.*

*& alia*

& *alia quæcumque potuerunt, eaque elata combusserunt.* SYNESIVS [*b*] appellat *καταπέτασμα μυστικὸν, vela mystica.* Et CHRYSOSTOMVS atque EVAGRIVS *ἀμφίθυρα*, quod instar ianuarum plicatilium vtrimque aperirentur. Hæc interdum auro copiose erat exornata, vti illud, quod, EVAGRIO [*i*] perhibente, ecclesiæ *Antiochenæ* donauit *Chosroës.* Horum vsus erat, partim prospectum huius partis ecclesiæ catechumenis & infidelibus obstruere, partim sacrificium eucharisticum consecrationis tempore obtegere, vti ex CHRYSOSTOMI verbis condiscimus, *Heic quum effertur*, inquientis, *sacrificium & Christus sacrificatus & ouis dominica, quando audieris, oremus omnes communiter: quando videris trahi, quæ in ostiis sunt ἀμφίθυρα, vela* [*k*], (alii cortinas) *tunc existima, cælum superne diduci, & descendere angelos.* Erant etiam diuersa alia vela, vt hoc simul heic notemus, in aliis ecclesiæ partibus. PAVLINVS [*l*] enim sæpe de velis ante ostia ecclesiæ loquitur. Et HIERONYMVS *Nepotianum* laudat, quod inter alia, ad decentiam ecclesiæ spectantia, velorum quoque in ostiis curam habuerit. *Erat sollicitus*, inquit, *si niteret altare, si parietes absque fuligine, si pauimenta tersa, si ianitor creber in porta, VELA* [*m*] *semper in ostiis.* In eumdem modum EPIPHANIVS [*n*] de ecclesia in villa *Palæstinæ*, quæ dicebatur *Anablatha*,

(*b*) Synes. epist. LXVII. ad Theophil. p. 240. edit. Par. MDCV. 8uo (p. 212. c. ed. Par. MDCXXXVI. folio) Τοῦτο δὲ εἰ διὰ τῶν παναγεστάτων τὰ ἐναγέστατα κρίνοιτο, εὐχὴ, καὶ τράπεζα, καὶ καταπέτασμα μυστικὸν ἐφόδου βιαίας ὄργανα. Siue sanctissimis ex rebus de exsecrandis maxime iudicium ferretur, vt oratio, sacra mensa, & *mysticum velum* violentæ impressionis instrumenta reddantur.

(*i*) Euagr. lib. VI. c. XXI. ἀμφίθυρον οὐννικὸν κεκοσμημένον χρυσῷ, velum Hunnicum auro exornatum.

(*k*) Chrysost. hom. III. in Eph. p. 1012. (p. 888. b. edit. Francof.) Ἐνταῦθα ἐκφερομένης τῆς θυσίας, καὶ τοῦ Χριστοῦ τεθυμένου, καὶ τοῦ προβάτου τοῦ δεσποτικοῦ, ὅταν ἀκούσῃς, δεηθῶμεν πάντες κοινῇ, ὅταν ἴδῃς ἀνελκόμενα τὰ ἀμφίθυρα, τότε νόμιζον διαστέλλεσθαι τὸν οὐρανὸν ἄνωθεν, καὶ κατιέναι τοὺς ἀγγέλους.

(*l*) Paulin. natal. Felic. III. *Aurea nunc niveis ornantur limina VELIS.* Id. natal. VI. *Pulchra tegendis VELA ferant foribus.*

(*m*) Hieron. epitaph. Nepotian.

(*n*) Epiphan. epist. ad Ioannem Hierosolym. p. 319. Quum venissem ad villam, quæ dicitur Anablatha, vidissemque ibi præteriens lucernam ardentem & interrogassem, quis locus esset, didicissemque esse ecclesiam, & intrassem,

loquens,

loquens, dicit, inueniſſe ſe ibi velum pendens in foribus eccleſiæ illudque ſcidiſſe, non quod velum eſſet, ſed quod haberet imaginem, quaſi *CHRISTI* vel ſancti cuiusdam, id quod cum regulis eccleſiæ chriſtianæ pugnet. Dediſſe igitur ſe conſilium eccleſiæ cuſtodibus, vt pauperem mortuum eo obuoluerent & efferrent, ſeque aliud velum ſuis ſumtibus in iſtius locum miſiſſe. Erant quoque vela inter columnas porticuum ſuperiorum ſeu *ὑπερῴων*, vbi ſedebant feminæ, quæ, dum peragebatur ſacrificium, ſubducebantur, quemadmodum e PAVLO SILENTIARIO & AMPHILOCHIO in vita BASILII obſeruauit DV FRESNIVS [*o*]. Et alia quædam eiusdem generis curioſus lector facile obſeruauerit.

## §. IX.

### *Suprema ſanctuarii pars dicta* apſis, exedra, *vel* conchula bematis.

AD ſupremam bematis partem ædificium erat ſemicirculi formam exhibens, a qua forma & poſitione ſua nonnullis auctoribus *apſis*, *exedra* & *conchula bematis* vocatur. Hæc enim vocabula arcuatam quamlibet ſiue ſphæricam ſtructuram cæli for-

vt orarem: inueni ibi *velum* pendens in foribus eiusdem eccleſiæ tinctum atque depictum, & habens imaginem, quaſi Chriſti, vel ſancti cuiusdam. Non enim ſatis memini, cuius imago fuerit. Quum ergo hoc vidiſſem, in eccleſia Chriſti contra auctoritatem ſcripturarum hominis pendere imaginem, ſcidi illud & magis dedi conſilium cuſtodibus eiusdem loci, vt pauperem mortuum eo obuoluerent & efferrent. Illique contra murmurantes dicerent: Si ſcindere voluerat, iuſtum erat, vt aliud daret *velum*, atque mutaret. Quod quum audiſſem, me daturum eſſe pollicitus ſum & illico eſſe miſſurum. Paullulum autem moratum fuit in medio, dum quæro optimum *velum* pro eo mittere: arbitrabar enim de Cypro mihi eſſe mittendum. Nunc autem miſi quod potui reperire, & precor, vt iubeas presbyteros eiusdem loci ſuſcipere *velum* a latore, quod a nobis miſſum eſt: & deinceps præcipere, in eccleſia Chriſti eiusmodi *vela*, quæ contra religionem noſtram veniunt, non appendi.

(*o*) Du Freſn. com. in Paul. Silent. p. 551. Quod ait Euagrius; pluteis incumbentibus mulieribus diuina ſacrificia intueri licuiſſe, id intelligendum eſt, de loco ſacrificii, ac bemate: nam dum illud peragebatur, *velum* ſtatim ad intercolumnia ſubducebatur, neque iis capita aut oculos ad illa inſpicienda promittere ſub anathematis pœna fas erat. Id omnino colligere eſt ex vita S. Baſilii, quæ Amphilochio tribuitur, qui ritus illius auctor fuiſſe videtur.

nici

nici ſimilem denotant, cui HIERONYMVS nomen apſidis [p] applicat. *Concha* dicebatur, quod figura eius conchæ ſpeciem quodammodo referebat, quemadmodum DV FRESNIVS e PROCOPIO, PAVLO SILENTIARIO, PAVLINO aliisque ſcriptoribus demonſtrat. Idem DV FRESNIVS [q] etiam *exedram* ab AVGVSTINO appellari putat, qui collationem inter catholicos & *Emeritum*, epiſcopum *Donatiſtarum*, in exedra eccleſiæ inſtitutam eſſe dicit; id quod de loco, vbi epiſcopus ac presbyteri ordinarie morabantur, in ſuperiore bematis parte prope altare, interpretatur. VALESIVS [r] autem & alii viri docti *exedram* hoc loco ſenſu vulgari, pro exteriore quodam eccleſiæ ædificio, accipiunt. Neque facile omnino eſt tam intricatam, quæ inter ipſos eſt, controuerſiam dirimere.

## §. X.

### *Hic antiquitus locus thronorum epiſcopi ipſiusque presbyterorum.*

QVOMODOCVMQVE autem res ſe habet, id certum eſt, thronum epiſcopi & thronos presbyterorum eius ad vtrumque latus in hac eccleſiæ parte in ſemicirculi forma vltra altare ſemper fuiſſe poſitos. Olim enim ſedes epiſcopi ac presbyterorum coniunctæ erant, & vniuerſæ throni vocabantur, vti ex EVSEBII deſcriptione templi *Paulini* manifeſtum eſt, qui ipſum thronos altiſſimos in honorem præſidentium ſiue doctorum populi, hoc eſt epiſcopi ac presbyterorum, iunctim diſpoſuiſſe [s],

(p) Hieron. lib. II. in Epheſ. c. IV. (p. 223. edit. Baſil. MDLXV.) In ſummo cæli fornice, & vt ipſo verbo vtar, *apſide*.

(q) Du Freſn. comment. in Paul. Silent. p. 565. Per *exedram*, ſeu *apſida concha* intelligi videtur apud ſanctum Auguſtinum in geſtis cum Emerito Donatiſtarum epiſcopo (tom. V. p. 250. edit. MDCXXXVII.) Quum Deuterius epiſcopus metropolitanus Cæſarienſis, vna cum ceteris epiſcopis in *exedram* proceſſiſſet, præſentibus presbyteris & diaconis & vniuerſo clero ac frequentiſſima plebe, cetera.

(r) Valeſ. not. in Euſeb. de vita Conſtant. lib. III. c. L. Exedræ dicebantur ædes exteriores, in circuitu baſilicæ conſtrui ſolitæ, in quibus ſedere & requieſcere licebat, vt docet Euſebius. De his Auguſtinus in libro de geſtis cum Emerito Donatiſta: *Quum Deuterius*, cetera vid. ſub litt. antec. q)

(s) Euſeb. lib. X. c. IV. p. 312. b. θρόνοις τε τοῖς ἀνωτάτω εἰς τὴν τῶν προέδρων τιμὴν κ. τ. λ.

dicit. Hinc NAZIANZENVS de presbyteris [*t*], tamquam populi doctoribus & venerando ecclesiæ senatu loquens, eorum sedes *secundos thronos* nuncupat. CONSTANTINVS in epistola sua ad *Chrestum Syracusanorum* episcopum, qua hunc ad concilium *Arelatense* inuitat, eadem phrasi vtitur, iubens eum duos *secundi throni* [*u*], hoc est duos presbyteros, sibi adiungere. Noui equidem CAROLVM A SANCTO PAVLO [*w*] per hos secundi throni intelligere episcopos, in oppositione primatum seu metropolitanorum, quos pro primi throni seu sedis episcopis habet. Sed

(*t*) Naziant. carm. Iambic. XXIII.

Πρῶτον μὲν οἱ τὰ δεύτερα
Θρόνων λελογχότες,
Λαοῦ πρόεδροι πρεσβύται
Σεμνὴ γερουσία
Πεφήνασιν ἡμῖν οὐ καλοί.
Primum, *secundos* qui tenent
Templi sacri *thronos*,
Senatus ille splendidus
Plebique præsidens,
In me fuerunt haud boni.

(*u*) Apud Euseb. lib. X. c. V. ἐπειδὴ πλείους ἐκ διαφόρων καὶ ἀμυθήτων τόπων ἐπισκόπους εἰς τὴν Ἀρελατησίων πόλιν εἴσω καλανδῶν Αὐγούστων συνελθεῖν ἐκελεύσαμεν· καὶ σοὶ γράψαι ἐνομίσαμεν, ἵνα λαβὼν παρὰ τοῦ λαμπροτάτου Λατρωνιανοῦ τοῦ κορρήκτορος Σικελίας δημόσιον ὄχημα, συζεύξας σεαυτῷ καὶ δύο γέ τινας τῶν ἐκ τοῦ δευτέρου θρόνου, οὓς ἂν σὺ αὐτὸς ἐπιλέξασθαι κρίνῃς, ἀλλὰ μὴν καὶ τρεῖς παῖδας τοὺς δυνησομένους ὑμῖν κατὰ τὴν ὁδὸν ὑπηρετήσασθαι παραλαβὼν, εἴσω τῆς αὐτῆς ἡμέρας ἐπὶ τῷ προειρημένῳ τόπῳ ἀπάντησον. Quoniam plurimos ex diuersis ac prope infinitis locis episcopos in vrbem Arelatensem intra calendas Augusti iussimus conuenire: tibi quoque scribendum esse censuimus, vt accepto publico vehiculo a viro clarissimo Latroniano Correctore Siciliæ, *adiunctis* tibi *duobus secundi throni*, quos tu eligendos putaueris, tribus item seruulis, qui in itinere vobis ministrare possint, intra eumdem diem ad prædictum locum occurras.

(*w*) Carol. a S. Paulo Geogr. sacr. (p. 44. edit. Amstel. MDCCXI.) Quod in ea (vrbe Syracusis) fuerit sedes metropolitana, hisce rationibus coniicio. Primum ex *tractoria* Constantini ad Chrestum Syracusanum episcopum, qua hunc ad synodum Arelatensem inuitat: *Quoniam*, inquit, *plurimos* &c. vid. lit. (*u*) Quis enim non videt, duo ex his verbis colligi? Primum in Sicilia quosdam episcopos secundæ sedis fuisse, & alios vel saltem alium primæ. Id clare verba sonant: vnde & perspicuum est, in ea metropolitam fuisse, quum a primæ sedis episcopo non differat. Secundum autem, quod Chrestus Syracusanus ipse primæ sedis episcopus fuerit, quum ad eum directa sit tracto-

vsus

vſus huius phraſeos, tam in EVSEBIO, quam NAZIANZENO [x] nos potius eo adducit, vt ipſum presbyteros intelligere credamus, qui vna cum epiſcopo ſuo in eccleſia thronis, vt vocant, ſecundis inſidebant. Hoc enim, vt alio iam loco [xx] oſtendimus, diſcrimen erat inter illos, vt epiſcopi generatim dicerentur *thronus* ſeu *ſedes alta*, & presbyteri *thronus*, ſeu *ſedes ſecunda*; vel, vt ATHANASIVS [y] eos vocat, *thronus* & *ſubſellia*. Epiſcopi thronus alias vocabatur βῆμα, *tribunal*, vt in EVSEBIO [z] videre eſt, vbi pœnam enarrat, quam concilium *Antiochenum Paulo Samoſatenſi* inflixit, eo quod *tribunal & ſublimem thronum non vt Chriſti diſcipulus ſibi ipſe conſtruxerat, & ſecretum, perinde ac ſæculares magiſtratus, ita appellatum habuerat.* Atque hinc vniuerſum ſanctuarium ſæpenumero βῆμα vocabatur, vt antea oſtendimus. *Latinis* thronus epiſcopi vſitatius *ſedes* & *cathedra* dicitur, vnde *anglicana* vocabula noſtra *cathedral* & *ſee* pro eccleſia, vbi epiſcopi cathedra ſeu ſedes fixa eſt, adhiberi ſolita ortum ſuum habent. Quemadmodum ſederint, a GREGORIO NAZIANZENO in deſcriptione templi *Athanaſiæ* diſcimus, vbi de ſe ipſo, tamquam epiſcopo [a], alto throno conſidente, & de

ria, eiusque arbitrio commiſſum, vt quos ſecum adducendos iudicaret, ipſe eligeret: id enim non niſi metropolitæ conuenit. cetera.

(x) Vid. Naz. de vita ſua p. 6. b.

Κάμπτει βιαίως εἰς θρόνων τοὺς δευτέρους.
Per vim *ſecundis* collocat me in *ſedibus*.

Id. ſomn. Anaſtaſ. v. 4. ſeq. vid. ſub litt. ſeq. (a)

(xx) Lib. II. c. IX. §. VII. vol. I. pag. 140. 141. & ibid. c. XIX. §. V. p. 270. 271.

(y) Athanaſ. epiſt. ad Solitar. tom. I. p. 847. θρόνον καὶ συμψέλλια vid. ſub litt. (g) pag. 214.

(z) Euſeb. lib. VII. c. XXX. Βῆμα μὲν καὶ θρόνον ὑψηλὸν ἑαυτῷ κατασκευασάμενος, οὐχ ὡς χριστοῦ μαθητὴς, σήκρητον δὲ ὥσπερ οἱ τοῦ κόσμου ἄρχοντες, ἔχων τε καὶ ὀνομάζων.

(a) Nazianz. ſomn. Anaſt. tom. II. p. 78.

Ἕζεσθαι δοκέεσκον ὑπέρθρονος, οὐχ ὑπέροφρυς,
Οὐδὲ γὰρ οὐδ' ὄναρ που ἀτηγορίην.
Οἱ δέ μοι ἀμφοτέρωθεν ὑφεδριόωντο γεραιοὶ,
Ποίμνης ἡγεμόνες, ἔκκριτος ἡλικίη.
*SEDE ALTA, haud alta conſidere mente videbar:*
*Nam neque per ſomnum mente ſuperbus eram.*
*PRESBYTERIque graues SELLIS VTRIMQVE SEDEBANT*
*DEMISSIS, ætas lecta ducesque gregis.*

presbyteris iuxta ſe vtrimque ſubſelliis demiſſioribus ſedentibus loquitur. Atque in hunc modum ab auctore *constitutionum* [*b*] & THEODORETO [*c*] ſeſſio eorum deſcribitur, qui thronum epiſcopi hoc intuitu *cathedram in medio poſitam* vocant. Sunt etiam viri quidam docti [*d*], qui hæc omnia ad ſynagogarum *iudaicarum* imitationem facta eſſe ſtatuunt, in quibus ſecundum MAIMONIDEM ad ſuperiorem partem verſus terram ſanctam lex ad parietes poſita fuit in arca quadam, & vtrimque ſeniores in forma ſemicirculi ſederunt. Sedes epiſcopi vt plurimum decenti aliquo tegmine, dignitati officii ac perſonæ ipſius accommodato, velata erat. Quomodo ex ATHANASII *apologia* ſecunda [*e*] ad *Conſtantium* diſcimus, vbi interrogat: *Quare, qui throni epiſcopali modo ornati vicem lamentantur, epiſcopum in illo ſedentem interficere conantur?* Et AVGVSTINVS [*f*] manifeſto ad hoc alludere videtur, quando *Maximino Donatiſtarum* epiſcopo ſcribens: „In futuro Chriſti iudicio, inquit, nec apſides gradatæ, nec *CATHEDRAE VELATAE*, nec ſanctimonialium occurſantium atque cantantium greges adhibebuntur ad defenſionem, vbi cœperit accuſare conſcientia, & conſcientiarum arbiter iudicare. Quæ hic honorant, ibi onerant: quæ heic releuant, ibi grauant. Ipſa, quæ pro tempore propter eccleſiæ vtilitatem honori noſtro exhibentur, defendentur forte bona conſcientia, defendere autem non poterunt malam.

### §. XI.

#### *Et altaris, ſeu menſæ communionis.*

HIC ſine dubio poſitus olim fuit thronorum epiſcoporum ac presbyterorum in eccleſia chriſtiana, quemadmodum in di-

(*b*) Conſtit. apoſt. lib. II. c. LVII. Κείσθω δὲ μέσος ὁ τοῦ ἐπισκόπου θρόνος· παρ' ἑκάτερα δὲ αὐτοῦ καθιζέσθω τὸ πρεσβυτέριον. Sit *ſolium epiſcopi in medio poſitum* & ex vtroque eius latere ſedeant presbyteri.

(*c*) Theodoret. lib. VII. c. III. εἰ ὁ μέσος θῶκος τὴν ἔριν γεννᾷ, ἐγὼ καὶ ταύτην ἐξελάσαι πειράσομαι. Si *cathedra in medio poſita* contentionem facit, eam ego auferre conabor.

(*d*) Vid. *Biſhop* Hooper *diſc. of Lent. par. 2. chap. 6. p. 249.*

(*e*) Athan. apol. II. tom. I. p. 736. edit. Pariſ. MDCXXVII. (p. 138. a. edit. Pariſ. MDCXCVIII.) Πῶς οἱ θρόνον τὸν ἐστολισμένον ἐπισκοπικῶς ὀδυρόμενοι, τὸν ἐν αὐτῷ καθήμενον ἐπίσκοπον ἀνελεῖν ζητοῦσι.

(*f*) Aug. ep. CCIII. (tom. II. opp. p. 829. c. edit. Baſil. MDLXIX.)

versis priscarum structurarum delineationibus ob oculos repræsentantur. Vnde porro facile fuerit ad obseruandum, quod locus mensæ communionis seu altaris parieti ad superiorem partem haud fuerit contiguus, sed paruo quodam interuallo ab eo separatus; ita vt thronus episcopi a tergo eius consistere posset, & satis spatii ad circumeundum altare relinqueretur. Hoc satis manifestum videtur ex locutione quadam in SYNESIO [g], qui de imposita sibi sanctuarium comprehendendi necessitate loquens, primum ad Dei templum se accedere; tum *altare circumire* velle, dicit. Quod indicat, ita positum fuisse altare, vt circumiri potuerit. Et hæc EVSEBII opinio est, qui de episcopi ac presbyterorum thronis in ecclesia *Paulini* loquutus, addit, quod sanctum sanctorum [h], altare videlicet, in medio constituerit. Quod non ita interpretandum est, vti nonnulli perperam acceperunt, quasi altare in medio nauis ecclesiæ positum fuerit, sed in medio bematis seu sanctuarii, & ea quidem distantia a superiore extremitate, vt synthronus, hoc est, sedes episcopi ac presbyterorum post illud locum habere potuerint. AVGVSTINVS ad eamdem hac rem respicere videtur, quando dicit: *Christus quotidie pascit. MENSA [i] ipsius est illa IN MEDIO CONSTITVTA.* Et in concilio *Constantinopolitano* sub *Menna* [k] in tali positu repræsentatur, vt circumiri posset. Nam ibi relatum legitur, quod, quum *Leonis* papæ & quorumdam aliorum nomina, quæ e diptychis expuncta fuerant, denuo illis inserta essent, multitudo populi lætitia gestiens, sancta lectione iuxta consuetudinem lecta, tempore diptychorum cum magno silentio altare circum circa cucurrerit atque audierit. HAMMONDO [l] & aliis quibusdam viris eruditis non improbabile videtur, quod hic altaris positus in ecclesiis christianis quodammodo ad imitationem altaris in templo *iudaico* fuerit, ad quam rem psal-

(g) Synes. catastas. p. 203. Βαδιοῦμαι πρῶτον ἐπὶ τὸν νεὼν τοῦ Θεοῦ· κυκλώσομαι τὸ θυσιαστήριον.

(h) Euseb. lib. X. c. IV. τὸ τῶν ἁγίων ἅγιον θυσιαστήριον ἐν μέσῳ θείς.

(i) Aug. serm. XLVI. de verbi domini tom. X. p. 68. edit. Par. MDCXXXVII.

(k) Conc. Constant. act. V. (tom. V. conc. p. 185. c.) τοῦ ἁγίου μαθήματος κατὰ τὸ συνηθὲς λεχθέντος καιρῷ τῶν διπτύχων συνέδραμον ἅπαν τὸ πλῆθος κύκλῳ τοῦ θυσιαστηρίου.

(l) Hammond. contr. Blondel. dissert. c. XIII. n. VIII.

mista adludat, *Lauabo*, inquiens, *manus meas innocentia & circumibo altare tuum.* Psalm. XXVI, 6. vnde phrasin περικυκλῶν θυσιαστήριον, *circumire altare* in antiquis libris ritualibus desumtam esse, existimant.

## §. XII.

### *Vtrumque nomen in ecclesia prisca indiscriminatim vsurpatum.*

MAGNA controuersia sæculo vltimo circa appellationem mensæ communionis excitata est, vtrum *sacra mensa* an vero *altare* dici debeat. Et profecto res quæque hominibus æuo quodam eristico viuentibus materiam controuersiæ suppeditare potest. Sed nihil de istiusmodi disputatione in ecclesia primitiva legimus. Antiqui enim scriptores vtrumque nomen indiscriminatim adhibent; aliis altare, aliis mensam domini, sacram mensam, mensam mysticam, tremendam mensam, & nonnunquam mensam & altare eodem simul sensu appellantibus. MEDVS duobus primis sæculis *altare* dici consueuisse, nec in vllo vtriusque sæculi auctore, qui quidem ad nostra tempora peruenerit, nomen *mensæ* [m] inueniri, existimat. IGNATIVS vocabulo θυσιαστήριον [n] in genuinis suis epistolis vtitur, quarum tres a MEDO adlegantur, quibus lector aliud testimonium ex ipsius epistola ad *Magnesianos* [o] addere potest, vbi vocabulum *templi* & *altaris* vsurpat. IRENAEVS [p] & ORIGENES [q] idem

(m) Med. *disc. of altars* p. 386.

(n) Ignat. ep. ad Ephes. n. V. Μηδεὶς πλανάσθω, ἐὰν μή τις ᾖ ἐντὸς τοῦ θυσιαστηρίου, ὑστερεῖται τοῦ ἄρτου τοῦ Θεοῦ. Nemo erret, nisi quis *intra altare* sit, priuatur pane Dei.

Id. epist. ad Trallian. n. VII. ὁ ἐντὸς θυσιαστηρίου ὢν, καθαρός ἐστιν. Qui *intra altare* est, mundus est.

Id. ep. ad Philadelph. n. IV. ἓν θυσιαστήριον ὡς εἷς ἐπίσκοπος, Vnum altare, sicut vnus episcopus.

(o) Ignat. ep. ad Magnes. n. VII. πάντες οὖν ὡς εἰς ναὸν συντρέχετε Θεοῦ, ὡς ἐπὶ ἓν θυσιαστήριον, ὡς ἐπὶ ἕνα Ἰησοῦν Χριστόν, Omnes itaque velut in vnum *templum* Dei concurrite, velut ad vnum altare, velut ad vnum Iesum Christum.

(p) Iren. lib. IV. c. XXXIV. Sicut & ideo nos quoque offerre vult munus *ad altare* frequenter sine intermissione. Est ergo *altare* in cælis & *templum*, cetera.

(q) Origen. hom. X. in Num. tom. I. p. 207. edit. Basil. MDLXXI. (p. 129. edit. Par. MDCIIII.) Vereor, ne permanentibus in nobis peccatis nostris, accidat

nomen

nomen adhibent, quando de menſa communionis loquuntur. TERTVLLIANVS ſæpe *aram Dei* & *altare* vocat. *Nonne ſolemnior*, inquit, *erit ſtatio tua* (ieiunantis) *ſi & ad aram* [r] *Dei ſteteris*, hoc eſt, corpus domini receperis die ieiunii? Ita etiam in libro [s] *ad vxorem* & *de caſtitate* [t]. Sed in errorem ſeducti ſunt corrupta quadam editione RHENANI, qui librum eius de *pœnitentia* in rem eamdem citant. Quamquam enim in iſta editione [u] legitur *aris Dei adgeniculari*; caſtigatiores tamen editiones docent, legendum eſſe potius *caris Dei adgeniculari*: quo ipſo adluditur ad morem pœnitentium, qui ad fores eccleſiæ ſe proſternebant, vt introëuntium fidelium preces expeterent. CYPRIANVS, diſcipulus TERTVLLIANI, ſæpius vtroque vocabulo *menſæ* & *altaris* vtitur, vt quum verba iſta *Salomonis* Prov. IX, 2. *Sapientia parauit menſam ſuam*, altare chriſtianum [w] præfiguraſſe dicit. Vſitatius tamen nomen *altaris* ſolum adhibet [x], quod certe vſitatiſſimum nomen ipſius ætate in eccleſiis *Africanis* &

nobis illud, quod de ſemetipſis dicunt iudæi, quia non habentes *altare*, neque templum, neque ſacerdotium, & ob hoc nec hoſtias offerentes, peccata, inquiunt, noſtra manent in nobis; & ideo venia nulla ſubſequitur. - - Mandata quidem certa ſunt & euidentia, vt obſeruare debeamus cuſtodias tabernaculi & *altaris* & ſacerdotii.

(r) Tertull. de orat. c. XIV.

(s) Tertull. ad vxor. lib. I. c. VII. Quantum detrahant fidei, quantum obſtrepant ſanctitati nuptiæ ſecundæ, diſciplina eccleſiæ & præſcriptio apoſtoli declarat, quum digamos non ſinit præſidere, quum viduam adlegi in ordinem, niſi vniuiram, non concedit: *aram* enim Dei mundam proponi oportet.

(t) Tertull. de exhortat. caſtit. c. X. †

(u) Tertull. de pœnitent. c. IX.

(w) Cypr. ep. LXIII. ad Cæcil. Per Salomonem ſpiritus ſanctus typum dominici ſacrificii ante præmonſtrat immolatæ hoſtiæ & panis & vini, ſed & *altaris* & apoſtolorum faciens mentionem: *Sapientia*, inquit, ædificauit ſibi domum & ſubdidit columnas ſeptem: mactauit ſuas hoſtias, miſcuit in cratera vinum ſuum, & *parauit menſam ſuam*.
It. teſtimon. aduerſ. Iud. lib. II. c. II. Quod ſapientia Dei Chriſtus, & de ſacramento incarnationis eius & paſſionis & calicis & *altaris* & apoſtolorum, qui miſſi prædicauerunt; apud Salomonem in paroemiis: *Sapientia ædificauit*, cetera.

(x) Vid. Cypr. ep. XL. Aliud *altare* conſtitui, aut ſacerdotium nouum fieri præter vnum *altare* & vnum ſacerdotium non poteſt. Ep. XLII. Conſiderantes pariter & ponderantes, quod in tanto fratrum religioſoque conuentu conſidentibus Dei ſacerdotibus & *altari* poſito, nec legi debeant nec audi-

*latinis* fuisse, indicat. MEDVS etiam ZENONEM VERONENSEM, auctorem sæculi tertii CYPRIANO coæuum, citat, qui quidem satis perspicue de cancellis [y] & altari loquitur; sed iam viri docti [z] concorditer ipsum vltra integrum sæculum reiiciunt, vt adeo haud idoneus sæculi tertii testis sit. Quarti vero sæculi testem adhibere cum possumus; in quo sæculo dicere ausim, vix vllum auctorem de mensa domini loqui, quin eam altare quoque appellitet. Ab altera autem parte certum est, per altare ipsos non intellexisse id, quod *iudæi* & gentiles intellexerunt, hoc est neque aram imaginibus seu idolis ornatam, quemadmodum gentiles aras suas plerumque instruxerunt; neque altare pro offerendis cruentis sacrificiis, qui eorum vsus tam inter *iudæos*, quam gentiles fuit.

## §. XIII.

*Quo sensu veteres se altaria non habere dixerint.*

PRIORE isto sensu veteres altaria, tam quod ad nomen, quam quod ad rem ipsam semper improbarunt. Ipsorum enim altaria nullas imagines supra, vel circa, vel in se habebant, quemadmodum gentilium altaria habebant semper. Et idcirco veteres apologetæ ORIGENES [a], MINVCIVS FELIX [b], ARNOBIVS [c] & LACTANTIVS [d], si gentiles ipsis exprobrarent, quod nulla haberent altaria, rotunde & libere id fatebantur,

ri. Ep. LV. Quid superest, quam vt ecclesia Capitolio cedat, & recedentibus sacerdotibus ac *domini altare* remouentibus, in cleri nostri sacrum venerandumque consessum simulacra atque idola cum aris suis transeant. Ep. LXIV. Quasi post aras diaboli accedere ad *altare Dei* fas sit. Ep. LXX. Sanctificare non potuit olei creaturam, qui nec *altare* habuit, nec ecclesiam.

(y) Zeno serm. IX. ad Neophyt. Ecclesia sacri altaris feliciter enutrita cancellis.

(z) Cau. histor. litter. p. 176. Zeno episcopus Veronensis, quem alii martyrem faciunt & circa annum CCIX. passum esse volunt: sed nulla ratione, nulla auctoritate fulti. Probabile est, claruisse circa annum CCIX. aliquot ante D. Ambrosium annis & fuisse Syagrii Veronensis episcopi decessorem.

(a) Origen. contr. Cels. lib. VIII. p. 389. Ἡμᾶς βωμὺς καὶ ἀγάλματα καὶ νεὼς ἱδρύσθαι φεύγειν. conf. supra cap. I. §. XVI. litt. (hh) pag. 150

(b) Minuc. Octau. p. 29. (p. 31. edit. Hall.) Cur nullas aras habent, templa nulla, nulla nota simulacra?

(c) Arnob. contr. Gent. lib. VI. Non altaria fabricemur, non aras. conf. cap. I. §. XVI. not. (k) p. 150

(d) Lactant. lib. II. c. II. Quid sibi templa, quid aræ volunt? cetera. conf. c. I. §. XVI. pag. 150.

co

eo quidem ſenſu, quo hoc ipſis erat exprobratum: hoc eſt, quod non haberent altaria idolis exornata, & ad idolorum cultum adcommodata, pro qualibus gentiles dimicabant. Simili modo negabant, habere ſe altaria ſenſu *iudaico*, ad offerenda in illis cruenta ſacrificia. Pro myſtico autem ſuo ac incruento ſacrificio, quemadmodum euchariſtiam vocabant, altare ſe habere, numquam non profitebantur, quod indiſcriminatim θυσιαστήριον, *altare*, *aram*, & interdum βωμὸν vocare non dubitabant. Etſi enim MEDVS hoc eos nomine numquam vſos eſſe exiſtimat, planum tamen eſt, ipſos addito vocabulo ἀναίμακτον omnino id feciſſe. SYNESIVS [e] enim loquens de ſacra menſa diſerte eam βωμὸν ἀναίμακτον, *aram incruentam*, nuncupat.

## §. XIV.

### *De nominibus* menſæ ſacræ, menſæ myſticæ, *aliisque appellationibus.*

VERVMTAMEN hi ipſi auctores, vt tanto diſtinctius loquantur, plerumque nomen *menſæ* pro *altari* adhibent, addito ſingulari quodam epitheto, peculiarem eius in eccleſia chriſtiana vſum indicante. In CHRYSOSTOMO [f] vſitate dicitur τράπεζα μυστική, φρικώδης, ἱερά, *menſa myſtica*, *tremenda*, *ſacra*; nonnumquam *ſpiritualis*, *diuina*, *regia*, *immortalis*, *cæleſtis menſa*; quorum nominum exempla bene multa, a SVICERO [g] ex hoc

(e) Syneſ. cataſt. p. 304. Οὐ μὴν ὅγε θεὸς περιόψεται τὸν βωμὸν τὸν ἀναίμακτον ἱερέως αἵματι μιαινόμενον, Neque vero *aram illam incruentam* Deus ſacerdotis cruore pollutam negliget.

(f) Chryſoſt. hom. XXI. Quod oportet hæreſes eſſe, tom. V. p. 313. (hom. XX. tom. V. p. 281. d. edit. Francof. MDCLXXXIV.) εἶτα ἐπὶ τὴν μυστικὴν τράπεζαν ἐξάγει τὸν λόγον, μειζόνως αὐτοὺς φοβῆσαι βουλόμενος. *Ad myſticam menſam* deinde ſermonem conuertit, plus ipſos volens terrere.

Ibid. Εἰ γὰρ ἡ τράπεζα ἡ φρικώδης κοινὴ πᾶσι πρόκειται καὶ πλουσίῳ καὶ πένητι κ. τ. λ. Tametſi *tremenda illa menſa* ex æquo omnibus, diuiti & pauperi proponitur.

It. hom. XXXIX. de pentecoſt. p. 553. (p. 494. fin. edit. Francof.) ὅταν παρὰ τὴν ἱερὰν ταύτην ἑστήκῃ τράπεζαν· ὅταν τὴν φρικτὴν ἐκείνην θυσίαν ἀναφέρειν μέλλῃ, Quum *huic ſacræ menſæ* adſiſtit, quum tremendum ſacrificium eſt oblaturus.

(g) Suic. theſ. eccleſ. voce τράπεζα. A Chryſoſtomo vocatur φοβερὰ καὶ μυστικὴ τράπεζα *tremenda & myſtica menſa*. In Pſalm. CXLV. Πνευματικὴ τράπεζα

auctore collecta, videre lector poteſt. AVGVSTINO [h] vt plurimum dicitur *menſa domini*, vnde *menſa Cypriani* in hoc auctore vel altare [i] ſignificat, vel eccleſiam, in loco, quo CYPRIANVS martyrium paſſus erat, erectam. Facile foret, ſexcenta alia teſtimonia ex ATHANASIO, SYNESIO, SOCRATE, SOZOMENO, PAVLINO, & reliquis iſtius æui ſcriptoribus proferre in medium, in quibus altare ſacram menſam appellant, ad ſignificandam nobis animi ſui ſententiam de ſacrificio chriſtiano & de altari ſimul, quod myſticum ſit, & ſpirituale, nec ad cruenta *iudæorum* ſacrificia, nec ad multo abſurdiorem *gentilium* idololatriam ſpectet, ſed tantum celebrationi euchariſtiæ & oblationibus populi inſeruiat.

## §. XV.

### *Altaria generatim ex lignis confecta vſque ad tempora* Conſtantini.

SI quis priſcorum altarium materiam ac formam noſſe aveat, is AVGVSTINO docente intelliget, ea ipſius quidem ætate in *Africanis* eccleſiis ex ligno fuiſſe fabricata. Loquens enim de magna ignominia, qua *Donatiſtæ* epiſcopum quemdam catholicum, dum ad altare miniſtraret, adfecerant, ſtantem ad altare fuſtibus & huiusmodi telis, *lignis* [k] denique eiusdem *altaris* effractis, immaniter cecidiſſe, dicit. Hoc ipſum teſtimonio etiam OPTATI confirmatur, qui *Donatiſtis* ſacrilegum altari-

*ſpiritualis menſa.* In Pſalm. XC. μυστικὴ τράπεζα *myſtica menſa.* Sic etiam a Gregorio Nazianzeno orat. XL. p. 660. Αἰδέσθητι τὴν μυστικὴν τράπεζαν, ᾗ προσῆλθες· τὸν ἄρτον, οὗ μετείληφας· τὸ ποτήριον, οὗ κεκοινώνηκας, τοῦ χριστοῦ πάθεσι τελειούμενος. Reuerere *myſticam menſam*, ad quam acceſſiſti: panem, cuius particeps factus es: calicem, quem accepiſti, cum Chriſti paſſionibus initiareris. Βασιλικὴ τράπεζα, *regia menſa* a Chryſoſtomo homil. XXIV. in I ad Corinthios & homil. XVII. in epiſt. ad Hebræos. Ἀθάνατος τράπεζα, *immortalis menſa* ab eodem hom. XIII. in epiſt. ad Hebræos. Ἱερὰ τράπεζα, *ſacra menſa*, ab eod. homil. X. tom. V. p. 40. Φρικτὴ τράπεζα, *tremenda menſa* ab eod. hom. XXI. tom. V. p. 120. φρικτὴ καὶ θεία τράπεζα, *tremenda & diuina menſa*, homil. LXXII. tomi eiusd. p. 518. φρικώδης τράπεζα, *formidabilis menſa* ab eod. homil. XXI. tom. V. edit. Par. pag. 313.

(*h*) Auguſt. epiſt. LIX. ad Paulin. (tom. III. opp. p. 299. d. edit. Baſil. MDLXIX.) Vt precationes accipiamus dictas, quas facimus in celebratione ſacramentorum, antequam illud, quod eſt in *domini menſa*, incipiat benedici.

(*i*) Homil. XXVI. ex editis a Sirmondo, *ad menſam Cypriani.*

(*k*) Aug. ep. L. ad Bonifac. p. 84. edit. Par. MDCXXXVII.

um

um catholicorum abuſum exprobrans, ita fatur [*l*]: „Quid eſt „altare, niſi ſedes & corporis & ſanguinis Chriſti! Hæc omnia „furor veſter aut raſit, aut fregit, aut remouit. Hoc igitur in„expiabile nefas, ſi de aliqua ratione deſcendit, vno modo fi„eri debuit. Sed, vt æſtimo, alio loco *copia lignorum* frangi „iuſſit, alio, vt altaria raderent, *lignorum inopia* imperauit, vt „remouerentur, ex parte verecundia iuſſit: vbique tamen ne„fas eſt, dum tantæ rei manus ſacrilegas & impias intuliſtis. „Quid perditorum conductam referam multitudinem, & vinum „in mercedem ſceleris datum? Quod vt immundo ore ſacrile„gis hauſtibus biberetur, calida *de fragmentis altarium* facta eſt. ATHANASIVS occaſione data itidem narrat, quod ipſorum menſæ communionis *ligneæ* fuerint in ſimili de *Arianis* hiſtoria, qui furore ſuo perciti, vt ipſe queritur, eccleſiam intrarant, & arrepta ſubſellia & thronum & *menſam*, *quæ lignea* [*m*] *erat*, & vela eccleſiæ, & alia quæcumque potuerant, foras elata combuſſerant. Vt adeo dubium non ſit, quin circa hoc tempus altaria ligneæ tantum menſæ in *Africa* & *Aegypto* fuerint, quum hæc teſtimonia id ſatis plane indicent. BONA [*n*] cardinalis ipſis perſecutionis temporibus altaria *lapidea* fuiſſe credit, at vero huius rei documentum nullum, niſi opinationem ſuam, adfert. Sed generatim ab HOSPINIANO [*o*] aliisque viris doctis, inde a temporibus *Conſtantini* vna cum ſplendidis ac magnificis templis originem ſumſiſſe, creduntur. *Liber pontificalis* de argenteis altaribus, a *Conſtantino* dedicatis, loquitur: Et GERSON ac alii, ab HOSPINIANO adlegati, *Sylueſtrum* papam, qui *Conſtantini* tempore vixit, decreti, quod omnia altaria de lapidibus exſtrui debeant, auctorem eſſe ſtatuunt. Sed hæc teſtimonia nullum pondus habent, & narrationes ſibi inuicem contradicunt.

(*l*) Optat. lib. VI. p. 94. edit. Par. MDCXXXI. (p. 111. 112. edit. Par. MDCLXXIX.)

(*m*) Athan. epiſt. ad ſolitar. vitam agentes tom. I. p. 847. edit. Par. MDCXXVII.) vid. ſupr. §. VIII. lit. (g) pag. 214.

(*n*) Bon. rer. liturg. lib. I. c. XX. n. I. Primis eccleſiæ ſæculis an lignea fuerint vel lapidea fuerint (altaria), non liquet. Vtraque crediderim, tempore perſecutionis vſitata, prout rerum locorumque opportunitas ferebat.

(*o*) Hoſpin. de templis lib. II. c. VI. p. 34. edit. Tigur. MDLXXXVII. (p. 86. edit. Geneu. MDCLXXXI.) Nec tamen negare auſim, Conſtantini M. tempore cum magnificis templis etiam magnifica & ſplendida altaria multis in locis originem ſumſiſſe eaque fixa & de lapidibus aut ſimili materia exſtructa fuiſſe.

Quod certum hac in re eſt, hoc eſt: Quod GREGORII NYSSENI ætate altaria in nonnullis locis lapidea eſſe cœperint. Nam in ſermone ſuo in baptiſmum *CHRISTI* de lapideo quodam altari loquitur. *Altare hoc ſanctum*, inquit, *cui adſiſtimus, lapis* [*p*] *eſt natura communis, nihil differens ab aliis cruſtis lapideis, ex quibus parietes noſtri exſtruuntur, & pauimenta exornantur: ſed quoniam Dei cultui conſecratum atque dedicatum eſt, ac benedictionem accepit, menſa ſancta, altare immaculatum eſt, quod non amplius ab omnibus ſed ſolis ſacerdotibus iisque venerantibus contrectatur.* Sæculo præcipue inſequenti generale quoddam decretum in *Gallia* in concilio *Epaunenſi* [*q*] an. DIX. factum legimus, quod non niſi lapidea altaria conſecrari oporteat. Et hoc primum publicum documentum in hoc genere eſſe videtur, quod ex genuino antiquæ hiſtoriæ monumento habemus. Ex quo autem tempore eorum materia mutata eſt, forma ipſorum itidem mutationem admiſit. Nam quum antea ſimilitudinem menſarum referrent, iam erigi incipiebant, forma ad ararum figuram propius accedente, dum vel vni tantum columnæ ſuperiacebant, vel quadro ſuperpoſita ædificio tumuli formam referebant, tamquam martyrum ſepulchra, qualia etiamnum in catacombis *Romæ* [*r*] aliisque in locis conſpici BONA fidem nobis facit.

---

(*p*) Gregor. Nyſſen. de baptiſmo Chriſti tom. III. p. 369. Τὸ θυσιαστήριον τοῦτο τὸ ἅγιον, ᾧ παρεστήκαμεν, λίθος ἐστὶ κατὰ τὴν φύσιν κοινὸς, οὐδὲν διαφέρων τῶν ἄλλων πλακῶν, αἳ τοὺς τοίχους ἡμῶν οἰκοδομοῦσι, καὶ καλλωπίζουσι τὰ ἐδάφη· ἐπειδὰν δὲ καθιερώθη τῇ τοῦ Θεοῦ θεραπείᾳ, καὶ τὴν εὐλογίαν ἐδέξατο· ἐστι τράπεζα ἁγία, θυσιαστήριον ἄχραντον, οὐκέτι παρὰ πάντων ψηλαφώμενον, ἀλλὰ μόνων τῶν ἱερέων, καὶ τούτων εὐλαβουμένων.

(*q*) Conc. Epaun. c. XXVI. (tom. IV. conc. 1579.) Altaria niſi lapidea vnctione non ſacrentur.

(*r*) Bona rer. liturgic. lib. I. c. XX. n. I. Erant olim diuerſæ altarium ſtructuræ: nam aliquando vni tantum columnæ menſa lapidea ſuperiacebat, quale deſcribitur lib. XX. *hiſtoriæ miſcellæ* altare Deiparæ virginis in Blachernis, qualia ſunt etiam hodie altaria quædam ſubterranea Romæ in eccleſia S. Cæciliæ. Aliquando quatuor columnis eadem menſa ſuffulta erat, & de his altaribus loquitur Syneſius in fine *cataſtaſis: Sacratas columnas amplectar, quæ puram & incontaminatam a terra menſam ſuſtinent.* Interdum duæ ſolæ columnæ ex vtroque latere ipſum altare ſuſtinebant: ſuntque adhuc Romæ in cryptis & cœmiteriis quædam huiusmodi altaria duabus vel pluribus innixa columnis, quibus chriſtiani tempore perſecutionis ibidem latentes vtebantur: Denique nonnulla quadro ſuperpoſita ædificio tumuli formam re-

§. XVI.

## §. XVI.

### *Nonnisi vnum altare olim in vna aliqua ecclesia.*

OPPORTVNIVS forte heic obseruauerim, antiquitus non nisi vnum altare in templo quodam fuisse. *Vnum altare* [s], *vnus episcopus*, notus IGNATII aphorismus est. Quo intuitu EVSEBIVS altare in templo *Paulini* in vrbe *Tyro*, μονογενὲς θυσιαστήριον, *vnigenam aram*, vocare creditur, quemadmodum hanc in rem fideliter obseruarit HABERTVS [t], qui ingenue fatetur, moris antiqui & constantis in ecclesiis *Graecorum* fuisse, vt vnum ac singulare templi vnius altare esset; quod vt demonstret, ATHANASIVM, NAZIANZENVM, SYNESIVM, SOCRATEM, THEODORETVM, EVAGRIVM multosque alios citat. BONA [u] curiae *Romanensis* purpuratus, itidem fatetur, se contrariae praxeos vestigia inuenire non potuisse, vsque ad tempora *Gregorii magni*,

ferebant, tamquam martyrum sepulcra; quae proprie altaria quasi altae arae dicebantur.

(s) Ignat. ep. ad Philadelph. n. IV. Ἓν θυσιαστήριον, ὡς εἷς ἐπίσκοπος. Vid. ep. ad Magnes. n. VII. Πάντες ὡς εἰς ἕνα ναὸν συντρέχετε θεοῦ, ὡς ἐπὶ ἓν θυσιαστήριον, Omnes velut in vnum templum Dei concurrite, velut ad *vnum altare*.

(t) Habert. archierat. p. 661. ex Euseb. lib. X. c. IV. Vnitas altaris ab vnitatis Christi analogia: vnde eleganter θυσιαστήριον μονογενὲς, *vnigenam aram* vocat vetus ecclesiae Tyriorum orator in panegyrico encaeniorum, qui Paulino Tyri episcopo dictus est, quem adeo magni fecit Eusebius Caesariensis, vt eam historiae suae libro X. insereret. - - - Graeci ab illo patres, tractatores & historici vnius in vna ecclesia altaris meminerunt. S. Athanasius in apologia ad Constantium, S. Gregor. Nazianz. orat. XXXII. in concilio Constantinop. habita. Synesius in catastasi, βαδιοῦμαι πρῶτον ἐπὶ τὸν νεὼν τοῦ Θεοῦ, κυκλώσομαι τὸ θυσιαστήριον· δάκρυσι βρέξω τὸ τιμαλφέστατον ἔδαφος, *Primum ad Dei templum accedam, circumibo altare. Lacrimis pauimentum perfundam* cetera. Et postea idem altare ad eum modum, quo in hoc ritu describitur, innuit, προσφύσομαι τῶν κιόνων τῶν ἱερῶν, αἳ τὴν ἄσυλον ἀπὸ γῆς ἀνέχουσι τράπεζαν, βωμὸν τὸν ἀναίμακτον, *Sacras columnas amplectar, quae a terra incontaminatam mensam sustinent: altare incruentum* cetera. Sic vnius altaris meminere Socrates lib. I de Alexandro CP. εἰς τὸ θυσιαστήριον εἰσελθὼν, ὑπὸ τὴν ἱερὰν τράπεζαν ἑαυτὸν ἐπὶ στόμα ἐκτείνας, *ad altare ingressus & sub mensa sacra se extendens* &c. Ita Theodoretus lib. IV. c. XX. Euagrius lib. V. c. XXI. Theophylactus histor. Mauric. lib. V. c. XIV. Nicephorus Patr. Constantin. Porphyrogen. Zonaras, Cedrenus, Nicetas & alii passim. Codinus in originibus ad finem, in descriptione S. Sophiae.

(u) Bona rer. liturg. lib. I. c. XIV. n. III. Non leue tandem indicium missae peculiariter actae praebet *altarium multitudo* in eadem ecclesia, de quibus ve-

 & tunc

& tunc quidem in ſola eccleſia *latina*. *Græcos* enim priſtinum morem conſtanter retinuiſſe adfirmat. Putat quidem, conſuetudinem contrariam in *latina* eccleſia antiquam eſſe, at enim vero hoc ſine teſtimoniis libenter ſe credere, modo oſtendit. Et SCHELSTRATVS [w] propterea ipſum merito reprehendit, ex OPTATO & AVGVSTINO, *Latinos* æque ac *Græcos* vnum duntaxat altare in ſingulis eccleſiis tunc habuiſſe, demonſtrans. OPTATVS [x] enim de altari in eccleſia *Cypriani* loquitur, tamque vnico & ſingulari, tam *Cypriani* ætate & poſtea, & hinc *Donatiſtas* ſchiſmaticos eſſe, infert, quia ab altari *Cypriani* exierint foras & altare contra altare erexerint. Et AVGVSTI-

terum patrum teſtimonia non deſunt. Gregorius Magnus *lib. V. ep. L.* ad Palladium Santonenſem epiſcopum: *Veniens*, inquit, *lator præſentium inſinuauit nobis, fraternitatem veſtram eccleſiam conſtruxiſſe, atque illic tredecim altaria collocaſſe, ex quibus quatuor recdum dedicata comperimus remanſiſſe.* Loquitur autem de altaribus ad vſum ſacrificii - - - *Plura* item *altaria* Romæ fuiſſe in baſilica principis apoſtolorum, non ſolum ad orientem iuxta ritum eccleſiæ, ſed & in alias partes diſtributa ſeribit Walfridus c. IV. - - - Græcorum alia eſt conſuetudo, *vnicum* enim *altare* in ſingulis eccleſiis habent, nec fas eſſe putant, intra ſepta eiusdem templi ſacrum eadem die iterare. Ideo patres & hiſtorici græcì *vnius tantum altaris* in vna eccleſia mentionem faciunt. cetera.

(w) Schelſtrat. concil. Antioch. p. 195. Quum altaris mentio facta eſt, notandum cum Chriſtiano Lupo, olim in baſilicis vnicum duntaxat fuiſſe altare, idque alte clamare antiquas Romanorum baſilicas, in quibus altare inuerſo modo conſtructum videmus ad initium ſacrarii, vnde & celebrans non reſpicit ad tribunal aut ſynthronum, ſed potius ad fideles & populum: Africæ baſilicas deſcribit S. Optatus Mileuitanus epiſcopus libro I. contra Parmenianum: *Conferta*, inquit, *erat eccleſia populis; plena erat cathedra epiſcopalis: erat altare loco ſuo, in quo pacifici epiſcopi retro temporis obtulerunt, Cyprianus, Lucianus & ceteri. Sic exitum eſt foras & altare contra altare erectum eſt.* Ac ſi diceret, Carthaginenſem baſilicam, in qua Cyprianus & Lucianus obtulerant, vnicum duntaxat habuiſſe altare loco ſuo collocatum. Hinc & magnus Hipponenſis antiſtes Auguſtinus tractatu III. in epiſtolam Ioannis: *Si cum Donatiſtis in vnitate ſumus, quid in hac ciuitate faciunt duo altaria?* Altaria pro baſilicis ſumit Auguſtinus, ac ſi diceret, duas baſilicas habuiſſe duo duntaxat altaria, quorum vnum alteri eſſet oppoſitum, vnde ſcripſit S. Optatus, *altare contra altare* fuiſſe erectum. Et hinc colligitur, immerito dubitare eminentiſſimum cardinalem Bona lib. I. rer. liturgic. c. XIV. num. III. num olim in latinis eccleſiis vnicum dumtaxat altare fuerit. cetera.

(x) Optat. lib. I. p. 42. edit. Par. MDCXXXI. Conferta erat eccleſia, cetera vid. litt. antec. (w)

NVS

NVS [y] ex eodem fundamento aduersus eos disputat, quod non oporteat esse duo altaria episcopalia in vna ciuitate. Hoc vnum duntaxat altare in singulis ecclesiis inter *Latinos* æque ac *Græcos* supponit; atque ita CHRISTIANVS LVPVS [z], & PAGIVS, [a] eruditus ille *annalium* BARONII emendator, constantem veteris ecclesiæ consuetudinem fuisse, adfirmant. Quamquam nunc, (vt videamus, quanta in posterioribus sæculis accessio facta sit) non minus viginti quinque altaria, præter magnum illud altare, in basilica *Petri* in vrbe *Roma*, inueniuntur; & mensura vniuscuiusque lateris huius ipsius magni altaris est pedum XXV. mensuræ quadratæ, cui crux super imposita est XXV. palmos alta, quemadmodum POTTERVS ex ONVPHRIO & ANGELO ROCCA, in libro suo ingenioso [b] de *numero bestiæ apocalypticæ* 666. obseruat.

§. XVII.

*Aliquando non nisi vnum in vna quadam ciuitate, etsi diuersæ ecclesiæ, secundum quosdam auctores.*

SVNT, qui hanc obseruationem de vno altari in ecclesia paullo vlterius vrgent, rati, olim non nisi vnum altare in tota quadam ciuitate, vel diœcesi & prouincia ad episcopum aliquem spectante, fuisse; etiamsi forte multæ minores ibi essent ecclesiæ, vt multæ synagogæ fuerunt inter *iudæos*, quamlibet vnum tantum templum & altare vnum habentes. MEDVS [c]

(y) Augustin. hom. III. in 1 Ioan. Sicut Donatistis, cetera vid. litt. antec. (w).

(z) Lupus concil. tom. III. respons. ad Michael. Cerular.

(a) Pagi critic. in Baron. an. CCCXIII. n. XV. (n. XVII. edit. Antuerp.) Lupus tomo III. conciliorum in responsis ad Michaëlis Cerularii calumnias notat, primis ecclesiæ temporibus ob paucitatem fidelium non fuisse in ciuitatibus plures quam vnam ecclesiam, in ecclesia vnum, non plura altaria, & ad altare illud vnum, non plura sacrificia eodem die fuisse oblata.

(b) Synops. criticor. in Apocal. XIII, 18. In ecclesia S. Petri Romæ XXV. altaria numerat Onuphrius, præter magnum illud altare, cui crux superimposita est XXV. palmas alta, teste Angelo Rocca. Magni huius altaris figura quoque est perfecte cubica, & mensura vniuscuiusque lateris est pedum XXV mensuræ quadratæ, vt dicunt Baronius & Onuphrius. Numerus quoque XXV. in omnibus ipsorum altaribus manifesto imprimitur, Christi vulneribus, vt vocant, in quinque locis diuersis impressis.

(c) Mede *disc. of churches* p. 326. (Hunc auctorem non habeo. In Iustino martyre hæc verba reperio p. 99. a. edit. Paris. MDCXXXVI. τὴν τῦ ἡλίυ ἡ-

ita

ita fuisse existimat, quando IVSTINVS MARTYR apologiam suam secundam scripsit, quod die solis omnes, qui sint in oppidis ac villis, ad eucharistiæ celebrationem conuenire dicat. Idem ex diuersis CYPRIANI [d] epistolis colligit, vbi episcopum inter & altare mutuus respectus declaratur. CHRISTIANVS LVPVS & PAGIVS [e], hanc consuetudinem intra mœnia *Romæ* ad tempus vsque *Innocentii I.* durauisse, sentire videntur. Hic enim epistola quadam sua [f] videtur dicere, quod presbyteri diuersorum titulorum seu minorum ecclesiarum intra ciuitatem constitutarum, sacramentum de altari episcopi singulis diebus dominicis ad se missum acceperint; presbyteri autem, per diversa cœmiteria seu ecclesias extra mœnia constituti, libertatem eucharistiam in illis consecrandi habuerint, quia sacramenta procul deferri non oportuerit. MAVRITIVS [g] autem, &

μέραν κοινῇ πάντες τὴν συνέλευσιν ποιούμεθα. *Solis die communiter omnes conventum agimus*, quæ vero non penitus id probare videntur, ad quod probandum a Medo pariter & Binghamo adlegantur.)

(d) Cyprian. epist. XL. vid. supra §. XII. litt. (x) pag. 223. vide sis etiam epist. LXXII. LXXIII.

(e) Pag. critic. in Baron. an. CCCXIII. n. XV. edit. Par. MDCLXXXIX. (n. XVII. edit. Antuerp. MDCCV. fol.) Quæ omnia ex variis antiquitatis monumentis constant, ex quibus apparet, vsum obtinuisse, vt episcopi diebus dominicis in ecclesia sacrificium offerendo præsentem populum ex oblatis communicarent, ad absentem vero ex oblatis consecratis mitterent. Hinc Iustinus Martyr in apologia pro christianis testatur, diebus solis seu dominicis sacramenta per diaconos ad absentes delata fuisse. Per absentes autem non solum infirmos & captiuos, sed etiam sacerdotes, qui missæ pontificali adesse non poterant, Lupus intelligit.

(f) Innocent. I. epist. I. ad Decent. c. V. (citante Pagio ibid. & tom. II. conc. p. 1247.) De fermento, quod die dominica per titulos mittimus, superflue nos consulere voluisti, quum omnes ecclesiæ nostræ intra ciuitatem sint constitutæ. Quorum presbyteri, quia die ipsa propter plebem sibi creditam nobiscum conuenire non possunt, idcirco fermentum a nobis confectum, per acolythos accipiunt, vt se a nostra communione, maxime illa die, non iudicent separatos. Quod per parochias fieri debere non puto, quia nec longe portanda sunt sacramenta: nec nos per cœmiteria diuersa constitutis presbyteris destinamus & presbyteri eorum conficiendorum ius habeant, atque licentiam.

(g) Maurice diocés. episc. p. 38.
Bona rer. liturg. lib. I. c. XXIII. n. IX. differt in hoc, vt vnamquamque ecclesiam proprias habuisse oblationes ex iisque eucharistiam consecrasse, opinatur. *Nemo certe*, inquit, *absurdum, aut a moribus ecclesiæ, prout illa*

alii

alii viri docti, *Romanos* titulos numquam non menſas communionis habuiſſe, communionemque in illis inde ab initio celebratam, & tantummodo panem conſecratum ex oblationibus, ſuper altari epiſcopi factis, ad illos miſſum fuiſſe, exiſtimant. Oblationes enim primum ad altare duntaxat epiſcopi factas & ſemper ad altare epiſcopi benedictas, etſi non ſemper ibidem conſecratas, fuiſſe ſentiunt. Quo intuitu nomen altaris altari eccleſiæ epiſcopalis peculiariter & proprie adſignari poteſt. Nihil hac in controuerſia diiudicare aut decidere mihi ſumo, quum res ſit magna obſcuritate inuoluta, ſed ipſi lectori eam dirimendam relinquo. HAMMONDVS [*h*] idem de hoc argumento ſtatuit, *In re incomperta*, inquiens, *non eſt audacter nimis pronuntiandum.* Quare illud ſolum hac de re adhuc dicam, quod nihil ad ſic dictorum *Independentium* faciat opinionem, (vti quidem nonnulli dictitant) vt vt certum ſit, fuiſſe initio vnum duntaxat altare in vnaquaque diœceſi. Nam hoc nihil obſtante plures eſſe potuerunt eccleſiæ. Quod ſi vero propter paucitatem fidelium non niſi vna fuerit in aliqua diœceſi eccleſia; non tamen ſequitur, vt plures eſſe non debuerint, ipſorum numero in ciuitate vel territorio quodam in tantum aucto, vt vna eccleſia eos capere haud poſſet.

## §. XVIII.

### *De* ciborio, *ſeu canopeo altaris.*

SED reuertimur ad inſtitutum. In quibusdam ſplendidioribus eccleſiis, cuiusmodi erat *Sophiana*, altare canopeo quodam obtectum erat, quod a forma ſua a PAVLO SILENTIARIO [*i*]

---

*ferebant tempora, alienum exiſtimabit, quod presbyteri Romani accepta a pontifice euchariſtia, quæ fermentum dicebatur, miſſam nihilominus diebus dominicis agerent, & alium panem, oblatum de more a fidelibus, conſecrarent, atque ex vtroque ſe & alios communicarent.*

(*h*) Hammond. diſſert. contr. Blondel. III. c. VIII. n. XV.

(*i*) Paul. Silent. part. II. v. 303. ſqq.

Χρυσείης δ' ἐφύπερθε παναχράντοιο τραπέζης,
Ἄσπετος εὐρυκέλευθον ἐς ἠέρα πύργος ἀνέστη,
Τετραπόροις ἁψῖσιν ἐπ' ἀργυρέῃσι βεβηκώς.
Κίοσι δ' ἀργυρέῃσιν ἀείρεται, ὧν ἐπὶ κόρσης,
Ἀργυρέους ἵδρυσε πόδας τετράζυγος ἄψις.

Supra incontaminatam menſam vaſtum in aerem immenſa turris exſurgit:

*πύργος*, *turris* dicitur; ab aliis *vmbraculum* [*k*]; a *Græcis* vero vt plurimum *κιβώριον*, quod DVRANTVS [*l*] & alii recentiores librorum ritualium ſcriptores plerumque pro pyxide, in qua hoſtia adſeruatur, falſo accipiunt; DV FRESNIVS [*m*] autem prorſus aliud quidpiam antiquitus fuiſſe oſtendit, nimirum vmbraculum quoddam altius eductum & totam ſacram menſam contegens. Hoc in forma turriculæ erectum quatuor columnis ad altaris cornua exſurgentibus incumbebat. Columnarum capita adornata erant maximis crateribus argenteis, quod vſitatum ornamentum his temporibus erat, vti ex deſcriptione duodecim columnarum in eccleſia, quam *Hieroſolymis* exſtruxit CONSTANTINVS, apud EVSEBIVM [*n*] videre eſt. Suprema *ciborii* pars formam ſphæræ referebat, egregiis ornata floribus, vnde nonnumquam *ſphæra*, *lilia & malum* dicitur. Supra ſphæram ſtabat crux, vti eam repræſentat PAVLVS SILENTIARIVS [*o*]. Ad diuerſos arcus inferius inter columnas vela explicata pendebant, dicta vt alia quædam *ἀμφίθυρα*, quæ itidem ad

quadrifidis vero argenteis arcubus incumbens, argenteis perinde columnis attollitur, in quarum vertice argenteos pedes ſtatuit arcus quadruplex.

(*k*) Ordo Romanus. (biblioth. patr. max. tom. VIII. p. 724. b.) Præfatio ciborii, id eſt *vmbraculi* altaris.

(*l*) Durant. de ritib. eccleſ. lib. I. c. XVI. Leo papa IX. ad Michaëlem imperatorem ſcribit, Hieroſolymis euchariſtiam in pyxide pro aduenis & quotidie eam ſumere volentibus adſeruari ſolitam. Hanc pyxidem græci vocarunt *κιβώριον*, quam vocem & latini & galli de græcis retinuerunt, ciboriumque latine, gallice *ciboire* nuncuparunt.

(*m*) Du Freſn. com. in Paul. Silent. p. 560. Sacræ menſæ imminebat *ciborium*: ita autem appellabant vmbraculum quoddam altius eductum, quo vniuerſa menſa ſacra tegebatur. (Vide ſis totam iſtam paginam & ſequentes plures.)

(*n*) Euſeb. de vit. Conſtant. lib. III. c. XXXVIII. Τούτων δ' ἀντικρὺ, τὸ κεφάλαιον τοῦ παντὸς ἡμισφαίριον ἦν, ἐπ' ἄκρου τοῦ βασιλείου ἐκτεταμένον· ὃ δὴ δυωκαίδεκα κίονες ἐστεφάνουν τοῖς τοῦ σωτῆρος ἀποστόλοις ἰσάριθμοι, κρατῆρσι μεγίστοις ἐξ ἀργύρου πεποιημένοις τὰς κορυφὰς κοσμούμενοι· οὓς δὴ βασιλεὺς αὐτὸς ἀνάθημα κάλλιστον ἐποιεῖτο τῷ αὐτοῦ Θεῷ. E regione harum portarum erat hæmiſphærium, quod totius operis caput eſt: vſque ad culmen ipſius baſilicæ protentum. Cingebatur id *duodecim columnis* pro numero ſanctorum ſeruatoris noſtri apoſtolorum. *Quarum capita maximis crateribus argenteis erant ornata*: quos imperator tamquam pulcherrimum donarium Deo ſuo dicauerat.

(*o*) Paul. Silent. ibid. v. 320. 321.

con-

contegendum totum altare faciebant. Nos in describenda hac eleganti structura circa altare ideo post DV FRESNIVM paullo studiosiores fuimus, quia vulgares librorum ritualium editores appellationem *ciborii* generatim pyxidi suæ applicant, quum tamen apud antiquissimos scriptores hanc ornatissimam fabricam circa altare significet.

## §. XIX.

### *De* peristerio, *seu columbis.*

IN quibusdam locis, posteaquam imagines & picturæ in ecclesiis admitti cœperant, spiritus sanctus sub effigie argenteæ columbæ super altare appensæ repræsentabatur; & ipsorum baptisteria eamdem habebant imaginem, quemadmodum ex querela, de *Seuero* episcopo *Antiocheno* in concilio *Constantinopolitano* sub *Menna* ad an. DXXXVI. facta, discimus, vbi accusatur, quod vna cum aliis ecclesiæ thesauris columbas aureas [*p*] & argenteas, in figuram spiritus sancti super diuina lauacra & altaria appensas, in vsum suum conuerterit. Et hoc tempore, puto, eiusmodi quid primum deprehendimus. Neque enim auctori vitæ BASILII, qui AMPHILOCHIVM se appellat, fides habenda est, quando *Basilium* in vna quadam ex his argenteis columbis eucharistiam adseruare solitum esse, dicit; Spurium enim scriptorem istum esse, in propatulo est. Quidquid autem huius est, quando res in consuetudinem abiit, locus super altare, vbi appensa erat ista effigies, *peristerion* appellatus fuit, a vocabulo *græco* περιστερὰ, quod *columbam* significat, vti DV FRESNIVS aliique obseruarunt. Si quæras, vbi eucharistia ex more antiquo adseruata fuerit; respondeo, quod tempore persecutionis sacerdotes eam domi suæ custodiisse videantur, vti ex epistola quadam DIONYSII apud EVSEBIVM [*q*] colligi potest, v-

- - - ὑψόθι δ' αὐτοῦ
Σταυρὸς ὑπερτέλλων ἀναφαίνεται - - -
Supra cælum crux supereminens
Conspicitur.

(*p*) Conc. Constant. act. V. (tom. V. p. 159. b.) Τὰς εἰς τύπον τοῦ ἁγίου πνεύματος χρυσᾶς τε καὶ ἀργυρᾶς περιστερὰς κρεμαμένας ὑπεράνω τῶν θείων κολυμβηθρῶν καὶ θυσιαστηρίων, μετὰ τῶν ἄλλων ἐσφετερίσατο.

(*q*) Euseb. lib. VI. c. XLIV. Ἔδραμεν ὁ παῖς ἐπὶ τὸν πρεσβύτερον· νὺξ δὲ ἦν· κἀκεῖνος ἠσθένει· ἀφικέσθαι μὲν οὖν οὐκ ἠδυνήθη - - βραχὺ τῆς εὐχαριστίας ἐπέδωκεν τῷ παιδαρίῳ ἀποβρέξαι κελεύσας, καὶ τῷ πρεσβύτῃ κατὰ τοῦ στόματος ἐπιστάξαι. Puer

bi narrat, quemadmodum *Serapion* euchariſtiam acceperit, noctu per puerum ſibi a presbytero miſſam, quum presbyter per morbum ipſe venire non potuiſſet. Aliis temporibus in vnum ex paſtophoriis, quæ certa erant loca ab altari diſtincta, inferebatur. Ita enim *conſtitutionum* [r] auctor fidem nobis facit. Succedente tempore ad altare adſeruabatur, vel in argenteis iſtis columbis, de quibus diximus, vel in arcula ſeu pyxide ad calcem crucis, quæ per canones quosdam ſuper altare collocari iuſſa erat. Nam in concilio ſecundo *Turonenſi* an. DLXVII. decretum legimus: *Vt corpus* [s] *domini in altari non in armario, ſed ſub crucis titulo componatur.* Atque ita demum pyxis *ciborii* nomine venire cœpit, quod vocabulum origine ſua *Aegyptium* eſt, pro *loculo fabæ*, vti ex HESYCHIO SVICERVS [t] notat, & hinc a *Græcis* adhibitum eſt, ad denotandum poculi genus ſcypho ſimile, quod ab inferiore parte latum eſt, ad ſuperiorem autem partem in anguſtum contrahitur. Et ab hac ſimilitudine forte nomen turris, ſeu ſtructuræ in ſpiram circum altare ductæ, accepit.

### §. XX.

*Quo tempore effigies crucis primum ſuper altare poſita fuerit.*

Ex ante memorato concilii *Turonenſis* canone planum eſt, in eccleſiis *Gallicanis* effigiem crucis aliam ornamenti altaris partem fuiſſe, ſiquidem euchariſtia, ſeu ſacramentale corpus Chriſti, ſub ea collocari iubetur. Quo autem tempore cruces pri-

ad presbyterum cucurrit. Iam nox erat: Presbyter autem ægrotabat, adeoque accurrere non poterat - - exiguam eucharistiæ partem puero tradidit, iubens vt in aqua intinctam ſeni in os inſtillaret.

(r) Conſtit. apoſt. lib. VIII. c. XIII. Ὅταν πάντες μεταλάβωσι καὶ πᾶσαι, λαβόντες οἱ διάκονοι τὰ περισσεύσαντα εἰσφερέτωσαν εἰς τὰ παστοφόρια. Poſt communionem omnium tum virorum tum mulierum ſumant diaconi *reliquias & inferant in paſtophoria.*

(s) Conc. Turon. II. c. III. *Ita legitur in editione* Crabii. Aliæ autem editiones (e. g. Labbei tom. V. conc. p. 853.) *loco* armario, *habent* in imaginario ordine, *illudque explanant per* ciborium. Vide ſis Du Freſne p. 575.

(t) Suicer. theſ. eccleſ. voce κιβώριον. Κιβώρια ſunt *loculi ſabarum.* Ab eorum ſimilitudine κιβώριον græcis *poculi genus*, ſcypho ſimile, quod ab inferiore parte in anguſtum contrahatur, vt *ciborium*, fabæ Aegyptiæ. Heſychius diſerte, κιβώριον, Αἰγύπτιον ὄνομα, ἐπὶ ποτηρίου.

mum

mum in ecclesiis collocari cœptæ sint, non adeo facile est ad definiendum. Tribus prioribus sæculis in vsu eas haud fuisse, satis manifestum ex omnium scriptorum horum temporum silentio videtur, cumprimis ex EVSEBIO, qui frequenter ecclesias CONSTANTINI aliasque particulatim describit, sed ne semel quidem crucis in illis erectæ meminit, etiamsi de crucibus in aliis locis publicis erectis crebro loquatur; quemadmodum eruditus quidam scriptor [u] ex ipso scite obseruauit, qui illas non nisi post annum CCCXL. in ecclesiis collocatas esse, existimat. CHRYSOSTOMVS [w] de signo crucis, in mensa domini in sacerdotum ordinationibus & eucharistiæ celebratione vsurpato, loquitur, sed transitorium signum frontibus adhibitum, (quo de AVGVSTINVS [x] & auctor *constitutionum* [y] similiter loquuntur) non autem crux materiata, in altari collocata, intelligi videtur. SOZOMENVS [z] vero de crucibus materiatis

(u) Dallæus de cultu relig. lib. V. c. VIII. p. 773. Eusebii tam pertinax de erectis crucis signis silentium, in quibuscumque locis de ecclesiarum structura loquitur, euincit, nulla adhuc istis temporibus (id est ad annum vsque domini CCCXXXVI.) adfigi solita ecclesiis signa crucis. Argumento per se valido vis præterea inde accedit, quod idem scriptor posita, sed in aliis locis communibus & prosanis scilicet, a Constantino crucis symbola non tacuit, vt Romæ, *in vrbe media, loco celebri ac multum a populo frequentato.* cetera.

(w) Chrysost. demonstr. Quod Christus sit Deus c. IX. tom. V. p. 840. (pag. 758. edit. Francof. MDCLXXXIV.) οὗτος [σαυρὸς] ἐν τῇ ἱερᾷ τραπέζῃ, οὗτος ἐν ταῖς τῶν ἱερέων χειροτονίαις, οὗτος πάλιν μετὰ τοῦ σώματος τοῦ χριστοῦ ἐπὶ τὸ μυστικὸν δεῖπνον διαλάμπει. Hæc [crux] in sacra mensa, hæc in sacerdotum ordinationibus, hæc iterum cum corpore Christi in mystica cœna fulget.

(x) August. homil. CXVIII. in Ioan. Quid est signum Christi nisi crux Christi? Quod signum nisi adhibeatur siue frontibus credentium, siue ipsi aquæ, ex qua regenerantur, siue oleo, quo chrismate vnguntur, siue sacrificio, quo aluntur; nihil horum rite perficitur.

(y) Constit. apost. lib. VIII. c. XII. Εὐξάμενος οὖν καθ' ἑαυτὸν ὁ ἀρχιερεὺς ἅμα τοῖς ἱερεῦσι, καὶ λαμπρὰν ἐσθῆτα μετενδὺς καὶ στὰς πρὸ τοῦ θυσιαστηρίου τὸ τρόπαιον τοῦ σταυροῦ κατὰ τοῦ μετώπου τῇ χειρὶ ποιησάμενος εἰς πάντας, εἰπάτω, κ. τ. λ. Episcopus precationem silentio faciens vna cum sacerdotibus, & splendidam vestem indutus & stans ad altare & *facto manu in fronte tropæo crucis*, dicat, cetera.

(z) Sozom. lib. II. c. III. ὧδε δὲ ἔχοντι γνώμης θεία προφανεῖσα ὄψις ἔδειξέ τι σταυροῦ σύμβολον τῶν ἀνακειμένων τῷ θυσιαστηρίῳ τῆς ἐνθάδε ἐκκλησίας. Huic [Probiano] ita sentienti diuina visio oblata crucis signum ostendit, quod in altari supra dictæ ecclesiæ erat collocatum.

& in altari positis loquitur, quamquam non *Constantini* temporibus (vt GRETSERVS [*a*] falso opinatur, cuius error a VALESIO [*aa*] merito corrigitur) sed sua ipsius ætate. Post ipsum EVAGRIVS de argenteis crucibus [*b*], a *Chosroë* ecclesiæ cuidam *Constantinopoli* eum in finem datis, vt in altari defigerentur, loquitur. Atque adeo huius consuetudinis origo non a *Constantino*, vt multi sentiunt, sed ex sequentibus ecclesiæ ætatibus deducenda est.

## §. XXI.

### *De quibusdam aliis ornamentis & vtensilibus altaris.*

CERTIVS autem est, altaria semper decenti aliquo linteo, ornamenti, non, vt in posterioribus sæculis, mysterii alicuius caussa, fuisse cooperta. OPTATVS contra *Donatistas* vrgens, quod altaria contactu catholicorum pollui nequeant, (vti *Donatistæ* falso dictitabant) hoc argumento ad eos confutandos vtitur, quod si quid pollutum sit, velamen pollutum sit, oporteat, non mensæ. *Quis fidelium*, inquit [*c*], *nescit*, *ligna linteamine cooperiri? inter ipsa sacramenta velamen potuit tangi*, *non lignum.* Et propterea pallas, (vt alio loco nominat) lauare se dictitabant, expiationem [*d*] eis hoc modo conciliaturi. VICTOR VTICENSIS similem querimoniam de *Proculo* quodam, regis *Geiserici* procuratore, habet, quod ecclesias catholicas in prouincia *Zeugi-*

(*a*) Gretser. de cruce lib. II. c. XIII.

(*aa*) Valesf. in Sozom. lib. II. c. III. modo citat. Cruces argenteas intelligo, quæ in altari ecclesiæ statui solebant, vt ex hoc loco apparet. - - Plura vide apud Gretserum in libro II. de cruce cap. XIII. vbi tamen fallitur, dum scribit Probianum, cuius hic sit mentio, vixisse temporibus Constantini magni; idque Sozomenum ac Nicephorum tradidisse. Atqui neuter eorum id scripsit.

(*b*) Euagr. lib. VI. c. XXI. *παρ' αὐτὰ οὖν ἔπεμψα τὸν αὐτὸν σαυρὸν καὶ τὴν τούτου τιμὴν ἐν τῷ πανσέπτῳ σου οἴκῳ, κελεύσας ἐκ τῆς τούτου τιμῆς δίσκον ἕνα καὶ ποτήριον ἓν γενέσθαι, εἰς λόγον τῶν θείων μυστηρίων· ἀλλὰ μὴν καὶ σαυρὸν γενέσθαι, καὶ πηχθῆναι ὀφείλοντα ἐπὶ τῆς τιμίας τραπέζης, καὶ θυμιατήριον, τὰ πάντα χρυσᾶ.* Quamob rem illico crucem ipsam & eius pretium ad venerandam ædem tuam transmisi, iubens vt ex eius pretio discus vnus & poculum vnum fiat ad vsum sacrorum mysteriorum, *crux* item, *quæ in sacro altari defigatur*, & turibulum: cuncta ex auro.

(*c*) Optat. lib. VI. p. 95. (p. 113. edit. Par. MDCLXXIX.)

(*d*) Optat. ibid. p. 98. (p. 118.) Lauastis procul dubio *pallas*.

*tana* rapaci manu depopulatus de *pallis* [e] *altaris camiſias ſibi & femoralia* fecerit. ISIDORVS PELVSIOTA *ſindonis* [f] etiam mentionem iniicit, in quo corpus *CHRISTI* conſecrari ſolitum ſit; interdum vero tegmina illa ex pretioſiore materia confecta & ſumtuoſiora erant. PALLADIVS [g] de quibusdam matronis *Romanis* loquitur, quæ mundo renuntiantes omnia ſua ſerica *tegumenta* dederint *altaribus*. Et de *Conſtantino* THEODORETVS [h] narrat, quod præter alia donaria eccleſiæ, recens a ſe *Hieroſolymis* ædificatæ, præbita, altare βασιλικοῖς παραπετάσμασι, *re-*

(e) Victor de perſecut. Vandal. lib. I. (bibliothec. patr. tom. VII. pag. 1896. c.) Mittit Proculum quemdam in prouinciam Zeugitanam, qui coarctaret ad tradendum miniſteria diuina vel libros, cunctos domini ſacerdotes, vt primo armis nudaret, & ita facilius inermes hoſtis callidus captiuaſſet. Quibus ſe non poſſe tradere clamantibus, ipſe rapaci manu cuncta depopulatur, atque *de pallis altaris* (proh nefas!) *camiſias ſibi & femoralia faciebat.* Qui tamen Proculus huius rei executor, fruſtatim ſibi comedens linguam, in breui turpiſſima conſumtus eſt morte.

(f) Iſidor. Peluſ. lib. I. ep. CXXIII. Ἡ καθαρὰ σινδὼν ἡ ὑφαπλωμένη τῇ τῶν θείων δώρων διακονίᾳ, ἡ τοῦ Ἀριμαθαίως ἐστὶν Ἰωσὴφ λειτουργία· ὡς γὰρ ἐκεῖνος τὸ τοῦ κυρίου σῶμα σινδόνι ἐνειλήσας τῷ τάφῳ παρέπεμψε, δι' οὗ ἅπαν τὸ γένος ἡμῶν τὴν ἀνάστασιν ἐκαρπώσατο· οὕτως ἡμεῖς ἐπὶ σινδόνος τὸν ἄρτον τῆς προθέσεως ἁγιάζοντες σῶμα χριστοῦ ἀδιστάκτως εὑρίσκομεν, ἐκείνην ἡμῖν πηγάζον τὴν ἀφθαρσίαν, ἣν ὁ παρὰ Ἰωσὴφ μὲν κηδευθεὶς, ἐκ νεκρῶν δὲ ἀναστὰς Ἰησοῦς ὁ σωτὴρ ἐχαρίσατο. Pura illa *ſindon*, quæ ſub diuinorum donorum miniſterio expanſa eſt, Ioſephi Arimathenſis eſt miniſterium. Vt enim ille domini corpus *ſindone* inuolutum ſepulturæ mandauit, per quod vniuerſum mortalium genus reſurrectionem percepit: eodem modo *nos propoſitionis panem in ſindone* ſanctificantes, Chriſti corpus ſine dubitatione reperimus, illam nobis immortalitatem fontis in modum proferens, quam ſaluator Ieſus, a Ioſepho funere elatus, poſteaquam a morte ad vitam rediit, largitus eſt.

(g) Pallad. hiſtor. Lauſiac. (tom. II. biblioth. patr. græco-lat. p. 1036.) γημαμένη οὖν δεκατριῶν ἐτῶν, καὶ συζήσασα τῷ ἀνδρὶ ἑπτὰ ἔτη, τῷ εἰκοστῷ ἔτει ἀπετάξατο. καὶ πρῶτον μὲν πάντα αὐτῆς τὰ σηρικὰ ἡμιφόρια καλύμματα τοῖς θυσιαστηρίοις ἐδωρήσατο· τοῦτο δὲ πεποίηκεν καὶ ἡ σεβασμιωτάτη Ὀλυμπιάς. Quum nupſiſſet viro tredecim annos nata: ſeptem vero cum eo vixiſſet, viceſimo ætatis ſuæ anno mundo renuntiat. Et primum quidem *omnia ſua ſerica ſuperhumeralia tegumenta dedit altaribus*: quod & veneranda fecit Olympias.

(h) Theodor. lib. I. c. XXXI. διεκοσμεῖτο δὲ καὶ τὸ θεῖον θυσιαστήριον βασιλικοῖς τε παραπετάσμασι καὶ κειμηλίοις λιθοκολλήτοις χρυσοῖς. Porro

*galibus*

*galilus velis* ornauerit. Sed vero per hæc cortinæ ciborii non minus quam tegumenta altaris intelligi poſſunt; adeoque omnia vtenſilia ſiue ornamenta circum altare pretioſa & ſplendida in eccleſiis, ab imperatore fundatis, fuiſſe, par eſt credamus. Vaſa ſacra, in quibus euchariſtiam adminiſtrabant, alia quædam ornamentorum altaris pars erant. Quorum verum pretium non ſemper materia, ex qua facta erant, ſed vſu, cui erant dicata, metiebantur. Materia enim ſæpenumero non niſi ſimplex vitrum vel lignum erat. IRENAEVS [*i*], & poſt ipſum EPIPHANIVS [*k*], loquentes de *Marco Marcoſiorum* hæreticorum anteſignano, in euchariſtia calicem vitreum adhibuiſſe, dicunt: Quod in ipſo non tamquam ſingulare quidpiam notatur; nam BARONIVS [*l*] & BONA [*m*] communem eccleſiæ morem tunc fuiſſe, exiſtimant. Et manifeſtum eſt ac euidens, quod hic mos

ſacrum *altare regalibus velis* & aureis donariis gemmarum fulgore diſtinctis cernebatur ornatum.

(*i*) Iren. lib. I. c. IX (Not. De poculis quidem heic aliquid, ſed de vitreis nihil invenio.)

(*k*) Epiphan. hæreſ. XXXIV. n. I. *Φασὶ τρία ποτήρια λευκῆς ὑάλυ παρ' αὐτοῖς ἑτοιμάζεσθαι, κεκραμένα λευκῷ οἴνῳ· καὶ ἐν τῇ ἐπιτελυμένῃ παρ' αὐτῷ ἐπαοιδῇ τῇ νομιζομένῃ εὐχαριστίᾳ, μεταβάλλεσθαι εὐθὺς, τὸ μὲν ἐρυθρὸν ὡς αἷμα, τὸ δὲ πορφύρεον, τὶ δὲ κυάνεον.* Ferunt tria apud illos *candidiſſimo ex vitro vaſa* comparari, in quæ album vinum infuſum, dum illam quam putant euchariſtiam, reuera autem incantamenta, peragunt, ſubito commutatur: vt aliud ſanguinei, purpurei aliud, aliud cærulei coloris appareat.

(*l*) Baron. an. CCXVI. n. XIII. Ego eius paſtoris ſcripturam haurio, quæ non poteſt frangi] plane ſignificans ea alluſione, *calices illos fuiſſe vitreos*, ſed & patenas quoque miniſteriales fuiſſe vitreas, eiusdem Zephyrini pontificis decretum oſtendit. At de *antiquo & diu perſeuerante calicis vitrei vſu* plura diximus in notationibus ad Romanum martyrologium.

(*m*) Bona rer. liturgic. lib. I. c. XXV. n. I. Ex qua materia primis eccleſiæ ſæculis fabricari ſoleret (calix) heic primo loco inueſtigandum eſt. In concilio Triburienſi ſub Formoſo c. XVIII. celebre apophthegma refertur S. Bonifacii epiſcopi Moguntini: *Vaſa quibus ſacro ſancta conficiuntur myſteria, calices ſunt & patenæ, de quibus Bonifacius martyr & epiſcopus interrogatus, ſi liceret in VASCVLIS LIGNEIS ſacramentum conficere, reſpondit: Quondam ſacerdotes aurei LIGNEIS CALICIBVS vtebantur, nunc e contra lignei ſacerdotes aureis vtuntur calicibus.* - - Fuiſſe in aliqua eccleſia *calicem ligneum* vel propter rerum penuriam vel propter incuriam ſacerdotum non inficior. - - Fuerunt & *calices vitrei*, qui procul dubio mundiores & decentiores erant & ideo antiquior & frequentior eorum vſus.

in quibusdam locis ad tempora vſque HIERONYMI durauerit. De *Exuperio* enim epiſcopo *Toloſano* loquens eiusque laudans frugalitatem, *Nihil*, inquit [n], *illo ditius*, *qui corpus domini caniſtro viminco*, *ſanguinemportat in VITRO*. BARONIVS ac BONA multa alia huiuſcemodi exempla lectoribus ſuis exhibent. Ego tantum hoc addo, in quadam ſynodo in *Anglia* noſtra *Calcuthi* an DCCLXXXVII. celebrata, canonem [o] haberi, qui calicem in vſum euchariſtiæ de cornu fieri vetat, quod ipſum, calices corneos antea in vſu fuiſſe, indicare videtur. Sed notandum eſt, eccleſiam plerumque neceſſitate quadam ad vtendum vaſis ex eiusmodi vilioribus materiis adactam fuiſſe, quando vel extrema paupertate laborauit, vel vaſa ſua argentea & aurea ad redimendos captiuos, vel ſubleuandos pauperes diuendere conſultum duxit. Cuius rei multa exempla alio loco [oo] dedimus, quæ eccleſiam vaſa argentea & aurea habuiſſe oſtendunt, alioquin in eiusmodi pios vſus conflare illa non potuiſſet. Quid? quod ipſo perſecutionis tempore, vbi periculum erat, ne hoſtes ea depecularentur & ſpoliarent, eccleſiæ diuitiores ſacra vaſa ex argento & auro fabricata habebant. Hoc ex iis euidens eſt, quæ in eccleſia *Romana*, tempore *Laurentii* martyris, qui in perſecutione *Valeriana* paſſus eſt, obſeruat PRVDENTIVS. Pars obiecti criminis erat, quod aurea vaſa [p], quibus ſacra myſteria ſua celebrare ſolebant chriſtiani, tradere recuſauerat. Et ne PRVDENTIVM forte ſtilo florido, poëtis vſitato, ita tantummodo loqui exiſtimemus, idem illud ab OPTATO de eccleſia *Carthaginenſi* perſecutionis *Diocletianeæ* tempore obſeruatum videre licet. *Menſurius* enim epiſcopus, *Romam* ad

(n) Hieron. epiſt. IV. ad Ruſtic. p. 41. edit. Par. MDCXLIII.

(o) Synod. Calcuthenſ. c. X. apud Spelman. concil. Britan. tom. I. p. 295. Vetuimus etiam, ne de *cornu bouis* calix aut patina fieret, ad ſacrificandum, quod de ſanguine ſunt.

(oo) Lib. V. cap. VI. §. VI. volum. II. p. 296.

(p) Prud. περὶ στεφανῶν. hymn. II. v. 65. ſeqq.
Hunc eſſe veſtris orgiis
Moremque & artem proditum eſt,
Hanc diſciplinam fœderis
*Libent vt auro* antiſtites.
*Argenteis ſcyphis* ferunt
Fumare ſacrum ſanguinem, cetera.

dicendam ibi caussam ire coactus, quodammodo dubius hærebat [q], quid de vasis aliisque ecclesiæ argenteis ac aureis ornamentis, quæ nec in terram defodere nec secum portare poterat, statuendum sibi esset. Tandem senioribus ecclesiæ ea commendare decernebat, recensione eorum prius perscripta, quam diaconissæ cuidam dabat, ita, vt si ipse non rediret, reddita pace daret, quem in episcopali cathedra sedentem inueniret. Id quod illa, *Cæciliano* in *Mensurii* locum electo, faciebat. Seniores ad tradendum sibi depositum a *Cæciliano* conuocati, quum faucibus auaritiæ commendatam ebibissent prædam, se vasa illa accepisse, negabant; & acceptam quasi a *Cæciliano* iniuriam vlturi ad partes *Botri* & *Celeusii*, qui *Cæciliani* in episcopatu competitores, & primi schismatis *Donatistarum* auctores erant, transibant. Quænam vasa & ornamenta dicta ista recensio complexa sit, ex alia recensione circa idem illud tempus persecutoribus a *Paulo* episcopo *Cirthensium*, qui vnus ex sic dictis *traditoribus* erat, exhibita iudicare possumus. In hac ipsa reperiuntur calices [r] duo aurei: calices sex argentei: vrceola sex argentea: cucumellum argenteum: (quod lagenam esse existimo) lucernæ argenteæ septem: cereosala duo: cetera. Quæ omnia vasa erant ad cultum ecclesiæ & altaris spectantia. Quemadmodum enim vasa pro vino, ita quoque vasa pro aqua habebant, quæ hisce temporibus vino semper miscebatur, & ad manus oblationis tempore lauandas adhibebatur; qua de consuetudine dicendi locus alibi erit. Hæc vasa, quæ heic videmus, ex argento erant in ecclesia *Cirthensi* æque ac in aliis. Candelabra ipsorum siue lychni ex simili pretiosa erant materia, & nonnulli aurei, vt PRVDENTIVS [s] eos repræsentat, quando tyrannum introducit a *Laurentio* diacono auro fixos cereos, quos in nocturnis sacris adhiberent, expetentem. Horum

(q) Optat. lib. I. p. 41. edit. Paris. MDCXXXI. (p. 10. edit. Par. MDCLXXIX.) Erant ecclesiæ *ex auro & argento* quamplurima *ornamenta*, quæ nec defodere nec secum portare poterat, cetera.

(r) Gesta purgat. Cæciliani ad calcem Optati p. 266. (p. 92.)

(s) Prudent. de coron. hymn. II. v. 71.

*Auroque* nocturnis sacris
Adstare fixos *cereos*.

rum crebra ab ATHANASIO [t] mentio iniicitur nec non ab auctore *canonum apostolorum* [u], qui oleum ad luminare offerri permittit. PAVLINVS etiam [w] & HIERONYMVS [x] de illis loquuntur, & significare videntur, quod ipsorum memoria die æque ac nocte accensi fuerint. Id quod vetusti moris erat mutatio. Primus enim & antiquus eorum vsus necessitati debetur, quando christiani metu persecutionis nocturnos conventus agere necesse habebant. Quo tempore per diem ea accendi non permittebant nec approbabant. Neque HIERONYMVS in ecclesia vllam legem vel generalem consuetudinem, qua hoc defendi possit, obtinere, sed tantum aliquibus in locis propter imperitiam [xx] & simplicitatem sæcularium hominum tolerari, dicit: & quidquid ad tuendum istum ritum adferre audet, hoc solum est, quod nihil idololatriæ ei insit, cuius ipsum incusauerat VIGILANTIVS. Vtcumque autem res se habet, id discriminis inter HIERONYMI ætatem & tempora illam antegressa erat, vt priora sæcula expressis verbis istam consuetudinem damnarent. Nam vt illud ne memorem, quod ad explodendam similem consuetudinem inter ethnicos LACTANTIVS [y] & alii dicunt, concilium *Illiberritanum* diserte

(t) Athan. ep. ad orthodox. tom. I. p. 946. edit. Paris. MDCXXVII. (p. 114. edit. Par. MDCXCVIII.) Τὰς λυχνίας παρ' αὐτὰ ἐν τῷ τοιχίῳ ἀπετίθεσαν τοὺς κηριόλους τῆς ἐκκλησίας τοῖς εἰδώλοις ἀνῆπτον. Candelabra ad parietem statim reponebant, *ecclesiæ cereos* idolis accendebant.

(u) Can. apost. c. III. Μὴ ἐξὸν ἔστω προσάγεσθαί τι ἕτερον εἰς τὸ θυσιαστήριον ἢ ἔλαιον εἰς τὴν λυχνίαν, καὶ θυμίαμα τῷ καιρῷ τῆς ἁγίας προσφορᾶς. Ne liceat aliquid aliud ad altare offerre, quam *oleum ad luminare*, & incensum tempore sanctæ oblationis.

(w) Paulin. natal. III. S. Felicis (tom. VII. biblioth. patr. p. 273. d.)
Clara coronantur *densis altaria lychnis*,
Lumina ceratis adolentur odora papyris.
*Nocte dieque micant*, sic nox splendore diei
Fulget: & ipsa dies cælesti illustris honore,
Plus micat innumeris lucem geminata lucernis.

(x) Hieron. ep. LIII. *Accensique* ante eorum tumulos *cerei* idololatriæ insignia sunt! cetera.

(xx) Id. contr. Vigilant. (tom. II. p. 123. edit. Basil. MDLXV.) Aliqui propter imperitiam & simplicitatem sæcularium hominum -- hoc pro honore martyrum faciunt.

(y) Lactant. lib. VI. c. II. Mactant opimas & pingues hostias Deo, quasi esurien-

planissimo quodam canone [z] eam prohibet, etsi ratio huius prohibitionis paullo obscurior est: *Cereos*, inquit, *per diem placuit in cœmiterio non incendi: Inquietandi enim sanctorum spiritus non sunt.* Non iam examinando huius rationis sensui immorabor; sufficit, rem istam verbis planis & perspicuis tum fuisse prohibitam. Vnde manifestum est, contrariam consuetudinem nouam esse oportere, vtut in oriente ac occidente *Paulini* & *Hieronymi* tempore obtinentem. Nonnulli quoque pro incensorum antiquitate valde pugnant, ab apostolica consuetudine ac praxi ea deriuantes. Ita BONA [a] cardinalis aliique ecclesiæ *Romanensis* scriptores. Verum nulla harum rerum vestigia in tribus prioribus sæculis ecclesiæ inueniuntur. Canones quidem apostolorum nomine insigniti [b], incensorum tempore sanctæ oblationis faciunt mentionem: Sed in hunc vsque diem dubium est, an isti canones ad vnum ex sæculis tribus prioribus referri possint. HIPPOLYTVS *Portuensis* episcopus alius auctor est, a viro quodam docto [c] de nostra ipsorum ecclesia in hanc sententiam productus. Sed præterquam quod eius auctoritas æque dubia est ac prioris, quidquid dicit, sensu spirituali siue figurato accipi potest. Loquens enim de temporibus antichristi & de adflictione, quam ecclesia hisce diebus perpessura sit, *Lugebunt*, inquit, *ecclesiæ luctum magnum; quia nec oblatio, nec SVFFITVS [d] fiat, nec cultus Dei gratus.* Quæ

ti, profundunt vina quasi sitienti, *accendunt lumina quasi in tenebris agenti.*

(z) Conc. Illib c. XXXIV. (tom. I. concil. p. 974.)

(a) Bona rer. liturgic. lib. I. c. XXV. n. IX. Turibulum siue thymiamaterium, quod etiam suffitorium dicitur ab Anastasio, vas est, in quo tura & varii odores incenduntur in solemni oblatione, idque ex *apostolica traditione*, & Mosaicæ legis exemplo. Nulla est ecclesiastica cærimonia, cuius crebrior mentio fiat in antiquis & recentioribus omnium gentium liturgiis, quam turis & thymiamati, quod sæpe inter sacrificandum adoletur.

(b) Can. apost. l. c. III. θυμίαμα τῷ καιρῷ τῆς ἁγίας προσφορᾶς. vid. antec. litt. (u)

(c) Beuereg. cod. can. vindicat. lib. II. c. II. n. V. (in append. ad Coteler. patr. apostol. tom. II. p. 87. Antuerp. MDCXCVIII. fol.) Immo quidem Hippolytus Portuensis episcopus, Clementis Alexandrini discipulus, ac propterea eiusdem fere ac Tertullianus ætatis, in oratione de consummatione mundi disertissimam huius rei mentionem facit, πενθήσει δὲ καὶ ἐκκλησία πένθος μέγα, διότι οὔτε προσφορὰ οὔτε θυμίαμα ἐκτελεῖται cetera.

(d) Hippolyt. de consummat. mundi (biblioth. patr. græco-lat. tom. II. p. 357.)

verba

verba nihil amplius volunt, quam quod liturgia, siue cultus publicus ecclesiasticus, cessaturus sit. Nam supplicationes & cultus sanctorum *suffimenta* dicuntur Apoc. V, 8. Atque ita verba AMBROSII [*e*] quoque intelligenda esse, existimo, qui de angelo *Zachariæ* apparente & stante a dextris altaris incensi, loquens, *Vtinam*, inquit, *nobis quoque adolentibus altaria*, *sacrificium deferentibus adsistat angelus*, *immo præbeat se videndum. Non enim dubites adsistere angelum*, *quando Christus adsistit*, *Christus immolatur.* Heic τὸ immolare *Christum* & adolere altaria, eiusdem naturæ esse, arbitror, nimirum spiritualis & mysticæ: adeoque pro incensorum & turibulorum, sensu strictissimo & litterali sumtorum, vsu in ecclesia christiana, isto quidem tempore, nihil inde inferri potest. Neque vllam mentionem turibulorum in *constitutionibus apostolicis*, vt vocantur, vspiam factam legimus, quod argumento est, nondum inter vasa altaris relata fuisse, vt fuerunt, quando historiam suam scripsit EVAGRIVS [*f*]. Nam turibula aurea, æque ac cruces aureas, ecclesiæ *Constantinopolitanæ* a *Chosroë* donata memorat. Vnde coniecturæ locus est, cruces & turibula vna eademque ætate effecta & simul in ecclesiam introducta esse. Imagines & reliquiæ in altari itidem recentiorum sæculorum inuentioni debentur. Et huius generis multa instrumenta hodiernorum *Græcorum* sunt, vt *lancea*, *asteriscus*, *dicerion*, *tricerion*, & *cochlear*, quæ *latinæ*, multo magis antiquæ ecclesiæ ignota semper fuisse, BONA [*g*] adfirmat. Itaque illis explanandis non immorabimur; ne-

vid. sub litt. antec. (c) & nota, hæc verba in genuino Hippolyto, quem Combefisius auctario nouissimo publicauit, non reperiri.

(*e*) Ambros. com. in Luc. I, 11. p. 599. edit. Basil. MDLXVII. (p. 6. f. tom. III. edit. Colon. MDCXVI.)

(*f*) Euagr. lib. VI. c. XXI. καὶ θυμιατήριον, τὰ πάντα χρυσᾶ. vid. integrum locum §. XX. sub litt. (b) pag. 238.

(*g*) Bona rer. liturg. lib. I. c. XXV. n. VI. Alia quædam sacri ministerii instrumenta habent græci, latinis ignota, nempe *lanceam* siue gladiolum, lanceæ figuram habentem, qua hostiam consecrandam ab integra panis massa secant. *Asteriscum*, qui duobus arcubus constat radiis ad instar stellæ fultis, quo hostias consecrandas cooperiunt, ne vela eas tangant & ordinem particularem turbent. *Dicerion*, quod est cereus bisulcus, & *tricerion*, quod est cereus trisulcus, quibus episcopus celebrans sæpe populo benedicit & vtrumque frequenter manibus gestat. *Cochlear* ab ipsis *labida* dictum, quo vtuntur ad communionem fidelibus porrigendam.

que de biblis, diptychis, ipſorumque libris ritualibus, quæ vtenſilia & ornamenta altaris erant, quidquam dicemus, quia alibi de iſtis dicendi locus erit. *Latinorum altaria portatilia & antimenſia Græcorum*, quæ illis in locis, vbi altaria non erant, altarium ſeu menſarum vicem explebant, itidem prætcrimus, tamquam recentius aliquod poſteriorum ſæculorum inuentum. HABERTVS [h] quidem valde laborat, vt altaria portatilia iam BASILII ætate fuiſſe, demonſtret, quod hic in epiſtola quadam de ἰδίαις τραπέζαις, *menſis priuatis*, quarumdam eccleſiarum loquatur. Sed in auctoris ſui ſenſu interpretando prorſus fallitur; nam de imperitia tantum quorumdam hæreticorum loquitur, qui altaribus catholicorum, pro eo ac conſueuerant, deſtructis ſua ipſorum altaria ſeu menſas in eorum locum ſtatuebant. Vt adeo non hæc altaria portatilia fuerint, de quibus verba facit, ſed altaria hæretica, catholicis altaribus oppoſita; quæ *Romanenſis* eccleſiæ altaria eſſe, HABERTVS vix dixerit. DVRANTVS [i] & BONA [k], in vllo auctore ante BEDAE & *Caroli Magni* tempora, ea ſeſe inueniſſe, adfirmare non audent, adeoque in recentioribus ſæculis adinuenta eſſe, concludere

(h) Habert. archierat. p. 664. Portatilia illa altaria videntur dici a Baſilio ἰδίαι τράπεζαι ep. LXXII.

(i) Durant. de ritib. eccleſ. lib. I. c. XXV. n. VII. Vitus Amerbachius *ad finem conſtitutionum Caroli magni*, teſtatur, ſe vidiſſe in monaſterio S. Emerani altare, quo Carolus magnus in caſtris vtebatur.

(k) Bona rer. liturg. lib. I. c. XX. n. II. Sunt & alia altaria portatilia & motoria; quæ epiſcopi iter agentes ſecum olim ferebant, vt in his poſſent extra eccleſiam in locis ab ea remotis celebrare. Horum meminit vener. Beda *lib. V. hiſt. c. XI.* & Hincmarus Remenſis in capitulis editis anno XII. ſui epiſcopatus, hoc de illis ſancivit: *Nemo presbyterorum in altario ab epiſcopo non conſecrato cantare præſumat. Qua propter ſi neceſſitas popoſcerit, donec eccleſia vel altaria conſecrentur, & in capellis etiam, quæ conſecrationem non merentur, tabulam quisque presbyter, cui neceſſarium fuerit, de marmore vel nigra petra, aut litio honeſtiſſimo ſecundum ſuam poſſibilitatem, honeſte adfectatum habeat, & nobis ad conſecrandum adferat, quam ſecum quum expedierit, deferat, in qua ſacra myſteria ſecundum ritum eccleſiaſticum agere valeat.* Ex hoc decreto palam ſit, quinam veteri ritu altaris portatilis vſus ſit, nimirum quum in altaribus fixis nondum conſecratis, vel in oratoriis priuatis, quæ conſecrari nec ſolent nec debent, celebrandum eſt. Ipſa vero priuata oratoria in domibus principum & nobilium virorum permittuntur, vt notiſſimum eſt: & de iis canonicæ ſanctiones inſertæ ſunt capitularibus Caroli magni *lib. VI. cap. CI. & CCV. & lib. VII.*

poſſu-

poſſumus. Sed vero ῥιπίδια, ſeu *flabella*, paullo antiquiora ſunt, vtpote auctori *conſtitutionum* [*l*] iam memorata, quando, *Duo*, inquit, *diaconi ex vtraque parte altaris teneant FLABELLA ex tenuibus membranis, aut ex pennis pauonis, aut ex linteo, vt parua animalia volitantia abigant, ne in calicem incidant. Faſtorum Siculorum* ſeu *chronici Alexandrini* auctor [*m*] τίμια ῥιπίδια vocat, & ſacris altaris inſtrumentis adnumerat, quæ inter reliqua in ſceuophylacio reponantur. Quam ob cauſſam eorum heic mentionem facere, non abs re fore, iudicauimus, quandoquidem de inſtrumentis altaris nunc loquimur.

## §. XXII.

## *De* oblationario *ſeu* protheſi.

In nonnullis eccleſiis, præter menſam ſacram in minore quodam receptaculo, vel concha bematis, locus quidam erat, vbi populi recipiebantur oblationes, ex quibus panis & vinum ſuper altari conſecrandum ſumebatur. In liturgiis ſub nomine CHRYSOSTOMI [*n*]

*cap. CCCXXIX.* prohibetur, ne miſſæ celebrentur in locis non conſecratis & incongruentibus, niſi cauſſa hoſtilitatis & longinqui itineris; & id in altaribus ab epiſcopo conſecratis, cetera.

(*l*) Conſtitut. apoſtol. lib. VIII. c. XII. δύο δὲ διάκονοι ἐξ ἑκατέρων τῶν μερῶν τοῦ θυσιαστηρίου κατεχέτωσαν ἐξ ὑμένων λεπτῶν ῥιπίδιον, ἢ πτερῶν ταῶνος, ἢ ὀθόνης· καὶ ἠρέμα ἀποσοβείτωσαν τὰ μικρὰ τῶν ἱπταμένων ζώων, ὅπως ἂν μὴ ἐγχρίμπτωνται εἰς τὰ κύπελλα.

(*m*) Chron. Alexandr. p. 902. edit. Monach. MDCXV. 4to. (alias chronic. paſchale inter ſcriptores Byzantin. p. 390. d. edit. Pariſ. MDCLXXXVIII. fol.) Τούτῳ τῷ ἔτει, μηνὶ Ἀρτεμισίῳ, κατὰ Ῥωμαίους Μαΐῳ τῆς ιβ' Ἰνδικτιῶνος, ἐπὶ Σεργίου πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως, ἐπενοήθη ψάλλεσθαι μετὰ τὸ μεταλαβεῖν πάντας τῶν μυστηρίων, ἐν τῷ μέλλειν τοὺς κληρικοὺς ἐπὶ τὸ σκευοφυλάκιον ἀποκαθιστάναι τὰ τίμια ῥιπίδια, δισκάρια, καὶ ποτήρια, καὶ ἄλλα ἱερὰ σκεύη κ.τ.λ. Hoc anno, menſe Artemiſio, ſecundum Romanos, Maio, XII. Indict. ſub Sergio patriarcha Conſtantinopolitano inſtitutum eſt, pſallere, poſtquam ab omnibus ſacra myſteria percepti ſunt, quum per clericos referenda ſunt in ſceuophylacium *pretioſa flabella*, diſci, calices, atque alia ſacra vaſa, cetera.

(*n*) Chryſoſtom. liturg. (biblioth. patr. gr. latin. tom. II. p. 74.) Πληρωθείσης τῆς εὐχῆς, εὔχονται ὁμοῦ τὸν χερουβικὸν ὕμνον, καὶ τρεῖς ἐν τῷ λέγειν αὐτὸν προσκυνοῦντες. εἶτα καὶ τὸν πεντηκοστὸν ψαλμὸν μυστικῶς· καὶ προσκυνοῦντες τρεῖς, ἀπέρχονται ἐν τῇ προθέσει, προπορευομένου τοῦ διακόνου μετὰ θυμιάματος κ.τ.λ. Completa oratione, hymnum Cherubicum ſimul orant, ter etiam dum ipſum dicunt, adorantes. Deinde etiam L. pſalmum myſtice, & ter adorantes *accedunt in propoſitionem*, præeunte diacono cum ſuffitu.

&IA-

& IACOBI [o] aliorumque recentiorum *Græcorum* πρόθεσις & παρατράπεζον vocatur. In *ordine Romano* itidem dicitur *oblationarium* & *prothesis*, alterum enim nomen alterius explicationis gratia factum est. Atque heic quoque *paratorium* audit, quod, quando oblationes receptæ erant, præparatio ex illis ad eucharistiam fiebat. Neque id adeo dubium est, quin ecclesiæ veteres simile quid habuerint; licet aliis id venerit nominibus; numquam enim nomina *prothesis*, *paratorium*, vel *oblationarium* expressis verbis in vllo antiquo scriptore inuenimus. Sed vero rem ipsam omnino offendimus. CYPRIANVS [p] de hac ipsa sub nomine mutuato *corban* loqui videtur, reprehendens locupletem aliquam & diuitem matronam, quæ ad eucharistiam celebrandam veniens *corbonam* omnino non respiciebat, cœnamque domini participabat sine vllo suo ipsius sacrificio, immo partem potius de sacrificio, quod pauperes obtulerant, sumebat. In concilio *Carthaginensi* quarto [q] hic locus generali nomine *sacrarii* insignitur, vt qui ista sanctuarii pars erat, in qua oblationes altari destinatæ recipiebantur. Duo enim receptacula pro oblationibus populi habebant, alterum extra ecclesiam, *gazophylacium* vocitatum; alterum intra ecclesiam, quod erat hoc *sacrarium* siue *corban*. Et hinc est, quod concilium illud oblationes inter se dissidentium christianorum neque in sacrario, neque in gazophylacio recipi permittat. PAVLINVS in hac parte describenda accuratior est, quam ex antiquis scriptoribus quisquam alius, alio tamen nomine eam insignit, vocans vnum ex duobus secretariis ecclesiæ.

(o) Missa Iacobi ibid. p. 21. Καὶ ὅτε μέλλει ὁ διάκονος τεθῆναι εἰς τὸ παρατράπεζον, λέγει ὁ ἱερεὺς: εὐλογητὸν τὸ ὄνομα κυρίου τοῦ Θεοῦ ἡμῶν, εἰς τοὺς αἰῶνας. Quum diaconus depositurus est in *mensulam*, ait sacerdos: Benedictum nomen domini Dei nostri in sæcula. Ibid. Καὶ πάλιν ὅτε ἐπαίρει τὸν δίσκον ἀπὸ τοῦ παρατραπέζου, λέγει: κύριε εὐλόγησον, Et rursum quum attollit discum de *mensula*, ait: Domine benedic.

(p) Cypr. de opere & eleemos. p. 203. edit. Rigalt. Par. MDCXLVIII. Locuples & diues es, & dominicum celebrare te credis, quæ corbonam omnino non respicis; quæ in dominicum sine sacrificio venis; quæ partem de sacrificio, quod pauper obtulit, sumis?

(q) Conc. Carth. IV. can. XCIII. (tom. II. conc. p. 1207.) Oblationes dissidentium fratrum neque in sacrario neque in gazophylacio recipiantur.

Duo

Duo enim ſecretaria [*r*] eſſe dicit, alterum a dextra, a ſiniſtra parte altaris alterum. Secretarium a dextra idem erat cum *protheſi* ac *paratorio*, de quo loquimur, eiusque officium hoc diſticho, quod ei dicit fuiſſe inſcriptum, deſcribit:

*Hic locus eſt veneranda penus qua conditur, & qua*
*Promitur alma ſacri pompa miniſterii.*

Quod a ſiniſtra parte erat ſecretarium, idem erat quod *diaconicum bematis*, cuius officium ex parte duobus hiſce hexametris deſcribit:

*Si quem ſancta tenet meditandi in lege voluntas,*
*Hinc poterit reſidens ſanctis intendere libris.*

Paullo ante [*s*] eamdem horum duorum ſecretariorum deſcriptionem ſermone ſoluto exhibet dicens, alterum locum fuiſſe immolanti hoſtias iubilationis antiſtiti patentem: vnde ſine dubio ſæculis poſterioribus, vti antea obſeruauimus, nomen *paratorii* ei adhæſit: & alterum locum fuiſſe, quo clerici, ſacrificio iam finito populoque dimiſſo, ad preces clauſulæ loco priuatim faciendas, ſe receperint.

### §. XXIII.

### *De* ſceuophylacio *ſeu* diaconico bematis.

Hic vltimus locus veſtiarium quoddam intra eccleſiam erat, quo diaconi veſtimenta, vaſa & inſtrumenta, ad altare ſpectantia, ex maiore diaconico deferebant, vt ad ſacram liturgiam in promptu eſſent. Et hoc reſpectu σκευοφυλάκιον, *ſacrorum vaſorum cuſtodia*, dicebatur, quod huc ſtatim poſt finita ſacra, vel dum adhuc vltimus communionis verſus caneretur, a diaconis referebantur, quemadmodum auctor *chronici Alexandrini* [*t*] rem repræſentat. Heic ſacerdotes togas ſuas

(*r*) Paulin. epiſt. XII. ad Seuer. p. 154. edit. Antuerp. MDCXXII. 8tau. (p. 193. in bibl. patr. tom. VII. Lugd. MDCLXXVII.)

(*s*) Paulin. ibid. p. 152. (p. 193.) Quum duabus dextra læuaque conchulis intra ſpatioſum ſui ambitum aſpis ſinuata laxetur, vna earum immolanti hoſtias iubilationis antiſtiti patet, altera poſt ſacerdotem capaci ſinu receptat orantes.

(*t*) Chronic. Alex. p. 892. (p. 300. edit. Par.) Ἐπενοήθη ψάλλεσθαι μετὰ τὸ μεταλαβεῖν πάντας τῶν ἁγίων μυστηρίων, ἐν τῷ μέλλειν τοὺς κληρικοὺς ἐπὶ τὸ σκευοφυλάκιον ἀποκαθιστάναι τὰ τίμια ῥιπίδια, δισκάρια, καὶ ποτήρια, καὶ ἄλλα ἱερὰ σκεύη, μετὰ τὸ ἐκ τῶν παρατραπεζίων τὴν διάδοσιν ἀποτεθῆναι τὸν τε-

induebant, in quibus ſacra officia faciebant: & huc, ſacris publicis finitis, redibant, ad priuatas ſuas preces faciendas, vti modo ex PAVLINO adnotauimus. Et in liturgiis IACOBO, MARCO & CHRYSOSTOMO [u] adſcriptis, formulæ precum, hoc in loco adhiberi iuſſarum, reperiuntur, quarum vna ſpeciatim in liturgia IACOBI hoc titulo ſeu inſcriptione exhibetur [w]: *Oratio, quæ dicitur in ſacrario, poſtquam dimiſſus eſt populus.* Diaconi plerumque huius loci curam habebant, vnde ſæpe dicitur *diaconicum*, & *bematis diaconicum*, vt ab alio *diaconico*, quod capite proxime ſequenti inter exedras, ſeu exteriora eccleſiæ ædificia, offendemus, diſtinguatur. DV FRESNIVS [x], nomen *diaconici* interdum etiam ſpecialius illi bematis parti datum eſſe

---

λευταῖον ςίχον τοῦ κοινωνικοῦ, *λέγεσθαι καὶ τοῦτο τὸ τροπάριον, Πληρωθήτω τὸ ςόμα ἡμῶν αἰνέσεως, κύριε, ὅπως ἀνυμνήσωμεν τὴν δόξαν σου, ὅτι ἠξίωσας ἡμᾶς τῶν ἁγίων σου μεταχεῖν μυςηρίων. Τήρησον ἡμᾶς ἐν τῷ σῷ ἁγιασμῷ, ὅλην τὴν ἡμέραν μελετῶντας τὴν δικαιοσύνην σου. Ἀλληλούια.* Inſtitutum eſt pſallere, poſtquam ab omnibus ſacra myſteria percepta ſunt, *quum per clericos referenda ſunt in ſceuophylacium pretioſa flabella, diſci, calices atque alia ſacra vaſa*, poſtquam e menſulis & diſtributionis reliquiæ & omnia in ſacram menſam ſunt repoſita, *atque vltimus communionis* verſus cantatus fuit. Dicitur autem hoc troparium: Impleatur os noſtrum laude, domine, vt celebremus gloriam tuam, quia nos participes facere ſanctorum myſteriorum tuorum dignatus es. Serua nos in tua ſanctificatione, toto die meditantes iuſtitiam tuam. Alleluia. Vid. Coteler. not. in conſtitut. apoſtolic. lib. VII. c. XII. tom. I. p. 398. n. 65.

(u) Liturg. Marci (bibl. patr. gr. lat. tom. II. p. 41. c.) *Ὁ ἱερεὺς εὔχεται ἐν τῷ διακονικῷ λέγων, ἔδωκας ἡμῖν δέσποτα τὸν ἁγιασμὸν ἐν τῇ μετουσίᾳ τοῦ παναγίου σώματος καὶ τοῦ τιμίου αἵματος τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ κ. τ. λ.* *Sacerdos orat in diaconico*, hoc eſt ſacrario, ſeu ſacriſtia, dicens: Dediſti nobis, domine, ſanctificationem in participatione ſanctiſſimi corporis & pretioſi ſanguinis filii tui. cetera. Liturg. Chryſoſt. ibid. p. 88. *Εἰ δέ ἐςι διάκονος, ὁ αὐτὸς ποιεῖ· ὁ δὲ ἱερεὺς ἀπέρχεται ἐν τῷ σκευοφυλακίῳ, καὶ ἐκδύει ἑαυτὸν, λέγων τρὶς τὸ ἅγιος ὁ θεός· καὶ τὸ, Παναγία τριάς· καὶ τὸ, Πάτερ ἡμῶν· τότε λέγει τὸ ἀπολυτικὸν τοῦ χρυσοςόμου κ. τ. λ.* Sin autem eſt diaconus, ipſe facit. Sacerdos autem abit in *veſtiarium* & ſe ipſum exuit, ter dicens: Sanctus Deus, & Sanctiſſima Trinitas, & Pater noſter. Tunc dicit dimiſſorium ſeu abſolutorium Chryſoſtomi.

(w) Liturg. Iacobi ibid. p. 23. *εὐχὴ λεγομένη ἐν τῷ σκευοφυλακίῳ μετὰ τὴν ἀπόλυσιν.*

(x) Du Freſn. com. in Paul. Silent. 581. Non deſunt, qui totum bematis extra altaris vela, atque adeo extra maiorem concham ſpatium, *diaconicum* appellatum volunt: quod quum intra vela ſeu *παραπετάσματα* ſolis ſacerdotibus conſiſtere liceret, quæ bematis pars inde *ἱερατεῖον* proprie dicta eſt, reliqua

exiſti-

existimat, quæ erat inter vela sanctuarii & vela ciborii, siue altaris; & spatium intra vela altaris speciatim nomine *presbyterii* fuisse distinctum, quia locus presbyterorum, vt aliud illud spatium locus diaconorum, fuerit: quam in rem canonem quemdam concilii *Laodiceni* [y] adlegat, quem alii alio sensu [z], pro toto videlicet ecclesiæ sanctuario, accipiunt.

# *LIBRI OCTAVI*
## *CAPVT SEPTIMVM*
## DE BAPTISTERIO ET ALIIS EXTERIORIBVS AEDIFICIIS, EXEDRIS ECCLESIAE VOCITATIS.

diaconis permissa esset, vt qui ad vtramque conchulam, *prothesin* scilicet & *diaconicum*, pro officii ratione pergendi, & in iis consistendi necesse haberent. Nam Symeon Thessalonicensis lib. de templo ait, nulli licere in sacro synthrono sedere, præterquam sacerdotibus, ac ne ipsis quidem diaconis, quibus alias attributus est locus, ὃς ἀκολούθως ὠνόμασται διακονικὸν, ἔνθα καὶ καθῆσθαι τούτοις οὐκ ἀκώλυτον, diaconicum nempe locus sic dictus, in quo considere eis licitum sit. Huic quidem sententiæ nescio an faueat lexicon gr. mss. quod exstat in bibl. reg. cod. 2062. vbi παραπέτασμα τὸ διακονικὸν, τὸ παρακάλυμμα, esse dicitur: videtur enim διακονικὸν appellari velum altaris; quasi totum bematis spatium, quod extra vela altaris patet, diaconicum sit, & quia in eo & consistere & progredi, pro functionis suæ ratione, non autem sacrarium ingredi illis liceret: quemadmodum subdiaconis eadem bematis spatia: quum subdiaconi & lectores in solea extra bematis cancellos consisterent, vt docet idem Thessalonicensis. Atque inde colligitur, quid statuat canon XXI. synodi Laodicenæ, dum ait: οὐ δεῖ ὑπηρέτας χώραν ἔχειν ἐν τῷ διακονικῷ, id enim solis diaconis licebat. Ita porro hunc canonem capiendum par est credere, etsi Balsamo, & Zonaras diaconicum, de munere diaconi interpretati sint. Priori sane sententiæ fauet Isidorus Mercator, qui διακονικὸν, *secretarium* vertit: *Secretarium*, inquit, *quod græci diaconicum vocant*: quæ totidem verbis habeatur in concilio Agathensi can. LXVI. ita vt per *secretarium*, conchulam intellexerit, quam græci *diaconicum* nuncupant, quæ a diaconis in ea ministrantibus nomen sumsit, vti obseruauimus. Nam vix est simile vero, diaconicum pro exedra extra ædem ita nuncupata sumi debere, quum & in ea quibusuis ecclesiæ ministris consistere fas esset, & ex ea clerici omnes ad altare procederent.

(y) Conc. Laodic. can. XXI. (tom. I. concil. p. 1500.) ὅτι οὐ δεῖ ὑπηρέτας ἔχειν χώραν ἐν τῷ διακονικῷ, καὶ ἅπτεσθαι δεσποτικῶν σκευῶν.

(z) Vid. supra §. IV. huius capitis pag. 211.

## §. I.

### *Baptisteria olim aedificia ab ecclesia distincta.*

HACTENVS varias veterum ecclesiarum partes intra parietes considerauimus: reliquum est, vt ea aedificia paullulum contueamur, quae a principali ecclesiae corpore distincta & tamen inter ecclesiae, sensu latissimo sumtae, septa fuerunt, quae aedificia vniuersa sub generali nomine *exedrarum* ecclesiae comprehenduntur. EVSEBIVS enim de templo *Paulini* in vrbe *Tyro* loquens, dicit, quod quum artificiosus ille conditor celeberrimam structuram interiorem absoluisset, inde ad ea, quae extra templum posita fuerint, conuersus, *exedras* [a] & aedes amplissimas vtrimque summa cum peritia fabricarit, quae sibi inuicem ad latera ipsius basilicae coniunctae portisque, quibus in medium templum itum sit, connexae fuerint. Per quas aedes eas praecipue se intelligere dicit, quae in gratiam eorum, quibus expiatione & purgatione per aquam & spiritum sanctum opus fuerit, exstructae sint, hoc est sine dubio baptisterium ecclesiae. Templum *Antiochiae* a *Constantino* exstructum eodem modo describit, *Vniuersum templum*, inquiens, *longissimo extrinsecus ambitu circumscripsit. Interius vero basilicam ipsam ad summam erexit altitudinem figura quidem octaëdri constructam; plurimis vero circumquaque cubiculis & EXEDRIS [b], & tam subterraneis locis quam solariis vndique circumdatam.* Vt adeo, quemadmodum VALESIVS & alii critici recte obseruarunt, *exedra* generale quoddam nomen sit quorumcumque aedificiorum, quae in circuitu ecclesiae erecta erant. Atque hinc facile ad concludendum est, baptisterium, quod EVSEBIVS exedrarum praecipuum statuit, olim aedificium fuisse extra ecclesiae parietes. Quam obseruationem quum a

(a) Euseb. lib. X. c. IV. p. 391. edit. Paris. MDCLXXII. (pag. 312. edit. Amstelod. MDCXCV.) Τόδε γοῦν λίθῳ μαρμάρῳ εὖ μάλα κόσμῳ παντὶ λαμπρύνας, ἤδη λοιπὸν καὶ ἐπὶ τὰ ἐκτὸς τοῦ νεὼ μετῄει· ἐξέδρας καὶ οἴκους τοὺς παρ' ἑκάτερα μεγίστους ἐπισκευάζων ἐντέχνως, ἐπὶ ταὐτὸν εἰς πλευρὰ τῷ βασιλείῳ συνεζευγμένους, καὶ ταῖς ἐπὶ τὸν μέσον οἶκον εἰσβολαῖς ἡνωμένους· ἃ καὶ αὐτὰ τοῖς ἔτι καθάρσεως καὶ περιρραντηρίων τῶν διὰ ὕδατος καὶ ἁγίου πνεύματος ἐγχρῄζουσιν, ὁ εἰρηνικώτατος Σολομῶν ὁ τὸν νεὼν τοῦ θεοῦ δειμάμενος ἀπειργάζετο.

(b) Eus. de vit. Constant. lib. III. c. L. Μακροῖς μὲν ἔξωθεν περιβόλοις τὸν πάντα νεὼν περιλαβών· εἴσω δὲ, τὸν εὐκτήριον οἶκον εἰς ἀμήχανον ἐπάρας ὕψος· ἐν ὀκταέδρου μὲν συνεστῶτα σχήματι οἴκοις δὲ πλείοσιν, ἐξέδραις τε ἐν κύκλῳ, ὑπερῴων τε καὶ καταγείων χωρημάτων ἁπανταχόθεν περιεστοιχισμένον.

non-

nonnullis, baptiſterium ſecundum conſuetudinem recentiorem in narthece veterum eccleſiarum collocantibus, in dubium vocari ſciam, operæ pretium fuerit, paucis perſpicuis exemplis ex aliis auctoribus confirmare. PAVLINVS epiſcopus *Nolanus Seueri* amici ſui magnam laudans munificentiam, cum duas baſilicas, illisque baptiſterium [c] interpoſitum condidiſſe, ait. Et CYRILLVS HIEROSOLYMITANVS baptiſterium deſcribit tamquam peculiare quoddam per ſe ædificium, quod primum habeat [d] *προαύλιον οἶκον*, hoc eſt, porticum ſeu veſtibulum, in quo catechumeni renuntiabant Satanæ fidemque profitebantur; & deinde *ἐσώτερον οἶκον* [e], interiorem domum, vbi cærimonia baptiſmi peragebatur. SIDONIVS APOLLINARIS de illo etiam, tamquam diſtincto [f] quodam ædificio, loquitur, & AVGVSTINVS [g], diſtinctas in eo ſtationes pro viris pariter & mulieribus fuiſſe, videtur innuere. Quæ fortaſſis cauſſa eſt, quamobrem AMBROSIVS numero plurali vtatur, *Symbolum*, inquiens, *aliquibus competentibus in BAPTISTERIIS* [h] *tradebam baſilicæ.* Tempore IVSTINI MARTYRIS & TERTVLLIANI eccleſiam vllum eiusmodi baptiſterium habuiſſe, certum & exploratum non eſt; hoc tamen extra omnem dubitationem ex eorum teſtimoniis

(c) Paulin. epiſt. XII. ad Seuer. Tu vero etiam *baptiſterium* baſilicis duabus interpoſitum condidiſti, vt nos in horum quoque operum, quæ viſibiliter exſtruuntur, ædificatione ſuperares.

(d) Cyr. catech. myſtag. I. n. II. Εἰσήειτε πρῶτον εἰς τὸν προαύλιον τοῦ βαπτιστηρίου οἶκον, καὶ πρὸς τὰς δυσμὰς ἑστῶτες ἠκούσατε καὶ προσετάττεσθε ἐκτείνειν τὴν χεῖρα καὶ ὡς παρόντι ἀποτάττεσθε τῷ Σατανᾷ. Primum ingreſſi eſtis *in porticum domus baptiſterii* & ſtantes verſus occidentem, mandari vobis audiſtis, vt protenſa manu, tamquam præſenti Satanæ renuntiaretis.

(e) Cyrill. catech. myſt. II. n. I. Διὰ τοῦτο ἀναγκαίως ὑμῖν παραθήσομαι τὰ ἑξῆς τῆς χθεσινῆς μυσταγωγίας, ἵνα μάθητε τίνων ἦν σύμβολα τὰ ἐφ' ὑμῶν ἐν τῷ ἐσωτέρῳ οἴκῳ γενόμενα. Quamobrem facturum me operæ pretium exiſtimo, ſi heſternæ myſtagogiæ ea, quæ deinceps explicanda ſequuntur, appoſuero: vt dicere poſſitis, quorum illa ſymbola fuerint, quæ a vobis *in interiore domo* peragebantur.

(f) Sidon. lib. IV. ep. XV. Baptiſterium, quod olim fabricabamini, ſcribitis, iam poſſe conſecrari.

(g) Auguſtin. de ciuit. Dei lib. XXII. c. VIII. In parte feminarum obſeruanti ad baptiſterium, cetera.

(h) Ambroſ. epiſt. XXXIII. edit. Baſil.

positum est, locum baptismi non in ipsa ecclesia, sed alicubi ab hac fuisse distinctum. Nam TERTVLLIANVS [*i*] de ritibus baptismi loquens, *Aquam adituri*, inquit, *ibidem, sed & aliquanto prius in ecclesia sub antistitis manu contestamur, nos renuntiare diabolo & pompæ & angelis eius.* Quæ verba, locum baptismi extra ecclesiam fuisse, arguunt. Atque hoc modo IVSTINVS MARTYR [*k*] eum repræsentat, quando catechumenos eo adduci solere dicit, vbi aqua sit, ibique regenerari; qui locus hisce diebus forte arbitrarius fuit. *Nulla distinctio est*, inquit TERTVLLIANVS [*l*], *mari quis an stagno, flumine an fonte, lacu an alueo diluatur, nec quicquam refert inter eos, quos Ioannes in Iordane & quos Petrus in Tiberi tinxit.* Vt adeo prima sæcula in hoc concordent, quod, siue baptisteria habuerint, siue non habuerint, locus baptismi semper fuerit extra ecclesiam. Atque hæc baptisteriorum ratio ad sextum vsque sæculum durauit, vti DVRANTVS ex GREGORIO [*m*] episcopo *Turonensi* obseruat, quod de baptisteriis, tamquam extra parietes ecclesiæ adhuc constitutis, loquatur: Tametsi iam quædam in vestibulum ecclesiæ adsumi incipiebant, vti baptisterium illud, in quo *Clodoueum* regem a *Remigio* [*n*] baptizatum esse, dicit, vnde postea in ecclesiam ipsam fuerunt translata. Sed tamen baptisterium *Ioannis Laterani* in

(*i*) Tertull. de coron. milit. c. III.

(*k*) Iustin. Apol. II. p. 93. d. *ἔπειτα ἄγονται ὑφ' ἡμῶν, ἔνθα ὕδωρ ἐστὶ, καὶ τρόπον ἀναγεννήσεως, ὃν καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ ἀνεγεννήθημεν* Deinde eo adducuntur a nobis, vbi aqua est; atque eo regenerationis modo, quo ipsi regenerati sumus, regenerantur.

(*l*) Tertull. de bapt. c. IV.

(*m*) Durant. de ritib. ecclef. lib I. c. XIX. n. IV. Primum ingressi estis in porticum baptisterii, Gregor. Turon. *lib. VI. histor. c. XI.* Ad baptisterium foras muraneum egressus est.
Gregor. Turon. histor. Franc. lib. VI. c. XI. † (Forte lib. X. exeunte p. 537. edit. Par. MDCXCIX. fol. *Baptisterium ad ipsam basilicam* ædificari præcepi.)

(*n*) Gregor. Turon. histor. Franc. lib. II. c. XXXI. Velis depictis adumbrantur plateæ ecclesiæ, cortinis albentibus adornantur, baptisterium componitur, balsama diffunduntur, micant flagrantes odore cerei, totumque templum baptisterii diuino respergitur ab odore, talemque ibi gratiam adstantibus Deus tribuit, vt æstimarent, se paradisi odoribus conlocari. Rex ergo prior poposcit se a pontifice baptizari. Procedit nouus Constantinus ad lauacrum, deleturus lepræ veteris morbum, sordentesque maculas gestas antiquitus recenti latice deleturus.

vrbe

vrbe *Roma* adhuc ad antiquum morem ſe habet, ſi DVRANTVS vera nobis narrat.

## §. II.

### *Hæc admodum ampla, & cur?*

HAEC baptiſteria olim valde ampla erant, quod quum, vti vere obſeruat CAVEVS [*o*], ſtata baptiſmi tempora raro recurrerent, magna plerumque multitudo eorum erat, qui eodem tempore baptiſmum ſuſcipiebant. Accedit, quod modus baptizandi per immerſionem ſimiliter amplum aliquod baptiſterium neceſſario requireret. Vnde auctor *chronici Alexandrini* [*p*] baptiſterium, quo *Baſiliſcus* imperator, adſumtis vxore & liberis, ad apprehendendum ſanctuarium fugit, *μέγα φωτιστήριον*, *magnum illuminatorium*, nuncupat. Et in VENANTIO FORTVNATO [*q*] *aula baptiſmatis* dicitur. Tanta erant nonnumquam amplitudine, vt concilia in eo congregata & habita fuiſſe, legamus, quemadmodum DV FRESNIVS [*r*] ex actis concilii *Chal-*

(*o*) Cau. primit. chriſt. part. I. c. X. p. 312. edit. Anglic. Lond. MDCLXXVI. 8uo. In edit. German. Lipſ. MDCCXXIII. 8uo p. 253. vbi verba ſic habent: Zu anfang waren die baptiſteria oder tauffſteine nahe an die kircke angebauet, nachdem aber wurden ſie in die kirche beym eingange aufgerichtet, anzuzeigen, daſs die tauffe der eingang in die geiſtliche und heilige kirche ſey, und endlich ſezte man ſie gar mitten in die kirche. *Sie waren meiſtentheils ſehr groſs und geraum, theils darum, weil damals eine allgemeine gewohnheit war, daſs man die täuflinge unter das waſſer tauchte: theils auch deſswegen, weil die tauffe ſo ſelten des jahrs durch verrichtet wurde, und alſo allemal eine unbeſchreibliche menge zu einer zeit getaufft wurden.*

(*p*) Chronic. Alexandr. (alias paſchale) in Baſiliſco p. 753. edit. Monach. (p. 325. edit. Par. MDCLXXXVIII. d. folio) λαβὼν Βασιλίσκος τὴν γυναῖκα καὶ τὰ τέκνα, ἔφυγεν εἰς τὴν μεγάλην ἐκκλησίαν Κωνσταντινουπόλεως εἰς τὸ μέγα φωτιστήριον. Baſiliſcus adſumtis vxore & liberis fugit in magnæ eccleſiæ *magnum baptiſterium.*

(*q*) Fortunat. de eccleſ. Mogunt. biblioth. patr. tom. VIII. p. 844. edit. Pariſ. MDLXXXIX. (p. 537. bibl. patr. max. Lugd. MDCLXXVII.)

Ardua ſacrati *baptiſmatis aula* corruſcat,
Quo delicta Adæ Chriſtus in amne lauat.

(*r*) Du Freſn. comment. in Paul. Silent. p. 503. Tanta amplitudine fuit batiſterium Sophianum, vt in iis acta concilii legamus in Synodo Chalced. act. I. & apud Cedrenum in Rhinotmeto, & Paulum Diacon. lib. IV. hiſtor. miſcel. plebem Conſtantinopolitanam tumultuantem eo ſe recepiſſe. Vnde non mirum, ſi μέγα φωτιστήριον dicatur apud auctorem chronici Alexandrini in Baſiliſco, & μέγας φωτιστὴρ apud eumdem Cedrenum in Leone Iſauro.

cedo-

*cedonensis* ostendit, & SVICERVS idem ex actis concilii *Carthaginensis* [s] obseruat, in quibus concilii cuiusdam *Constantinopoli* in baptisterio ecclesiæ *Sophianæ* habiti, mentio iniicitur.

### §. III.

### *Cur* Φωτιστήρια, *loca illuminationis, dicta.*

IN ante memoratis auctoribus obseruare etiam licuerit, baptisteria communiter vocata esse Φωτιστήρια, *loca illuminationis*, hoc est baptismi. Ipse enim baptismus in antiquis scriptoribus frequentissime vocatur Φώτισμα, *illuminatio*; & hinc locus vocatus Φωτιστήριον a baptismi administratione, quam semper diuina quædam animæ illuminatio comitabatur; vnde homines baptizati etiam vocabantur *illuminati*, quemadmodum alio iam loco [s] obseruatum nobis est. At vero baptisteria hoc nomen ex alia forte ratione habuerunt, quod loca erant illuminationis seu institutionis, quæ baptismo præmittebatur. Nam heic catechumeni primis fidei christianæ elementis eruditi videntur. Certe symbolum fidei heic docebantur, vti ex noto illo AMBROSII [t] loco manifestum est, vbi ait: *Post lectiones atque tractatum, dimissis catechumenis, symbolum aliquibus competentibus in baptisteriis tradebam basilicæ.* Quocirca ab hac baptismum antecedente illuminatione æque ac ipsum consequente, baptisteria meritissimo iure suo Φωτιστήρια, & vti quidam existimant, Φροντιστήρια, scholæ, & quasi *illuminatoria* ecclesiæ, dici potuerunt.

### §. IV.

### *De differentia inter* baptisterium *&* fontem. *Et cur fons dictus sit piscina &* κολυμβήθρα.

---

Concil. Chalced. act. I. (tom. IV. concil. p. 235. d.) Φλαβίε Πρωτογένες τε λαμπροτάτε καὶ τε δηλωθησομένε ὑπάτε, πρὸ ἓξ εἰδῶν Ἀπριλλίων, ἐν Κωνσταντινεπόλει, θείᾳ κελεύσει καθεζομένων ἐν τῷ ἁγίῳ τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας βαπτιστηρίῳ. Flauio Protogene viro clarissimo, & qui fuerit declaratus consul sub die sexto iduum Aprilium in Constantinopoli, *quum sedissent* ex sacra iussione *in sanctissimo baptisterio catholicæ ecclesiæ.*

(s) Suic. thes. eccles. voce φωτιστήριον, ex actis concil. Carthagin. p. 118. Ἐν τῷ φωτιστηρίῳ τῆς κατὰ Κωνσταντινέπολιν ἁγιωτάτης καθολικῆς ἐκκλησίας καθεσθέντων τῶν ἁγιωτάτων ἐπισκόπων. Quum sanctissimi episcopi sederent in baptisterio sanctissimæ catholicæ ecclesiæ Constantinopolitanæ.

(s) Lib. I. c. IV. §. I. vol. I. p. 36.

(t) Ambros. ep. XXXIII. ad Marcellin.

FACILE

Facile iam erit lectori e dictis obseruare, quid discriminis antiquitus inter *baptisterium* & *fontem* intercesserit, quantumuis nomina interdum inter se confundantur. Baptisterium enim proprie loquendo tota ædificii domus erat, in qua fons constitutus erat, & omnes baptismi cærimoniæ peragebantur; fons autem tantummodo aquarum receptaculum erat, in quo homines demergebantur & baptismum suscipiebant. Hæc a *græcis* scriptoribus communiter [u] κολυμβήθρα & a *latinis* [w] *piscina* dicitur, & nonnumquam a baptisterio, tamquam pars a toto, diserte distinguitur. SOCRATES [x] enim expressis verbis κολυμβήθραν τῦ βαπτιςηρίȣ *piscinam* seu *alueum baptisterii* nuncupat. Quod nomen BEVEREGIVS [y] fonti per adlusionem ad piscinam *Bethesdæ* datum esse, existimat. Sed OPTATVS [z] μυςικωτέραν huius appellationis rationem adfert. Piscinam enim vocari dicit per adlusionem ad seruatoris nostri nomen technicum ἰχθύς, compositum e litteris initialibus Ἰησȣ̃ς Χριςὸς θεȣ̃ υἱὸς σωτὴρ, qua de re alio loco [zz] diximus. Enim vero vtrum hæc ratio vera, an autem fons non potius ideo sic vocatus sit, quia *piscina* & κολυμβήθρα communia fontium, bal-

(u) Cyrill. catech. mystag. II. n. IV. p. 305. Μετὰ ταῦτα ἐπὶ τὴν ἁγίαν τῦ θείȣ βαπτίσματ☉ ἐχειραγωγεῖσθε κολυμβήθραν. Postea deducebamini ad sanctam diuini baptismi *piscinam*.

Catech. mystag. III. n. I. Καὶ ὑμῖν ὁμοίως ἀναβεβηκόσιν ἀπὸ τῆς κολυμβήθρας τῶν ἱερῶν ναμάτων ἐδόθη χρίσμα. Et vobis postquam similiter ex aquis sacræ *piscinæ* adscendistis, datum est chrisma.

(w) Optat. lib. III. p. 62. Par. MDCXXXI. (p. 61. edit. Par. MDCLXXIX.) Hic est piscis, qui in baptismate per inuocationem fontalibus vndis inseritur, vt quæ aqua fuerat, a pisce etiam *piscina* vocitetur.

(x) Socrat. lib. VII. c. XVII. ἐσθῆτα τε αὐτῷ λαμπρὰν ὑπισχόμεν☉, καὶ τὴν κολυμβήθραν τῦ βαπτιςηρίȣ πληρωθῆναι κελεύσας, ἦγεν ἐπ' αὐτὸν τὸν Ἰȣδαῖον, ὡς βαπτίσων αὐτόν. κ. τ. λ. Quumque candidam vestem iudæo emisset, & *alveum baptisterii* aqua iussisset impleri, iudæum eo tamquam baptizaturus adduxit. cetera.

(y) Beuereg. pandect. not. in concil. Nic. c. XI. n. IV. p. 73. Hoc nomen (κολυμβήθρα) sortitum videtur a celebri illa κολυμβήθρα siue *piscina*, in qua cæcus Christi iussu lotus rediit videns Io. IX, 7. vel ab illa Hierosolymis ibid. c. V. v. 2.

(z) Optat. lib. III. p. 62. (p. 61.) vid. sub litt. (w).

(zz) Lib. I. c. I. §. II. volum. I. p. 4.

neorum & ſtagnorum nomina ſint in *græcis* & *latinis* ſcriptoribus, ego quidem intelligenti lectori definiendum relinquo. DVFRESNIO diuerſa alia nomina [a] obſeruantur, vt ὑπονόμος, *lauacrum, natatoria* & *cloaca*, nomen GREGORIO MAGNO peculiare. Sed quum ſint hæc recentiora nomina, ſilentio ea prætérimus, vnum tantum ex ipſo DVFRESNIO notantes, quod quum PROCOPIVS in hiſtoria ſua *arcana* fontem δεξαμένην, *receptaculum* vocet, SVIDAS imperite omnino, τράπεζαν τὰ θεῖα δεχομένην, hoc eſt *ſacram communionis menſam*, ſeu altare, interpretatus ſit, quod heic ideo tantum notamus, quia facile fieri poteſt, vt quis in eumdem errorem celebris iſtius ſcriptoris auctoritate inducatur.

## §. V.

*Quemadmodum fontes & baptiſteria olim adornata fuerint.*

QVA forma antiqua baptiſteria exſtructa fuerint, in nullo antiquo ſcriptore relatum legimus, ſicuti pauca omnino de eorum ornamentis ſuppetunt, quibus tamquam genuinis monumentis fidem tuto habere poſſumus. DVRANTVS quidem formalem hiſtoriam e *libro pontificali*, qui ſub nomine DAMASI papæ exiit, recitat, *Conſtantinum* eccleſiæ, in qua ipſemet baptizatus ſit, fontem donaſſe [b] ex lapide porphyretico, & ex omni parte coopertum intrinſecus & foris & deſuper, ex argento puriſſimo. In medio fontis columnam porphyreticam fuiſſe dicit, quæ portarit phialam, ex auro puriſſimo, vbi arſerint balſami libræ ducentæ. In labro fontis agnum ex auro puriſſimo fundentem aquam. Ad dextram agni ſaluatorem ex argento puriſſimo. In læua agni *Ioannem Baptiſtam* ex argento, tenentem titulum ſcriptum, qui hoc habuerit: *Ecce agnus Dei, ecce, qui tollit peccata mundi.* Præter hæc omnia ceruos ex argento ſeptem fundentes aquam. Sed vero hæc omnia ficta ſunt atque fabuloſa, & tantumdem veri in ſe habent, ac fabula

(a) Du F. ſn. com. in Paul. Silent. p. 593. Fons baptiſterii a Procopio & Theophane an. 2. Theodoſii Iunioris & an. 7. Zenonis κολυμβήθρα, ab aliis ὑπονόμος, a Gregorio M. *cloaca*, ab Anaſtaſio in hiſt. eccleſ. *natatorium* vocitatur.

(b) Damaſ. pontific. vit. Syluestri. (tom. I. concil. p. 1410. b. c.)

de

de *Constantini* lepra, eiusque curatione, quæ *Syluestri* papæ, ipsum *Romæ* in fonte suo baptizantis, beneficio ei obtigisse perhibetur. Quod ideo tantum memoro, vt ostendam, cuiusmodi commenta a *Romanensibus* librorum ritualium scriptoribus sæpenumero pro antiqua historia venditentur. Nam hodie quidem personatum DAMASVM auctorem spurium esse, omnes norunt. Sexto forte vel septimo sæculo istiusmodi ornamenta in baptisteriis ecclesiæ collocata fuerunt: Nam in actis concilii *Constantinopolitani* [c] sub *Menna* an. DXXXVI. columbæ aureæ & argenteæ, super baptisteria æque ac altaria appensæ, memorantur. Sed vt nullæ picturæ siue imagines tempore *Constantini* in ecclesiis statutæ fuerunt; ita credere haud possumus, vllum *Romanum* baptisterium, secundum ante dictam falsam descriptionem, ab ipso fuisse exornatum. Quod si vero ministrorum baptizantium vestimenta, vel recens baptizatorum candidæ togæ, quæ in his baptisteriis tamquam monimenta & signa professionis ipsorum adseruari solebant, vel chrismatis, in vnctionem in baptismate adhibiti, vasa pro ornamentis horum locorum haberi possunt; baptisteria has res a primis inde initiis suis semper habuerunt, quemadmodum pluribus ostendetur, quando de ritibus baptismi suo loco tractabimus.

## §. VI.

### *Baptisteria olim ecclesiæ matrici magis peculiaria.*

NIHIL amplius ad baptisteria heic addere habemus, quam obseruationem aliquam a viris quibusdam eruditis factam, quod antiquitus non nisi vnum baptisterium in ciuitate aliqua fuerit, idque in ecclesia episcopi. VICECOMES [d], ita in ipsa vrbe *Roma* per multa sæcula obtinuisse, existimat. MAVRITIVS [e], nullam ciuitatem plus quam vnum habuisse, dicit, nisi vbi magnificentia imperatoris vel episcopi plures quasi ecclesias cathedrales fecerit. Atque id circo, quando *libri pontificalis* au-

(c) Concil. Constantin. act. V. (tom. V. p. 159. b.) *Τὰς γὰρ εἰς τύπον τοῦ ἁγίου πνεύματος χρυσᾶς τε καὶ ἀργυρᾶς περιστερὰς κρεμαμένας ὑπεράνω τῶν θείων κολυμβηθρῶν καὶ θυσιαστηρίων μετὰ τῶν ἄλλων ἐσφετερίσατο.* Columbas aureas & argenteas in figuram Spiritus sancti *super diuina lauacra* & altaria *appensas* vna cum aliis sibi appropriauit.

(d) Vicecomes de ritib. bapt. lib. I. c. VII.

(e) Maurice's *defence of diocesan episcop.* p. 41. & 43.

ctor sub nomine DAMASI [*f*] de *Marcellino* papa dicit, quod viginti quinque titulos in vrbe *Roma* constituerit, quasi dioeceses, propter baptismum & poenitentiam multorum, qui conuersi sint ex paganis; hic vir doctus illud eum putat innuere, quod hæc quidem officia solum ad ecclesiam cathedralem spectent, & quod adeo hæc priuilegia parochiis donata faciant, vt parochiæ similes videantur dioecesibus. Huius antiquæ consuetudinis reliquiæ quædam in magnis quibusdam ciuitatibus *Italiæ* etiamnum conspiciuntur. Nam DVRANTVS [*g*] & VICECOMES [*h*] *Pisis*, *Bononiæ*, *Vrbeuatani*, *Parmæ*, immo & *Florentiæ*, non nisi vnum fontem pro tota ciuitate in hunc vsque diem reperiri, fidem nobis faciunt. Quod ab ONVPHRIO [*i*] etiam, DVFRESNIO [*k*], MAVRITIO EX LEANDRO ALBERTI, MERCATORE, LASSELIO & aliis quibusdam recentioribus scriptoribus, obseruatur. Supra [*kk*] adnotauimus, hanc distinctionem olim inter ecclesiam quamdam catholicam, & priuatum oratorium factam fuisse, vt ista locus publici baptismi fuerit, hoc autem non fuerit; id quod non omnes & singulas ecclesias, sed eas tantum, quæ ecclesiæ baptismales dictæ sunt, distinctum baptisterium habuisse arguit. Et hæc caussa est, quamobrem olim homines propter baptismum ad ecclesiam episcopi communiter vaderent, duabus istis maioribus festiuitatibus, *paschalibus* videlicet & *pentecostalibus*, quæ duo solemnia tempora erant, baptismi administrationi præstituta. In sæculis posterioribus baptisteria in parochiis ruralibus constituta fuerunt. Concilium enim *Antissiodorense* [*l*] de baptismi administratione, in vi-

(*f*) Pontific. vit. Marcelli (tom. I. concil. p. 94. b.)

(*g*) Durant. de ritib. eccles. lib. I. c. XIX. n. III. Antiquitus vnum tantum per singulas vrbes fontem, siue locum, quem baptisterium appellabant, prope maiorem ciuitatis basilicam maiores nostri condiderunt, quod ad hæc vsque tempora obseruatum Pisis, Florentiæ, Bononiæ, Parmæ & aliis plerisque Italiæ vrbibus intueri licet, in quo vno tingebantur iuuenes, senes, diuites & pauperes.

(*h*) Vicecomes de ritib. baptist. lib. I. c. VIII.

(*i*) Onuphr. de ecclesiis vrb. Romæ.

(*k*) Du Fresn. glossar. voce baptisterium. Baptisteria non nisi in maioribus ecclesiis constituere fas erat, nedum vero in oratoriis priuatis.

(*kk*) Lib. VIII. c. I. §. IV. pag. 115. 119.

(*l*) Concil. Antissiodor. an. DLXXVIII. can. XVIII. (tom. V. p. 959.) Non licet

cis

cis festiuitatis paschalis tempore concessa, loquitur; sed hoc priuilegium non loco cuiuis indultum erat, sed ei duntaxat, quem episcopus designauerat, si a casu necessitatis discesseris, quemadmodum VICECOMES [m] ex synodo *Meldensi* [n] & concilio in *Verno Palatio* habito [o] obseruauit. Vnde istæ probabiliter nomen quoque ecclesiarum matricum sortitæ sunt, intuitu aliarum ecclesiarum ab ipsis ratione administrandi baptismi dependentium, quemadmodum olim omnes ecclesiæ ab ecclesia episcopi dependerunt. Tantum de veteris ecclesiæ baptisteriis.

## §. VII.

### *De* secretario, *siue* diaconico magno, *hoc est*, *vestiario*.

ALIVD notabile ædificium, exedris ecclesiæ communiter adnumeratum, erat, quod vsitato nomine dicebatur *secretarium*, siue *diaconicum*, de quo viri docti non exacte inter se concordant. VALESIVS [p] enim id pro loco intra ecclesiam accipit;

absque paschæ solemnitate vllo tempore baptizare, nisi illos, quibus mors vicina est, quos grabatarios dicunt. Quod si quis in alio pago contumacia faciente, post interdictum hoc infantes suos ad baptismum detulerit in ecclesias nostras, non recipiantur vsque ad satisfactionem.

(m) Vicecom. de ritib. eccl s. lib. I. c. IX.

(n) Concil. Meldens. c. XLVIII. (tom. VII. concil. p. 1835.) Vt nemo presbyterorum baptizare præsumat, nisi in vicis & ecclesiis baptismalibus, atque temporibus constitutis, nisi caussa ægritudinis, vel certæ necessitatis, sicut sacra canonum docet auctoritas; & nisi auctoritatem & priuilegia debita & antiqua retineant.

(o) Concil. Vernens. c. VII. (tom. VI. concil. p. 1666.) Vt publicum baptisterium in nulla parochia esse debeat, nisi vbi episcopus constituerit, cuius parochia est: nisi tantum si necessitas venerit pro infirmitate, aut pro aliqua necessitate, illi presbyteri, quos episcopus in sua parochia constituerit, in qualicumque loco euenerit, licentiam habeant baptizandi, vt omnino sine baptismo non moriantur.

(p) Vales. not. in Philostorg. lib. VII. c. III. De ecclesiæ diaconico multa heic erudite obseruat Iacobus Gothofredus, id esse, quod latini olim secretarium vocabant, nos sacristiam dicimus; vbi vasa ac vestimenta sacra adseruantur. Sed quod negat diaconicum esse partem ecclesiæ, in eo grauiter fallitur. Verebatur scilicet Gothofredus, ne si diaconicum pars ecclesiæ esset, christiani statuas atque imagines Christi olim in ecclesiis habuisse viderentur. De diaconico loquitur Io. Moschus in *prato* cap. XXV. εἰσῆλθεν ἐν τῷ διακονικῷ κλαίων καὶ ῥίπτων ἑαυτὸν ἐπὶ πρόσωπον. Interpres vertit: *Ingressus est sacrarium plorans, corruitque in faciem suam.*

cipit; GOTHOFREDVS [q] vero & alii pro loco extra ecclesiam habent, sed DV FRESNIVS [r] controuersiam inter eos rectius decidere videtur, quando *diaconicum bematis* intra sanctuarium, de quo antea sumus loquuti, a *diaconico magno* extra ecclesiam, quod heic considerandum venit, distinguit. De hoc posteriore PHILOSTORGIVS intelligendus est, quando christianos, *Paneadem* seu *Caesaream Philippi* incolentes, statuam seruatoris nostri, quam fides mulieris, quae sanguinis profluuio laborabat, bene de se merito gratiam referens erexerit, in diaconico ecclesiae [s], hoc est, vestiario, collocasse, dicit. Ita vocabatur, quod omnia huc reposita curae diaconorum suberant, quorum officii pars erat, vestimenta, vasa, & instrumenta altaris, nec non res quasuis pretiosas ecclesiae donatas custodire; quarum praecipuus inspector generatim presbyter aliquis videtur fuisse, titulo *cimeliarchae*, seu *sceuophylacis*, dignatus, vti iam ante alio loco [ss] ostendimus. Et hinc *diaconicum*, aut potius, quemadmodum ex vetusto quodam scriptore *graeco* obseruauit DV FRESNIVS [t], interior eius pars, κειμηλιαρχεῖον vel σκευοφυλακιον ec-

(q) Gothofred. ibid. vid. litt. ant. c. (p)

(r) Du Fresne com. in Paul. Silent. p. 593. Altera, quae ecclesiae Sophianae adiuncta fuit, exedra διακονικὸν appellata est. Est autem diaconicum graecis scriptoribus, quod alii ecclesiae secretarium vocant, nos vulgo *sacristiam* dicimus. Quae quidem vox occurrit non semel apud scriptores, non modo pro exedra ita appellata, sed & interdum pro conchula bematis, in qua reponebantur vestes sacerdotales ad sacram liturgiam necessariae, vt apud Philostorgium lib. VII. c. III. Cyrillum in vita Euthymii c. XVIII & XIX. Auctorem vitae S. Auxentii archimandritae c. I. N. 3. in euchologio, typico Sabae, passione SS. Patrum Sabaitarum, &c. Videtur autem ita appellatum, aut quod diaconorum primitus fuerit in ea sedes & consessus, vel potius quod haec exedra eorum curae potissimum commissa fuerit. In ea enim non modo, quae ad ecclesiae vasa & sacerdotales vestes spectant, priusquam sacra perageretur liturgia, seu diuinum & ecclesiasticum officium, munia obibant diaconi, sed & considebant pro muneris sui ratione.

(s) Philostorg. lib. VII. c. III. Τὸν δὲ ἀνδριάντα μεταστησάμενοι ἐν τῷ τῆς ἐκκλησίας διακονικῷ.

(ss) Lib. III. c. XIII. §. III. volum. II. p. 73.

(t) Passio SS. patr. Sabaitarum ap. Du Fresn. comment. in Paul. Silent. p. 597. Quum in ecclesiarum secretariis ac diaconicis adseruarentur sacra vasa, seu, vti vocant vulgo scriptores, ministeria, inde factum, vt quod aliis diaconicum & secretarium est, interdum & saepe σκευοφυλάκιον appelletur, quod extitisse vt plurimum *in interiore diaconici parte* ostendit Passio SS. Patrum Sabaita-

clesiae,

clesiæ, hoc est, sacrorum vasorum, & istiusmodi anathematum ac donariorum, quæ in præcipuis ecclesiæ thesauris ponebantur, receptaculum erat. Alias appellabatur *secretarium*, quæ DVFRESNII [u] coniectura est, quia consistorium seu tribunal ecclesiæ in eo habebatur; quum *secretum* siue *secretarium* notum palatii forensis nomen sit, vnde hoc forte denominationem suam accepit. Totum ædificium magnum erat & satis spatiosum, vt non tantum priuatum quoddam consistorium, sed prouinciale etiam immo & generale concilium caperet; quorum nonnulla in hoc ecclesiæ conclaui coacta fuisse, legimus, vti concilia *Carthaginensia*, tertium, quartum, quintum & sextum in *secretario basilicæ restitutæ* celebrata esse, dicuntur, cum multis aliis a DVFRESNIO collectis, qui sessiones conciliorum hoc intuitu a loco sessionis seu conuentus, secretaria dici, adnotat.

## §. VIII.

### *Cur appellatum sit* receptorium *&* salutatorium.

ALIAS appellabatur *receptorium* & *salutatorium*, quomodo in SIDONIO APOLLINARI [w], SVLPICIO SEVERO [x], concilio primo *Matisconensi* [y], THEODORETO & pluribus aliis in-

rum: ὅπερ ἀποτεμόμενοί τι οἱ πρώην πατέρες διακονικὸν πεποιήκασι· ἐσώτερον δὲ τοῦ διακονικοῦ κειμηλιαρχεῖον ἤτοι σκευοφυλάκιον.

(u) Du Fresne ibid. p. 594. Quum diaconica non modo carceris vicem interdum præstarent, sed etiam *tribunalis ecclesiastici*, inde factum opinor, vt istæ exedræ *secretaria* appellarentur: nam proprie sunt *iudicum secretaria*, vti est in concilio Mileuitano secundo c. XVI. *magnum secretum iudicis*, *vnde secretarium nominatur* ait S. Augustinus in c. XXXIV. Ezechielis c. III.

(w) Sidon. lib. V. ep. XVII. Epiphanius vester vix supra scripta parauerat, & nuntiatum est, hora monente, progredi episcopum de *receptorio*: nosque surreximus.

(x) Sulpic. dial. II. c. I. Deinde *secretarium* ingressus, quum solus, vt erat illi consuetudo, resideret, - - quum quidem in alio *secretario* presbyteri sederent, vel *salutationibus* vacantes, vel audiendis negotiis occupati, cetera.

(y) Concil. Matiscon. I. c. II. (tom. V. conc. p. 976.) Vt nullus episcopus, presbyter, diaconus, clericus, vel quicumque sæcularis in monasteriis puellarum, nisi probatæ vitæ, & ætatis prouectæ, præter vtilitatem, aut quamcumque reparationem monasterii, sed quascumque earum necessitates habitare, aut secretas collocutiones habere præsumant; nec extra *salutatorium*, aut oratorium vlterius ingredi permittantur.

veni-

venimus. Speciatim THEODORETVS [z] de *Theodosio*, ad *Ambrosium* absolutionis petendæ caussa veniente, loquens, ἐν τῷ οἴκῳ ἀσπαστικῷ in *salutatorio* sedentem eum offendisse, dicit; quod SCALIGER pro episcopi domo falso accipit, vbi peregrini excipiebantur; quum tamen locus esset ecclesiæ contiguus, vbi episcopus & presbyteri sedebant, salutationes populi, quando benedictionem ipsorum vel preces expetitum, vel in arduis negotiis ipsos consultum veniebant, recipientes. Quemadmodum ex SVLPICIO SEVERO apparet, qui de *Martino* episcopo loquens, ipsum in secretario quodam, & presbyteros in alio secretario [a] salutationibus vacantes, & audiendis negotiis occupatos, sedisse dicit.

§. IX.

*De decanicis, siue carceribus ecclesiæ.*

HAEC *secretaria*, aut certe aliquam eorum partem, DVFRESNIVS putat, carcerum ecclesiasticorum, in quibus detenti sint rei clerici, vicem quoque præstitisse, & tum quidem *decaneta* vel *decanica* appellata fuisse: quod nomen est in vtroque codice & quibusdam conciliis, vti GOTHOFREDVS [b] & alii quidam id explicant, pro carcere ecclesiastico vsurpatum. In codice *Theodosiano* lex exstat *Arcadii* [c], quæ hæreticos ex omnibus locis expelli iubet, siue sub ecclesiarum nomine teneantur; siue quæ diaconica appellentur, vel etiam *decanica.* Iam vero *decanica* heic locum custodiæ, siue carceris ecclesiastici, denotare, GOTHOFREDVS ex alia lege inter *nouellas* CONSTANTINI [d] probat, quæ delinquentes in locis, quæ *decanica* nuncupantur,

(z) Theodoret. lib. V. c. XVIII. ἐπειδὴ δὲ τοὺς ἱεροὺς περιβόλους κατέλαβεν, εἰς μὲν τὸν θεῖον οὐκ εἰσελήλυθε νεών, πρὸς δὲ τὸν ἀρχιερέα παραγενόμενος, ἐν δὲ τῷ ἀσπαστικῷ οἴκῳ οὗτος καθῆστο, ἐλιπάρει λυθῆναι τῶν δεσμῶν. Quumque ad ecclesiæ septa peruenisset, [Theodosius] in ipsam quidem basilicam ingressus non est; sed accedens ad episcopum, qui tum in *salutatorio* residebat, vt vinculis solueretur, rogauit.

(a) Sulpic. dial. II. n. I. vid. ante sub litt. antec. (x)

(b) Gothofr. comment. in cod. Theod. lib. XVI. tit. V. de hæret. leg. XXX. *Decanica* - - præbuere vsum quemdam carceris & custodiæ ecclesiasticæ.

(c) Cod. Theod. lib. XVI. tit. V. leg. XXX. Cuncti hæretici procul dubio nouerint, omnia sibi loca huius vrbis adimenda esse, siue sub ecclesiarum nomine teneantur, siue quæ *diaconica* appellentur, vel etiam *decanica.*

(d) Iustin. nouell. LXXIX. c. III. καθειργέσθωσαν ἐν τοῖς καλουμένοις δεκανικοῖς, ποινὰς τὰς καθηκούσας ὑφέξοντες.

tur,

tur, retrudi iubet, pœnas competentes paſſuros. Atque ex his condiſcimus, quid per *decanica* intelligendum ſit, de quibus in actis concilii *Epheſini* [e] ſermo eſt; quod vocabulum interpres *latinus* ex ignorantia reddidit *tribunal*, quum tamen pro carcere eccleſiæ accipi debeat. Nonnulli hoc non niſi aliud nomen *diaconici*, & corrupte quidem ex eo factum, exiſtimant. Alii a δίκη deriuant, atque ita tribunal inde faciunt: qui vtrique perinde falluntur. Nam nomen quoddam generalius, quam *diaconicum* videtur fuiſſe, omnia iſta eccleſiæ loca includens, quæ ad reos clericos honeſtiori quadam cuſtodia tenendos, facta erant: cuiusmodi non vnus duntaxat locus erat, ſed plures, qui in hunc finem adhibebantur; vt *catechumenia*, æque ac *diaconica*, ſiue *ſecretaria*, quo intuitu hæc omnia *decanica*, ſiue carceres eccleſiæ, nominabantur. Id quod valde euidens eſſe ex eo videtur, quod DVFRESNIVS [f] ex epiſtola quadam GREGORII II. ad *Leonem Iſaurum* imperatorem obſeruauit, vbi, *Si quiſpiam te offenderit*, inquit, *domum eius publicas & ſpolias, ſolam illi vitam relinquens, tandemque illum etiam vel ſuſpendio necas, vel capite truncas, vel relegas, eumque longe a liberis & ab omnibus cognatis & amicis ſuis amandas. Pontifices non ita, ſed vbi peccarit quis & confeſſus fuerit, ſuſpendii vel amputationis capitis loco euangelium & crucem eius ceruicibus circumponunt, eumque tamquam in CARCEREM in SECRETARIA* [g], *ſacrorumque vaſorum æraria, coniiciunt, in eccleſiæ DIACO-*

(e) Libell. Baſilii diaconi ad Theodoſ. in concil. Epheſ. part. I. c. XXX. (tom. III. concil. p. 427. d. ) τοῦ συλληφθέντος ἐκ μέρους παρὰ τῶν ὑπηρετῶν, καὶ ἐν τῷ δικανικῷ τυπηθέντος διαφόρως ἐν πόλει βασιλευούσῃ, ἃ οὔτε ἐν τοῖς ἔθνεσι τοῖς βαρβαρικοῖς ἐγένετο. Pars namque a miniſtris comprehenſi, atque ad *tribunal* (potius in *carceres eccleſiæ*) abſtracta, tali immanitate diuerberata exceptaque eſt in regia ciuitate, qualis ne apud barbaras quidem nationes quandoque vſitata fuit.

(f) Du Freſn. comment. in Paul. Silent. p. 594. Quum nefas ducerent priſci eccleſiæ pontifices, reos clericos vna cum reis ſæcularibus eodem carcere detineri, ſeu quod ſuam in eos auctoritatem ac iurisdictionem ſeruare ac tueri, vel, quod vero ſimilius eſt, cum clericis ſuis mitius agere vellent, quam ſolent ordinarii iudices, illos in eccleſiarum ſecretariis, ſceuophylaciis, aut catechumeniis detinebant, quo vſque per pœnitentiam iis impoſitum, quam ἐπιτίμιον vocant, peractamque ſua expiaſſent delicta ac crimina: ita Gregorius II. PP. in epiſtola II. ad Leonem Iſaurum in VII. ſynodo: *Pontifices*, cetera.

(g) Gregor. II. ad Leon. Iſaur. (tom. VII. concil. p. 16. d.) ἐάν τις ἁμαρτήσῃ σοι,

*NICA & in CATECHVMENA ablegant, ac visceribus eius ieiunium, oculisque vigilias & laudationem ori eius indicunt.* Quæ verba hæc loca omnia, occasione ita ferente, in delinquentium clericorum custodiam & punitionem adhibita & hinc speciatim *decanica*, carceres ecclesiasticos, appellata fuisse, arguunt.

## §. X.

## *De* mitatorio *siue* metatorio.

ALIVD loci cuiusdam ad ecclesiam spectantis nomen in THEODORO [*h*] LECTORE reperitur, quod non minus quam prius illud interpretum exercuit ingenia. Hoc est *μιτατώριον*, siue *μετατώριον*, vt *Græci* recentiores efferunt. IACOBVS GOAR in adnotationibus suis in *euchologium*, *minsatorium* a *μίνσος*, *mensa*, scribi oportere, & cubiculum ad latus altaris, in quo fessis a labore cantoribus mensa frugalis, panis scilicet & vini apposita fuerit, adeoque locum mensis instruendis idoneum fuisse existimat. DV FRESNIVS [*i*] a *metato* deducit, quod vocabulum in lege ciuili frequenter occurrit, & stationem in cursu publico significat, vbi hospitia & alimenta dabantur iis, qui publici cu-

---

βασιλεῦ, δημεύεις τὸν οἶκον αὐτοῦ καὶ γυμνοῖς, ἐάσας ἔχειν τὴν ψυχὴν, καὶ τέλος κακιῶνον ἢ ἀπάγχεις ἢ ἀποκεφαλίζεις, ἢ ἐξορίζεις, ἢ ἀλλοδαπῆ αὐτὸν ποιεῖς τῶν τέκνων καὶ πάντων τῶν συγγενῶν καὶ φίλων αὐτοῦ· οἱ ἀρχιερεῖς οὐχ οὕτως· ἀλλ' ὅταν ἁμάρτη τις, καὶ ἐξομολογήσηται, ἀντὶ τῆς ἀγχόνης καὶ τοῦ ἀποκεφαλισμοῦ, περιτιθέασιν εἰς τὸν τράχηλον αὐτοῦ τὸ εὐαγγέλιον καὶ τὸν σταυρὸν, καὶ φυλακίζουσιν αὐτὸν εἰς τὰ κειμηλιαρχεῖα, καὶ εἰς τὰ διακονικὰ τῆς ἐκκλησίας ἐξορίζουσιν αὐτὸν, καὶ εἰς τὰ κατηχούμενα, καὶ νηστείαν εἰς τὰ ἔντερα, καὶ εἰς τοὺς ὀφθαλμοὺς ἀγρυπνίαν, καὶ δοξολογίαν ἐν τῷ στόματι αὐτοῦ ἐμποιοῦσιν.

(*h*) Theod. Lect. lib. II. p. 559. Οἱ ἐπίβουλοι Εὐφημίου τινὶ ὑποθέμενοι, παρεσκεύασαν ἔμπροσθεν τοῦ μιτατωρίου ξίφος κατ' αὐτοῦ γυμνῶσαι, καὶ κατὰ τῆς κεφαλῆς Εὐφημίου ὁρμῆσαι. Ii qui insidiabantur Euphemio, persuaserunt cuidam, vt e regione *metatorii* districto gladio caput Euphemii feriret.

(*i*) Du Fresn. comm. in Paul. Silent. p. 595. Quum diaconicum, seu secretarium Sophianum, amplum fuerit triclinium, neque vnico duntaxat, sed variis constiterit cubiculis, multo probabilius videtur hancce inde sortitum appellationem, quod reuera *domus* esset *ecclesiæ*, hoc est æditui & *νεωκόρου*, in qua etiam imperator, si luberet, antequam sacra peragerentur officia, vel iis finitis & exactis, moraretur. Nam vt *metatum* latini scriptores ædem & domicilium vocarunt, vt constat ex Gregorio Turon. lib. V. histor. c. VII. - - vt cæteros prætercam alio a me, si Deus fauerit, recensendos loco, & *metari* dixerunt pro *diuertere*, vt Paulinus nat. IX. & X. ita *μετάτον* eadem

iusdam negotii cauſſa iter faciebant. SVICERVS [*k*] idem cum *diaconico* ſiue *ſalutatorio* facit, & cum IACOBO GOAR *minſatorium*, à *menſa* legi debere, iudicat, quod heic tabula non quidem ad cibos ſed ad res alias reponendas erecta fuerit. Mihi vero coniectura MVSCVLI omnium optime placet, qui *mutatorium* reddit, huius vocis *latinæ* corruptionem eſſe exiſtimans, quæ id ſignificat, quod nos *apodyterium* ſiue veſtiarium vocamus, vbi clerici habitum ſuum mutant. Atque ita viri docti omnes conſentiunt, fuiſſe partem *diaconici*, vel aliud duntaxat eius nomen, tametſi tantopere opinionibus ſuis inter ſe diſſideant, vbi ad reddendam huius appellationis rationem deueniunt.

§. XI.

## *De* gazophylacio *et* paſtophoriis.

CONSTITVTIONVM, quæ vulgo apoſtolis tribuuntur, auctor in deſcriptione eccleſiæ certorum locorum mentionem facit [*l*], quæ ipſi *paſtophoria* vocantur, & ſecundum narrationem eius fuerunt ædificia, ab vtroque eccleſiæ latere ad extremitatem o-

ſignificatione vſurpant græci recentiores, vt habetur in gloſſis Baſil. S. Athanaſius, ſiue quiſquis eſt auctor narrationis de imagine Berytenſi: ἐπεζήτησε μιτάτον μεῖζον ὁ χριστιανὸς, ὡς χρῄζειν. Alios ad id firmandum laudat ſcriptores Meurſius. Ob hanc igitur cauſſam triclinium iſtud excitaſſe, itaque appellaſſe Iuſtinianum ait anonymus, vt in eo quieſceret: ἐκάλεσε δὲ - - καὶ μιτατώριον, ὅπερ ἐκεῖσε ἀνήγειρε, κοιτῶνα ὡραῖον διάχρυσον, ἵνα εἰσπορευομένω αὐτῷ ἐν τῷ ναῷ ἐκεῖσε καθεύδῃ. vbi καθεύδειν eſt non tam *ſomno recreari*, quam *quieſcere* ac *morari*. Eiusmodi autem fuit & in eum finem exſtructa exedra eccleſiæ adiuncta, cuius meminit Anaſtaſius in Gregorio IV. *Fecit etiam iuxta Acoliti pro quiete Pontificis, vbi poſt orationes matutinales, vel in ſacrum officia eius valeant membra ſoporari, hoſpitium paruum, ſed honeſte conſtructum & picturis decorauit eximiis.* Ita *metatorium* ſeu diaconicum, amplum triclinium fuit, in quo & imperator diuerſari, ſi quando a publicis curis vellet ſecedere, & pietati vacare, & diaconi conſidere, & ſynodi peragi, clerici delinquentes includi, ſacra eccleſiæ vaſa, miniſteria, & veſtes adſeruari, atque adeo ipſe æditnus, vel qui templi conſeruandi curam habebat, habitare poterant.

(*k*) Suic. theſaur. voce μετατώριον. Μετατώριον, ſiue μιτατώριον eſt, quod alias vocatur διακονικὸν, item ἀσπαστικόν. - - Corruptum autem videri poſſit hoc vocabulum, pro μινσατώριον, a *menſa* quæ ibi ad res reponendas erecta erat; vnde etiam μινσάλια apud græcos, & ἀντιμίνσια, ſiue a μίνσος, quod *ferculum* notat.

(*l*) Conſtit. apoſtol. lib. II. c. LVII. ἐξ ἑκατέρων τῶν μερῶν τὰ παστοφόρια πρὸς ἀνατολήν.



rien-

rientalem constructa. Quem autem in vsum adhibita fuerint, ex hoc quidem auctore addiscere non possumus, nisi quod alio loco [*m*], diaconos reliquias eucharistiæ, post omnium communionem, huc inferre solitos esse, dicat. Vnde DVRANTVS, antiquas consuetudines ex temporum suorum praxi metiens, absurde infert, *pastophoria* fuisse arculam illam, in qua pyxis cum oblata [*n*] reposita fuerit, quasi similitudo aliqua sit inter pyxidem & ædificium ad vtrumque templi latus. BONA [*o*] ex paullo meliore ratione, aliud tantum *sceuophylacii* siue *diaconici* nomen fuisse, putat. Sed vero generalius quoddam nomen fuisse videtur, includens non tantum *diaconicum* sed etiam *gazophylacium*, & ministrorum ac custodum ecclesiæ, siue (quemadmodum ex aliorum opinione vocabantur) *paramonariorum*, *mansionariorum* & *martyrariorum* domicilia. Vocabulum enim *pastophorium* ex septuaginta interpretum versione veteris testamenti Ezech. XL, 17. adscitum est, vbi pro cubiculis in exteriore templi atrio adhibetur. Et HIERONYMVS in commentario in hunc locum [*p*] obseruat, id, quod septuaginta *pastophoria* & *latini cubicula* reddidissent, ab AQVILA & SYMMACHO *gazophylacium* & *exedram* translatum esse; dicitque, pastophoria fuisse gazophylacia atque domicilia sacerdotum & *Leuitarum*, atrium illud templi in circuitu ambientia. Quocirca dubitandum non esse existimo, quin *pastophoria* in ecclesia christiana loca fuerint eidem

(*m*) Constit. apost. lib. VIII. c. XIII. Ὅταν πάντες μεταλάβωσι καὶ πᾶσαι, λαβόντες οἱ διάκονοι τὰ περισσεύσαντα εἰσφερέτωσαν εἰς τὰ παστοφόρια. Post communionem omnium tum virorum tum mulierum, sumant *diaconi reliquias & inferant in pastophoria.*

(*n*) Durant. de ritib. ecclef. lib. I. c. VI. n. VIII. Hunc locum, vbi arcula includitur, παστοφόριον non improprie veteres appellarunt. Reliquiæ eucharistiæ in pastophoria inferebantur Clementis sæculo - - Plane illius loci, in quo pyxis includitur, religionem &c.

(*o*) Bona rer. liturgic. lib. I. c. XXIV. n. II. Locus, in quo indumenta & vasi sacra reconduntur, a græcis *diaconicon*, *sceuophylacion*, *pastophorion*; a latinis *vestiarium*, *secretarium*, *sacrarium* & barbara voce *sacristia* nuncupatur.

(*p*) Hieron. comment. in Ezech. XL, 17. p. 640. edit. Basil. MDLXV. (p. 985. edit. Parif. MDCCIV. folio) Pro thalamis triginta, quos vertere septuaginta, siue gazophylaciis atque cellariis, vt interpretatus est Aquila, Symmachus posuit ἐξέδρας - - quæ habitationi Leuitarum atque sacerdotum fuerant præpa- paratæ. Id. com. in Ezech. XLII, 1. p. 652. (p. 1006. edit. Par.) Eductus

atque

atque in templo *iudaico* vſui, a quo nomen mutuatum eſt, deſtinata. Eccleſia enim gazophylacia ſua habebat æque ac templum *iudaicum*; id quod e canone quodam concilii *Carthaginenſis* quarti [q] liquet, qui oblationes diſſidentium fratrum in gazophylacio recipi vetat. Vt adeo gazophylacium locus a *Corbane* in ſanctuario diſtinctus fuerit, atque hinc valde probabile ſit, eccleſiæ paſtophoriis fuiſſe eum adnumeratum. Huc omnes iſtæ populi oblationes recondebantur, quæ ad altare haud offerendæ, ſed potius domum epiſcopi mittendæ iudicabantur, quemadmodum nonnulli antiqui canones hac in re præcipiunt. Speciatim inter ſic dictos canones apoſtolicos duos hanc in rem inuenimus, ita habentes [r]: *Exceptis, tempore opportuno, nouis granis, ſiue ſpicis frumenti, ſiue vuis, non ſit licitum offerri aliquid ad altare; niſi oleum ad ſanctam lucernam & thymiama, id eſt, incenſum tempore diuinæ oblationis. Alius vero omnis fructus* εἰς οἶκον *domum* (hæc forte gazophylacium fuit) *mittatur primitiæ epiſcopo & preſbyteris; non autem ad altare. Conſtat autem, quod epiſcopus & preſbyteri diſpartiunt diaconis ceterisque clericis.* Paſtophoria erant etiam ædes, ab epiſcopo ac clericis & ædituis ſeu cuſtodibus eccleſiæ habitatæ, vti SCHELSTRATVS [s] ex alio loco HIERONYMI [t] recte concludit, vbi *paſtophorium* thalamum ſeu habitaculum eſſe dicit, in quo habitet præpoſitus templi. Vt adeo

eſt in gazophylacium: ſiue vt Symmachus & LXX. tranſtulerunt, *exedram*; vel vt Theodotio παςοφόριον, quod in *thalamum* vertitur.

(q) Conc. Carth. IV. c. XCIII. (tom. II. concil. p. 1207.) Oblationes diſſidentium fratrum neque in ſacrario neque in *gazophylacio* recipiantur.

(r) Can. apoſt. IV. V. (can. II. apud Coteler. patr. apoſt. tom. I. p. 437.) Πλὴν νέων χίδρων ἢ ςάχυας σίτου, ἢ ςαφυλῆς, μὴ ἐξὸν ἔσω προσάγεσθαί τι πρὸς τὸ θυσιαςήριον, καὶ ἔλαιον εἰς τὴν ἁγίαν λυχνίαν, καὶ θυμίαμα τῷ καιρῷ τῆς θείας ἀναφορᾶς· ἡ ἄλλη πᾶσα ὀπώρα εἰς οἶκον ἀποςελλέσθω ἀπαρχὴ τῷ ἐπισκόπῳ καὶ τοῖς πρεσβυτέροις, ἀλλὰ μὴ πρὸς τὸ θυσιαςήριον· δῆλον δὲ, ὡς ὁ ἐπίσκοπος καὶ οἱ πρεσβύτεροι ἐπιμερίζουσι καὶ τοῖς διακόνοις καὶ τοῖς λοιποῖς κληρικοῖς.

(s) Schelſtrat. concil. Antioch. p. 186. Quid *paſtophorium* ſignificet, adſerit D. Hieronymus in Iſaiam, quod nimirum ſit *thalamus*, *in quo habitat præpoſitus templi*, thalamus autem idem heic omnino eſt, quod habitaculum, vnde apud Eſdram ſic legitur: *Exſurgens Eſdras in PASTOPHORIVM Ionathæ & hoſpitatus illic, non guſtauit panem nec bibit aquam.* Quo ex loco ſatis manifeſte colligitur, quid paſtophoria olim ſignificarunt.

(t) Hieron. in Ieſaiam (vaga allegatio)

generale quoddam nomen, perinde ac *οἶκοι* & exedræ ecclesiæ, fuisse videatur.

## §. XII.

### *De scholis & bibliothecis ecclesiæ.*

NVM bibliothecæ ad ecclesias pertinentes horum *pastophoriorum* pars quædam fuerint, non est facile diiudicatu; hoc tamen certo nobis constat, olim eiusmodi loca pluribus ecclesiis fuisse contigua, ex quo tempore ecclesiæ inter christianos exstrui cœperunt. *Alexander* episcopus *Hierosolymitanus* sæculo tertio bibliothecam in vsum istius ecclesiæ construxit, ex qua EVSEBIVS [*u*], vberrimam materiam ad componendam historiam suam ecclesiasticam in vnum se collegisse, adfirmat. *Iulius Africanus* aliam eiusmodi bibliothecam *Cæsareæ* in *Palæstina* fundauit, quam valde auxerunt *Pamphilus* & *Eusebius*. HIERONYMVS [*w*], *Pamphilum* maximam partem voluminum ORIGENIS sua manu descripsisse, dicit, quæ suo adhuc tempore in bibliotheca *Cæsariensi* reperta sint. Sæpius quoque meminit [*x*], se ipsum occasione ita ferente in emendatione textus scripturæ sacræ ea

(*u*) Euseb. lib. VI. c. XX. *αἳ [ἐπιστολαὶ] καὶ εἰς ἡμᾶς ἐφυλάχθησαν ἐν τῇ κατὰ τὴν Αἰλίαν βιβλιοθήκῃ, πρὸς τοῦ τηνικάδε τὴν αὐτόθι διέποντος ἐκκλησίαν Ἀλεξάνδρου ἐπισκευασθείσῃ· ἀφ' ἧς καὶ αὐτοὶ τὰς ὕλας τῆς μετὰ χεῖρας ὑποθέσεως ἐπὶ ταὐτὸ συναγαγεῖν δεδυνήμεθα.* Exstant [epistolæ] nostra quoque ætate in *bibliotheca* Aeliæ vrbis ab Alexandro ecclesiæ illius episcopo constructæ. Ex qua nos vberrimam materiam ad argumenti huius, quod præ manibus habemus, tractationem in vnum collegimus.

(*w*) Hieronym. catal. scriptor. eccles. c. LXXV. (tom. I. opp. p. 188. edit. Francof.) Pamphilus presbyter, Eusebii Cæsariensis episcopi necessarius, tanto bibliothecæ diuinæ amore flagrauit, vt maximam partem Origenis voluminum sua manu descripserit, quæ vsque hodie in Cæsariensi bibliotheca habentur, sed & in duodecim prophetas viginti quinque *ἐξηγήσεων* Origenis volumina, manu eius exarata reperi, quæ tanto amplector & seruo gaudio, vt Crœsi opes habere me credam.

(*x*) Hieron. epist. ad Marcell. tom. III. p. 113. edit. Basil. (p. 76. edit. Francof. c.) Beatus Pamphilus martyr - - quum Demetrium Phalereum & Pisistratum in sacro bibliothecæ studio vellet æquare: imaginesque ingeniorum, quæ vera sunt & æterna monumenta, toto orbe perquireret: tunc vel maxime Origenis libros impensius prosequutus, Cæsariensi ecclesiæ dedicauit, cetera.
Id. comment. ad Tit. c. III. Nobis curæ fuit, omnes veteris legis libros, quos vir doctus Adamantius in exempla digesserat, de Cæsariensi bibliotheca descriptos, ex ipsis authenticis emendare, & quibus in ipsa Hebræa propriis sunt characteribus verba descripta & græcis tramite expressa vicino.

con-

consuluisse, exemplar etiam euangelii secundum *Matthæum hebraicis* litteris verbisque ab ipso compositum ibidem adseruari, [y] narrat. Aliam bibliothecam in actis *purgationis* CAECILIANI & FELICIS memoratam inuenimus, quæ ad ecclesiam *Cirtæ Iuliæ* seu *Constantinæ* in *Numidia* [z] spectauit, vbi *Paulus* episcopus tamquam traditor accusatus, quod tempore persequutionis *Diocletianeæ* bona ecclesiastica tradidisset. Istæ omnes fundatæ fuerunt ante, quam ecclesiæ vlla pacata essent tempora. Sequentibus temporibus AVGVSTINVM deprehendimus bibliothecæ [a] ecclesiæ *Hipponensis* facientem mentionem, & HIERONYMVM [b] laudantem *Euzoium*, episcopum *Arianum Cæsareæ*, quod plurimo labore corruptam bibliothecam *Origenis* & *Pamphili* in membranis instaurare conatus sit. BASILIVS [c] de bibliothecis aut certe de archiuis *Romanis* loquitur. Et auctor libri pontificalis [d], si quam fidem meretur, ab *Hilario* duas bibliothecas iuxta baptisterium *Lateranense* factas esse, narrat. Sed vero omnes reliquas longe multumque superauit celebris bibliotheca ecclesiæ *Sophianæ*, quam HOSPINIANVS [e], a *Constantino* im-

(*y*) Hieron. de scriptor. c. III. (tom. I. p. 171. a. edit. Francof.) Matthæus, qui & Leui, ex publicano apostolus primus in Iudæa propter eos, qui ex circumcisione crediderant, euangelium Christi hebraicis litteris verbisque composuit, quod quis postea in græcum transtulerit, non satis certum est. Porro ipsum hebraicum habetur vsque hodie in Cæsariensi bibliotheca, quam Pamphilus martyr studiosissime confecit.

(*z*) Gesta purgat. Cæcil. ad calcem Optati p. 267. edit. Par. MDCXXXI. (tom. I. conc. p. 1444. d.) Postea quam peruentum est in bibliothecam, inuenta sunt armaria inania. cetera.

(*a*) Aug. de hæresi c. LXXX. Audiui de hæresibus scripsisse sanctum Hieronymum, sed ipsum eius opusculum in *nostra bibliotheca* inuenire non potuimus.

(*b*) Hieron. catal. scriptor. c. CXIII.

(*c*) Basil. epist. LXXXII. tom. III. p. 152. Ὅτι δὲ ἐν τῇ Ῥώμῃ ἔγγραφος αὐτῶν ὁμολογία τῆς ἐν Νικαίᾳ πίστεως ἀπόκειται, τοῦτο οὐκ ἐννοοῦσιν· οὐδὲ ὅτι διὰ τῆς ἑαυτῶν χειρὸς ἐπίδωκαν τῇ ἐν Τυάνοις συνόδῳ τὸ ἀπὸ Ῥώμης βιβλίον· ὃ παρ' ἡμῖν κατάκειται, τὴν αὐτὴν ταύτην πίστιν ἔχον. Hoc vero non cogitant, quod Romæ scriptum ipsorum, quo Nicænam fidem confessi sunt, reconditum habetur: nec quod e Roma acceptum libellum Tyanensi Synodo obtulerunt, qui & apud nos eamdem hanc fidem habens repositus est.

(*d*) Pontifical. vit. Hilar. (tom. IV. conc. p. 1031.) Fecit oratorium S. Stephani in baptisterio Lateranensi. Fecit autem & *bibliothecas duas* in eodem loco.

(*e*) Hospin. de templ. lib. III. c. VI. p. 101. edit. Tigur. MDLXXXVII. (p. 369. e-

perato-

peratore primum fundatam & poſtea a *Theodoſio iuniore*, altero quodam *Ptolomeo*, inſigniter auctam eſſe, putat, cuius ætate non minus centum millia librorum complexa ſit; & centum ac viginti millia, *Baſiliſco* & *Zenone* imperantibus, vbi, ciuitate in populari tumultu incenſa, ædificium cum omnibus libris infeliciter conflagrauit. Qui ampliorem narrationem de his fundationibus in ſæculis ſubſequentibus videre geſtit, is LOMEIERI librum de *bibliothecis* conſulat, in quo hiſtoriam de bibliothecis [*f*] tam inter *iudæos* & gentiles, quam inter omnis æui chriſtianos, a capite ad calcem perſequitur. Ad præſens meum inſtitutum ſufficit, breuem aliquam & ſuccinctam de illis, quæ olim eccleſiarum chriſtianarum partes, vel appendices habitæ ſint, narrationem me tradidiſſe. Et ex eadem ratione ſcholarum mentionem hoc loco facio, quia eas nonnumquam in eccleſiis, vel ædibus ac eccleſiam ſpectantibus, habitas eſſe, legimus. Id quod ex obſeruatione, quam de *Iuliani apoſtatæ* educatione habet SOCRATES, manifeſtum eſt, quod videlicet, vbi adoleuiſſet, *Conſtantinopoli* liberalibus diſciplinis ſit inſtitutus in baſilica [*g*], vbi tunc ſcholæ fuerint. De ſcholis grammaticis & rhetoricis loquitur, quæ tunc *Conſtantinopoli* in conclaui quodam ad eccleſiam pertinente apertæ fuiſſe videntur. Heic etiam celebratiſſimas ſcholas catecheticas *Alexandriæ* & *Cæſareæ* habitas fuiſſe, probabile eſt. DEMETRIVM enim, eccleſiæ *Alexandrinæ* epiſcopum, *Origeni* catechiſandi magiſterium in eccleſia tribuiſſe, RVFFINVS [*h*] auctor eſt. Quod, quemadmodum alio loco [*hh*] obſeruauimus, de publica verbi diuini annuntiati-

dit. Geneu. MDCLXXXI.) Credibile eſt, hunc imperatorem (Conſtantinum) prima ieciſſe fundamenta Conſtantinopolitanæ ad Sophiæ templum Bibliothecæ, quæ progreſſu temporis adeo exornata fuit per Theodoſium iuniorem imperatorem, vt decem myriades librorum contineret. Nam ſacrorum librorum congerendorum tam ſtudioſus fuiſſe legitur, vt ea laude Ptolomeo Aegyptio haud inferior eſſet. Multos ſanctorum patrum libros ſua manu deſcripſit & in hanc Bibliothecam repoſuit, teſte Necephoro lib. XIV. c. III.

(*f*) Lomeier. de bibliothecis, Vltraiecti MDCLXXX. 8uo.

(*g*) Socrat. lib. III. c. I. Ἰουλιανὸς αὐξηθεὶς, τῶν ἐν Κωνσταντίνου πόλει παιδευτηρίων ἠκροᾶτο εἰς τὴν βασιλικὴν, ἔνθα τότε καὶ παιδευτήρια ἦν.

(*h*) Ruffin. lib. VI. hiſtor. Euſeb. c. III. Demetrius catechizandi ei, id eſt, docendi magiſterium in eccleſia tribuit.

(*hh*) Lib. III. c. X. §. IV. volum. II. p. 55.

one

one in ecclefia intelligi non poteft; ORIGENES enim tunc duodeuiginti tantum annos natus, nec in vllo ecclefiaftico ordine conftitutus erat, quum primum fcholam catecheticam aperiret; fed de priuato ipfius docendi officio in fchola ecclefiæ accipiendum eft. Quod vtrum in catechumeniis intra ecclefiam, an vero in baptifteriis vel paftophoriis extra ecclefiam factum fit, non facile eft nec multum refert decernere, fiquidem in aliquo ad ecclefiam pertinente, a nullo autem antiquorum fcriptorum exacte definito loco, id factum effe conftat. Dum in hoc argumento verfamur, non poffum, quin canonis alicuius, fexto concilio generali *Conftantinopolitano* attributi, faciam mentionem, qui fcholas gratuitas in omnibus ecclefiis per villas & vicos inftitui iubet. Nam inter nouem iftos canones, huic concilio in quibusdam vetuftis collectionibus adfcriptos, & a CRABIO editos, vnus reperitur in hanc fententiam [i]: *Presbyteri per villas & vicos fcholas habeant. Et fi quis fidelium fuos paruulos ad difcendas litteras eis commendare vult, eos non renuntient fufcipere. Nihil autem ab eis pretii exigant, nec aliquid ab eis accipiant, excepto, quod eis parentes eorum caritatis ftudio fua voluntate obtulerint.* Et alius quidam ex his canonibus loquitur de fcholis in ecclefiis & monafteriis, epifcopi curæ fubditis, *Si quis*, inquiens, *ex presbyteris voluerit nepotem fuum, aut aliquem confanguineum ad fcholas [k] mittere in ecclefiis fanctorum, aut in cœnobiis, quæ nobis ad regendum commiffa funt, licentiam id faciendi concedimus.* Ex quibus concludere poffumus, fcholas antiquitus communes ecclefiarum cum cathedralium tum ruralium fuiffe appendices; adeoque non abs re fuerit tantum de eis heic monuiffe; quamquam plenior de aliis rebus ad illas fpectantibus narratio aliquam huius operis partem pofthac loco fuo effectura fit.

## §. XIII.

### *Quo fenfu domicilia, hortuli & balneæ partes ecclefiæ habitæ fuerint.*

EVSEBIVS, templum duodecim apoftolorum, a *Conftantino* in vrbe fibi cognomine ædificatum defcribens, aliorum quorumdam ædificiorum, ad iftud templum pertinentium, mentio-

(i) Concil. gen. VI. can. V. apud Crab. tom. II. p. 415.
(k) Ibid. can. IV.

nem iniicit. Nam circa istud templum ingentem aream, eiusque ad quatuor latera porticus fuisse, dicit, præterea [*l*] οἴκους βασιλείους, quod VALESIVS *basilicas*, melius autem, mea quidem opinione, MVSCVLVS *domus basilicas* reddit. Non enim regia palatia, sed domus clericorum templo contiguæ intelligi videntur. Deinde addit λουτρὰ, quod vocabulum hoc loco nec baptisterium, nec fontem ante templum, sed lauacra ad templum spectantia, significat, quæ in lege quadam THEODOSII [*m*], de diuersis partibus ecclesiæ, ad quam hominibus confugiendi licentia datur, itidem loquente, clarius *balnea*, & in *græco* exemplari æque ac in codice λουτρὰ dicuntur, verbi caussa, in actis concilii *Ephesini*, in quibus eadem lex recitatur. Hisce ἀναχαμπτήρια subiungit EVSEBIVS, quam vocem MVSCVLVS reddit *deambulatorii recessus*, intelligens, reor, ambulacra extra ecclesiam. At vero VALESIVS magis proprie *diuersoria* vertit; parva enim xenodochea, vel ædes, in quibus pauperes & peregrini aluntur, videntur intelligi; quæ sunt istæ cellulæ, nisi fallor, de quibus in antedicta THEODOSII lege sermo est. Fortassis etiam illis, qui ad sanctum altare in ecclesiam confugiebant, diuersorium præbuerunt. Nam hi nec cibum capere nec pernoctare poterant intra ecclesiam, sed tantum in quibusdam exterioribus ædificiis, quæ hoc intuitu in lege ante memorata THEODOSII ipsis tuitionem non minus quam altare ipsum præbere iubentur. Atque ita καταγώγια, vt EVSEBIVS

(*l*) Euseb. vit. Constant. lib. IV. c. LIX. Ἀμφὶ δὲ τοῦτον (νεὼν) αἴθριος ἦν αὐλὴ παμμεγέθης, εἰς ἀέρα καθαρὸν ἀναπεπταμένη· ἐν τετραπλεύρῳ δὲ ταύτῃ στοαὶ διέτρεχον, μέσον αὐτῷ νεῷ τὸ αἴθριον ἀπολαμβάνουσαι· οἶκοί τε βασίλειοι ταῖς στοαῖς, λουτρά τε καὶ ἀναχαμπτήρια παρεξετείνετο, ἄλλα τε πλεῖστα καταγώγια τοῖς τοῦ τόπου φρουροῖς ἐπιτηδείως εἰργασμένα. Circa ipsum templum ingens erat area, libero ac patente desuper cælo. Cuius ad quatuor latera *porticus* erant sibi inuicem coniunctæ, quæ aream in medio sitam vna cum ipso templo circumcingebant, præterea *basilicæ*; (ita VALESIVS) *lauacra*, *diuersoria*; & alia plurima *habitacula* ad vsum eorum, qui locum custodiebant, porticibus applicita, earum longitudinem æquabant.

(*m*) Cod. Th. lib. IX. tit. XLV. de his qui ad ecclesias confugiunt. leg. IV. Vt inter templum, quod parietum desc ipsimus cinctu, & ianuas primas ecclesiæ, quidquid fuerit interiacens siue in cellulis, siue in domibus, hortulis, balneis, areis atque porticibus, confugas interioris templi vice tueatur.

vocat,

vocat, ianitorum seu custodum ecclesiæ erant habitacula; & similiter hortuli, & area, & porticus idem priuilegium habebant, quippe quæ intra limites περιβόλου, seu exteriora ecclesiæ septa, erant. Et eatenus, quod ad priuilegium sanctuarii attinet, omnia ista loca pro ecclesiæ partibus habebantur. Sed hac de re pluribus capite vndecimo, quod speciatim de legibus asylorum, deque eorum, qui ad ecclesias confugiunt, priuilegiis agit.

## §. XIV.

*Quando organa primum in ecclesia adhiberi cœpta sint.*

FINEM huic capiti heic imponerem, nisi lectores quosdam prætermissionem interpretaturos esse, existimarem, quod inter ecclesiæ instrumenta nullam organorum & campanarum feci mentionem. Vera autem ratio est, quod istarum rerum neutra in antiquis ecclesiis per plura sæcula in vsu fuit. Musica in ecclesiis æque antiqua est atque sunt apostoli, sed musica instrumentalis non item. Nam viri eruditi nunc quidem generatim in hoc consentiunt, vsum organorum in ecclesiam post THOMAE AQVINATIS demum tempora an. MCCL. introductum esse. In *summa* enim *Theologiæ* hæc verba habet [n]: *Ecclesia nostra non adsumit instrumenta musica, sicut citharas & psalteria, in diuinas laudes, ne videatur iudaizare.* Ex quibus verbis eruditus noster GREGORIVS in peculiari dissertatione [o], quam de hoc argumento conscripsit, nullum eius ætate organorum vsum in ecclesia fuisse, concludit. Eadem quoque conclusio a CAIETANO [p] & NAVARRO [q] inter scriptores *Romanenses* facta est. WARTHONVS [r] etiam, *Marinum Sanutum*, qui circa annum MCCXC. vixit, pneumaticorum organorum vsum in ecclesias

(n) Aquin. secunda secundæ quæst. XCI. artic. II.

(o) Gregor. *discours of the singing of the* Nicene *creed.* Inter opera posthuma p. 51.

(p) Caietan. in loc. Aquin. & in summula. (vid. Hospinian. de templis lib. II. c. XXVI. p. 261. edit. Geneu.

(q) Nauar. de orat. & horis canonicis c. XVI.

(r) Wharton. append. ad Cau. histor. litter. p. 13. Marinus Sanutus, cognomento Torcellus, germani cuiusdam artificis opera vsus, organa illa pneumatica, quæ hodie vsurpantur, italice Torcellos dicta, primus omnium in ecclesiam induxit: inde datum ei Torcelli nomen.

primum omnium inuexiſſe, & inde nomen *Torcelli*, quod organum lingua *italica* ſignificat, ſortitum eſſe obſeruauit. Et circa hoc tempus DVRANDVS in *rationali* ſuo [s] eorum tamquam in eccleſiam receptorum meminit, & hinc ipſe ex GREGORII quidem opinione, primus omnium auctor eſt, qui eorum hoc modo mentionem facit. Inſtrumentorum muſicorum vſus antiquior quidem eſt, ſed non in cultu eccleſiaſtico; ad quam diſtinctionem quum tot ſcriptores minus attendant, falluntur. In occidente inſtrumenta in aulis imperatorum in vſu ſemper fuerunt, forte a *Iuliani* inde temporibus, qui epigramma [t] habet, quo ſcitam eorum dat deſcriptionem. At in occidentalibus regionibus inſtrumenta ad octauum vſque ſæculum fuerunt ignota. Primum enim organon, quod vmquam in *Galliis* viſum fuit, illud fuit, quod an. DCCLXVI. *Pipino* regi dono miſit *Conſtantinus Copronymus*, quemadmodum ipſe BONA [u] ex SIGEBERTO [w] & antiquis *annalibus* [x] *Galliæ* oſtendit; & GREGORIVS MARIANVM SCOTVM, MARTINVM POLONVM, AVENTINVM, PLATINAM & *pontificale* pro eadem ſententia adlegat. Iam vero in principum aulis tantum adhibebantur, nondum in eccleſias inducta. Neque vmquam in eccleſias *græcas* recepta ſunt, quum nulla vllius organi mentio in cunctis ipſorum liturgiis antiquis vel nouis facta reperiatur, ſi GREGORII ſententia acceptari poteſt. DVRANTVS nihilo ſecius pro eorum antiqui-

(s) Durand. rational. lib. IV. c. XXXIV. Sane in hoc angelorum - - concentu quandoque *organa* concrepant, quod a Dauide & Salomone introductum eſt, qui inſtituerunt hymnos in ſacrificiis *organis* & aliis inſtrumentis muſicis concrepi laudes a populo conclamari. Lib. V. c. II. Tres ſunt ſpecies ſonorum, quæ tres modulos faciunt. Fit enim ſonus pulſu, flatu, & voce. Pulſus pertinet ad citharam, flatus ad tubam & *organum*: vox vero ad cantum. Hæc genera muſicorum antiquus populus in Dei laudem exercebat.

(t) Vid. vitam Iuliani per Morentinum p. 11.

(u) Bona rer. liturg. lib. I. c. XXV. n. XIX. In Galliis ignota fuiſſe organa ante Pipinum, auctor eſt Sigebertus *anno* DCCLXVI. referens a Conſtantino imperatore ipſi dono miſſa; antea numquam viſa: idemque narrant *annales Metenſes* anno DCCLVII.

(w) Sigebert. an. DCCLXVI. (Not. Nihil huius rei in Sigeberto inuenire potui.)

(x) Annales Metenſes tom. III. ſcript. hiſtor. Franc. an. DCCLVII. p. 27. edit. Dn. du Cheſne. Anno dominicæ incarnationis DCCLVII. Conſtantinus imperator miſit regi Pipino inter cetera dona *organum*, quod antea non viſum fuerat in Francia.

tate

tate tam in *græcis* quam occidentalibus ecclesiis pugnat, eamque probare [y] nititur, sed infelici cum successu. *Primum* ex IVLIANO *Halicarnassensi*, *græco* quodam scriptore an. DX, quem perhibet dicere, quod sua tempestate organa in ecclesia vsurpata sint. Sed auctoris sui sensum perperam accipit, qui non de suis, sed de *Iobi* & templi *iudaici* temporibus loquitur. In hæc enim *Iobi* verba c. XXX, 31. *Ad luctum redacta est cithara mea, & organum meum ad vocem flentium*, commentans, non esse prohibitum dicit, instrumentis musicis, cuiusmodi [z] organa sint, vti, si pie id fiat, quia in templo illa vsurpata fuerint. Ex quibus manifestum est, de templo *iudaico* in singulari numero, non de christianis templis seu ecclesiis in plurali, eum loqui, vti quidem DVRANTVS falso ipsum interpretatur. *Deinde* pro ecclesia *latina* communem opinionem vrget, quæ eorum inuentionem *Vitaliano* papæ, an. DCLX. adscribit. At vero non meliores hanc in rem testes habet, quam PLATINAM & *pontificale*, quorum aduersus perspicua documenta in sententiam contrariam exigua admodum habenda est ratio. Ad locum, quem nonnulli ex CLEMENTE ALEXANDRINO [a] vrgent, non ita respondeo, quemadmodum SVICERVS [b], (qui cum HOSPINIANO [c] & aliis quibusdam, vsum musicæ instrumentalis in ecclesiis christianis penitus eiicientibus, interpolationem & corruptionem huius antiqui auctoris esse dicit) sed obseruo tantum, non de eo ipsum loqui, quid in vsu tum fuerit in ecclesiis christianis, sed quid a priuatis quibusdam christianis adhiberi licitum sit, si quidem adhibere velint. Id quod potius, instrumenta musica lyram & citharam, de quibus loquitur, in publicis ecclesiis in vsu non fuisse arguit. Idem ex CHRYSOSTO-

(y) Durant. de ritib. lib. I. c. XIII. n. 2. Organorum vsum in templis antiquissimum probat Iulianus ad c. XXXI. *Iob*, enarrans verba: Si autem ambulaui &c. Is autem Iulianus longo interuallo S. Gregorium antecessit.

(z) Iulian. catena in Iob. XXX. p. 461. οὐδὲ κεχρῆσθαι ὀργάνοις ἀπείρητο, μετ᾽ εὐσεβείας γινομένους, ὅπωσγε ἐν τῷ ναῷ τούτοις ἐκέχρηντο.

(a) Clem. Alex. pædag. lib. II. c. IV. κἂν πρὸς κιθάραν ἐθελήσῃς ἢ λύραν ᾄδειν τε καὶ ψάλλειν, μῶμος οὐκ ἔστιν. κ. τ. λ. Si ad lyram vel citharam canere & psallere volueris, nulla in te cadet reprehensio. cetera.

(b) Suicer. thesaur. voce ὄργανον p. 501. 502. 503. quem vide.

(c) Hospin. de templis lib. II. c. XI. p. 74. edit. Tigur. MDLXXXVII. (lib. II. c. XXII. tot. p. 261. edit. Geneu.

MI [d] verbis colligi poterit, quando organa ista *iudaeis* tunc concessa fuisse dicit, propter inertiam, atque socordiam & languidum eorum animum; Deum infirmitati eorum hac ratione consulere voluisse, quia nouissime ab idolis reducti fuerint: iam autem loco organorum [e] corpore nostro ad Deum vbique laudandum vti nobis licere. THEODORETVS [f] in commentationibus suis in psalmos & aliis in locis multas similes loquu-

(*d*) Chrysostom. in Psalm. CXLIX. tom. III. p. 634. Par. MDCXVI. *Τὰ ὄργανα δὲ ἐκεῖνα διὰ τοῦτο ἐπιτέτραπτο τότε, διάτε τὴν ἀσθένειαν αὐτῶν, καὶ διὰ τὸ κιρνᾷν αὐτοὺς εἰς ἀγάπην καὶ συμφωνίαν, καὶ ἐγείρειν αὐτῶν τὴν διάνοιαν μεθ' ἡδονῆς ποιεῖν τὰ τὴν ὠφέλειαν παρεχόμενα, καὶ εἰς πολλὴν βούλεσθαι αὐτοὺς ἄγειν σπουδὴν διὰ τῆς τοιαύτης ψυχαγωγίας· τὸ γὰρ βάναυσον αὐτῶν καὶ ῥᾴθυμον καὶ ἀναπεπτωκὸς σοφιζόμενος ὁ Θεὸς, ἀφυπνίζειν αὐτοὺς ταύτῃ μεθώδευσε τῇ σοφίᾳ, ἀνακεράσας τῷ πόνῳ προσεδρίας τὸ ἡδὺ τῆς μελῳδίας.* Organa vero ista propterea tunc concessa erant, tam propter infirmitatem eorum, tum vt in caritatem & amicam conspirationem coalescerent, & vt mens eorum excitaretur ad ea, quae vtilitatem adferunt, cum voluptate facienda, & quod vellet eos tali recreatione & animi oblectatione ad multam excitare diligentiam. Quum enim Deus inertiam atque socordiam & languidum eorum animum sapienter eludere voluisset, eos hac arte excitauit, adsiduitatis molestias suauitate cantus temperando.

(*e*) Chrysost. in psalm. CXLIV. tom. I. p. 862. *Τότε μὲν ὄργανα ἦν, δι' ὧν τὰς ᾠδὰς ἀνέφερον· νυνὶ δὲ ἀντὶ ὀργάνων κεχρῆσθαί ἐστι τῷ σώματι· ἔστι γὰρ καὶ δι' ὀφθαλμῶν ᾄδειν, οὐ διὰ γλώττης μόνον, καὶ διὰ χειρῶν, καὶ διὰ ποδῶν καὶ ἀκοῆς. Ὅταν γὰρ ἕκαστον τούτων ταῦτα πράττῃ, ἃ τῷ Θεῷ φέρει δόξαν καὶ αἶνον, οἷον, ἂν μὴ ἀκόλαστα ὀφθαλμὸς βλέπῃ, ὅταν μὴ πρὸς ἁρπαγὰς αἱ χεῖρες, ἀλλὰ πρὸς ἐλεημοσύνην ὦσι τεταμέναι, ὅταν πρὸς ψαλμῶν καὶ πνευματικῶν ἀκουσμάτων ὑποδοχὴν αἱ ἀκοαὶ παρασκευασμέναι· ὅταν πρὸς ἐκκλησίαν οἱ πόδες τρέχωσιν, ὅταν ἡ καρδία δόλους μὴ ῥάπτῃ, ἀλλ' ἀγάπην βρύῃ, γίνεται ψαλτήριον καὶ κιθάρα τοῦ σώματος τὰ μέλη, καὶ ᾄδει καινὴν ᾠδὴν, οὐ τὴν διὰ ῥημάτων, ἀλλὰ τὴν διὰ πραγμάτων.* Tunc quidem (nempe sub veteri testamento) organa erant, quibus cantiones offerebant: nunc autem loco organorum corpore vti licet. Possumus namque etiam oculis canere, non sola lingua, & manibus, & pedibus, & auribus. Si enim vnumquodque horum membrorum ea facit, quae Deo gloriam & laudem adferunt, exempli gratia, si oculus lasciuis non delectatur spectaculis: si manus non ad rapinas, sed eleemosynam extenduntur; si aures paratae sunt ad recipienda spiritualia praecepta: si pedes in ecclesiam currunt: si cor fraudes non nectit, sed caritatem emittit; fiunt psalterium & cithara corporis membra, canuntque canticum nouum, non quod verbis, sed operibus constat.

(*f*) Theodoret. in Ps. XXXIII, 2. (tom. I. p. 517. edit. Paris. MDCXLII.) *Ἐξομολογεῖσθε τῷ κυρίῳ ἐν κιθάρᾳ, ἐν ψαλτηρίῳ δεκαχόρδῳ ψάλατε αὐτῷ· ᾄσατε αὐτῷ ᾆσμα καινὸν, καλῶς ψάλατε αὐτῷ ἐν ἀλαλαγμῷ - - Ταῦτα δὲ πάντα κατὰ τὴν νομικὴν ἐπετελεῖτο λατρείαν· καὶ γὰρ κιθάραις, καὶ κυμβάλοις, καὶ τυμπάνοις,*

tiones

tiones habet. Sed auctor sub nomine IVSTINI MARTYRIS[g] rem multo exactius exprimit, *Simpliciter canere*, inquiens, *insipientibus non conuenit, sed instrumentis inanimatis & crotalis cum saltatione canere. Quocirca in ecclesiis non vsus carminum per eius generis instrumenta & alia insipientibus congruentia receptus est, sed simplex cantio in eis manet.* Quando itaque organorum vsus ad duodecimum vsque sæculum nullus fuit, de illis, tamquam antiquæ ecclesiæ instrumentis, loqui non potuimus.

---

καὶ ἑτέροις μουσικοῖς ὀργάνοις ἐκέχρηντο· ἀλαλαγμὸς δέ ἐστιν ἐπινίκιος βοὴ, κατὰ τῶν φευγόντων ὑπὸ τῶν νικώντων γινομένη· ἁρμόττει δὲ καὶ ἡμῖν τὰ εἰρημένα πνευματικῶς νοούμενα· καὶ δυνατὸν ἡμᾶς εὔηχον καὶ παναρμόνιον ὄργανον ἡμᾶς αὐτοὺς ἀποφῆναι, καὶ διὰ τῶν αἰσθητηρίων ἁπάντων τῶν αἰσθητῶν τε καὶ νοητῶν τὸν θεὸν ἀνυμνῆσαι. Confitemini Domino in cithara & in psalterio decem chordarum psallite illi. Cantate ei canticum nouum,' bene psallite ei in vociferatione. Omnia autem hæc secundum legalem cultum perficiebantur. Etenim citharis, & cymbalis & tympanis, aliisque musicis instrumentis vtebantur. Ceterum alalagmus est victoriæ clamor, qui contra fugitantes a vincentibus editur. Quadrant autem & nobis quæ dicta sunt, si secundum spiritum intelligantur: & fieri potest, vt nos canorum & concinnum organum nos ipsos reddamus, & Deum celebremus per instrumenta omnium sensuum, tum interiorum tum exteriorum.

Id. in psalm. CXLIX, v. 6. Τούτοις οἱ Λευῖται πάλαι τοῖς ὀργάνοις ἐχρῶντο ἐν τῷ θείῳ νεῷ τὸν θεὸν ἀνυμνοῦντες· οὐκ ἐπειδὴ ὁ θεὸς ἐτέρπετο τῇ τούτων ἠχῇ, ἀλλ' ἐπειδὰν τῶν γινομένων τὸν σκοπὸν ἀπεδέχετο· ὅτι γὰρ ᾠδαῖς καὶ κρούμασι τὸ θεῖον οὐκ ἐπιτέρπεται, ἀκούομεν αὐτοῦ λέγοντος Ἰουδαίοις· ἀπόστησον ἀπ' ἐμοῦ ἦχον ᾠδῶν σου, καὶ φωνῆς ὀργάνων σου οὐκ ἀκούσομαι· ταῦτα τοίνυν γίνεσθαι συνεχώρησε, τῆς τῶν εἰδώλων αὐτοὺς πλάνης ἀπαλλάξαι θελήσας, ἐπειδὰν γὰρ φιλοπαίγμονες τινες ἦσαν, καὶ φιλογέλωτες, ταῦτα δὲ ἅπαντα ἐν τοῖς εἰδώλων ἐπετελεῖτο ναοῖς, συνεχώρησε ταῦτα, διὰ τοῦτο αὐτοὺς ἐφελκόμενος, καὶ τῇ ἐλάττονι βλάβῃ κωλύων τὴν μείζονα, καὶ διὰ τῶν ἀτελῶν προπαιδεύων τὰ τέλεια. His instrumentis olim Leuitæ vtebantur, Deum in diuino templo laudantes, non quod Deus horum sono oblectaretur: sed quoniam propositum eorum, qui hæc faciebant, amplectebatur. Nam Deum minime cantibus & sonis delectari, audimus ipsum Iudæis dicentem: *Auerte a me sonum cantionum tuarum, & vocem organorum tuorum non audiam.* Hæc igitur fieri permisit, quum ab idolorum errore eos liberare vellet. Quoniam enim studiosi ludorum erant & risus amatores, & hæc omnia in idolorum templis fiebant, hæc permisit, hoc pacto eos adliciens, & minori damno maius impediens, & per imperfecta perfecta prædocens.

(g) Iustin. quæst. & respons. ad orthodox. quæst. CVII. pag. 462. Οὐ τὸ ᾆσαι ἁπλῶς ἐστὶ τοῖς νηπίοις ἁρμόδιον, ἀλλὰ τὸ μετὰ τῶν ἀψύχων ὀργάνων ᾆσαι, καὶ μετὰ ὀρχήσεως καὶ κροτάλων· διὸ ἐν ταῖς ἐκκλησίαις περιαίρεται ἐκ τῶν ᾀσμάτων ἡ χρῆσις τῶν τοιούτων ὀργάνων, καὶ τῶν ἄλλων τῶν νηπίοις ὄντων ἁρμοδίων, καὶ ὑπολέλειπται τὸ ᾆσαι ἁπλῶς.

§. XV.

## §. XV.

*De origine campanarum, & quomodo conuentus ecclesiastici, his nondum inuentis, conuocati fuerint.*

EAMDEM ob caussam nec campanas inter antiquae ecclesiae instrumenta refero, quod recentius inuentae esse intelliguntur. Nam per tria priora saecula, certum est, priscos christianos nullo publice dato signo in vnum conuenisse: quidquid AMALARIVS [h], lignearum instrumentorum sono id factum esse, opinetur. Nam haec adeo absurda est opinio & somnium omni fundamento destitutum, sibi persuadere, quod tempore persecutionis, quando noctu clam conuenerunt, ipsi se quasi prodere, & inimicos suos ad necem sibi inferendam prouocare voluerint, vt nec ipsi *Romanensis* ecclesiae scriptores BONA [i] atque BARONIVS [k] concoquere illud potuerint. BARONIVS autem aliam habet opinionem, haud meliore fundatam ratione.

(h) Amalar. de officiis lib. IV. c. XXI. (in bibliothec. patr. max. tom. XIV. p. 1016. edit. Lugdun.) Omnis salutatio deest in istis tribus diebus - - nec altitudo signorum, quae fiebat per vasa aerea, deponitur, & lignorum sonus vsquequaque humilior aeris sono, necessario pulsatur, vt conueniat populus ad ecclesiam. Potest & in hoc humilior vsus ecclesiae Romanae designari antiquis temporibus, quam nunc fit, & praecipue tunc, quando latitabat per cryptas propter persecutores: Nam adhuc iunior Roma, quae antiquis temporibus sub vno domino cum antiqua Roma regebatur, vsum lignorum tenet, non propter aeris penuriam; sed propter vetustatem

(i) Bona rer. liturgic. lib. I. c. XXII. n. I. Amalarius lignorum sonitu christianum populum congregatum ait, quando latitabat per cryptas propter persecutores. Non adsentitur Amalario Baron. an. LVIII. num. CVIII. & merito: tum quia huius rei nullum exstat antiquum monumentum: tum etiam quia ratio ipsa non patitur, vt eo tempore, quo abdita loca ad conueniendum studiosissime quaerebant, eo lignorum strepitu se proderent & ad necem sibi inferendam gentiles prouocarent.

(k) Baron. an. LVIII. n. CVIII. edit. Antuerp. MDCX. (n. CIII. edit. MDCLXX.) Haud adsentimur Amalario, qui existimauit, tempore persecutionis ecclesiae, sonitu lignorum (vt fit hodie tribus vltimis diebus maioris hebdomadae) ad synaxin vocari solitos christianos. Eius enim rei vsus quum nullum prorsus vetus reperiatur monumentum litteris consignatum; nec ratio ipsa patiatur, vt quum haec illi secretius agenda curarent, tanto lignorum strepitu omnium gentilium aures & oculos in se conuerterent; haud nobis probare potest: quum praesertim nec verum fuisse appareat, solitum esse olim (vt nunc ea fit ratione tribus illis diebus maioris hebdomadae) moestitiae tantum tempore, ad conuocandum populum ligna pulsari.

ne. Fuiſſe enim certos eccleſiæ miniſtros, exiſtimat, id muneris obtinentes, vt ſingulos priuatim admonerent, quo tempore & loco conuentus habendus eſſet; & hos [l] θεοδρόμȣς, hoc eſt *curſores*, antiqua eccleſiæ lingua vocatos eſſe, dicit. Vnum ſolum teſtimonium pro hac ſua ſententia ex epiſtola IGNATII [m] ad *Polycarpum* adfert, vbi quidem nomen illud occurrit, ſed ſenſu plane diuerſo ab eo, quo BARONIVS illud interpretatur. Non enim de hominibus loquitur, quorum officium ſit, conuentus religioſos conuocare, ſed de nuntiis, ex regione alia in aliam in cauſſa grauiore eccleſiæ miſſis, quemadmodum vnusquiſque, qui IGNATIVM inſpexerit ſtudioſius, facile videbit. Hoſce alio loco [n] θεοπρεσβύτας, *diuinos legatos*, appellat, quemadmodum ex omnium virorum doctorum ſententia legendum eſt; atque ita vetus *latina* verſio habet *ſacros legatos*, & POLYCARPVS [o] eodem nomine vtitur, de eccleſiarum loquens legatis. Hi plerumque diaconi quidam, vel de inferioribus clericis erant, quos epiſcopus dignos iudicabat, qui ad eccleſias alias ablegarentur. Conuocatio autem chriſtianorum ad conuentus eccleſiaſticos quemadmodum facta ſit, de eo quidem nihil certi

(l) Baron. ibid. n. CVII. (CII.) Vrgente perſecutione haud liberum erat ibidem ſemper loci conuenire; ſed neceſſe erat frequenter mutare loci, eademque nec inuentu facilia. Quamobrem priuatim ſingulos a miniſtro eccleſiæ id muneris obeunte, qui curſor dicebatur, epiſcopi ſeu presbyteri monitu vocari opus erat. De curſoris electione hæc habet Ignatius, ſcribens ad Polycarpum: Decet, beatiſſime Polycarpe, cetera. vid. litt. ſeq. (m) p. m: 610.

(m) Ignat. epiſt. ad Polycarp. n. VII. Πρέπει, Πολύκαρπε θεομακαριστότατε, συμβȣ́λιον ἀγαγεῖν θεοπρεπέστατον, καὶ χειροτονῆσαι τινὰ, ὃν ἀγαπητὸν λίαν ἔχετε καὶ ἄοκνον, ὃς δυνήσεται θεόδρομος καλεῖσθαι. Τȣ̃τον καταξιῶσαι, ἵνα πορευθεὶς εἰς Συρίαν δοξάσῃ ὑμῶν τὴν ἄοκνον ἀγάπην εἰς δόξαν χριστȣ̃. Decet, in Deo beatiſſime Polycarpe, concilium cogere Deo decentiſſimum, & eligere aliquem, quem valde carum habeatis, & impigrum, qui poterit diuinus curſor appellari, illumque eo dignari honore, vt profectus in Syriam glorificet veſtram impigram caritatem in gloriam Chriſti.

(n) Ignat. ep. ad Smyrn. n. XI. Πρέπει εἰς τιμὴν θεȣ̃ χειροτονῆσαι τὴν ἐκκλησίαν θεοπρεσβευτήν (leg. θεοπρεσβύτας) κ. τ. λ. Decet ad Dei honorem, vt eccleſia veſtra eligat *ſacrum legatum*.

(o) Polycarp. ep. ad Philipp. n. XIII. ὅπερ ποιήσω, ἐὰν λάβω καιρὸν εὔθετον, εἴτε ἐγὼ, εἴτε ὃν πέμψω πρεσβεύσοντα καὶ περὶ ὑμῶν. Quod faciam, ſi habuerimus tempus opportunum, ſiue ego, ſeu *legatus* quem miſero pro vobis.

constat, nisi quod secreta quadam ratione eam factam esse, sciamus. Forte diaconissæ ad hoc ministerium commodissime adhiberi potuerunt, quippe omnium minime cognitæ vel suspectæ gentilibus; sed ob lucis historicæ inopiam nihil possumus definire. Sequentibus sæculis diuersas alias conuocandi conuentus religiosos rationes, ante inuentas campanas, deprehendimus. In *Aegypto* tubæ more *iudæorum* videntur adhibitæ. Vnde PACHOMIVS [*p*], *Aegyptiorum* monachorum parens, regulæ suæ articulum aliquem facit, quod monachus quilibet, audita voce tubæ ad ecclesiam vocantis, cella sua egredi debeat. Et eadem consuetudo IOANNI CLIMACHO [*q*], præsidi cœnobitarum in monte *Sina* sæculo sexto, memoratur, vnde coniicere nobis licet, quod antiqua consuetudo etiam in *Palæstina* ad illud vsque tempus durauerit. In quibusdam vero monasteriis moris erat monachis, omnium cellas alternatim obire, & pulsu mallei fratres suos ad ecclesiam euocare: cuius consuetudinis, tamquam pro nocturnis præcipue conuentibus vsitatæ, crebra a CASSIANO [*r*], PALLADIO [*s*] & MOSCHO [*t*] mentio iniicitur, vnde & instrumentum illud *signum nocturnum* & *malleus excitatorius* ab illis appellatur. In monasterio virginum, quod *Hierosolymis* erexit

(*p*) Pachom. regula c. III. bibliothec. patr. tom. XV. p. 629. edit. Paris. MDCLIV. Quum audierit vocem tubæ ad collectam vocantis, statim egrediatur.

(*q*) Climac. scala paradisi, gradu XIX. biblioth. patr. tom. V. p. 244. cit. edit. (tom. X. p. 491. f. ed. Lugdun. MDCLXXVII.) Obseruemus accurate & intelligamus, *signo sacræ tubæ canente* cogi fratrum cœtus, cetera.

(*r*) Cassian. Instit. lib. II. c. XVII. Is autem, cui religiosi conuentus commonitio, vel synaxeos cura committitur, non passim vt libitum est, nec prout nocte fuerit expergefactus, aut opportunitas eum somni proprii seu insomnii coartat, fratres etiam ad quotidianas vigilias exsuscitare præsumit. cetera. Id. lib. IV. c. XII. Itaque considentes intra cubilia sua & operi ac meditationi studium pariter impendentes, quum sonitum pulsantis ostium ac diuersorum cellulas percutientis audierint, ad orationem eos scilicet seu ad opus aliquod inuitantis: certatim e cubilibus suis vnusquisque prorumpit, cetera.

(*s*) Pallad. histor. Lausiac. cap. CIV. Πληρώσας τὸν συνήθη τῶν εὐχῶν κανόνα, τὸ τηνικαῦτα τῷ ἐξυπνιαστικῷ σφυρίῳ τὰς πάντων ἔκρουεν κέλλας, συνάγων αὐτοὺς εἰς τὰς ἐκκλησίας οἴκους πρὸς ὀρθρινὴν δοξολογίαν. Impleto tempore consueto, excitatorio malleo pulsabat cellas omnium, eos congregans ad oratorium ad benedictionem matutinam.

(*t*) Mosch. prat. spirit. Nocturnum pulsare signum &c.

& mo-

& moderata eſt *Paula*, nobilis illa *Romana* femina, ſignum dari ſolebat ab obeunte quadam & cantante *Halleluiah*: Hac enim voce, vti fidem nobis facit HIERONYMVS [u], ad conuentus religioſos ſolebant vocari. In aliis orientalibus partibus lignorum percuſſio in vſu erat, vti ex actis ſynodi ſecundæ *Nicenæ*, THEODORO STVDITA, NICEPHORO BLEMIDE aliisque ſcriptoribus pluribus BONA [w] demonſtrat. Neque campanarum vſus notus inter eos erat, ſicut ex BARONIO [x] idem ille obſeruat, vſque ad annum DCCCLXV, quando *Vrſus Patriciacus*, dux *Venetiarum*, nonnullas *Michaeli* imperatori dono miſit, qui eas in turri, ad ædem *Sophianam* exſtructa, collocauit. Hodie vero, ſiue quod hæc conſuetudo numquam in vniuerſum invaluit apud *Græcos*, ſiue quod *Turcæ* vſum campanarum ipſis permittere recuſant, nullas habent, ſed antiquum morem ſequen-

(u) Hieron. ep. XXVII. epitaph. Paulæ p. 178. edit. Baſil. MDLXV. fol. (p. 115. h. edit. Francof. Poſt Alleluiah cantatum, quo ſigno vocabantur ad collectam, nulli reſidere licitum erat.

(w) Bona rer. liturgic. lib. I. c. XXII. n. II. Vſi ſunt etiam græci lignorum percuſſione, quorum vſum antiquiſſimum eſſe ex actis ſecundæ ſynodi Nicænæ conſtat. Ibi enim act. IV. ex libro miraculorum S. Anaſtaſii martyris legimus, quod quum eius reliquiæ Cæſareæ appropinquarent, ciues omnes lætitia magna perfuſi *ligna ſacra pulſantes* obuiam facti ſunt. Eorumdem frequens habetur mentio apud græcos ſcriptores. Theodorus Petreorum epiſcopus in vita S. Theodoſii archimandritæ; *Monachi*, ait, *lignum pulſabant præter ſolitam propemodum horam.* Nicephorus Blemides in vita S. Pauli Latrenſis, *Imperat, vt ante tempus lignum congregans monachos pulſetur, & ſacra myſtagogia peragatur.* Theodorus Studita in carminibus *Veluti tuba percute lignum tempore ſuo ut opus eſt.* Auctor vitæ S. Niconis cognomento *Metanœitæ: Et ligni pulſatione omnes fratres conuocat.* Et tubæ quidem ac mallei vſus ad ſola monaſteria pertinuiſſe videtur, ligna autem ab omnibus eccleſiis vſurpata fuerunt, longoque ſpatio permanſit eorum conſuetudo, quia campanas ſerius receperunt.

(x) Bon. ibid. Campanas vſui græcis eſſe cœpiſſe anno DCCCLXV. refert Baronius ex hiſtoriæ Venetæ ſcriptoribus adſerentibus, Vrſum Patriciacum Venetiarum ducem primum omnium dono miſiſſe duodecim mirificæ arti & valde ſonoras Michaëli imperatori, qui eas in turri ad S. Sophiam exſtructa collocauit.

Baron. ad an. DCCCLXV. n. CV. (p. 310. tom. X. edit. Antuerp. MDCLXX.) Ad hunc quoque annum referunt ſcriptores proſequuti res Venetas, ærea inſtrumenta, quæ campanas dicimus, vſui eſſe cœpiſſe græcis, miſſis ipſis a duce Venetiarum Vrſo Patriciaco ad Michaëlem imperatorem.

tes ligneis instrumentis vel bracteis ferreis vtuntur, quæ *σή-μαντρα* & *χειροσημαντρα* vocitant, quod manibus teneantur, eorumque pulsu populus in ecclesiam conuocetur, quemadmodum ab ALLATIO [xx] & a recentiore quodam scriptore ex nostratibus [y], qui consuetudinum eorum testis oculatus fuit, condocemur. Quis primus campanarum vsum in ecclesiam *latinam* introduxerit, nondum liquido constat; aliis *Sabiniano* papæ, *Gregorii* successori an. DCIV, aliis *Paulino*, ecclesiæ *Nolanæ* episcopo, *Hieronymo* coæuo, hoc adscribentibus. Hæc postrema opinio certe vulgatus error est, nec alii fundamento originem debere videtur, nisi quod *Paulinus* fuerit episcopus *Nolæ* in *Campania* (vbi ærea illa instrumenta forte primum inuenta, & hinc *nolæ* & *campanæ* dicta sunt) & recentiores quidem audaculi scriptores hinc concludant, quod earum auctor exstiterit. Quæ fabula plus probabilitatis accepit, quia ipse ecclesiam *Nolæ* fundauit. Verum tum huic fictioni id infeliciter accidit, quod ipse conditam a se ecclesiam, & singulas eius partes in duodecima ad *Seuerum* epistola describens, nullam campanarum vel turris campanariæ faciat mentionem, quum tamen alia minora ædificia adcurate recenseat. Quod, vt BONA recte obseruat, idoneum argumentum est, accedente reliquorum auctorum omnium silentio, quo ipsum earum inuentorem non fuisse, probe-

(xx) Leo Allat. in dissertat. de recentiorum græcorum templis. Sacerdotes græci ligneo instrumento ad græcos in ecclesiam conuocandos vtuntur. Id est, lignum binarum decempedarum longitudine, duorum digitorum crassitudine, latitudine quatuor, quam optime dedolatum, non fissum aut rimosum, quod manu sinistra medium tenens sacerdos vel alius, dextra malleo ex eodem ligno cursim hinc inde transcurrens modo in vnam partem, modo in alteram, prope vel eminus ab ipsa sinistra, ita lignum diuerberat, vt ictum nunc plenum, nunc grauem, nunc acutum, nunc crebrum, nunc extensum edens, perfectæ musices scientia auribus suauissime moduletur.

(y) *Dr.* Smith's *Account of the* greek *church* p. 70. [p. 53. edit. lat. Traiect. ad Rhen. MDCXCVIII.] Campanarum vsu ciuitatibus potissimum, quas *Turcæ* promiscue habitant, interdicto, vt opportunius & debito tempore intersint, lignei instrumenti, *σημάντρυ*, quod malleo pulsant, sonitu ad sacras ædes conuocantur. Huius tum crebrioribus fortioribusque tum languidioribus magisque intermissis ictibus, qui prope sunt, a *λαοσυνάκτη*, siue æditno, quantum temporis, antequam sacra fieri occipiunt, reliquum sit, an tum instet, nec diutius exspectandum, admoniti, satisque id vsu edocti, vel pueri intelligunt.

tur.

tur. Sed tamen BONA, ecclesiæ eas vsui esse cœpisse existimat, simulac imperatores christiani facti fuissent, quia tintinnabula, minorum campanarum genus, ab ethnicis in similem vsum iam ante adhibita fuerint. Quæ argumentatio, mea quidem sententia, parum ponderis habet, quia nullus antiquus auctor est, qui eius coniecturam confirmet. Nullum enim ante AVDOENVM *Rothomagensem* produxit, qui vsus tintinnabulorum mentioonem faciat, nullum ante BEDAM, qui campanæ vocabulo vtatur: qui scriptores duo sæculo septimo vixerunt, & hoc ipsum argumento est, has res non multum ante inter christianos in vsum venisse, alioquin in auctoribus, qui ante illos scripserunt, eas memoratas inueniremus, quemadmodum in illis, qui subsequuntur, earum mentio habetur. Lectori iam nihil attinet commemorare, illam vsitatam *Romanensibus* consecrandi, vngendi, baptizandi & nomine alicuius sancti insigniendi campanas consuetudinem recentius quoddam inuentum esse. BARONIVS non vltra tempus *Ioannis XIII.* an. DCCCCLXVIII. extendit, qui maiorem campanam ecclesiæ *Lateranensis* consecrauit, atque nomine *Ioannis* [z] nuncupauit, vnde hanc consuetudinem in ecclesia perseuerasse, putat, vt eo modo, quo iste pontifex vsus, campanæ in ecclesiis collocandæ, Deo primum, imposito eis nomine, dicarentur. MENARDVS [a] & BONA [b], hunc ritum

(z) Baron. an. DCCCCLXVIII. tom. X. p. 810. ed. Antuerp. MDCX. (n. LXXXVI. p. 797. edit. MDCXVIII.) Sed ad Ioannem pontificem reuertamur, qui Capuæ his peractis, in vrbem rediens, quum imperator ibi adhuc moraretur, contigit primariam Lateranensis ecclesiæ campanam miræ magnitudinis recens ære fusam super campanile eleuari: quam prius idem pontifex sacris ritibus Deo consecrauit, atque Ioannis nomine, puto baptistæ, cuius ecclesiæ esset vsui, nuncupauit. Qui sacer ritus in ecclesia perseuerauit, vt eo modo, quo ipse vsus, campanæ in ecclesiis collocandæ, Deo primum, imposito eis nomine, dicarentur.

(a) Menard. not. in Sacramental. Gregor. p. 207. (p. 438. c. tom. III. opp. Gregor. Paris. MDCCV.) His de basilicæ dedicatione notatis, subiungendus est ordo in benedictione signi, hoc est nolæ seu campanæ, qui exstat in codicibus Remensi & Ratoldi abbatis. In codice igitur Remensi ita habetur: *Ad signum ecclesiæ benedicendum:* Benedic, Domine, hanc aquam benedictione cælesti &c. In codice Ratoldi: *Ad signum ecclesiæ benedicendum. In primis intingue ter in aqua, & laues in ea quæ benedicenda est his verbis:* Benedic, Domine, cetera.

(b) Bona rer. liturgic. lib. I. c. XXII. n. VII. Vsum quidem benedicendi campa-

paullo antiquiorem esse, volunt, sed tamen non longius quam vnum sæculum, ad *Caroli* videlicet *magni* ætatem, extendere audent, cuius tempore, MENARDVS dicit, libros quosdam rituales formam benedicendi & vngendi campanas habuisse, hoc præfixo titulo: *Ad signum ecclesiæ benedicendum.* Neque improbabile est, eiusmodi corruptionem in libros rituales horum temporum irrepsisse; quia inter *capitularia* CAROLI MAGNI censuram quamdam & prohibitionem huius consuetudinis inuenimus, „*Vt clocas* (quod *Germanicum* campanarum nomen est) *non baptizent* [c]. Enim vero quod tum prohibitum, illud postea constanter concessum & factitatum, immo adsititiis quibusdam iuribus auctum est, dum campanæ quoddam incantamenti genus contra tempestates, fulmina, & satanæ insidias effici consueuerunt, quemadmodum lector, cui lubet, cærimoniam, ex antiquis *pontificalibus* ecclesiæ *Romanensis*, a SLEIDANO [d] & HOSPINIANO [e] descriptam, legere potest. Sed vereor, ne lectores mei lo-

nas scribit Baronius a Ioanne XIII. traxisse originem, qui anno DCCCLXVIII. campanam Lateranensem miræ magnitudinis, antequam super campanile eleuaretur, sacris ritibus Deo consecrauit, atque Ioannis nomine nuncupauit, *qui ritus*, inquit, *in ecclesia perseuerauit.* Sed multo antiquiorem esse ex ritualibus libris integro sæculo ante Ioannem XII. conscriptis palam fit, in quibus formula benedicendi & vngendi campanas reperitur, hoc præfixo titulo, *Ad signum ecclesiæ benedicendum*, vt eruditissimus Menardus testatur in notis ad libr. Sacramental. p. 207. ex codice Rhemensi tempore Caroli magni exarato.

(c) Capitular. Caroli magni citata a Duranto de ritibus ecclesf. cath. lib. I. c.XXII. n. II. Plura de tintinnabulis Rhodiginus. Appellantur item clocæ, vocabulo Germanico, vt in capitulari Caroli magni, *vt clocas non baptizent.*

(d) Sleidan. commentar. lib. XXI. p. 388. (p. m. 659.) Consimili ratione tractantur campanæ, & primo quidem sic eas pendere oportet, vt circumire possit episcopus, qui quum psalmos aliquot demurmurauit, aquam & salem consecrat, simulque miscet, eaque foris & intus campanam diligenter lauat, post extergit, & oleo sacro formam crucis in ea describit, Deumque precatur, vt quum impellitur & insonat campana, fides & caritas in animis hominum augeatur, recedant omnes insidiæ diaboli, grando, fulmina, venti, tempestates, & omnis intemperies mitigetur. vbi crucem illam oleatam linteo detersit, septem alias cruces in ea format, intus vero solum vnam: postea psalmos aliquot recitans, campanæ turibulum subdit, & suffitum facit, eique bene precatur. plerisque in locis, epulum dari consueuit & peragi conuiuium, non secus atque in nuptiis.

(e) Hospinian. de templis lib. IV. c. IX. tot. p. 113. & seq. edit. Tigur. (p. 391. seqq. edit. Genev.)

co

co prætermiſſionis nunc quidem iuſto longioris digreſſionis in hoc argumento me accuſent, adeoque ad antiquarum eccleſiarum conſiderationem reuertor.

# LIBRI OCTAVI
## CAPVT OCTAVVM
## DE ANATHEMATIS ALIISQVE ANTIQVARVM ECCLESIARVM ORNAMENTIS.

### §. I.

### *Quid veteres per* anathemata *ſua in eccleſiis intelligant.*

POSTQVAM præcipuas partes & ædificia nec non communia vtenſilia antiquarum eccleſiarum diſtincte ſpectauimus, non alienum ab inſtituto noſtro erit, oculis noſtris ad earum ornamenta conuerſis, paullulum conſiderare, quemadmodum domos orationum exornarint priſci chriſtiani. De magnificentia & ſplendore quarumdam fabricarum deque valore vtenſilium altaris, quorum multa argentea erant & aurea, iam diximus. Quod igitur hoc loco addendum eſt, ad reliqua eccleſiæ ornamenta attinet, quorum nonnulla inuſitatiora ſunt & recentioribus ſcriptoribus rarius obſeruata. Generale omnis generis ornamentorum in eccleſiis, tum in ipſis ſtructuris, tum in vaſis & vtenſilibus eccleſiaſticis, nomen olim erat *anathemata.* Quod etſi vt plurimum homines exſecratos, ſiue per excommunicationem a cœtu fidelium ſeparatos & ſegregatos, ſignificat, interdum tamen res etiam Deo datas eiusque honori ac cultui dicatas denotat. Quo ſenſu omnia vaſa ſacra & inſtrumenta eccleſiæ & omnia donaria atque ornamenta, ad illam pertinentia, *anathemata* appellantur, quod a communi vſu ſegregata & diuino honori ac cultui conſecrata erant. Nonnulli e *græcis* ſcriptoribus diſtinguunt inter ἀναθήματα, & ἀναθέματα, quemadmodum SVICERVS [a] ex CHRYSOSTOMO [b],

(a) Suicer. theſ. voc. ἀνάθημα p. 268. 269.

(b) Chryſoſtom. hom. XVI. in Roman. Τί ἐστι τὸ ἀνάθεμα; ἄκουσον αὐτοῦ λέγοντος· Εἴ τις οὐ φιλεῖ τὸν κύριον Ἰησοῦν, ἔστω ἀνάθεμα· τουτέστι, κεχωρίσθω πάντων, ἀλλότριος ἔστω πάντων. Καθάπερ γὰρ τοῦ ἀναθήματος, τοῦ ἀνακειμένου τῷ θεῷ

HESY-

HESYCHIO [c], ZONARA [d], & BALZAMONE [dd] obſeruauit, qui illud ornamenta eccleſiæ, ſeu res Deo deuotas; hoc autem res exſecrandas & deteſtabiles exitioque deſtinatas denotare, ſtatuunt. Alii vero non ita adcurate hanc diſtinctionem obſeruant, ſed vocabulo ad vtrumque, res videlicet Deo dicatas, & res exitio deſtinatas, ſignificandum, promiſcue vtuntur: quemadmodum SVICERVS ex THEODORETO [*], CYRILLO

ὐδεὶς ἂν τολμήσειεν ἁπλῶς ταῖς χερσὶν ἅψασθαι, ὐδὲ ἐγγὺς γενέσθαι· ὕτω καὶ τὸν χωριζόμενον τῆς ἐκκλησίας, πάντων ἀποτέμνων, καὶ ὡς ποῤῥωτάτω ἀπάγων, τύτῳ τῷ ὀνόματι ἀπὸ τῦ ἐναντίυ καλεῖ, μετὰ πολλῦ τῦ φόβυ πᾶσιν ἀπαγορεύων αὐτῦ ἀποχωρίζεσθαι καὶ ἀποπηδᾷν· τῷ μὲν γὰρ ἀναθήματι, τιμῆς ἕνεκα, ὐδεὶς ἐτόλμα ἐγγίσαι· τῦ δε ἀποτμηθέντος ἐξ ἐναντίας ἐχωρίζοντο γνώμης ἅπαντες. Ὥστε ὁ μὲν χωρισμὸς εἷς, καὶ ὁμοίως καὶ τῦτο κἀκεῖνο τῶν πολλῶν ἠλλοτρίωται· ὁ δὲ τρόπος τῦ χωρισμῦ ὐχ εἷς, ἀλλὰ καὶ ἐναντίος ὗτος ἐκείνυ. Τῦ μὲν γὰρ ἀπείχοντο ὡς ἀνακειμένυ Θεῷ, τῦ δὲ ὡς ἠλλοτριωμένυ Θεῦ, καὶ ἀποῤῥαγέντος τῆς ἐκκλησίας. Quid eſt *anathema?* Audi ipſum ita loquentem: *Si quis non amat dominum, is* ἀνάθεμα, anathema *ſit, hoc eſt, ab omnium commercio ſegregetur, alienus ab omnibus ſit. Nam quemadmodum anathema donumque id quod Deo oblatum dedicatur, nemo eſt, qui temere manibus contingere audeat*, vel ad illud propius accedere: ſic etiam eum, qui ab eccleſia ſeparatur, ab omnibus abſcindens & quaſi longiſſime abducens hoc nomine, a contrario ſcilicet, appellat, magno cum terrore omnibus interminatus, ab eo vt ſeparentur ac pedem referant. *Donario* enim honoris gratia appropinquare nemo audebat: ab eo autem, qui ab eccleſia abſciſſus erat, ex oppoſita omnes ſententia ſeparabantur. Quapropter ſeparatio quidem tum hæc, tum illa ex æquo a vulgo abalienatio erat: ſeparationis vero modus non vnus ſed illi contrarius. Ab illo enim abſtinebant, tamquam Deo dicato: ab hoc autem recedebant, tamquam a Deo alienato & ab eccleſia abſciſſo.

(c) Heſych. lexicon. Ἀνάθεμα, ἐπάρατος, ἀκοινώνητος, Maledictus, excommunicatus. Ἀνάθημα, κόσμημα, Donarium, ornamentum.

(d) Zonar. in can. III. concil. in templo Sophiæ. Ὡς τὰ ἀναθήματα, προσαγόμενα τῷ Θεῷ, χωρίζονται ἀπὸ τῶν κοινῶν καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων· ὕτω καὶ ὁ ἀνάθεμα γενόμενος, ἐκκόπτεται καὶ ἀποδιαιρεῖται ἀπὸ τῆς τῶν πιστῶν ὁμηγύρεως, τῶν ἀνατεθειμένων καὶ ἀφωσιωμένων τῷ Θεῷ, καὶ ἀπ' αὐτῦ, καὶ προσκληρῦται τῷ διαβόλῳ, καὶ ἀνατίθησιν αὐτὸς ἑαυτόν. Quemadmodum *donaria* Deo oblata ſeparantur a communibus & humanis rebus: ita etiam *anathema* factus exſcinditur & ſegregatur a cœtu fidelium conſecratorum ac dicatorum Deo, & ab ipſo Deo, atque deſtinatur diabolo ſeque ipſum ei conſecrat.

(dd) Balſamon. ad eumd. can. hæc ipſa verba exſcripſit.

(*) Theodoret. in cap. XIII. Ieſaiæ. tom. II. p. 59. Τὸ ἀνάθημα καὶ ἐπὶ τῦ ἄγαν ἁγίυ, καὶ ἀφιερωμένυ τῷ Θεῷ τίθησι τὰ θεῖα λόγια, καὶ μέντοι καὶ ἐπὶ τῦ ἄγαν ἐναγῦς καὶ βεβήλυ· ἀνάθημα γὰρ καλῦμεν καὶ τὰ τῷ Θεῷ προσφερόμενα, καὶ

ALEXAN-

ALEXANDRINO [**], auctore *quaestionum ad orthodoxos* sub nomine IVSTINI [†] MARTYRIS, & nonnullis aliis scriptoribus demonstrat. Nos vero heic vtrumque vocabulum pro donariis & ornamentis templorum accipimus. Quo sensu *ἀναθήματα Lucae* euangelistae c. XXI, 5. *donaria* & *ornamenta* dicuntur. Atque ita EVSEBIVS, hemisphaerium ecclesiae *Hierosolymitanae* & duodecim, quae illud cingebant, columnas describens, dicit, columnarum capita maximis crateribus argenteis fuisse ornata, quos imperator tamquam *ἀνάθημα* [e] *κάλλιστον*, *pulcherrimum donarium*, Deo suo dicauerit. Et paullo post iterum ait [f], dici non posse, quot quantisque ornamentis ac donariis (*ἀναθημάτων*) partim ex auro & argento, partim ex gemmis templum illud diuersimode venustarit. Atque ita cuncta pretiosa vasa ac in-

τοὺς διά τινα παρανομίαν τῆς ἐκκλησίας ἐκβαλλομένους. *Anathema* tum de eo, quod valde sanctum est, Deoque consecratum, vsurpant diuina eloquia: & rursum de eo, quod valde impurum & profanum. *Anathema* enim vocamus tum ea, quae Deo offeruntur, tum eos, qui ob aliquod delictum ab ecclesia expelluntur.

Id. in Sophon. c. I. v. 7. p. 865. Τὸ ἀνάθημα διπλῆν ἔχει ἔννοιαν· οὐ γὰρ μόνον τὸ ἀνακείμενον τῷ Θεῷ, ἀλλὰ καὶ τὸ ἀλλοτριούμενον ἀνάθημα κέκληκε. *Anathema* duplicem sensum habet: nam non solum id, quod Deo dedicatum est, sed etiam quod abalienatum, *anathema* vocauit.

Id. in epist. ad Rom. c. IX, 3. Τὸ ἀνάθημα διπλῆν ἔχει τὴν διάνοιαν· καὶ γὰρ τὸ ἀφιερωμένον τῷ Θεῷ ἀνάθημα ὀνομάζεται, καὶ τὸ τούτου ἀλλότριον τὴν αὐτὴν ἔχει προσηγορίαν. *Anathema* duplicem habet intelligentiam. Nam & quod Deo consecratum est, *anathema* nominatur: & quod ab eo est alienum, eamdem habet appellationem.

(**) Cyrill. Alexandr. lib. V. de adorat. (p. 144. edit. Paris. MDCXXXVIII. fol.) Ἀνάθεμα, τουτέστι, τὸ ἀπονεμηθὲν ἑκάστῳ, καὶ ἀφορισθὲν τῷ Θεῷ, *Anathema*, id est, vnicuique adsignatum & Deo separatum.

(†) Iustin. Martyr. resp. CXXI. ad orthodoxos (p. 473. edit. Paris. MDCXXXVI.) Ἀνάθεμα λέγεται τὸ ἀνακείμενον καὶ ἀφωρισμένον θεῷ, καὶ εἰς κοινὴν χρῆσιν μηκέτι λαμβανόμενον· ἢ τὸ ἀπηλλοτριωμένον Θεοῦ διὰ κακίαν. *Anathema* id dicitur, quod Deo est dedicatum atque destinatum, & in communem vsum amplius non conuertitur; aut id quod a Deo per malitiam est abalienatum.

(e) Euseb. de vita Constant. lib. III. c. XXXVIII. Ὧν δὴ δυωκαίδεκα κίονες ἐστεφάνουν τοῖς τοῦ σωτῆρος ἀποστόλοις ἰσάριθμοι, κρατῆρσι μεγίστοις ἐξ ἀργύρου πεποιημένοις τὰς κορυφὰς κοσμούμενοι· οὓς δὴ βασιλεὺς αὐτὸς ἀνάθημα κάλλιστον ἐποιεῖτο τῷ αὐτοῦ θεῷ.

(f) Euseb. ibid. c. XL. ἐκόσμει δ᾽ αὐτὸν ἀδιηγήτοις κάλλεσι πλείστων ὅσων ἀναθημάτων, χρυσοῦ καὶ ἀργύρου καὶ λίθων πολυτελῶν ἐν διαλλαττούσαις ὕλαις

strumenta altaris, pretiosa vestis, quam induebat episcopus, diuini baptismi ministerium peracturus, quæ aureis filis contexta, & vti THEODORETVS [g] ac SOZOMENVS [h] fidem nobis faciunt, de donariis a *Constantino* ecclesiæ *Hierosolymorum* datis erat; hæc, inquam, & omnia reliqua huius generis ornamenta ecclesiæ, æque ac illud, quod ad magnificentiam & splendorem fabricæ ipsius faciebat, inter anathemata ecclesiæ relata fuerunt. Sed sensu strictiore anathemata magis speciatim ea donaria denotant, quæ a columnis pendebant, publico conspectui exposita, tamquam magnæ alicuius gratiæ, quam quis a Deo consequutus fuerat, monimenta. Ad quam rem adludens SOCRATES [i], vocabulum anathematis pro sententia contra impie loquentes adhiberi putat, quod hominis cuiusdam condemnatio, velut in columna publice proposita, omnium oculis ac notitiæ subiiciatur. HIERONYMVS etiam ad hanc consuetudinem manifesto respicit, quando de hominum donis, quæ [k] funalibus, hoc est funibus aureis pendeant, vel aureis candela-

(g) Theodoret. lib. II. c. XXVII. Τὴν ἱερὰν στολὴν, ἣν ὁ πανεύφημος Κωνσταντῖνος ὁ βασιλεὺς, τὴν Ἱεροσολύμων ἐκκλησίαν γεραίρων, δεδώκει τῷ Μακαρίῳ τῷ τῆς πόλεως ἐκείνης ἀρχιερεῖ, ἵνα ταύτην περιβαλλόμενος τὴν τοῦ θείου βαπτίσματος ἐπιτελῇ λειτουργίαν· ἐκ χρυσῶν δὲ αὕτη κατεσκεύαστο νημάτων, πεπρακέναι τὸν Κύριλλον ἔφη, κ. τ. λ. Sacram vestem, quam Constantinus omni laude celebrandus, ad exornandam Hierosolymorum ecclesiam Macario eius loci episcopo donauerat, vt ea indutus diuini baptismi ministerium perageret: ea vestis aureis filis contexta erat: Cyrillum vendidisse dixit.

(h) Sozom. lib. IV. c. XXV. Λιμοῦ καταλαβόντος τὴν Ἱεροσολύμων χώραν, ὡς εἰς ἐπίσκοπον ἔβλεπε τὸ τῶν δεομένων πλῆθος, τῆς ἀναγκαίας τροφῆς ἀπορούμενον· ἐπεὶ δὲ χρήματα οὐκ ἦν οἷς ἐπικουρεῖν ἔδει, κειμήλια καὶ ἱερὰ παραπετάσματα ἀπέδοτο· ἐκ τούτων δὲ λόγος, τινὰ ἐπιγνῶναι οἰκεῖον ἀνάθημα γυναῖκα ἐκ τῶν ἐπὶ θυμέλης ἠμφιεσμένην. κ. τ. λ. Quum Hierosolymorum regionem fames occupasset, egentium multitudo necessariis alimentis destituta, in Cyrillum vtpote episcopum oculos coniecit: quum autem pecuniæ deessent, quibus subuenisi posset egentibus, Cyrillus thesauros ecclesiæ & sacra vela diuendidit. Aiunt igitur, quemdam postea donarium suum agnouisse in muliere scenica, quæ illo amicta erat, cetera.

(i) Socrat. lib. VII. c. XXXIV. Κοινῇ μέντοι ψήφῳ πάντες οἱ κληρικοὶ αὐτὸν ἀνεθεμάτισαν· οὕτω γὰρ οἱ χριστιανοὶ καλεῖν εἰώθαμεν τὴν κατὰ τοῦ βλασφήμου ψῆφον, ὅταν αὐτὴν ὥσπερ ἐν στήλῃ ἀναστήσαντες φανερὰν τοῖς ἅπασι καταστήσωμεν.

(k) Hieron. ep. XXVII. ad Eustoch. in epitaphio Paulæ. Iactent alii pecunias & in corbonam Dei æra congesta, *funalibusque aureis dona pendentia*, cetera. Id. epist. XIII. ad Paulin. Verum Christi templum anima credentis est. - - Illi offer *donaria*.

bris

bris siue lampadibus imposita sint, (vtrumque enim funale significat) loquitur. Quamuis autem homines potius admoneat, vt veris Christi templis, (intelligens pauperum corpora & animas) dona sua offerant; hoc ipsum tamen aliam anathemata, seu (vt cum *latinis* scriptoribus [*l*] aliis vocat) *donaria* sua offerendi rationem in vsu fuisse indicat, nimirum suspendendi in templis materiatis.

## §. II.

### *Certa quaedam donaria, ἐκτυπώματα appellitata, quando in ecclesiam primum inuecta sint.*

INTER haec certum genus donariorum erat, quae **ἐκτυπώματα** vocabantur, quia beneficii ac fauoris, ipsis quocumque modo exhibiti, symbolica quaedam monumenta, siue hieroglyphicae repraesentationes, erant. Quo primum tempore offerri atque appendi in ecclesiis coepta sint, non facile dici potest. Coniectura tamen BOCHARTI [*ll*] valde mihi probabilis videtur, saeculo quinto medio id factum esse, quia THEODORETVS in primis scriptoribus est, qui eorum iniiciunt mentionem. In octauo enim sermone ad gentiles de martyribus sic ait [*m*]: *Quod votorum compotes fiant, qui fideliter petunt, palam testantur illorum donaria, curationem indicantia. Alii enim oculorum, alii pedum, alii manuum simulacra suspendunt, ex argento auroue confecta. Haec au-*

(*l*) Sidon. Apollin. lib. IV. ep. XVIII. Vtinam molis illius pompam, siue *donaria*, nil huius obsequii turpet oblatio &c.
Paulin. natal. VI. Felicis.

Cedo, alii pretiosa ferant *donaria*, meque
Officii sumtu superent, qui pulcra tegendis
Vela ferant foribus, seu puro splendida lino,
Siue coloratis textum fucata figuris. cetera.

(*ll*) Bochart. hierozoic. part. I. lib. II. c. XXXVI. p. 368. Quin Christiani horum (gentilium) aemuli, quinto post Christum saeculo coeperunt donaria in templis appendere, imaginem habentia partium, quae aliquo morbo adflictae conualuerant. Ita diserte testatur Theodoretus in octauo therapeuticωn, ὅτι δὲ τυγχάνουσιν κ. τ. λ. vid. not. seq. (m).

(*m*) Theod. serm. VIII. de martyr. (tom. IV. p. 606. a. edit. Par. MDCXLII.) Ὅτι δὲ τυγχάνουσιν ὧνπερ αἰτοῦσιν οἱ πιστῶς ἐπαγγέλλοντες, ἀναφανδὸν μαρτυρεῖ τὰ τούτων ἀναθήματα, τὴν ἰατρείαν δηλοῦντα, οἱ δὲ ποδῶν, ἄλλοι δὲ χειρῶν προσφέρουσιν ἐκτυπώματα· καὶ οἱ μὲν ἐκ χρυσοῦ, οἱ δὲ ἐξ ὕλης ἀργύρου πεποιημένα· - - δηλοῖ δὲ ταῦτα προκείμενα τῶν παθημάτων τὴν λύσιν, ἧς ἀνετέθη μνημεῖα παρὰ τῶν ἀρτίων γεγενημένων.

*tem morborum depulsionem indicant, qui testantur ab iis posita sunt, qui sanitatem receperunt.* BOCHARTVS in hoc christianos gentilium æmulos exstitisse existimat. Solebant enim illi aliquo metu vel periculo defuncti præteritorum malorum insignia ac monumenta illis diis consecrare, a quibus se liberatos putabant. Ita naufragi *Isidi* vel *Neptuno* tabulam dedicabant, quæ expressam naufragii sui imaginem continebat [*]. Gladiatores arma *Herculi* appendebant [†]. Serui & captiui in libertatem adserti catenam [**] *Laribus* offerebant. Ita 1 Sam. VI, 4. relatum legimus, quod *Philistæi* ab *Israelitarum* Deo, vt sperabant, ex malis suis propediem liberandi, murium & mariscarum imagines illi deo vouerint, a quo salutem exspectabant. Nihil in hanc consuetudinem obseruabimus amplius, sed tantum notamus, quantopere ecclesia *Romanensis* hac in re ab antiqua illa degeneraverit, quæ iam hominibus potius quam Deo offert, & templa sua donariis replet, habens sanctos quosdam tutelares pro præcipuis suis patronis & bene de se merentibus.

## §. III.

### *Templa olim sententiis, e scriptura sacra petitis & parietibus inscriptis, exornata.*

SED pergimus in antiquarum ecclesiarum consideratione. Aliud ornamentum, quod ad vsum æque ac pulchritudinem faciebat, elegantes erant & accommodatæ inscriptiones, quarum multæ conseruatæ adhuc in antiquis auctoribus leguntur. Harum duo erant genera. Aliæ e sacris litteris desumtæ erant, aliæ ab ipsis hominibus inuentæ & compositæ. Parietibus tem-

(*) Vnde Iuuenalis satyr. XII.

- - - - pictores quis nescit ab *Iside* pasci?

Et Horatius Ode V.

- - - - me tabula sacer
Votiua paries indicat vuida
Suspendisse potenti
Vestimenta maris Deo.

(†) Horat. epist. I.

- - *Veianius* armis
*Herculis* ad postem fixis latet abditus agro.

(**) Horat. lib. I. Satyr. V. de Sarmento diu seruo,

- - - donasset iamne catenam
Ex voto *Laribus*, quærebat. -- --

pli

pli plerumque selectiora quædam dicta scripturæ sacræ inscripta videntur fuisse, quæ quamdam admonitionem vel omnibus & singulis generatim, vel illi hominum ordini, qui in specialiore ista ecclesiæ parte stationem suam habebant, speciatim accommodatam, continebant. Ita supra [††] ex AMBROSIO [n] obseruauimus, in loco virginum dictum illud *Paulinum* nonnumquam parietibus inscriptum fuisse: *Discrimen est vxorem inter & virginem; quæ non est nupta, cogitat quæ domini sint, quomodo sit sancta corpore & spiritu.* Ex quo vno loco iudicare possumus, quemadmodum aliæ templi partes aptis monitis ex scriptura sacra decoratæ fuerint & exornatæ.

## §. IV.

*Nec non aliis inscriptionibus humanæ compositionis.*

VERVM præter lectiones, e scriptis diuinitus inspiratis depromtas, moris erat, alias inscriptiones, ab hominibus compositas, in diuersis partibus & vtensilibus nonnullarum ecclesiarum repræsentare. Cuius consuetudinis iam exempla quædam ex PAVLINO, de *catechumeniis* & *secretariis* [m] ecclesiæ loquente, attulimus. Cuiusmodi multo plura lector huius rei studiosus in baptisterio, altari & frontispicio [o] reperire potest, quæ longum foret heic interponere. Duo duntaxat disticha heic repetemus ecclesiæ foribus inscripta, alterum quidem lateri exteriori, homines admonens, vt puris & pacificis cordibus templum ingrediantur, hoc modo:

*Pax tibi sit, quicumque Dei penetralia Christi*
*Pectore pacifico candidus ingrederis.*

Alterum vero interiori lateri fc[...]um, ab hominibus requirens, vt ecclesiam egredientes corpore corda sua intus relinquant:

*Quisquis ab æde Dei perfectis ordine votis*
*Egrederis, remea corpore, corde mane.*

Plures istiusmodi inscriptiones alias in SIDONIO [p] APOLLINA-

(††) Lib. VIII. c. V. §. IX. pag. 202.

(n) Ambros. ad virgin. lapsam c. VI. Nonne vel illa præcepta, quæ oculis tuis ipse *scriptus paries* ingerebat, recordari debuisti: *Diuisa est mulier & virgo*, cetera.

(m) Lib. VIII. cap. VI. §. XXII. pag. 248. 249.

(o) Paulin. epist. XII. ad Seuerum.

(p) Sidon. lib. IV. ep. XVIII. Basilicam sancti pontificis confessorisque Martini

RI aliisque istius æui scriptoribus videre licet; Sed vnam adhuc addemus, dignam omnino, quæ heic interponatur. Hæc est inscriptio illa, quam IVSTINIANVS imperator orbi altaris in æde *Sophiana* inscripsisse dicitur. Sacram mensam, vti auctor nobis est CEDRENVS, fecerat, opus nulla imitatione æquandum. Constabat autem argento, omnis generis lapidibus, lignis, metallis, omnibusque rebus, quas terra fert, & mare & totus mundus. Ex omni materia pretiosiora plura, viliora pauciora, collegerat: liquatisque iis quæ fluunt, sicca illis immiserat, atque ita formam mensæ absoluerat; In orbem hanc habebat inscriptionem [q]: *Tua de tuis tibi offerimus serui tui, CHRISTE, Iustinianus & Theodora: ea tu propitius accipe, fili & verbum Dei, qui nostra caussa carnem adsumsisti & cruci affixus fuisti: ac nos in certa fide conserua, & quum nobis commisisti rempublicam, eam ad*

Perpetuus episcopus, dignissimus tanto prædecessore successor, multum priori, quæ fuit hactenus, capaciorem nouauit. Magnum est, vt ferunt, opus nominandumque; quod in honorem talis viri factum talis vir fecisse debuerit. *Huius* me *parietibus inscribere* supradictis sacerdos hoc compellit epigramma. - -

*MARTINI corpus totis venerabile terris,*
*In quo post vitæ tempora viuit honor,*
*Texerat hic primum plebeio machina cultu,*
*Quæ confessori non erat æqua suo:*
*Nec desistebat ciues onerare pudore*
*Gloria magna viri, gratia parua loci.*
*Antistes sed qui numeratur sextus ab ipso,*
*Longam Perpetuus sustulit inuidiam:*
*Internum remouens modici penetrale sacelli,*
*Amplaque tecta leuans exteriore domo.*
*Creueruntque simul, valido tribuente patrono,*
*In spatiis ædes, conditor in meritis:*
*Quæ Salomoniaco potis est confligere templo,*
*Septima quæ mundo fabrica mira fuit.*
*Nam gemmis, auro, argento si splenduit illud,*
*Istud transgreditur cuncta metalla fide.*
*Liuor abi mendax, absoluanturque priores,*
*Nil nouet aut addat garrula posteritas.*
*Dumque venit Christus, populos qui suscitet omnes,*
*Perpetuo durent culmina Perpetui.*

(q) Cedren. histor. comp. an. XXXII. Iustin. p. 386. c. Τὰ σὰ ἐκ τῶν σῶν σοι προσφέρομεν οἱ δοῦλοί σου, χριστὲ, Ιουστινιανὸς καὶ Θεοδώρα, ἃ εὐμενῶς πρόσδεξαι υἱὲ καὶ λόγε τοῦ Θεοῦ, ὁ σαρκωθεὶς καὶ σταυρωθεὶς ὑπὲρ ἡμῶν, καὶ ἡμᾶς ἐν τῇ ὀρθοδόξῳ πίστει σου

tuam

*tuam gloriam auge ac tuere intercedente ſancta deipara virgine Maria.* Non mirabitur lector hanc poſtremam inſcriptionis partem ex ſæculo ſexto, quando preces ſanctorum in cælo, ſine precatione ad illos directe facta, vtiles eſſe credebantur.

§. V.

*Inauratum & muſiuum opus in eccleſiis antiquis vſitatum.*

ALIA notabilis ornamentorum eccleſiæ pars erat interioris tecti, ſiue vt tum appellabatur, cameræ exornatio. Hæc duobus modis perficiebatur, nimirum aut opere vermiculato, quod *muſiuum* vocabant; aut lacunato, tectum diuidente in varia interſtitia, architectis *laquearia* ſiue *lacunaria* a lacu dicta, quorum alia rotunda, quadrata alia (obſeruante ex ISIDORO [r] VALESIO) erant, ligno vel gypſo vel coloribus a ſe inuicem diuiſa, & vel inaurata vel picta, prout ingenium humanum illa effinxerat. Hæc vtraque ad exornanda veterum templa adhibebantur. Aedes *Sophiana* opus muſiuum ſeu teſſellatum erat, vti auctor eſt PROCOPIVS [s]; Baſilica autem, a *Conſtantino Hieroſolymis* conſtructa, laqueata erat. EVSEBIVS [t] enim interius tectum ſculptis lacunaribus conſertum, & inſtar vaſti cuius-

διατήρησον· καὶ τὴν πολιτείαν ἣν ἡμῖν ἐπίστευσας, εἰς τὴν ἰδίαν σου δόξαν αὔξησον, καὶ φύλαξον πρεσβείαις τῆς ἁγίας θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας.

(r) Iſidor. Origen. lib. XIX. Laquearia ſunt, quæ cameram ſubtegunt & ornant: Quæ & lacunaria dicuntur, quod lacus quosdam quadratos vel rotundos ligno vel gypſo vel coloribus habeant pictos, cum ſignis intermicantibus.

(s) Procop. de ædiſiciis Iuſtin. lib. I. c. I. p. 8. b. Τίς ἂν τῶν ὑπερῴων τῆς γυναικωνίτιδος ἑρμηνεὺς γίνοιτο; ἢ τάς τε παμπληθεῖς διηγοῖτο στοὰς, καὶ τὰς περιστύλους αὐλὰς, αἷς ὁ νεὼς περιβέβληται; τίς δὲ τῶν τε κιόνων καὶ λίθων διαριθμήσαιτο τὴν εὐπρέπειαν, οἷς τὸ ἱερὸν κεκαλλώπισται; λειμῶνί τις ἂν ἐντετυχηκέναι δόξειεν ὡραίῳ τὸ ἄνθος· θαυμάσειε γὰρ εἰκότως τῶν μὲν τὸ ἁλουργὸν, τῶν δὲ χλοάζον· καὶ οἷς τὸ φοινικοῦν ἐπανθεῖ, καὶ ὧν τὸ λευκὸν ἀπαστράπτει ἔτι μὲν τοι καὶ ὡς ταῖς ἐναντιωτάταις ποικίλλει χρόαις, ὥσπερ τις ζωγράφος, ἡ φύσις. Quis ſuperiorem gynæcei partem deſcribat? quis tot numero porticus atque aulas columnatas obeat oratione? qui columnarum ac marmorum, quibus templum ornatum eſt, egregiam varietatem percenſeat? In prato floribus conueſtito verſari ſe quispiam putet, ac merito horum purpuram, illorum viriditatem miretur; alia puniceo, alia candido fulgore prædita; & quæ natura, non ſecus ac pictor, coloribus diſſimillimis variauit.

(t) Euſeb. lib. III. de vit. Conſtant. c. XXXVI. Τὰ τῆς ἔσω στέγης γλυφαῖς φατνωμάτων ἀπηρτισμένα, καὶ ὥσπερ τι μέγα πέλαγος καθ' ὅλου τοῦ βασιλείου οἴκου συνεχέσι ταῖς πρὸς ἀλλήλας συμπλοκαῖς ἀνευρυνόμενα, χρυσῷ τε διαυγεῖ δι' ὅλου κεκαλυμμένα.

dam

dam maris, compactis inter se tabulis, per totam basilicam dilatatum, totumque auro purissimo coopertum fuisse, dicit. Et hoc paullo ante [tt] καμαραν λακωναρίαν, *cameram laqueatam*, auroque exornatam nuncupat. Quædam templa, exempli gratia *Paulini Nolani* [u], vtroque modo exornata erant. PAVLINVS enim in descriptione eius ita loquitur: *Apsidem solo & parietibus marmoratam camera MVSIVO illusa clarificat; Totum vero extra concham basilicæ spatium alto & LACVNATO culmine geminis vtrimque porticibus dilatatur.* Qui plura hac de re videre auet, HIERONYMVM [w] consulat, qui de laquearibus & tectis auro fulgentibus, de parietibus diuersi marmoris crustis vestitis; de columnis earumque capitibus inauratis, de valuis ebore argentoque deque altaribus auro & gemmis distinctis, frequenter loquitur; quamquam ea omnia non admiretur, sed caritatis potius opera commendet.

## §. VI.

### *Picturæ vel imagines tribus prioribus sæculis in ecclesiis non permissæ.*

ECCLESIAE *Romanensis* scriptores, quum antiquas ecclesias

(tt) Ibid. c. XXXII. *Τὴν δὲ βασιλικῆς καμάραν, πότερον λακωναρίαν, ἢ δι᾽ ἑτέρας τινὸς ἐργασίας γενέσθαί σοι δοκεῖ, παρὰ σοῦ γνῶναι βούλομαι· εἰ γὰρ λακωναρία εἶναι μέλλοι, δυνήσεται καὶ χρυσῷ καλλωπισθῆναι τὸ λειπόμενον.* Porro *cameram* basilicæ, vtrum *laqueatam*, an alio quopiam operis genere faciendam censeas, certior a te fieri velim. Nam si *laqueata* fiet, auro quoque poterit exornari.

(u) Paulin. epist. XII. ad Seuer. p. 150. & 151. edit. Antuerp. MDCLXXXII. 8uo, (in bibl. patr. max. tom. VI. p. 193. b. c. edit. Lugdun. MDCLXXVII.)

(w) Hieron. lib. II. in Zechar. VIII. Non solum laquearia & tecta fulgentia auro, sed parietes diuersi marmoris crustis vestiti.
It. epist. II. ad Nepotian. Marmora nitent auro, splendent laquearia, gemmis altare distinguitur. cetera.
It. Epitaph. Fabioli c. IV. Sonabant psalmi & aurata templorum tecta reboans in sublime quatiebat Alleluiah.
It. epist. VIII. ad Demetriad. virgin. Alii ædificent ecclesias; vestiant parietes marmorum crustis; columnarum moles aduehant, earumque deaurent capita pretiosum ornatum non sentientia; Ebore argentoque valuas & gemmis aurata distinguant altaria. Non reprehendo, non abnuo. Vnusquisque in sensu suo abundet. Meliusque est hoc facere, quam repositis opibus incubare. Sed tibi aliud propositum est, Christum vestire in pauperibus, cetera.

descri-

describunt, plerumque illis quædam picturarum & imaginum ornamenta ex hodierna consuetudine addunt: nec acquiescunt, nisi ea æque vetusta ac ipsas ecclesias, hoc est, ex praxi apostolica oriunda esse, sibi aliisque persuadeant. Quem in finem apostolicum quoddam concilium *Antiochiæ* excogitarunt, in quo non vsus tantum sed cultus etiam imaginum ab apostolis auctoritate firmatus venditatur. Et huius concilii fides a BARONIO [x], TVRRIANO, BINIO aliisque istiusmodi partis suæ studiosissimis scriptoribus strenue defenditur. Sed PETAVIVS [y],

(x) Baron. an. CII. n. XIX. & XX. Tradunt alii, Antiochiæ ab apostolis, ad sedandas controuersias illic exortas habitam esse synodum; idque auctoritate Pamphili martyris, cuius fragmenta recitat Turrianus, sibi vendicant, qui & canones illos in compendium redactos recenset. Certe quædam Innocentius Romanus pontifex, in epistola ad Alexandrum episcopum Antiochenum, eiusmodi synodi apostolicæ meminisse videtur, his verbis agens de ecclesia Antiochena: *Vbi*, inquit, *& nomen accepit religio christiana, & quæ conuentum apostolorum apud se celeberrimum meruit: quæque vrbis Romæ sedi non cederet, nisi quod illa per transitum meruit, ista apud se susceptum consummatumque gaudet.* Sed quinam hi canones fuerint, ab eodem auctore summatim descriptos heic intexere, haud erit otiosum. Est enim canon primus ordine, vt credentes in Dominum Iesum, quos illius temporis homines (vt habent acta) appellabant discipulos, dicerentur christiani. Secundus, ne baptizatus iudaico more circumcideretur. Tertius, vt omni nationi ad ecclesiam aditus pateret, nec quisquam a religione christiana excluderetur. Quartus de vitanda auaritia, & quæstionibus iniquis. Huic iunctus est canon quintus ordine, de vitio gulæ coërcendo, curiositateque vitanda ludorum, qui in theatris exhiberi soliti essent, deque abstinendo a iuramento. Sextus ordine, de vitanda scurrilitate & moribus gentium. Quæ omnia quod desiderari videantur in canonibus apostolicis, ea videtur esse caussa, ob quam recensita habeantur in constitutionibus eiusdem Clementis, illo excepto, qui septimus ponitur ordine, ex græco in hæc verba redditus: Ne decipiantur saluati ob idola: *sed pingant ex opposito diuinam humanamque* [alii græcum θεανδρικῆς Deivirilem reddunt] *manufactam, impermixtam effigiem Dei veri cum saluatoris nostri Iesu Christi, ipsiusque sermonem contra idola & iudæos. Neque errent in idolis neque similes fiant iudæis*, huc vsque verba canonis. At ne imposturam suspiceris, habes hunc ipsum canonem citatum in concilio Nicæno secundo, cetera.

Binius not. in concil. Antioch. (conc. tom. I. p. 62.) Antiochiæ ab apostolis ad sedandas controuersias illic exortas, habitam esse synodum - - - Turrianus confirmat, cetera vti apud Baronium, iam adlegatum.

(y) Petau. dogmat. theolog. de incarnat. lib. XV. c. XIV. n. V. (p. 326. edit. Antverp. MDCC.) Quod ad illum canonem apostolorum attinet, quem primus

PAGIVS [z] & alii candidi ac iudicio valentes scriptores hoc concilium tamquam meras nugas mittunt, & recentiorum *Græcorum* fictionem esse, libere fatentur. PETAVIVS [a] quoque tribus vel quatuor primis sæculis exiguum vel nullum imaginum vsum in ecclesiis fuisse agnoscit. Et profecto documenta adeo plana sunt & perspicua, vt nulli, nisi qui omnino cæcutire discupiunt, negare possint. Omnium veterum auctorum silentium hac in re satis est testimonium. Silentium paganorum itidem hoc confirmat. Numquam enim vsum imaginum christianis exprobrarunt. Quid, quod in vltima persecutione, vbi sæpius christianorum ecclesias diripuerunt, numquam de imaginibus in illis collocatis legimus, quum tamen diuersos specialiores rerum illic repertarum catalogos, ab ethnicis litteris consignatos, deprehendamus. Plenior quædam recensio a BARONIO [b] primum publicata & postea collectionibus [c] ad calcem OPTATI inserta est. In hac omnia a persecutoribus in ecclesia *Pauli*, episcopi *Cirtensis* in *Numidia*, reperta in hunc modum sigillatim

edidit in lucem Franciscus Turrianus; eum puto supposititium esse; cuiusmodi sunt pleraque græcorum recentiorum: idque satis euincit nomen ipsum θεανδρικῆς antiquitati illi neutiquam vsitatum & a Dionysio primitus inuentum.

(z) Pagi critic. in Baron. an. LVI. n. III. Turrianus lib. I. pro can. apost. c. XXV. Baronius & Binius in sua collectione conciliorum canones nouem proferunt Antiocheno cuidam apostolorum concilio adscriptos, quos apocryphos & plane suppositit ios esse demonstrat vir eruditissimus. Præterquam quod enim nulla eorum occurrit memoria in veteribus ecclesiasticæ historiæ monumentis ante Baronium, neque in patribus, conciliis, aut canonum codicibus ante Binium, plurima falsa & absurda in eis continentur, cetera.

(a) Petau. ibid. c. XIII. n. III. sub fin. Credibile est, parcius ab illis vsurpatas fuisse (effigies) primis fere quatuor sæculis; per quæ nefanda dæmonum in idolis religio, & christiani nominis crudelissima vexatio cursum suum tenuit. Quinto demum sæculo, postquam adepta libertatem lacertos quodammodo suos explicare cœpit ecclesia; plerisque in locis imagines palam haberi cœptæ, atque in templis & oratoriis propositæ sunt: quum hactenus, etsi in vsu essent aliquo, non tamen adeo promiscuæ, ac frequentes adhiberentur.

Pagi ibid. Certum est, imagines Christi, & maxime statuas, primis ecclesiæ sæculis non fuisse substitutas loco idolorum, nec fidelium venerationi expositas.

(b) Baron. ad an. CCCIII. n. XII. In breui sic: *Calices* duo aurei, cetera. vid. sub (c) in textu.

(c) Gesta purgat. Cæcil. ad calcem Optati (p. 266. edit. Par. MDCXXXI.)

enu-

enumerantur: *Calices duo aurei: item calices sex argentei: vrceola sex argentea: cucumellum argenteum: lucernæ argenteæ septem; cereofala duo: candelæ breues æneæ cum lucernis suis septem: item lucernæ aureæ vndecim cum catenis suis. Tunicæ muliebres octoginta duæ: mafortea triginta octo: tunicæ viriles sedecim: caligæ viriles paria tredecim: caligæ muliebres paria quadraginta septem: coplæ rusticanæ vndeviginti:* quæ vestimentorum genera hisce diebus aut pro pauperibus aut pro ascetis ecclesiæ videntur fuisse adseruata. De imaginibus autem & picturis nulla plane mentio habetur, quod ad minimum negatiuum argumentum est, nihil istiusmodi eo tempore in ecclesia exstitisse. Immo positiua dantur argumenta ex quarto sæculo, quod in quibusdam locis tunc temporis in templis eas collocare non fuerit licitum. Exempli caussa in *Hispania*, tempore concilii *Illiberritani* anno CCCV. decretum positiuum contra picturas legitur. Nam vnus ex istius concilii canonibus in hunc modum se habet: *Placuit* [*d*] *picturas in ecclesia esse non debere, ne quod colitur aut adoratur, in parietibus depingatur.* Atque ita omnino in *Cypro* insula sub finem huius sæculi obtinuit, vt ex notissima illa EPIPHANII ad *Ioannem* episcopum *Hierosolymitanum* epistola, ab HIERONYMO *latine* reddita, patet, in qua de transitu suo per villam *Palæstinæ*, quæ dicebatur *Anablatha*, loquens, *Inueni ibi*, inquit [*e*], *velum pendens in foribus eiusdem ecclesiæ tinctum atque depictum, & habens imaginem quasi Christi vel sancti cuiusdam. Non enim satis memini, cuius imago fuerit. Quum ergo hoc vidissem, in ecclesia contra auctoritatem scripturarum hominis pendere imaginem, scidi illud, & magis dedi consilium custodibus eius loci, vt pauperem mortuum eo obuoluerent & efferrent.* Sunt, qui contra hunc locum declamitant, tamquam a recentioribus quibusdam *Græcis* iconoclastis interpolatum; quod commune BELLARMINI [*f*], BARONII [*g*] & reliquorum, qui eos se-

(*d*) Concil. Illiberrit. c. XXXVI. (tom. I. concil. p. 974.)

(*e*) Epiphan. epist. ad Ioannem Hierosolymitanum.

(*f*) Bellarm. de imagin. lib. II. c. IX. Thomas Waldensis tom. III. tit. XIX. cap. CLVII. dicit, Epiphanium propter hæresim Anthropomorphitarum tunc vigentem hoc fecisse. Alii dicunt, Epiphanium loqui de imagine hominis profani, quæ ibi honorabatur instar imaginum Christi & sanctorum. ita respondet Marianus Victorius in adnotatione ad hanc epistolam. *Communior & verior solutio est, verba illa esse supposititia*, cetera.

(*g*) Baron. ad an. CCCXCII. p. 668. edit. MDCX. (p. 677. 678. No. XLVIII. seqq. edit. MDCLXX.)

quuntur, effugium eſt. PETAVIVS [*h*] vero genuinum eſſe agnoſcit, dicitque tempore EPIPHANII nondum illud vſitatum fuiſſe in *Cypro*, vt imagines in eccleſiis proponerentur. Atque hæc vera huius rei ratio eſt, etiamſi iſti homines omnibus artibus ac ſubſidiis vtantur, vt contrarium perſuadeant. Vulgatos eccleſiæ *Romanenſis* ſcriptores male quoque habet concilium *Illiberritanum*. BARONIVS more ſuo ad impoſturam vnius iſtius canonis confugit; alii omnes canones eiusdem notæ eſſe dicunt. Alii, quibus hoc iuſto durius videtur atque liberius, rem mitigant, dicuntque, imagines ideo duntaxat prohibitas fuiſſe, vt ne gentiles ſtatuas & lapides a chriſtianis coli crederent, vel imagines in parietibus depictas tantum prohibitas fuiſſe, vtpote perſecutorum ludibrio obnoxias, cui aliæ, quæ tegi & remoueri poſſent, obnoxiæ haud eſſent. Ita SYLVIVS in ſuis ad hunc canonem adnotationibus. Alii ad nouam *diſciplinæ arcani* nomenclaturam confugiunt, ſolas imagines Dei & ſacroſanctæ trinitatis (non ſanctorum martyrum imagines) interdictas fuiſſe dictitantes, & hoc ideo tantum, ne gentiles in penitiorem rerum ſacrarum intelligentiam intromiſſi abſtruſiora trinitatis myſteria intempeſtiue perciperent. Quæ bella huius prohibitionis ratio primum a MENDOZA [*i*] excogitata,

(*h*) Petau. de incarnat. lib. XV. c. XIV. n. VIII. Quidam laciniam hanc ad epiphanii epiſtolam adtextam eſſe putauerunt. Fortaſſis eo pertinebit, quod paullo ante monui, nondum in Cypro, vbi habitabat Epiphanius, vſitatum illud fuiſſe, vt imagines in eccleſiis huiusmodi proponerentur.

(*i* Mendoza not. in conc. Eliberit. c. XXXVI. (tom. I. conc. p. 1240.) Summa cura cauebant epiſcopi, ne religionis noſtræ myſteria ludibrio cum auctore haberentur & irriderentur a gentibus. Sciebant quippe huius concilii tempore, quo maior populi pars erat ethnicorum, nomen Chriſti auerſis auribus gentes excipere; quin imo memoriam eius, moleſto & iniquo ferre animo, nefandoque & ſacrilego errore, aut extrema potius dementia irridere & damnare chriſtianos, quod audirent, illos homines quemdam (vt aiebant) pœnæ cauſſa adfixum cruci colere & adorare, vt Arnobius & Minucius Felix pluribus teſtantur. Ne igitur huic periculo graui & pernitioſo exponerentur Chriſti imagines parietibus eccleſiæ depictæ, ideo ab Hiſpanis patribus hoc canone interdictæ ſunt. Nec abſtruſiora ſolum humanitatis Chriſti & diuinitatis myſteria publice in eccleſiæ parietibus pingi, diſplicuit olim epiſcopis, verum nec alia chriſtianæ doctrinæ arcana litteris conſignari, vel palam publiceque doceri, fas eſſe cenſebant: ne inſanis ethnicorum ludibriis & riſu illa (vt dixi) exciperentur. -- Voluerunt ſemper primi chriſtiani catechumenos a penitiore rerum ſacrorum intelligentia arceri;

deinde

deinde a BONA [k] cardinali comprobata, & a SCHELSTRATO [l] atque PAGIO [m] summopere laudata est, tamquam perspicua

---

quum enim recipiebantur ad catechesin, quaedam duntaxat sacramentorum summa velut per transennam illis suppeditabatur, exactiori tractatione provectioribus initiatis reseruata. cetera.

(k) Bona rer. liturgic. lib. I. c. XVI. n. II. Ex hac disciplina (arcani) emanasse puto canonem XXXVI. concilii Illiberritani, quem Baronius suppositititium suspicatur: alii vero multum se torquent, vt congruam eius atque orthodoxam interpretationem inueniant. Verba canonis haec sunt: *Placuit picturas in ecclesia esse non debere, ne quod colitur & adoratur, in parietibus depingatur.* Quibus verbis frustra abutuntur sectarii, vt huius concilii auctoritate sacrarum imaginum vsum & cultum conuellant. Alia enim fuit illorum patrum mens, quae ex more illius saeculi sollicite cauentis, ne religionis nostrae arcana infidelibus proderentur, aestimanda est. Vetuerunt ergo, ne id quod colitur & adoratur, in parietibus pingeretur, id vero quod pingendum non erat, obscure explicarunt illis verbis, *quod colitur & adoratur*, vt soli fideles intelligerent, eo canone prohiberi imagines Dei & Christi Saluatoris, ne a gentilibus irruentibus saepe in ecclesias contumelia adficerentur, & irriderentur christiani, ac si hominem colerent tamquam Deum: neue catechumeni Deum, quem incircumscriptum, immensum, & materiae expertem praedicari audiebant, humana figura pictum videntes, aliquod alienum ab eius maiestate conciperent. Deinde obseruandum, non prohibuisse in tabulis pingi, quia commode auferri poterant, & obducto velamine a profanorum adspectu submoueri.

(l) Schelstrat. disciplina arcani c. VI. artic. III. Recte notat Albaspinaeus, canonem istum statutum fuisse pro catechumenis potius & gentilibus, quam pro fidelibus & catholicis. Hi enim scientes, Deum sub variis olim figuris apparuisse, ex imaginibus Deum sub illis formis repraesentantibus nullam falsam opinionem concepissent. Sed gentiles & catechumeni audientes, a christianis inuisibilem & incorporeum praedicari, humana figura depictum videntes, alienum quid ab eius maiestate concepissent: immo ignorantes mysterium sanctissimae trinitatis facile ex picturis illis patrem in figura senis, filium in figura viri, spiritum sanctum in figura columbae repraesentantibus, in notitiam summae diuinitatis venissent, quam eis occultare studebat ecclesia.

(m) Pagi critic. in Baron. an. LV. n. V. Baronii tempore concilium Illiberritanum multis suppositititium visum, quod in eo quaedam legantur catholicae fidei dogmatibus apparenter repugnantia, vti canon XXXVI, quo vetatur, ne picturae in ecclesia habeantur. *Placuit picturas* &c. Quo ex canone protestantes inferunt, quarti ecclesiae saeculi initio, quo concilium Illiberritanum celebratum, cultum imaginum in ecclesia non fuisse. Sed sicut decepti sunt catholici, qui de huius concilii veritate dubitarunt; ita & errarunt protestantes, qui praefatum canonem aduersus imagines militare existimarunt. In eo enim, vt notat Bellarminus lib. III. de imagin. c. VIII. agitur de ima-

argumenti *Protestantium*, contra cultum imaginum ex isthoc canone petiti, solutio; Sed tamen hoc nec ALBASPINAEO nec PETAVIO probatur. Nam ALBASPINAEVS [n] *De picturis & tabulis*, inquit, *non vero de figuris & statuis heic agitur: & de picturis quidem, non quibus sancti & martyres, sed quibus Deus ipse, ipsa trinitas repræsentaretur. Vetant Deum in parietibus depingi, ne scilicet, quem gentilibus & catechumenis immensum, omnipotentem, inuisibilem, æternum, incomprehensibilem, spiritualem; corporis & materiæ expertem, & immunem prædicarent, cum ipsi gentiles & catechumeni in ipsorum ecclesiis lineis & coloribus circumscriptum & comprehensum cernerent.* Quæ vero ratio semper valere potest contra picturas divinitatis, etsi non plenum huius canonis sensum suppeditet, quippe qui imagines generatim, & non tantum imagines trinitatis in ecclesiis fieri vetat. Quocirca PETAVIVS [o] generaliorem caussam adfert, quamobrem imagines quæcumque isto tempore prohibitæ fuerint, quando *Probabilem*, inquit, *illorum puto esse coniecturam: qui quo tempore synodus illa celebrata est, recentem adhuc idololatriæ memoriam fuisse dicunt: ob idque nondum expedisse, christianorum in oratoriis ac templis imagines statui.* Vt adeo perspectum nunc sit atque exploratum, christianos primis quatuor sæculis imaginum vsum in ecclesiis haud permisisse. TERTVLLIANVS [p] quidem semel pastoris, ouem humeris suis domum reportantis, in ecclesiarum quarumdam catholicarum calice depicti, mentionem facit. Verum vti hoc singulare quoddum exemplum symbolici cuiusdam emblematis, ita vnicum exemplum est, quod PETAVIVS in tribus prioribus sæculis reperire potuit. Sæculo quarto medio christiani in vrbe *Phœnices Paneade*, alias *Cæsarea Philippi* nominata, statuam *CHRISTI*,

ginibus Dei siue sanctissimæ trinitatis; Deus enim & sanctissima trinitas proprie colitur & adoratur. Illius autem imagines in vsu olim non fuisse, docent patres: cuius rei rationem reddit Origenes lib. VII. aduersus Celsum, circa finem: *Vt qui Deum incorporeum & inuisibilem nulla figura circumscribimus.* Quam rationem magis exponit Albaspinæus in commentario ad eum canonem: *De picturis & tabulis* cetera.

(n) Albaspin. not. in can. XXXVI. concil. Illiberrit. (tom. I. conc. p. 998.)

(o) Petau. de incarnat. lib. XV. c. XIV. n. VIII.

(p) Tertull. de pudicit. c. X. Si forte patrocinabitur pastor, quem in calice depingis. - - At ego eius pastoris scripturam haurio, qui non potest frangi.

quam

quam mulier *Syrophœnissa* sanguinis profluuio, quo iam dudum laborabat, liberata in honorem seruatoris dedicauerat, reuerentius obseruabant. Quum enim *Iulianus* ea subuersa imaginem suam eius loco posuisset, & pagani illam CHRISTI imaginem ludibrio habentes trahentesque per vrbem confregissent; christiani, vt SOZOMENVS [q] narrat, collectam in ecclesia reponebant, vbi sua adhuc ætate seruatam fuisse, idem auctor adfirmat. PHILOSTORGIVS [r] eamdem commemorans historiam, addit aliquid, quod SOZOMENI mentem optime explicat. Dicit enim, christianos statuam illam in diaconico ecclesiæ collocasse, competentem ei curam atque obseruantiam deferentes, nequaquam tamen eam colentes aut adorantes. Non fuit itaque statua in templo collocata, sed illius duntaxat fragmenta in diaconico ecclesiæ reposita, & quidem non ideo, vt colerentur, sed tantum vt ab nouo gentilium ludibrio atque violentia conseruarentur. Id quod adeo non fuit commendabilis quædam & ad imitationem proposita actio, vt ne quidem imagines in templis publice collocatas fuisse, probet.

## §. VII.

### *Primum a* Paulino *aliisque eiusdem cum ipso ætatis hominibus, sæculo quarto exeunte, priuatim gradatimque introductæ.*

NEQVE vero inficias eo, quibusdam in locis sæculo quarto extremo sanctorum & martyrum imagines in ecclesias irrepsisse. *Paulinus* episcopus *Nolæ*, vt plebis, ex omnibus agris ad celebrandam anniuersariam dedicationis templi *S. Felicis* festiuitatem coëuntis, mentes occupatas teneret, impediretque, quo minus compotationibus & luxuriæ se traderent, in ecclesia imagines sanctorum & historias e sacris scripturis, e. c. *Estheræ*, *Iobi*, *Tobiæ* & *Iudithæ* depingendas curabat, quemadmodum

(q) Sozom. lib. V. c. XXI. Ἐπεὶ ἔγνω Ἰουλιανὸς ἐν Καισαρείᾳ τῆς Φιλίππου, Φοίνισσα δὲ αὕτη πόλις, ἣν Πανεάδα ὀνομάζουσιν, ἐπίσημον εἶναι Χριστοῦ ἄγαλμα, ὃ τοῦ πάθους ἀπαλλαγεῖσα ἀνέθηκεν ἡ αἱμοῤῥοοῦσα, καθελὼν τοῦτο, ἴδιον ἀνέστησε - - τὸν δὲ τοῦ Χριστοῦ ἀνδριάντα τότε μὲν οἱ ἑλληνισταὶ σύροντες κατέαξαν· μετὰ δὲ ταῦτα οἱ χριστιανοὶ συλλέξαντες ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ἀπέθεντο, ἔνθα καὶ νῦν φυλάττεται.

(r) Philostorg. lib. VII. c. III. Τὸν ἀνδριάντα μεταστησάμενοι ἐν τῷ τῆς ἐκκλησίας διακονικῷ, τὰ πρέποντα ἐθεράπευον, σέβοντες μὲν ἢ προσκυνοῦντες οὐδαμῶς.

ipse

ipſe in ſcriptis ſuis [s] nobis narrat. De eiusdem conſuetudinis exordio heic illic non nihil etiam habet AVGVSTINVS, qui frequenter loquitur de pictura *Abrahami* [t], filium ſacrificantis, & de picturis [u] *Petri* ac *Pauli*, immo etiam de quibusdam pictu-

(s) Paulin. natal. IX. Felicis:

*Propterea viſum nobis opus vtile, totis*
*Felicibus domibus pictura illudere ſancta;*
*Si forte attonitas hæc per ſpectacula mentes*
*Agreſtum caperet fucata coloribus vmbra,*
*Quæ ſuper exprimitur titulis, vt littera monſtret,*
*Quod manus explicuit: dumque omnes picta viciſſim*
*Oſtendunt releguntque ſibi, vel tardius eſcæ*
*Sint memores, dum grata oculis ieiunia paſcunt;*
*Atque ita ſe melior ſtupefactis inſerat vſus,*
*Dum fallit pictura famem, ſanctasque legenti*
*Hiſtorias, caſtorum operum ſubrepit honeſtas*
*Exemplis inducta piis; potatur hianti*
*Sobrietas, nimii ſubeunt oblitia vini.*
*Dumque diem ducunt ſpatio maiore tuentes,*
*Pocula rareſcunt, quia per miracula tracto*
*Tempore, iam paucæ ſuperant epulantibus horæ.*

Idem natal. X. Felicis:

*Martyribus mediam pictis pia nomina ſignant,*
*Quos par in vario redimiuit gloria ſexu.*
*At geminas quæ ſunt dextra læuaque patentes,*
*Binis hiſtoriis ornat pictura fidelis.*
*Vnam ſanctorum complent ſacra geſta virorum,*
*Iobus vulneribus tentatus, lumine Tobit,*
*Aſt aliam ſexus minor obtinet, incluta Iudith,*
*Qua ſimul & regina potens depingitur Eſther.*

(t) Auguſt. contr. Fauſtum lib. XXII. c. LXXIII. (tom. VI. opp. p. 431. d. edit. Baſil. MDLXIX.) Abraham ſi filium ſponte immolaret, quid niſi horribilis & inſanus? Deo autem iubente, quid niſi fidelis & deuotus apparuit? Quod vſque adeo ipſa veritas clamat, vt eius voce deterritus Fauſtus, quum in ipſum Abrahami quid diceret, vnguibus & dentibus quærens, vſque ad calumnioſum mendacium perueniret, hoc tamen reprehendere non auderet: niſi forte non ei veniret in mentem factum ita nobile, vt non lectum, nec quæſitum animo occurreret, vt denique tot linguis cantatum, *tot locis pictum* & aures & oculos diſſimulantes feriret.

(u) Aug. de conſenſu euangeliſt. lib. I. c. X. (tom. IV opp. p. 377. b. citat. edit.) Occurrit eis Petrus & Paulus, credo quod *pluribus locis ſimul eos cum illo pictos* viderunt, quia merita Petri & Pauli propter eumdem paſſionis diem celebrius & ſolemniter Roma commendat. Sic omnino errare meruerunt, qui Chriſtum & apoſtolos eius non in ſanctis codicibus ſed in *pictis parietibus* quæſierunt. Nec mirum ſi a pingentibus fingentes decepti ſunt.

rarum

rarum cultoribus [w], quorum vero morem non approbat. Neque enim hoc illi, approbante catholica ecclesia, faciebant. Nam ipsam ecclesiam eos condemnasse & tamquam malos filios corrigere studuisse, adfirmat.

§. VIII.

*Imagines regum ac episcoporum circa idem tempus in ecclesiam inuectæ.*

Ex quibus æquus quisque & partium studio alienus lector facile iudicabit, primum consilium, quo picturæ in ecclesias introductæ sunt, ad ornamentum duntaxat & historiam, non autem ad cultum & adorationem, spectauisse, quemadmodum AVGVSTINVS & PHILOSTORGIVS declarauerunt. Et hoc ipsum ex iis porro confirmari potest, quæ ipsemet PAVLINVS & alii scriptores narrant, quod initio picturæ viuorum æque ac mortuorum locum in ecclesia habuerint, & episcopi ac reges sanctis ac martyribus iuncti fuerint. Ipsius *Paulini* [x] imago vna cum imagine *Martini* in baptisterio ecclesiæ a *Seuero* exstructo collocata erat, & *Paulinus* duo mittebat epigrammata, imaginibus istis inscribenda, quibus emergentes a sacro fonte ho-

(w) August. de morib. eccl. cath. lib. I. c. XXXIV. (tom. I. opp. p. 774. c. cit. ed.) Noui multos esse sepulchrorum & *picturarum adoratores*: noui multos esse, qui luxuriosissime super mortuos bibant, & epulas cadaueribus exhibentes, super sepultos se ipsos sepeliant, & voracitates ebrietatesque suas deputent religioni. - - Nunc vos illud admoneo, vt aliquando ecclesiæ catholicæ maledicere desinatis, vituperando mores hominum, *quos & ipsa condemnat, & quos quotidie tamquam malos filios corrigere studet.*

(x) Paulin. ep. XII. ad Seuer.

*Abluitis quicumque animas & membra lauacris,*
*Cernite propositas ad bona facta vias!*
*Adstat perfectæ Martinus regula vitæ:*
*Paulinus veniam quo mereare docet.*
*Hunc peccatores, illum spectate beati:*
*Exemplar sanctis ille sit, iste reis.*

Ibidem:

*Diues opum Christo, pauper sibi, pulcra Seuerus*
*Culmina sacratis fontibus instituit.*
*Et quia cælestes aulam condebat in actus,*
*Quo renouarentur fonte Deoque homines:*
*Digna sacramentis gemina sub imagine pinxit,*
*Disceret vt vitæ dona renatus homo.*

 mines

mines docerentur non adorare, sed alteram vt sancti cuiuspiam, alteram vero vt pœnitentis peccatoris effigiem intueri. BARONIVS [y] *Acacium*, episcopum *Constantinopolitanum*, primum fuisse putat, cui honor iste exhibitus sit an. CCCCLXXXVIII. Sed VALESIVS [z] errorem eius scite corrigit, idque diu ante vsitatum fuisse obseruat. Quam ipsius obseruationem exemplum ex PAVLINO modo adlatum satis confirmat. THEODORVS LECTOR [a] eodem honore *Macedonium* episcopum *Constantinopolitanum* adfectum esse, in obseruatione, quam de *Timotheo* successore illius habet, testatur, *Timotheus*, inquiens, *in quamcumque ecclesiam ingressus fuerat, numquam illic missarum solemnia inchoauit, nisi prius Macedonii imagines illinc detractæ fuissent.* SVIDAS *Gennadium* in insigni templi loco pictum fuisse narrat, & inter hunc & alios ibi pictos ipsum seruatorem [b] *Gennadio* dicentem: Soluito hoc templum & successoris tui temporibus illud restaurabo.

*Martinum veneranda viri testatur imago:*
*Altera Paulinum forma refert humilem.*
*Ille fidem exemplis & dictis fortibus armat,*
*Vt meriti palmas intemerata ferat:*
*Iste docet fusis redimens sua crimina nummis,*
*Vilior vt sit res, quam sua cuique salus.*

(y) Baron. an. CCCCLXXXVIII. ex Suida, voce Acacius: Tanti fuit hic fastus & arrogantiæ, vt sineret suas ipsius imagines adhuc viuentis (*quod de nullo ante eum episcopo legitur*) in ecclesiis dedicari: qui enim ei adsentabantur, ipsius effigies in ecclesiis pingere vel adfigere consueuerunt, de quibus ista Suidas habet: Quum omnes ecclesias in sua potestate haberet, sollicitam curam impendit his, qui præerant: quorum sagaciores eius imaginem in templis consecrarunt. cetera.

(z) Valeſ. not. in Theodor. Lect. lib. II. p. 167. Scio equidem Baronium ad annum Christi CCCCLXXXVIII. existimasse, eas imagines Acacio positas fuisse, dum esset patriarcha; sed Baronium refellunt verba Malchi apud Suidam, qui ecclesiam illam iuxta natale, in qua erat imago Acacii, tessellato opere fabricatam, sub Gennadio patriarcha absolutam esse testatur: nec verum est, quod idem Baronius illic obseruat, primum ex patriarchis Acacium hunc honorem adfectasse. Nam ex Suidæ loco aperte conuincitur, eum morem Gennadii temporibus iam inualuisse.

(a) Theod. Lect. lib. II. p. 563. Ὅπου δ᾽ ἂν ποτε εἰσῆλθεν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ Τιμόθεος, εἰ μὴ πρότερον τὰς εἰκόνας Μακεδονίου κατέσπασε, τῆς λειτουργίας οὐκ ἤρχετο.

(b) Suid. lexic. voce Ἀκάκιος. Τοῦ γὰρ ἔργου παντὸς ἐπὶ Γενναδίου τελεσθέντος, εἰς τὸν ἐπιφανῆ τόπον ἐξετύπωσαν αὐτὸν τοῦ νέω· καὶ μεταξὺ τούτου τὸν σωτῆρα λέγοντα τῷ Γενναδίῳ, λῦσον τὸν ναὸν τοῦτον, καὶ ἐπὶ τοῦ μετὰ σὲ ἐγερῶ αὐτόν.

rabo. DAMASCENVS, magnus ille imaginum aduocatus [c], hanc praxin ad *Constantini* vsque tempora referre conatur, ex SOCRATE *Constantinum* proprias imagines in templis collocasse commemorans. Verum, vti SPANHEMIVS [d] obseruat, fraus aliqua huic narrationi subest: Nam SOCRATES non de ecclesiis christianorum, sed gentilium templis [e] loquitur, in quibus idola ipsorum demolitus suas ipsius imagines substituerit. Fac autem ita fuisse, quemadmodum dictitat DAMASCENVS, ad institutum tamen eius, quod erat imaginum cultum in ecclesiis demonstrare, ne quidquam facit.

### §. IX.

### *Sed nec viuorum nec mortuorum effigies cultui religioso destinatæ.*

NEMINEM fore puto, qui picturas episcoporum ac regum in ecclesiis ideo collocatas fuisse existimet, vt adorarentur, quoad ipsi inter viuos egerint; sed tantum vt ecclesias ornarent, aut ciuilem personis honorem conciliarent. Idem de mortuorum quoque imaginibus statuendum est, siquidem qui primi illas introduxerunt, suas ipsorum eis miscuerunt imagines. Sed vero fatendum est, hanc superstitionem picturarum in templis collocationem illico esse insequutam. Numquam tamen ea approbata fuit, donec concilium *Nicænum* secundum

(c) Damasc. orat. III. de imagin. p. 789. edit. Basil. MDLXXV. Ἐκ τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἱστορίας Σωκράτους, βιβλίου πρώτου, κεφάλ. ιή. περὶ τοῦ αὐτοῦ βασιλέως· Μετὰ ταῦτα δὲ ὁ βασιλεὺς Κωνσταντῖνος, ἐπιμελέστερος ὢν τὰ περὶ χριστιανισμοῦ, ἀπεστράφη τὰς ἑλληνικὰς θρησκείας, καὶ παύει μὲν τὰ μονομάχια, εἰκόνας δὲ τὰς ἰδίας ἐν τοῖς ναοῖς ἀπέθετο. Ex historia ecclesiastica Socratis lib. I. c. XVIII. de eodem imperatore. Post hæc autem imperator Constantinus religionis christianæ studiosior factus a Græcorum religione abhorruit, singulariaque certamina fieri vetuit, & *proprias imagines in templis collocauit.*

(d) Spanh. histor. imagin. sect. I. p. 14. (tom. II. opp. p. 715. edit. Lugd. Batau. MDCCIII.) Pessima intelligitur fides auctoris *orationis III.* de imaginibus tributæ Damasceno, probaturi erectionem cultumque sacrarum imaginum etiam tempore Constantini M. ex his Socratis libro I. c. XVIII. εἰκόνας δὲ τὰς ἰδίας ἐν τοῖς ναοῖς ἀπέθετο, *proprias autem imagines in templis collocauit.* Planum enim est, loqui Socratem *de gentilium templis* ac deorum delubris, in quibus, sublatis idolis, suas imagines substituit imperator. Nihil de imaginibus sacris Christi, virginis, sanctorumue. Nihil etiam de imaginibus ad cultum aut adorationem erectis.

(e) Socrat. lib. I. c. XIIX. Εἰκόνας τὰς ἰδίας ἐν τοῖς ναοῖς ἀνατέθετο

an. DCCLXXXVII. in eius rei gratiam decretum fecit. *Serenus*, episcopus *Massiliensis*, omnes imagines deturpari atque ex omnibus dioecesis suae ecclesiis proiici iubebat. Quem licet *Gregorius magnus* hoc nomine reprehenderet, picturasque in ecclesiis tamquam innoxias & ad instruendum duntaxat vulgi mentes collocatas defenderet [*f*], earum tamen cultum & adorationem aequaliter damnabat. Et quum synodus *Nicaena* hunc ipsum cultum confirmasset, in oppositionem concilii *Constantinopolitani* CCCXXXVIII. episcoporum, qui antea an. DCCLIV. eum condemnauerant, decretum *Nicaenum* ab omnibus ecclesiis occidentalibus, si a pontificibus *Romanis* discesseris, reiectum fuit. Concilium *Francofurtense* in *Germania*, *Parisiense* in *Gallia* & alia quaedam concilia in *Britannia* de imaginibus damnandis consenserunt, & per aliquot subsequuta saecula ab nulla ante dictarum nationum fuerunt receptae. Sed instituti mei ratio hanc historiam pluribus persequi non permittit, neque id necesse esse existimo, quum tot excellentes libri de specialiore hoc argumento conscripti exstent, speciatim a DALLAEO [*g*], STILLINGFLEETO [*h*] & SPANHEMIO [*i*], qui nihil in hac materia reliqui fecerunt, quod ad respondendum aduersariorum suorum

(*f*) Gregor. lib. IX. ep. IX. (tom. V. concil. p. 1434. c.) Perlatum ad nos fuerat, quod inconsiderato zelo succensus, sanctorum imagines sub hac quasi excusatione, ne adorari debuissent, confregeris. Et quidem quia eas adorari vetuisses, omnino laudauimus, fregisse vero reprehendimus. - Frangi non debuit, quod non ad adorandum in ecclesiis, sed ad instruendas solummodo mentes fuit nescientium collocatum.

Id. lib. VII. ep. CX. (ibid. p. 1371. a.) Praeterea indico, iam dudum ad nos peruenisse, quod fraternitas vestra quosdam imaginum adoratores adspiciens, easdem ecclesiae imagines confregit atque proiecit. Et quidem zelum vos, ne quid manufactum adorari possit, habuisse laudamus; sed frangere easdem imagines non debuisse, iudicamus. Idcirco enim pictura in ecclesiis adhibetur, vt hi, qui litteras nesciunt, saltem in parietibus videndo legant, quae legere in codicibus non valent. Tua ergo fraternitas & illas seruare, & ab earum adoratu populum prohibere debuit, quatenus & litterarum nescii haberent, vnde scientiam historiae colligerent, & populus in picturae adoratione minime peccaret.

(*g*) Dall. de imaginibus lib. IV. Lugd. Batauor. MDCXLII. 8uo.

(*h*) Stillingfl. *Defence of the Discourse of Idolatry* &c.

(*i*) Spanhem. historia imaginum Lugd. Batauor. MDCLXXXVI. 8uo. (Inter opera tom. III. p. 707 --- 870. Lugd. Bat. MDCCIII. fol.)

*Roma-*

*Romanensium* cauillationibus aut curioso lectori faciendum satis, fuit necessarium.

## §. X.

### *Nullæ dei vel trinitatis imagines in ecclesiis licitæ, vsque post concilium* Nicænum *secundum.*

QVAPROPTER duo tantum in hoc argumentum subiungam, quæ pro nobis ipse obseruauit PETAVIVS [*k*]. Primum est, quod veteres nullas vmquam imagines dei patris aut trinitatis in ecclesiis suis collocari passi sint. Pro hoc adserto ORIGENIS [*l*], AMBROSII [*m*] & AVGVSTINI [*n*] producit testimonia, quorum hic postremus speciatim nefas esse christiano dicit, simulacrum deo in templo collocare, multo magis in corde. Quid? quod ipse GREGORIVS II. papa, accerrimus alioquin imaginum propugnator, in epistola sua [*o*], quam ad *Leo-*

(*k*) Petau. de incarnat. lib. XV. c. XIV. n. I. (tom. VI. opp. p. 324. edit. Antuerp. MDCC.) In imaginum vsu non nihil variare catholicorum sententias animaduertimus: ac bifariam potissimum. Primum, quod plerique veterum corporis expertium rerum imagines damnandas indicarunt: solas vero incarnati verbi, ac sanctorum licitas esse, & omnino corpore præditorum; atque hæc opinio, etiam post ortum Iconoclastarum hæresis, apud acerrimos defensores religionis illius percrebuit. - - - ORIGENES inprimis libro contra Celsum Epicureum sexto, quum gentilibus cultum idolorum obiecisset, mox ista pertexit. *Ac tametsi*, cetera *vid. sub seq. litt.* (*l*). Sic Ambrosius ad psalmum CXVIII. *Gentiles*, inquit, cet. *vid.* sub litt. (*m*). Augustinus præterea *cauendum* admonet, *ne Deum protenus*, cet. *vid.* sub litt. (*n*).

(*l*) Origen. contr. Celsum lib. VI. p. 292. Κἂν τινες δὲ μὴ ταῦτά φασιν εἶναι τοὺς θεοὺς, ἀλλὰ μιμημάτων (cor. μίμημα τῶν) ἀληθινῶν, κἀκείνων σύμβολα· οὐδὲν ἧττον καὶ οὗτοι ἐν βαναύσων χερσὶ τὰ μιμήματα τῆς θεότητος φαντάζόμενοι εἶναι ἀπαίδευτοί εἰσι, καὶ ἀνδράποδα. Ac tametsi quidam eorum idola ista Deos esse negent, sed verorum expressas similitudines esse dicant, eorumque symbola; nihilominus etiam isti in sordidorum opificum manibus diuinitatis imitationem esse fingentes sibi, imperiti sunt, & mancipia.

(*m*) Ambros. ad psalm. CXVIII. octonar. XII. Gentiles lignum adorant, quia Dei imaginem putant, sed inuisibilis Dei imago non in eo est, quod videtur, sed in eo vtique, quod non videtur.

(*n*) August. de fide & symbolo c. VII. (tom. III. opp. p. 144. d. edit. Basil. MDLXIX.) Tale simulacrum Deo nefas est christiano in templo collocare, multo magis in corde nefarium est, vbi vere est templum Dei.

(*o*) Gregor. II. epist. I. ad Leon. in concil. Nicæn. II. (tom. VII. conc. p. 13. b.) Διὰ τί τὸν πατέρα τοῦ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ οὐκ ἱστοροῦμεν, καὶ ζωγραφοῦμεν; Ἐπειδὴ οὐκ οἴδαμεν τίς ἐστιν· καὶ θεοῦ φύσιν ἀδύνατον ἱστορῆσαι, καὶ ζωγραφῆσαι· καὶ εἰ ἐθεασά-

*rum Isaurum* imperatorem dedit, cultum earum defensurus, licitum esse negat, vllam diuinæ naturæ imaginem formare. Et ipsa synodus *Nicæna* secunda huic consuetudini contradixit, quemadmodum ex GERMANI, episcopi *Constantinopolitani* [p], & *Ioannis* episcopi *Thessalonicensis* epistolis, quæ in istius synodi actis cum approbatione recitantur, palam est. DAMASCENVS eidem quoque huius concilii sententiæ subscribens [q] *Inuisibilis*, inquit, *& incorporei, incircumscripti & insigurabilis Dei quis potest facere repræsentationem? Insipientiæ igitur extremæ & impietatis est figurare diuinitatem.* Quam ob caussam in antiqua historia nullum vmquam repræsentationis dei patris exemplum inuenimus, ideo, quod numquam visibili forma apparuisse creditur, sed tantum voce de cælo. Hinc PAVLINVS symbolicam quamdam trium diuinarum personarum repræsentationem, in ecclesia quadam depicta factam, describens, agnum *CHRISTI* symbolum, & co-

---

*μιθα; καὶ ἐγνωρίσαμεν, καθὼς τὸν υἱὸν αὐτοῦ, κἀκεῖνον ἂν εἴχομεν ἱστορῆσαι, καὶ ζωγραφῆσαι.* Cur patrem domini Iesu Christi non oculis subiicimus & pingimus? quoniam quis sit non nouimus; deique natura spectanda proponi non potest ac pingi. Quod si eum intuiti essemus ac nouissemus, prout filium eius, illum quoque spectandum proponere potuissemus ac pingere.

(p) German. epist. I. ad Leont. in act. IV. concil. Nicæn. II. (ibid. p. 291. b.) *Οὐδὲ γὰρ τῆς ἀοράτου θεότητος εἰκόνα, ἢ ὁμοίωμα, ἢ σχῆμα, ἢ μορφήν τινα ἀποτυποῦμεν· ἣν οὐδὲ αὐτῶν τῶν ἁγίων ἀγγέλων αἱ ὑπερέχουσαι τάξεις οὔτε κατανοεῖν, οὔτε ἐξιχνιάσαι ὅλως ἰσχύουσιν.* Neque inuisibilis deitatis imaginem & similitudinem, vel schema vel figuram aliquam formamus, quam ne ipsorum sanctorum angelorum sublimes ordines considerare & inuestigare penitus valent.

(q) Damascen. de fid. orthod. lib. IV. c. XVII. *Πρὸς δὲ τούτοις τοῦ ἀοράτου, καὶ ἀσωμάτου, καὶ ἀπεριγράπτου καὶ ἀσχηματίστου θεοῦ τίς δύναται ποιήσασθαι μίμημα; παραφροσύνης τοίνυν ἄκρας καὶ ἀσεβείας τὸ σχηματίζειν τὸ θεῖον.*

Item orat. I. p. 703. *Πῶς εἰκονισθήσεται τὸ ἀόρατον; πῶς εἰκασθήσεται τὸ ἀνείκαστον; πῶς γραφήσεται τὸ ἄποσον καὶ ἀμέγεθες καὶ ἀόριστον; πῶς ποιωθήσεται τὸ ἀνείδεον; πῶς χρωματουργηθήσεται τὸ ἀσώματον.* Quomodo illius imago, qui sub adspectum non cadit, explicabitur? Quomodo illius effigies, qui nullam habet effigiem, exprimi poterit? Quomodo is, qui & quantitate & magnitudine vacat & nullo termino concluditur, effingetur? Quomodo illius, qui forma caret, qualitas adumbrabitur? Quomodo qui corporis est expers, coloribus describetur? cetera.

It. orat. II. p. 732. *Θεοῦ μὲν γὰρ τοῦ ἀσωμάτου καὶ ἀοράτου καὶ ἀΰλου καὶ μήτε σχῆμα μήτε περιγραφὴν, μήτε κατάληψιν ἔχοντος, ἀδύνατον ποιεῖν εἰκόνα.* Dei corpore vacantis, qui nec cernitur, & materia caret, nec figuram habet, nec circumscribitur, nec comprehenditur, imago fieri nulla potest.

lumbam

lumbam symbolum spiritus sancti facit, sed dei patris [r] nihil nisi vocem de cælo. Et hoc faciebant ad ductum sacri textus Deuter. IV, 12. *Adloquutus est vos Iehoua e medio illius ignis, vocem verborum vos audiuistis, at similitudinem nullam vos animaduertistis, præter vocem.* Ex quibus perspicimus, quam longe præsens ecclesia *Romana* primos ipsius etiam cultus imaginum patronos præpostero studio præcurrat, dum picturas diuinitatis in templis suis communiter concedit, quod veteres nefarium & absurdum dixissent, & a CASSANDRO [s] inter abusus emendandos refertur, quamquam PETAVIVS, posteaquam id nouum & antiquæ consuetudini contrarium esse concessit, hodiernæ praxi colorem inuenire adlaboret.

## §. XI.

### *Neque statuæ siue effigies solidæ, sed tantum picturæ, & hæ symbolicæ potius quam vllæ aliæ.*

ALTERVM, in quo PETAVIVS discrimen aliquod inter veteris ecclesiæ consuetudinem, & eam, quæ in sua ipsius communitate hodie obtinet, agnoscit, est, quod veteres tantum effigies pictas in ecclesiis licitas esse existimarint, statuis ligneis, æreis & lapideis reiectis. Hoc *Germani*, episcopi *Constantinopolitani* [t], & *Stephani Bostrorum* episcopi, qui ambo in actis concilii *Nicæni*

(r) Paulin. ep. XII. ad Seuer. Pleno coruscat trinitas mysterio; Stat Christus agno; Vox patris cælo tonat: & per columbam spiritus sanctus fluit.

(s) Cassand. consultat. sect. de imagin. p. 179. edit. MDCXLII. 8uo. (p. 980. opp. Paris. MDCXVI.) Illud quoque inter abusus ponendum est, quod etiam diuinitati in trinitatis deformatione, simulacrum effingitur, quod veteres absurdum & nefarium iudicassent, vide Augustin. de fide & symbolo.

(t) German. ep. ad Thom. Claudiopol. in act. IV. conc. Nicæn. II. (tom. VII. conc. p. 316. d.) Οὐ τοῦτο δὲ λέγομεν ἡμεῖς, ὥστε τὰς ἐκ χαλκοῦ στήλας ἐπιτηδεύειν ἡμᾶς, ἀλλ' ἢ μόνον δηλῶσαι, ὅτι καὶ τὸ κατ' ἐθνικὴν συνήθειαν μὴ ἀποποιησαμένου τοῦ κυρίου, ἀλλ' εὐδοκήσαντος ἐν αὐτῷ ἐπιδείκνυσθαι ἐφ' ἱκανὸν χρόνον τὴν αὐτοῦ ἀγαθότητος τὴν θαυματουργίαν, τὸ παρ' ἡμῖν εὐαγέστερόν πως κρατῆσαν ἔθος κακίζειν οὐχ ὅσιον. Non autem hoc dicimus nos, vt statuas æneas facere studeamus, sed vt tantummodo significemus; quum illud ex gentili consuetudine factum non repudiauerit dominus; verum longo tempore suæ bonitatis miraculum in eo demonstrari ipsi placuerit; sanctiorem illam, quæ apud nos obtinuit, consuetudinem nefas esse vituperare.

Stephan. Bostrens. ibid. act. II. Οἵτινες δὴ περὶ τῶν εἰκόνων τῶν ἁγίων ὁμολογοῦμεν, ὅτι πᾶν ἔργον τὸ γινόμενον ἐν ὀνόματι τοῦ Θεοῦ ἀγαθόν ἐστι καὶ ἅγιον· ἄλλο γάρ ἐστιν εἰκὼν, καὶ ἄλλο ἄγαλμα, τουτέστι ζώδιον· ὅτε γὰρ ὁ Θεὸς τὸν Ἀδὰμ ἔπλασε, τουτέστι

secundi

ſecundi adlegantur, teſtimoniis comprobat: quæ imagines ſolidas ſiue ſtatuas huic ipſi peſſimo concilio idolis ſimiles viſas fuiſſe oſtendunt. Alii vero GREGORII NAZIANZENI [u] teſtimonium pro ſtatuis in eccleſiis adlegant, quibus reſpondens PETAVIVS [uu], *Perſpicuum eſt*, inquit, *profanas illic ſtatuas intelligi, quæ ad magnarum vrbium ornamentum in locis publicis collocari ſolebant. Quod & ipſa verba Gregorii palam oſtendunt: quibus negat, ſe de templo, & eius ornatu omni ſolicitum eſſe; de ſtatuis vero nihil admodum; eo quod longe præſtantiore ſtudio detineatur. Itaque ſibi ipſe contradiceret, ſi de ſacris imaginibus loqueretur: ac de quibus ſollicitum ſe eſſe dixit, mox negaret ſe eſſe ſollicitum.* Quæ ille non minus ſcite quam vere obſeruauit. Ex AVGVSTINI [w] enim & OPTATI [x] ſcriptis certiſſimum eſt, nullas eo tempore in eccleſiis vel ſuper altaribus ſtatuas fuiſſe, quia ad gentilem morem eas referunt. Et CASSANDER [y] ex GREGORII MAGNI

ἐδημιούργησεν, ἔλεγε· ποιήσωμεν ἄνθρωπον κατ' εἰκόνα καὶ καθ' ὁμοίωσιν ἡμῶν· καὶ ἐποίησεν ἄνθρωπον ἐν εἰκόνι Θεοῦ· τί γάρ; ὅτι εἰκὼν Θεοῦ ἐστιν ἄνθρωπος, ἄγαλμά ἐστι, τουτέστιν εἰδωλολατρεία, καὶ ἀσέβεια; μηδαμῶς γένοιτο. De ſanctis imaginibus confitemur, quod omne opus in nomine Dei factum, bonum eſt & ſanctum. Nam aliud eſt imago, aliud ſtatua, hoc eſt ſimulacrum animantis. Quum enim Deus formaret Adamum, hoc eſt, conderet, dixit, faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram; & fecit hominem ad imaginem Dei. Quid enim? num quia imago Dei eſt homo, ideo ſimulacrum eſt; id eſt idololatria & impietas? Nequaquam fiat.

(u) Nazianz. epiſt. XLIX. p. 810. c. Τίμησον δὲ τὴν ἡμετέραν πολιάν· οἷς δεινὸν, εἴποτε τὴν μεγάλην πόλιν ἔχοντες, νῦν μηδὲ πόλιν ἔχοιμεν· καὶ θηρίων οἰκητήριον γένοιτο μετὰ τὴν σὴν ἀρχὴν ὅ, τε ναὸς, ὃν ἠγείραμεν τῷ Θεῷ, καὶ ἡ περὶ τοῦτον ἡμῖν φιλοκαλία· οὐδὲ γὰρ εἰ ἀνδριάντες κατενεχθήσονται, τοῦτο δεινὸν, εἰ καὶ ἄλλως δεινόν· μηδὲ περὶ τούτων νομίσῃς εἶναι τὸν λόγον, οἷς περὶ τὰ κρείττονα ἡ σπουδή. Canitiem noſtram honorato: quibus acerbum ſit, ſi magnam olim habentes vrbem, nunc ne vrbem quidem habeamus: ac ferarum domicilium ſit poſt imperium tuum templum illud, quod exſtruximus Deo; tum omnis illius ornatus. Neque enim ſi ſtatuæ deiiciantur, acerbum iſtud eſt; tametſi alioqui ſit acerbum; nec de his nos facere ſermonem exiſtimes, quorum ſtudium circa meliora verſatur.

(uu) Petau. lib. XV. de incarnat. cap. XIV. §. III. p. 315.

(w) Auguſtin. in pſalm. CXIII. concio II. (tom. VIII. opp. p. 1304 -- 1307. edit. Baſil. MDLXIX.)

(x) Optat. lib. II. (p. 53. edit. Par. MDLXXIX.) Prioribus ſæculis vt templa fabricarentur & idola fierent, quid veſtro populo diabolus potuit amplius facere?

(y) Caſſand. conſult. de imagin. p. 165. (p. 974. opp. Par. MDCXVI. fol.) Ex qui-

ſcriptis

ſcriptis idem obſeruat. Notat etiam, vſque ad tempus ſexti concilii generalis *CHRISTVM* magis in typo agni, quam effigie humana depingi conſueuiſſe; atque ita ſpiritum ſanctum typo columbæ fuiſſe repræſentatum. Iſtud autem concilium [z] ſtatuebat, vt pictores in poſterum non in agni typo, ſed humano charactere *CHRISTVM* exprimerent. Ex hoc tempore, ann. DCXCII. venerationem imaginum cœpiſſe, exiſtimo. Iam minime conuenire putabatur, imaginem agni venerari, adeoque ei in eccleſia nullum amplius locum concedere volebant. Ego has res paullo fuſius enarraui & expoſui diſtinctius, vt lector vno ſimul obtutu ſpectare poſſit ortum & progreſſum magnæ huius ſuperſtitionis, quæ eccleſiam tantopere

bus apparet, Chriſtum magis in typum agni, quam effigie humana depingi conſueuiſſe, quod vſque ad tempus ſexti concilii generalis obtinuiſſe videtur, in quo ſtatuitur, vt pictores in poſterum non in agni typo, vt fieri conſueuit, ſed humano charactere Chriſtum exprimant, & ſatis apparet ex ſcriptis Gregorii, quamuis eius ætate ſuperſtitio in cultu ſanctorum non parum inualuerat, tamen picturas tantum in eccleſiis admiſſas fuiſſe, non item ſtatuas vel ſimulacra.

(z) Concil. Trull. c. LXXXII. (tom. VI. conc. p. 1178.) Ἔν τισι τῶν σεπτῶν εἰκόνων γραφαῖς ἀμνὸς δακτύλῳ τοῦ προδρόμου δεικνύμενος ἐγχαράττεται, ὃς εἰς τύπον παρελήφθη τῆς χάριτος, τὸν ἀληθινὸν ἡμῖν διὰ τοῦ νόμου προϋποφαίνων ἀμνὸν Χριστὸν τὸν Θεὸν ἡμῶν· τοὺς οὖν παλαιοὺς τύπους καὶ τὰς σκιὰς, ὡς τῆς ἀληθείας σύμβολά τε καὶ προχαράγματα παραδεδομένους τῇ ἐκκλησίᾳ κατασπαζόμενοι, τὴν χάριν προτιμῶμεν καὶ τὴν ἀλήθειαν, ὡς πλήρωμα νόμου ταύτην ὑποδεξάμενοι· ὡς ἂν οὖν τὸ τέλειον κἂν ταῖς χρωματουργίαις ἐν ταῖς ἁπάντων ὄψεσιν ὑπογράφηται, τὸν τοῦ αἴροντος τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου ἀμνοῦ Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν κατὰ τὸν ἀνθρώπινον χαρακτῆρα καὶ ἐν ταῖς εἰκόσιν ἀπὸ τοῦ νῦν ἀντὶ τοῦ παλαιοῦ ἀμνοῦ ἀναστηλοῦσθαι ὁρίζομεν, δι' αὐτοῦ τὸ τῆς ταπεινώσεως ὕψος τοῦ Θεοῦ λόγου κατανοοῦντες, καὶ πρὸς μνήμην τῆς ἐν σαρκὶ πολιτείας, τοῦ τε πάθους αὐτοῦ καὶ τοῦ σωτηρίου θανάτου χειραγωγούμενοι, καὶ τῆς ἐντεῦθεν γενομένης τῷ κόσμῳ ἀπολυτρώσεως. In nonnullis venerabilium imaginum picturis, agnus, qui digito præcurſoris monſtratur, depingitur, qui ad gratiæ figuram adſumtus eſt, verum nobis agnum per legem Chriſtum Deum noſtrum præmonſtrans. Antiquas ergo figuras & vmbras, vt veritatis ſigna & characteres eccleſiæ tradita, amplectentes, gratiam & veritatem proponimus, eam vt legis implementum ſuſcipientes. Vt ergo quod perfectum eſt, vel colorum expreſſionibus omnium oculis ſubiiciatur, eius qui tollit peccata mundi, Chriſti Dei noſtri humana forma characterem etiam in imaginibus deinceps pro veteri agno erigi ac depingi iubemus: vt per ipſum Dei verbi humiliationis celſitudinem mente comprehendentes ad memoriam quoque eius in carne conuerſationis, eiusque paſſionis & ſalutaris mortis deducamur, eiusque, quæ ex eo facta eſt mundo, redemtionis.



perua-

persuasit deturpauitque in negotio imaginum, quæ initio propter vsum historicum introductæ fuerunt; vt essent videlicet rudiorum codices & ecclesiæ quædam ornamenta, tametsi reliquorum ornamentorum omnium perniciosissima euaserunt, vti euentus satis superque comprobauit.

§. XII.

*Ecclesiæ floribus & frondibus exornatæ.*

VNA adhuc ecclesias ornandi ratio erat, quam non nisi propter innocentiam & naturalem simplicitatem suam memoratu dignam iudicamus. Hæc est floribus atque frondibus eas ornandi atque tegendi consuetudo. Hoc non statis temporibus nec mysterii alicuius caussa fiebat; sed tantum, vt decentiores & hominum in illis conuenientium cœtui commodiores redderentur. AVGVSTINVS huius consuetudinis meminit, loquens de non nemine, qui aliquid de altari [a] florum secum abstulerat. PAVLINVS in poëmate quodam suo ad hanc consuetudinem similiter respicit [b]. HIERONYMVS autem tantum ei honorem exhibet, vt in *Nepotiani*, amici sui, epitaphio locum eam habere patiatur, inter alias laudabiles eius virtutes, studium ornandi floribus ecclesiam referens [c]. *Erat*, inquit, *sollicitus, si niteret altare, si parietes absque fuligine, si pauimenta tersa, si ianitor creber in portis, vela semper in ostiis, si sacrarium mundum, si vasa luculenta, & in omnes cærimonias pia sollicitudo disposita. - - Basilicas ecclesiæ & martyrum conciliabula diuersis floribus & arborum comis vitiumque pampinis adumbrauit*; Minora quidem ista in se esse officia, dicit HIERONYMVS, sed mentem CHRISTO deditam æque & in minoribus intentam esse, nec negligere quidpiam, quod vel minimi officii nomen in ecclesia mereatur. Manife-

(*a*) Augustin. de ciuitat. Dei lib. XXII. c. VIII. (tom. V. opp. p. 1346. d.) Abscedens, aliquid de altari florum, quod occurrit, tulit, eique quum nox esset, ad caput posuit.

(*b*) Paulin. natal. III. Felicis p. 541. edit. Antwerp. MDCXXII. 8. (tom. VI. biblioth. patr. max. p. 272. d. edit. Lugdun. MDCLXXVII.)

Ferte Deo pueri laudem, pia soluite vota,
Et pariter castis data carmina festa choreis.
Spargite flore solum, prætexite limina sertis:
Purpureum ver spiret hiems, sit floreus annus.
Ante diem, sancto cedat natura diei.

(*c*) Hieron. epist. III. epitaph. Nepotian. (p. 13. edit. Par. MDCXLIII.)

stum

stum quoque est, HIERONYMVM istiusmodi naturali pulchritudini & ornatui ecclesiarum maius pretium, quam splendidis pretiosarum picturarum & statuarum ornamentis, argento, auro, ac pretiosis lapidibus statuere. Hinc, vt obseruauimus antea [d], opulentis amicis suis suadet, vt potius in viua Dei templa de opibus suis conferant, *CHRISTVM* vestiant in pauperibus, pascant in esurientibus, suscipiant in his, qui tecto indigeant; laudatque hoc nomine *Paulam* [e], diuitem feminam *Romanam*, quod hoc fecerit & noluerit cum reliquis pecuniam suam in lapidibus cum terra & mundo vniuerso transituris effundere. Neque adeo mirum est, quod *Nepotiani* laudet frugalitatem, qui omnibus sese facultatibus ad subleuandos pauperes exuerat, ita quidem, vt haud vlla alia ecclesias exornandi ratio ei esset reliqua, nisi quæ HIERONYMO omnium maxime probabatur.

# *LIBRI OCTAVI*
## *CAPVT NONVM*
## DE CONSECRATIONE ECCLESIARVM.

### §. I.

### *Quid veteres per consecrationem ecclesiarum intelligant.*

ANTIQVIS temporibus, finita ecclesiarum constructione atque exornatione, ad earum dedicationem siue consecrationem solebant progredi, quæ res quum nonnumquam cum magna piorum rituum solemnitate peracta sit, nostri erit officii, proximo iam loco in eius naturam ac circumstantias paullum inquirere. Ante omnia autem obseruandum est, quod per consecrationem ecclesiæ veteres semper dedicationem, siue specialiorem eius ad diuinum cultum constitutionem, intelligant. Modus autem & cærimonia hoc faciendi non semper exacte vna eademque erat; adeoque ipsum rei caput potissimum spectemus, oportet, quod erat ædificii a communi vsu ad cultum religiosum separatio. Quacumque cærimonia hac fie-

(*d*) Vid. §. V. litt. (k) pag. 290.

(*e*) Hieron. epist. XXVII. epitaph. Paulæ. Nolebat in his lapidibus pecuniam effundere, qui cum terra & sæculo transituri sunt: sed in viuis lapidibus, qui voluuntur super terram.

bat. primus eam initiandi & ad diuinum vſum adſignandi actus conſecratio illius erat. Vnde ad hoc adludentes veteres prima rei alicuius initia frequenter vocabant illius dedicationem. Exempli cauſſa, quum CYPRIANVS de *Aurelio* confeſſore, quem lectorem fecerat, loquens ipſum *lectionem dedicaſſe* [a] dicit, nihil amplius vult dicere, quam eum primum officii ſui actum in eccleſia peregiſſe, quem actum *dedicationem* nuncupat. Num vllæ aliæ cærimoniæ præter iſtas in dedicatione eccleſiarum primis tribus ſæculis obtinuerint, exploratum non habemus; tametſi admodum probabile ſit, ſolemnem quamdam gratiarum actionem & precationem pro ſancto earum vſu, vna cum vſitata eccleſiæ liturgia fuiſſe factam, quia hoc inter *iudæos* in vſu fuit; qui hoc modo non ſolum templum I reg. VIII. ſed priuatas quoque domus ſuas & oppidorum muros, ſi abſoluti & perfecti eſſent, dedicarunt, quemadmodum ex pſalmi XXX. inſcriptione patet, quæ ſic habet: *Pſalmus Dauidis, canticum dedicationis domus illius;* nec non ex narratione, quæ de celebrata muri *Hieroſolymorum* dedicatione habetur Nehem. XII, 27. Porro id probabile eſt ex conſtanti chriſtianorum more conſecrandi per gratiarum actionem & preces ordinarium ſuum cibum, antequam eo vterentur: & ex ratione conſecrandi eccleſias in ſæculis ſubſequutis poſt tempora *Conſtantini.* Quæ omnia id maxime credibile efficiunt, chriſtianos per prima tria ſæcula eamdem gratiarum actionis & ſpecialiorum precum ad Deum cærimoniam in eccleſiarum ſuarum dedicatione adhibuiſſe. Cuius autem rei quum non perſpicua ſuppetant teſtimonia, non omnino id adfirmauerim. DVRANTVS [b] quidem & BONA [c] ſatis audacter dictitant, ab apoſtolorum inde temporibus ita obtinuiſſe: Sed hoc adſertum ſuum non meliore fundamento, quam fictis

(a) Cyprian. epiſt. XXXVII. al. XXXVIII. ad cler. Carthag. Dominico legit interim nobis, id eſt, auſpicatus eſt pacem, dum *dedicat lectionem.*

(b) Durant. de ritib. eccleſ. lib. I. c. XXIV. n. I. Eccleſias conſecrandi conſuetudo ab ipſis apoſtolis vſque ad noſtram manauit ætatem.

(c) Bon. rer. liturg. lib. I. c. XX. n. III. Templorum conſecratio e veteri teſtamento ad nouum ab apoſtolis ad ſucceſſores emanauit; atque hunc ritum ſeruauit eccleſiæ totius orientis & occidentis conſenſu. Sunt, qui Euariſto papæ eius originem adſcribunt, ſed multo certius eſt, apoſtolicum inſtitutum eſſe, niſi dicamus, ab hoc pontifice ſcripto promulgatum, quod ſola traditione ab anteceſſoribus acceperat.

epi-

epiſtolis CLEMENTIS ROMANI, EVARISTI & HYGINI, & actis *S. Cæciliæ* apud SIMEONEM METAPHRASTEM ſuperſtruunt, quæ vero ſcripta nullius ſunt auctoritatis, quum de rebus factis primorum & apoſtolicorum temporum quæſtio eſt.

### §. II.

### *Prima iuſtiſſimæ auctoritatis ac fidei documenta de hac conſecratione ex ſæculo quarto arceſſenda.*

QVAPROPTER melioribus teſtimoniis deſtituti, hac materia tamquam re duntaxat probabili non autem certa relicta, ad eam conſiderandam progredimur, prout in ſequenti ſæculo, quando, pacato *Conſtantini* imperio, eccleſiæ vbique terrarum reædificatæ cum magna rituum ſolemnitate dedicabantur, fuit factitata. Votiuum ac deſideratum ſpectaculum erat, vt EVSEBIVS [d] loquitur, videre dedicationum feſtiuitatem per ſingulas vrbes & oratoriorum recens ſtructorum conſecrationes. Quæ feſtiuitas tanto auguſtior fiebat & venerabilior, quod plerumque integra epiſcoporum vicinorum ſiue prouincialium ſynodus ad dedicationem conueniebat. Templum, quod *Hieroſolymis* ſepulcro ſeruatoris noſtri ſuperſtruxerat *Conſtantinus*, a plena epiſcoporum orientalium ſynodo conſecrabatur, quam *Conſtantinus* primum *Tyrum* & deinde *Hieroſolyma* an. CCCXXXV. hunc in finem conuocarat, quemadmodum EVSEBIVS [e] & re-

(d) Euſeb. lib. X. c. III. Ἐπὶ [illegible]τοις, τὸ πᾶσιν εὐκταῖον ἡμῖν καὶ ποθούμενον συνεκροτεῖτο θέαμα, ἐγκαινίων ἑορταὶ κατὰ πόλεις, καὶ τῶν ἄρτι νεοπαγῶν προσευκτηρίων ἀφιερώσεις· ἐπισκόπων τε ἐπὶ ταυτὸ συνελεύσεις.

(e) Euſeb. lib. IV. de vit. Conſtant. c. XLIII. Κατέλαμβανεν ἄλλος βασιλικὸς ἀνὴρ ἐπισπέρχων τὴν σύνοδον σὺν γράμματι βασιλικῷ, σπεύδειν καὶ μηδὲν ἀναβάλλεσθαι τὴν ἐπὶ τὰ ἱεροσόλυμα παρορμῶν γε πορείαν; alius ab imperatore nuntius ſuperuenit, qui oblatis imperialibus litteris ſynodum hortatus eſt, vt nulla interpoſita mora omnes quamprimum Hieroſolyma properarent.

Socrat. lib. I. c. XXVIII. Σύνοδον ἐπισκόπων ἐκήρυξε γενέσθαι ἐπὶ τῇ καθιερώσει τοῦ εὐκτηρίου οἴκου, ὃν ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις ἀνήγειρεν. Ad dedicationem eccleſiæ, quam Hieroſolymis conſtruxerat imperator; frequentes epiſcopos iuſſerat conuenire.

Sozom. lib. II. c. XXVI. ἀμφὶ τὴν τρίτην δεκάδα τῆς Κωνσταντίνου ἡγεμονίας, ἐξεργασθέντος τοῦ ἐν Ἱεροσολύμοις νεὼ περὶ τὸν κρανίου χῶρον, ὃ μέγα μαρτύριον προσαγορεύεται, παραγενόμενος εἰς Τύρον Μαριανὸς, ἀνὴρ τῶν ἐν ἀξίᾳ, βασιλικὸν ταχυγράφος, ἀπέδωκε τῇ συνόδῳ βασιλέως ἐπιστολὴν, παρακελευομένην ἐν τάχει τὰ Ἱεροσόλυμα καταλαβεῖν, καὶ τὸν νεὼ καθιερῶσαι. Circa triceſimum annum imperii Conſtantini, abſoluta iam eccleſia Hieroſolymis in Caluariæ loco, quæ ma-


liqui

liqui hiſtorici omnes fidem nobis faciunt. Similiter SOCRATES [*f*] obſeruat, quod concilium *Antiochenum* an. CCCXLI. congregatum fuerit, celebratiſſimum templum, *dominicum aureum* appellatum, dedicandi cauſſa, quod a *Conſtantino* ædificari cœptum poſt eius obitum *Conſtantius* filius abſoluerat. Cuiusmodi exempla plura in antiquæ hiſtoriæ monumentis reperias. Ipſa autem ſolemnitas communiter cum panegyrico quodam ſermone inchoabatur, continente potiſſimum gratiarum actionem ad Deum, & nonnumquam in laudes fundatoris vel recens ædificatæ eccleſiæ gloriam excurrente. Cuiusmodi eſt EVSEBII [*g*] oratio, de ædificatione eccleſiæ, *Paulino Tyriorum* epiſcopo dicta, & alii ſermones [*h*] in GAVDENTIO & AMBROSIO, occaſione conſimili facti. Nonnumquam plures in tali ſolemnitate recitabantur orationes. Nam EVSEBIVS de eccleſiarum dedicationibus tempore *Conſtantini* loquens, *Eccleſiarum antiſtites* [*i*], inquit, *quotquot aderant, panegyricas habebant orationes, & quan-*

gnum martyrium appellatur, Marianus quidam non mediocri dignitate præditus, imperatoris notarius, Tyrum ingreſſus, epiſcopis in concilio congregatis imperatoris porrexit epiſtolam: qua eos hortabatur, vt confeſtim Hieroſolyma profecti, eccleſiam illic dedicarent.

Theodoret. lib. I. c. XXXI. *Τὴν δὴ σύνοδον ἅπασαν ἀπὸ τῆς Τύρου καταλαβεῖν τὴν Αἰλίαν ὁ βασιλεὺς παρηγγύησε· συνελθεῖν δὲ καὶ τοὺς ἄλλους ἅπαντας πανταχόθεν ἐκέλευσε, καὶ τοὺς ὑπ' αὐτοῦ δομηθέντας καθιερῶσαι νεώς.* Imperator vniverſum concilium relicta Tyro Aelium proficiſci iuſſerat: alioſque complures vndequaque eo conuenire præceperat, vt baſilicas ab ipſo conſtructas dedicarent.

(*f*) Socrat. lib. II. c. VII. *Κατασκευάζει σύνοδον ἐν Ἀντιοχείᾳ τῆς Συρίας γενέσθαι προφάσει μὲν τῶν ἐγκαινίων τῆς ἐκκλησίας, ἣν ὁ πατὴρ μὲν τῶν Αὐγούστων κατασκευάζειν ἤρξατο· μετὰ τελευτὴν δὲ αὐτοῦ ὁ υἱὸς Κωνστάντιος δεκάτῳ ἔτει ἀπὸ τῆς θεμελιώσεως συνετέλεσεν· τὸ δὲ ἀληθές, ἐπὶ τῇ ἀνατροπῇ καὶ καθαιρέσει τῆς ὁμουσίου πίστεως.* Concilium Antiochiæ in Syria curat congregari: prætextu quidem dedicandæ eccleſiæ, quam Auguſtorum pater Conſtantinus ædificare cœperat: poſt eius autem obitum Conſtantius filius, decimo poſt anno, quam facta fuerant fundamenta, abſoluerat. Re ipſa vero, vt conſubſtantialis fidem euerteret ac profligaret.

(*g*) Euſeb. lib. X. c. IV. tot.

(*h*) Gaud. ſerm. XVII. Die dedicationis baſilicæ ſanctorum quadraginta martyrum (in biblioth. patr. max. tom. V. p. 968. 969. 970. ed. Lugd. MDCLXXVII.) Ambroſ. ſermo LXXXIX. In feſto dedicationis eccleſiæ (ſerm. XXVI. tom. V. p. 78. edit. Colon. MDCXVI. tom. V. p. 160. edit. Par. MDCXLII.)

(*i*) Euſeb. lib. X. c. III. *ἐκίνει δὲ καὶ λόγους ἅπας τῶν παρόντων ἀρχόντων πανηγυρικούς,*

*tum*

*tum quisque ingenio poterat, conuentum laudibus extollere studebant;* vt adeo ista oratio panegyrica, cuius mentionem facit, vna tantum ex multis aliis illic recitatis fuerit. Alio loco [*k*] dedicationem ecclesiæ *Hierosolymorum* enarrans, *Sacerdotes Dei*, inquit, *partim precationibus partim sermonibus festiuitatem ornabant. Alii siquidem comitatem religiosi imperatoris erga omnium seruatorem laudibus celebrabant, & martyrii magnificentiam oratione persequebantur. Alii sacris Theologiæ dogmatibus ad præsentem celebritatem accommodatis, spirituale quoddam epulum audientibus præbebant. Quidam sacrorum voluminum lectiones interpretabantur; arcanos & mysticos sensus in lucem proferentes.* Ipse etiam, quum huic solemnitati præsens adesset, eorum partem sustinuit, qua de re hæc subiungit: *Ibi nos quoque, quibus maiora quam pro meritis nostris bona contigerant, variis sermonibus publice habitis solemnitatem decorauimus; nunc regalis fabricæ decorem ac magnificentiam scriptis enarrantes; nunc propheticorum oraculorum sensus apte & accommodate ad præsentes figuras atque imagines interpretantes.* Hac rituum parte absoluta ad mysticam immolationem, & incruentum sacrificium, vt vocabant, procedebant; pro pace communi, pro ecclesia Dei, pro imperatore eiusque liberis preces Deo suppliciter offerentes. Inter hasce precationes peculiarem aliquam pro ecclesia tum dedicata videntur habuisse, quemadmodum AMBROSIVM nonnulli intelligunt, qui formulam precum hac occasione factarum habere creditur; quam, quum non multæ istiusmodi in veterum scriptis legantur, ad verbum heic interponemus. „Te „nunc [*l*], Domine, precor, vt supra hanc domum tuam, su-

ὡς ἑκάστῳ παρῆν δυνάμεως, θειάζων τὴν πανήγυριν.

(*k*) Euseb. de vit. Constant. lib. IV. c. XLV. Οἱ τοῦ θεοῦ λειτουργοὶ, εὐχαῖς ἅμα καὶ διαλέξεσι τὴν ἑορτὴν κατεκόσμουν· οἱ μὲν τοῦ θεοφιλοῦς βασιλέως τὴν εἰς τὸν τῶν ὅλων σωτῆρα δεξίωσιν ἀνυμνοῦντες, τάς τε περὶ τὸ μαρτύριον μεγαλουργίας διεξιόντες τῷ λόγῳ· οἱ δὲ ταῖς ἀπὸ τῶν θείων δογμάτων πανηγυρικαῖς θεολογίαις, πανδαισίαν λογικῶν τροφῶν, ταῖς πάντων παραδιδόντες ἀκοαῖς· ἄλλοι δὲ ἑρμηνείας τῶν θείων ἀναγνωσμάτων ἐποιοῦντο, τὰς ἀπορρήτους ἀποκαλύπτοντες θεωρίας· - - Ἔνθα καὶ ἡμεῖς, τῶν ὑπὲρ ἡμᾶς ἀγαθῶν ἀξιωμένοι, ποικίλαις ταῖς εἰς τὸ κοινὸν διαλέξεσι τὴν ἑορτὴν ἐτιμῶμεν· ποτὲ μὲν διὰ γράμματος τῶν τῷ βασιλεῖ πεφιλοκαλημένων τὰς ἐκφράσεις ἑρμηνεύοντες· ποτὲ δὲ καιρίους καὶ τοῖς προκειμένοις συμβόλοις τὰς προφητικὰς ποιούμενοι θεωρίας.

(*l*) Ambros. hortat. ad virginit. in fine. (tom. IV. opp. edit. Par. MDCXLII. p. 444. m.)

„pra

„pra hæc altaria, quæ hodie dedicantur, ſupra hos lapides ſpi-„rituales, quibus ſenſibile tibi in ſingulis templum ſacratur, „quotidianus præſul intendas, orationesque ſeruorum tuorum, „quæ in hoc loco funduntur, diuina tua ſuſcipias miſericordia. „Fiat tibi in odorem ſanctificationis omne ſacrificium, quod in „hoc templo fide integra, pia ſedulitate offertur. Et quum ad „illam reſpicis hoſtiam ſalutarem, per quam peccatum huius „mundi aboletur, reſpicias etiam ad has piæ hoſtias caſtitatis, „& diuturno eas tuearis auxilio, vt fiant tibi in odorem ſuaui-„tatis hoſtiæ acceptabiles, & integrum ſpiritum eorum, ani-„mam & corpus, ſine querelæ loco vſque in diem domini Ieſu „Chriſti filii tui ſeruare digneris. Amen.„ Non nego, haſce preces in quibusdam partibus propius ad conſecrationem virginum, quam ad conſecrationem eccleſiarum, accedere. Forte vtrobique vſum habuerunt, tam pro ſpiritualibus, quam materiatis Dei templis. Si quis autem pro prioribus tantum valere eas debere, exiſtimet, ego quidem non repugnabo, videns iam ex EVSEBIO demonſtratum, quod ad minimum orationes panegyricæ & laudes Dei ac preces pro eccleſia, ſemper pars aliqua ſolemnitatis ac cærimoniæ harum dedicationum fuerint. Et vſque dum dies ſolemnis dedicationi conſtitueretur nulli omnino per canones licitum erat, eccleſia quadam recens exſtructa, tamquam cultus diuini loco, vti, niſi magna aliqua neceſſitas id eum facere cogeret. Id quod ex *apologia* ATHANASII palam eſt, quam pro ſe ipſe *Conſtantio* imperatori offerebat, quum ipſi in crimen verteretur, quod in magna eccleſia *Alexandriæ* habuiſſet ſynaxin, priusquam completum ædificium eſſet, & eccleſia a *Conſtantino*, fundatore ſuo, dedicata. „Feſtum e-„rat paſchatis, inquiebat [m], populique ingens aderat multitu-„do, tantaque chriſtianorum turba, quantam in ſingulis vrbi-„bus exſtare imperatores Chriſto addicti peroptare debeant. „Quum igitur eccleſiæ paucæ numero eſſent & anguſtiſſimæ, „ingenti edito tumultu rogabant populi, vt in magna eccleſia „conuentus ageretur: ibique omnes preces funderent pro tua

(m) Athan. Apol. I. ad Conſtantin. tom. I. p. 682 & 684. edit. Par. MDCXXVII. (p. 303. d. & p. 30[illegible]. c. edit. Par. MDCXXVIII. *ἑορτὴ μὲν γὰρ ἦν τὸ πάσχα, ὁ δὲ λαὸς πάνυ πολὺς καὶ τοσοῦτος ἦν, ὅσον ἂν εὔξαιντο κατὰ πόλιν εἶναι χριστιανῶν φιλόχριστοι βασιλεῖς. Τῶν τοίνυν ἐκκλησιῶν ὀλίγων καὶ βραχυτάτων οὐσῶν, θόρυβος*

salute.

„salute. Sicque acta res est. Me contra hortante, vt rem „tantisper differrent, & quolibet modo etiam cum compressi„one in aliis ecclesiis cœtus agerent, morem illi non gessere: „immo parati erant ex vrbe egredi, vt in desertis locis sub dio „conuentus celebrarent, satius ducentes, itineris perferre labo„rem, quam cum mœrore festum peragere.„ Obtemperasse igitur se populo fatetur, ita tamen, vt non dedicatio sed synaxis ad orandum celebrata sit. Diem se exspectare dicit, quem ipse imperator huic dedicationi constituturus sit, atque tum se Deo pro perfecta illius ædificatione publice gratias acturum, quemadmodum *Alexandri*, antecessoris sui, memoria factum sit, dum ipse ecclesiam *Theonæ* exstrueret, & quomodo ipse *Treuiris* & *Aquileiæ* & alibi locorum fieri viderit, vt ob populorum frequentiam in ecclesiis, ante absolutam ædificii constructionem, conuentus agerentur. Istiusmodi autem templorum vsurpationem, vrgente necessitate factam, non fuisse eorum dedicationem; sed hanc semper subsequutam & solemnem aliquem actum eucharisticum, siue publicam diuini numinis pro consummata sacræ ædis structura celebrationem, fuisse monet. Vt adeo hoc obseruationem, quam antea ex EVSEBIO fecimus, comprobet, quod communes precationes in ecclesia, sine specialioribus panegyricis & formulis adorandi & laudandi Deum, huic solemnitati magis propriis & peculiaribus, factæ, formalis dedicationis loco habendæ non sint. Quod ipsum eorum etiam confutat opinionem, qui erectionem signi crucis, vel mensæ sacræ collocationem in ecclesia, eius dedicationem fuisse, autumant. Isthæc enim sine vlla dedicatione fieri poterant. Id quod non tantum ex hoc ATHANASII sermone patet, sed etiam ex casu quodam apud SYNESIVM commemorato manifestum est, vbi nonnulli in certo quodam loco ecclesiam consecratam esse dictitabant, quia ad precationes & sacramentorum administratio-

ἦν ὐκ ὀλίγος, ἀξιῦντων ἐν τῇ μεγάλῃ ἐκκλησίᾳ συνελθεῖν, κἀκεῖ πάντας εὔχεσθαι ὑπὲρ τῆς σῆς σωτηρίας· ὅπερ καὶ γέγονεν· ἀλλ' ἐμῦ παρακαλῦντος τέως ἐπισχεῖν καὶ ὅπως δήποτε μετὰ θλίψεως ἐν ταῖς ἄλλαις ἐκκλησίαις συναχθῆναι ὐχ ὑπήκουσαν, ἀλλ' ἕτοιμοι γεγόνασιν ἐξελθεῖν τὴν πόλιν, εἰς τὺς ἐρήμους τόπους ἐν ἡλίῳ συνελθεῖν, βέλτιον ἡγέμενοι κάματον ἐνεγκεῖν ὁδῦ, ἢ μετὰ λύπης τὴν ἑορτὴν ποιῆσαι· -- (p. 30[?]. n. 18.) Σὺ δὲ θεοφιλέστατε Αὔγυστε ζήσειας πολλαῖς ἐτῶν περιόδοις, καὶ τὰ ἐγκαίνια ἐπιτελέσειας· αἱ γὰρ γενόμεναι παρὰ πάντων περὶ τῆς σῆς σωτηρίας εὐχαὶ, ὐκ ἐμποδίζυσι τὴν τῶν ἐγκαινίων πανήγυριν.

nem hostilis excursionis tempore adhibitus fuerat; aduersus quos SYNESIVS [n] expressis verbis decernebat, „Quod hostili „excursione compulsi homines necessario ibi precati fuerint, „non eam rem locum illum consecrare. Alioquin montes o„mnes omnesque valles ecclesias esse, nec vllum fore castel„lum, quod non ea ratione publicum esse possit, in quibus o„mnibus, quum populabundi hostes excurrant, preces & sa„cra mysteria fieri soleant. Idem de ædibus omnibus fore iu„dicium, quæ impiis *Arianorum* temporibus preces ac sacra my„steria receperint: quæ priuati iuris nihilo minus habeantur.„

### §. III.

### *Episcopus in qualibet diœcesi ordinarius huius consecrationis minister.*

EVIDENS ex iam dictis est & manifestum, quod, quum istæ consecrationes generatim ab episcoporum synodo peractæ sint, episcopi semper fuerint ministri ad hoc officium delegati. Accidere autem poterat, vt nullus præter diœceseos istius episcopum adesse posset, & tum peculiare eius erat officium, consecrationem perficere, quæ adeo specialiter episcopi officio per antiquos quosdam canones reseruata fuit, vt presbyteris eam perficere haud liceret. Concilium *Bracarense* primum an. DLXIII. muneris abdicationem [o] presbyteris minatur, qui ecclesiam vel altare consecrare ausi essent, dicitque antiquos canones hoc quoque vetuisse. Inter concilia nostra *Britannica*, ab HENRICO SPELMANNO collecta, vnum habetur sub S. *Patricio* an. CCCCL. celebratum, in quo canonem inuenimus in hanc sententiam: *Si quis presbyterorum* [p] *ecclesiam ædificauerit*,

(n) Synes. epist. LXVII. p. 238. Par. MDCV. 8uo (p. 212. edit. Par. MDCXXXIII.) Τὸ γὰρ ἐν ἐπιδρομῇ τότε πολεμίων ἐκεῖ συμφυγόντας ἀνθρώπους εὔξασθαι τἀναγκαῖα, τοῦτο τὸν τόπον οὐ καθιεροῖ· ἢ πάντα μὲν ὄρη, πᾶσαι δὲ φάραγγες ἐκκλησίαι· καὶ οὐδὲν ὅ, τι φρούριον ἐκφεύγει τὸ δημόσιον εἶναι· ἐν οἷς ἅπασιν ὅταν οἱ πολέμιοι προνομεύσωσιν, εὐχαὶ, καὶ μυστήρια γίνονται· ὁμοίως δὲ ὅσαι κατὰ τοὺς ἀθέους τῶν ἐξ Ἀρείου καιρῶν εὐχὰς ἐδέξαντο, καὶ μυστήρια; ἀλλ' οὐδὲν ἧττόν εἰσιν ἰδιώτιδες.

(o) Concil. Bracar. I. c. XXXVII. (in edit. Labbei est concil. II. can. XIX. tom. V. p. 842.) Si quis presbyter, post hoc interdictum, ausus fuerit chrisma benedicere, aut ecclesiam aut altarium consecrare, a suo officio deponatur: nam & antiqui hoc canones vetuerunt.

(p) Concil. Hiberniæ c. XXIII. (tom. III. conc. p. 1480. edit. Labb. & apud Spelm. tom. I. p. 53.)

non

*non offerat, antequam adducat suum pontificem, vt eum consecret, quia sic decet.* Neque antiqua historia probata exempla in contrarium suppeditat.

§. IV.

*Nullam ecclesiam, sine episcopi permissu, ædificari licitum.*

Hoc ipsum ex duarum triumue rerum aliarum, ad hanc materiam proxime spectantium, obseruatione amplius confirmabitur. Primum quidem, quod nulla ecclesia ordine vsitato ædificari poterat, sine venia seu consensu episcopi, cuius in diœcesi erigebatur. Id quod verbis expressis in synodo *Chalcedonensi* cautum legitur, quæ & monasteria & ecclesias curæ episcopi subiecit, ita quidem, vt nec monasterium aliquod nec ecclesia, præter sententiam & approbationem episcopi [q], construi posset.

§. V.

*Neque, nisi prius episcopus solemnes preces in loco, vbi fabricanda erat, fecisset.*

Et per *Iustiniani* leges nullam ecclesiæ structuram fas erat inchoare ante, quam episcopus solemnes ibi preces fecisset, signumque crucis erexisset, vbi noua quædam ecclesia erigenda erat. Quod in imperatoris illius *nouellis*, tum monasteriorum, tum ecclesiarum [r] respectu, iterum iterumque inculcatum legimus. Et GOTHOFREDVS eumdem morem in expiandis gen-

(q) Concil. Chalcedon. c. IV. (tom. IV. concil. p. 758.) ἐπειδὰν δέ τινες τῷ μοναχικῷ κεχρημένοι προσχήματι, τάς τε ἐκκλησίας καὶ τὰ πολιτικὰ διαταράττουσι πράγματα, περιιόντες ἀδιαφόρως ἐν ταῖς πόλεσιν, οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ μοναστήρια ἑαυτοῖς συνιστᾶν ἐπιτηδεύοντες· ἔδοξε μηδένα μηδαμοῦ οἰκοδομεῖν μηδὲ συνιστᾶν μοναστήριον, ἢ εὐκτήριον οἶκον, παρὰ γνώμην τοῦ τῆς πόλεως ἐπισκόπου. Quoniam nonnulli monachico prætextu vtentes & ecclesias & negotia ciuilia perturbant, & temere, citra vllam discriminis rationem, in vrbibus circumcursantes, quin etiam monasteria sibi constituere studentes visum, est, nullum vsquam ædificare nec construere posse monasterium, vel oratoriam domum, præter sententiam ipsius ciuitatis episcopi.

(r) Iustin. nouell. CXXXI. c. VII. Εἴ τις βουληθείη οἰκοδομῆσαι σεβάσμιον εὐκτήριον, ἢ μοναστήριον, μὴ ἄλλως ἀρχέσθω τοῦ οἰκοδομήματος, εἰ μὴ ὁ τῶν τόπων ὁσιώτατος ἐπίσκοπος εὐχὴν ἐκεῖσε ποιήσει, καὶ τὸν τίμιον πήξει σταυρόν. Si quis voluerit fabricari venerabile oratorium, aut monasterium, præcipimus, non aliter inchoandam fabricam, nisi locorum sanctissimus episcopus orationem ibi fecerit, & venerabilem fixerit crucem. Vid. etiam nouell. LXVII. c. I. nouell. V. c. I.

tilium templis, ſi in eccleſias chriſtianas conſecranda eſſent, obſeruatum fuiſſe, non ſine ratione exiſtimat. Ita enim legem [s] THEODOSII intelligit, qua templa religionis chriſtianæ ſigni, hoc eſt crucis, conlocatione expiari præcipit. Et quum monachi quidam & alii hominum ordines nonnumquam ſignum crucis in ædes publicas, aliaque loca populi voluptatibus fabricata, inferre conarentur, quod eo ſpectabat, vt in eccleſias ſine epiſcopi venia ædes iſtas conuerterent; *Leo* [t] imperator decernebat, vt nihil iſtiusmodi inpoſterum vſurpatione alicuius fieret, ſed ſi vel crux alicubi erigenda eſſet, vel reliquiæ alicuius martyris in loco quodam collocandæ, vtrumque conſultis & mandantibus epiſcopis, nec vlla ratione alia, perageretur. Et hinc probabiliter SVICERVS & MEVRSIVS coniectant, quod dioeceſis epiſcopi interdum appellata fuerit σαυροπήγιον, hoc eſt, territorium, in quo epiſcopus ius figendæ crucis pro ædificandis eccleſiis habebat. Quo modo vocabulum illud, tum actum figendi crucem, tum limites, intra quos eam figendi poteſtatem habebat, ſignificabit.

## §. VI.

*Nulli epiſcopo eccleſiam aliquam in alius epiſcopi diœceſi conſecrare licitum, niſi neceſſitate illud exigente.*

NAM porro obſeruandum eſt, quod, licet epiſcopi eccleſias conſecrandi habuerint poteſtatem, hæc tamen ad ſuas ipſorum diœceſes adſtricta fuerit, neque ipſi limites ſuos tranſilire potuerint, niſi ad adſiſtendum aliis, vel ad diuina officia in alio vacante epiſcopatu perficienda euocati. Cui conſuetudini adeo pertinaciter inhæret concilium *Arauſicanum*, vt epiſcopo,

(s) Cod. Theod. lib. I. tit. III. de paganis leg. XXV. Cuncta eorum ſacra, templa, delubra, ſi qua etiam nunc reſtant integra, præcepto magiſtratuum deſtrui, conlocationeque venerandæ chriſtianæ religionis ſigni expiari præcipimus.

(t) Cod. Iuſtin. lib. I. tit. III. de epiſc. leg. XXVI. Decernimus, vt poſthac monachi, neque quicumque alii cuiuscumque ſtatus ac fortunæ in ædes publicas, vel in quæcumque loca populi voluptatibus fabricata, venerabilem crucem & ſanctorum martyrum reliquias illicite inferre conentur, vel occupare audeant ea, quæ vel ad publicas cauſas, vel ad populi oblectamenta conſtructa ſunt. Quum enim religioſæ ædes non deſint; poſſunt ibi, conſultis prius (vt oportet) religioſiſſimis epiſcopis, reliquias ſanctorum martyrum, non quorumdam vſurpatione, ſed arbitrio antiſtitum collocare.

qui

qui ſuis ipſius expenſis in aliena diœceſi ædificet eccleſiam, [*u*] conſecrationem illius ſibi arrogare interdicat, illique eam adſeruari iubeat, cuius in territorio eccleſia erigatur. Concilium *Aurelianenſe* tertium [*w*] & alia eiusdem argumenti decreta habent. Si qua autem eccleſia in vacante diœceſi exſtrueretur, tum vnusquisque ex vicinis epiſcopis ad eam dedicandam aduocari poterat. SIDONIVS APOLLINARIS ad eccleſiam *Rutenorum* in *Gallia* conſecrandam vocabatur, licet alius diœceſeos eſſet epiſcopus. Ratio vero erat [*x*], vt SAVARO recte obſeruat, quod *Rutenorum* eccleſia tunc temporis viduata erat epiſcopo, qui in conſecratione diuina officia obiret. Hæc omnia igitur docent, cuiusuis diœceſeos epiſcopum fuiſſe legitimum huius

(*u*) Conc. Arauſican. c. X. (tom. III. conc. p. 1449.) Si quis epiſcoporum in alienæ ciuitatis territorio eccleſiam ædificare diſponit, vel pro fundi ſui negotio, aut eccleſiaſtica vtilitate, vel quacumque ſua opportunitate, permiſſa licentia ædificandi, quia prohibere hoc votum nefas eſt, non præſumat dedicationem, quæ illi omnimodis reſeruatur, in cuius territorio eccleſia adſurgit.

(*w*) Conc. Aurel. III. c. XV. (tom. V. p. 299.) Epiſcopus in diœceſes alienas ad alienos clericos ordinandos vel conſecranda altaria irruere non debet: quod ſi fecerit, remotis his quos ordinauerit, *altaris* tamen *conſecratione manente, transgreſſor canonum annua* miſſarum celebritate ceſſabit.

(*x*) Sidon. lib. IV. ep. XV. Baptiſterium, quod olim fabricabamini, ſcribitis, iam poſſe conſecrari. *Ad quæ feſta* vos voti, *nos miniſterii*, officii multos, fidei totos *cauſſa ſollicitat*. Quod reſtat optamus, vt - - tam deſiderio meo Chriſtus indulgeat, quam Rutenorum.
Sauaro in h. l. Qui fieri poteſt, vt miniſterii cura Sidonio incumberet, quum is non eſſet Rutenorum epiſcopus, ad quem huiusce miniſterii conſecratio ſpectabat. Concilii Auraicenſis can. X. *Dedicatio illi omnino reſeruatur, in cuius territorio eccleſia adſurgit* Nec aliam quam loci epiſcopum euocare ius erat ad eccleſiæ conſecrationem, eod. can. concil. Aurelian. com. 1. & 3. Wormatienſis can. 1. in quas eccleſiaſticæ diſciplinæ regulas impegiſſe Sidonium, nefas dicere, reus enim læſæ diſciplinæ ageretur, etiamſi eum Elaphius ad eccleſiæ conſecrationem inuitaſſet, ſupra dicti concilii can. 10. Verum dicendum eſt (quantum ex Sidonio epiſt. 6. lib. 7. colligere licet) tum temporis Rutenorum eccleſiam ſummo ſui ſe viduatum pontifice, in cuius locum alium ſufficere non liberum erat. Sidon. *Burdegala, Petrogorii, Ruteni, Lemouices, Gabalitani, [illegible], Vaſates, Conuenæ, Auſcenſes, multoque iam maior numerus ciuitatum (ſummis ſacerdotibus ipſorum morte truncatis, nec vllis deinceps epiſcopis in defunctorum officia ſuffectis)* Tunc enim Euarigis A[illegible] ſæuiebat, ea propter Sidonius baptiſterium conſecrauit, eo quod Rutenorum epiſcopus mortuus eſſet.

ſolemnitatis adminiſtrum. Conſulendus enim erat, antequam opus inchoaretur; venire debebat ad preces illic faciendas, antequam fundamenta iacerentur, & abſoluta fabrica ad illam conſecrandam vel ipſe, vel alius quiſpiam epiſcopus ipſius loco, erat arceſſendus. Si vero presbyteri more ſolito id facere potuiſſent, non neceſſe fuiſſet, epiſcopum ex alia diœceſi ad hunc ritum peragendum accire. Sed quæras, Quid, ſi presbyter hoc facere ſibi ſumeret, vtrum iſte actus ratus habebatur, an vero epiſcopus ad nouam adgrediebatur conſecrationem? Reſpondeo, quum hæc res eſſet epiſcopo tantum per leges & ex conſuetudine reſeruata, (ſacræ enim litteræ nihil hac de re præcipiunt) nullam de nouo factam conſecrationem in talibus caſibus inuenimus; quum vero actio eſſet ſchiſmatica in presbytero, ſi ita regulas & canones eccleſiæ in contemtum epiſcopi migraret, hinc muneris abdicatione puniebatur [y], vti ex ante memorato concilii *Bracarenſis* canone liquet. Ipſe quoque epiſcopus, qui eccleſiam in alieno territorio conſecrare auſus fuerat, in eccleſiis *Gallicanis* integrum annum ab officio, tamquam violator canonum, prohibendus erat [z].

## §. VII.

*Primorum ſæculorum epiſcopis ad conſecrandam aliquam eccleſiam epiſcopi* Romani *venia minus erat neceſſaria.*

Svnt qui epiſcopum in ſua ipſius diœceſi ſecundum antiquos canones, eccleſiam aliquam ſine epiſcopi *Romani*, cuius ſit ad hoc faciendum facultatem largiri, venia conſecrare potuiſſe, negant. Hæc doctrina quædam eſt GRATIANI, ad *Romani* papæ poteſtatem [a] extollendam compoſita, in lege ca-

(y) Conc. Bracar. I. c. XXXVII. vid. ſub litt. (o) pag. 322.

(z) Concil. Aurel. III. c. XV. vid. ſub litt. (w) p. 325.

(a) Gratian. de conſecrat. diſtinct. I. c. VI. & XXVII. edit. Romæ iuſſu Gregor. XIII. 1582. (cap. V. p. 1149. edit. Colon. MDCCXVII.) Inſcriptio ſic habet: *Sine auctoritate ſummi pontificis noua non dedicetur eccleſia.* Præcepta ſynodalia, quæ ante paucos menſes de ſede noſtra ad prouinciam ſunt directa, & antiquis canonibus conſentiunt, & ea, quæ minus probantur eſſe, addidimus, & in vtraque parte conſtat, *ſine ſummi pontificis auctoritate eccleſiam nouiter conditam non poſſe dedicari.* cetera. Correct. Rom. addunt: Socrates in eccleſiaſtica hiſtoria lib. II. c. VIII. & XVII. refert tamquam antiquiſſimum canonem, ſine Romani epiſcopi auctoritate nullam eccleſiam poſſe dedicari.

nonica.

nonica. Quam tantum abest vt recentiores correctores *Romani* emendent vel reprehendant, vt SOCRATEM potius tamquam testem ad eam confirmandam adlegent. SOCRATES quidem de synodo loquens *Antiochena*, quam *Constantius* dedicandæ ibi nouæ ecclesiæ obtentu congregauerat, (quamquam re ipsa eo spectabat, vt *Athanasius* generali quodam concilio damnaretur) aduersus eam excipit ex hac ratione, quod *Iulius Romanæ* vrbis episcopus ei non interfuerit, nec quemquam eo miserit, qui locum suum impleret: quum tamen ecclesiastica regula vetet [b], ne absque consensu *Romani* pontificis quidquam in ecclesia decernatur. Quod priuilegium omnibus patriarchis æqualiter commune erat, vt nullum concilium generale posset celebrari, nisi ipsis præsentibus & prius consultis in eiusmodi publicis deliberationibus. Sed hoc nihil commercii habet cum consecratione ecclesiarum in priuata quaque episcopi diœcesi, cuius rei nullum exemplum in vniuersa historia antiqua exstat, quod episcopus quispiam coactus fuerit, ecclesiæ alicuius in sua ipsius diœcesi consecrandæ veniam ab episcopo *Romano* expetere. Sed censores isti decepti videntur a sinistra vocum *græcarum* κανονίζειν τὰς ἐκκλησίας acceptione, quæ non dedicationem ecclesiarum denotant (quamuis MVSCVLVS ita exponat, & HOSPINIANVS eumdem eius errorem sequatur) sed promulgationem legum seu canonum ab ecclesiis pro sua ipsarum gubernatione fieri solitam. Qua in re episcopo *Romano* patriarchale priuilegium habere permittebatur, sed non in consecratione ecclesiarum, etiamsi id pertinaciter vrgeant, qui nihil non ex immensa potestatis in episcopis *Romanis* plenitudine deriuatum volunt.

## §. VIII

### *Ecclesiæ semper Deo, non autem sanctis dedicatæ, etsi horum nominibus, memoriam ipsorum seruandi caussa, nonnumquam distinctæ.*

POST ministrum consecrationis proxime nunc de obiecto, cui ecclesiæ dedicatæ fuerunt, non nihil dicendum erit; quod olim soli Deo eiusque cultui fiebat. Cuius consuetudinis testis

(b, Socrat. lib. II. c. VIII. Ἀλλὰ μὴν οὐδὲ Ἰούλιος παρῆν, ὁ τῆς μεγίστης Ῥώμης ἐπίσκοπος· οὐδὲ μὴν εἰς τὸν τόπον αὐτοῦ ἀπεστάλκει τινά· καί τοι κανόνος ἐκκλησιαστικοῦ κελεύοντος, μὴ δεῖν παρὰ τὴν γνώμην τοῦ ἐπισκόπου Ῥώμης τὰς ἐκκλησίας κανονίζειν.

omni

omni exceptione maior AVGVSTINVS eſt, qui cum *Maximino* epiſcopo *Arianorum* diſputans, ad probandam ſpiritus ſancti divinitatem hac argumento vtitur: Quod ipſum Deum eſſe, neceſſe ſit, quia templa ei exſtruantur atque dedicentur, quod vlli rei creatæ fieri ſacrilegium foret. *Nonne*, inquit, *ſi templum alicui ſancto angelo excellentiſſimo de lignis & lapidibus faceremus, anathematizaremur a veritate Chriſti & ab eccleſia Dei, quoniam creaturæ exhiberemus eam ſeruitutem, quæ vni tantum deberetur Deo. Si ergo ſacrilegi eſſemus faciendo templum cuicumque creaturæ* [c], *quomodo non eſt Deus verus, cui non templum facimus, ſed nos ipſi templum ſumus?* Alio loco falſam imputationem FAVSTI *Manichæi*, catholicos martyribus ſuis templa conſtituere, illisque ibi ſacrificia offerre, & alios venerationis actus præſtare, calumniantis, indignabundus in hunc modum profligat: *Nulli martyrum* [d] *ſed ipſi Deo martyrum ſacrificamus, quamuis in memoriis martyrum conſtituamus altaria. Quis enim antiſtitum in locis ſanctorum corporum, aſſiſtens altari, aliquando dixit: Offerimus tibi, Petre, aut Paule, aut Cypriane; ſed quod offertur, offertur Deo, qui martyres coronauit apud memorias eorum, quos coronauit: vt ex ipſorum locorum admonitione maior adfectus exſurgat, ad acuendam caritatem, & in illos, quos imitari poſſumus, & in illum, quo adiuuante poſſumus.* Frequenter in aliis [e] locis hoc repetit, quod martyres ſic non honorent catholici, vt templa, ſiue altaria illis exſtruant, ſed ſoli Deo hoc eos facere teſtatur. Idem quidem locus ſæpenumero & monumentum ſeu memoria martyris alicuius & templum Dei erat, quia templa in martyrum ſepulchris vt plurimum ædificabantur, vel iis in locis, vbi mortem

(c) Auguſt. contr. Maximin. lib. I. tom. VI. opp. p. 288. edit. Par. MDCXXXVII. (tom. VI. p. 689. c. d. edit. Baſil. MDLXIX.)

(d) Auguſtin. contr. Fauſt. lib. XX. c. XXI. (tom. VI. p. 375. a. cit. edit. Baſil.)

(e) Auguſt. de vera relig. c. LV. (tom. I. opp. p. 744. a.) Honoramus eos caritate, non ſeruitute. Nec eis templa conſtruimus. Nolunt enim ſe ſic honorari a nobis, qui nos ipſos, quum boni ſumus, templa ſummi Dei eſſe nouerunt.

Id. de ciuit. Dei lib. XXII. c. X. (tom. V. p. 1355. a. b. edit. Baſil.) Illi [ethnici] talibus diis ſuis & templa ædificarunt & ſtatuerunt aras & ſacerdotes inſtituerunt & ſacrificia fecerunt. Nos autem martyribus noſtris non templa ſicut diis, ſed memorias ſicut hominibus mortuis, quorum apud Deum viuunt ſpiritus, fabricamus: nec ibi erigimus altaria, in quibus ſacrificemus martyribus, ſed vni Deo, & martyrum & noſtro ſacrificium immolamus:

chri-

christianæ religionis caussa subierant, vel eorum reliquiæ adservabantur: & hinc appellabantur martyrum nomine, quod eorum essent memoriæ. Ecclesia & mensa sacra *Carthagine* in eo loco, vbi passus fuerat *Cyprianus*, exstructa, hoc intuitu dicebatur *mensa Cypriani*, non quod ei esset constructa vel cultui ipsius dedicata, (AVGVSTINVS [f] enim soli Deo eam constructam esse dicit) sed quod martyrii illius esset monumentum, vtpote ædificata in loco, vbi CYPRIANVS sacrificium Deo oblatus fuerat.

## §. IX.

*Ecclesiæ interdum a fundatoribus suis, vel aliis circumstantiis, in earum exstructione obseruatis, nomen sortitæ.*

Et hinc planum est & perspicuum, quod, si quod templum de alicuius sancti, siue martyris nomine appellauerunt veteres, multum omnino absit, vt isti sancto vel martyri illud dedicauerint, etsi hoc ad memoriam eius inter viuos conseruandam faceret; atque eatenus memoriæ illius honorificum erat, licet soli Deo eiusque cultui dedicatum. Et hoc porro liquet, si consideremus, quod ecclesiæ interdum a fundatoribus suis nomen acceperint, qui certe sibimetipsis ecclesias dedicare non intenderunt. Ita SIRMONDVS [g] tres ecclesias *Carthagine* obseruat, a fundatoribus suis nomen indeptas, basilicam videlicet *Fausti*, *Florentii*, atque *Leontii*. Et SOZOMENVS [h], tem-

---

ad quod sacrificium, sicut homines Dei, qui mundum in eius confessione vicerunt, suo loco & ordine nominantur, non tamen a sacerdote, qui sacrificat, inuocantur, Deo quippe, non ipsis sacrificat, quamuis in memoriam sacrificet eorum, quia Dei sacerdos est, non illorum.

(f) Aug. serm. LXIII. de diuersis tom. X. p. 592. edit. Par. MDCXXVII. Vt mensa illa, quæ Dei est, etiam Cypriani vocetur, hæc caussa est: Quia, vt illa modo cingitur ab obsequentibus, ibi Cyprianus cingebatur a persequentibus &c. Item. Mensa Deo constructa est, tamen mensa dicitur Cypriani - - quia ibi est immolatus, & quia ipse immolatione sua parauit hanc mensam, non in qua pascat, siue pascatur, sed in qua sacrificium Dei, cui & ipse oblatus est, offeratur.

(g) Sirmond. not. in Aug. serm. XXXVII. a se edit. tom. X. p. 753. (Inter opp. Sirm. tom. I. p. 343. edit. Par. MDCXCVI.) Quemadmodum basilica Fausti, & basilica Leontiana dictæ sunt a Fausto & Leontio conditoribus, sic Florentia hoc loco basilica de nomine Florentii episcopi.

(h) Sozom. lib. VII. c. XV. Τὸ μὴν δὴ Σεράπιον ὧδε ἥλω, καὶ μετ' ὀ πολὺ εἰς ἐκκλησίαν μετεσκευάσθη Ἀρκαδίου τοῦ βασιλέως ἐπώνυμον. Et Serapium quidem hoc

plum *Serapidis*, in ecclesiam christianam immutatum, ab *Arcadio* imperatore cognomen accepisse, auctor est. Sicut quædam basilicæ *Romæ* atque *Antiochiæ* nomen *Constantini* atque *Iustiniani* gesserunt. Nonnumquam nomen sortiebantur a peculiari temporis vel loci circumstantia, vel alia quadam re, quæ in ipsarum ædificatione acciderat. Ecclesia *Hierosolymorum anastasis* nominabatur & *crux*, non quod sanctæ cuidam *Anastasi* vel *cruci* dedicata, sed in loco dominicæ passionis & resurrectionis a *Constantino* exstructa erat, quemadmodum VALESIO [i] aliisque recte fuit obseruatum. Ita templum *anastasiæ Constantinopoli* sic dictum fuit, non ab vlla huius nominis sancta femina, sed quod esset istud templum, in quo GREGORIVS NAZIANZENVS nouam quamdam vitam siue resurrectionem doctrinæ catholicæ de sancta trinitate, ab *Ariana* factione diu oppressæ, concionibus suis conciliarat; quemadmodum in diuersis scriptorum suorum locis huius nominis rationem ipse nobis [k] exponit. Ex simili ratione ecclesia quædam *Carthaginensium* vocabatur *basilica resti-*

modo captum atque expugnatum, nec multo post in ecclesiam Arcadio imperatori cognominem immutatum est.

(i) Vid. Vales. epist. de Anastasi ad calc. Eusebii tota.

(k) Naz. orat. XXXII. ad CL. episcopos (tom. I. pag. 527. edit. Par. MDCXXX.) Χαίροις Ἀναστασία μοι τῆς εὐσεβείας ἐπώνυμε· σὺ γὰρ τὸν λόγον ἡμῖν ἐξανέστησας, ἔτι καταφρονούμενον, τὸ τῆς κοινῆς νίκης χωρίον, ἡ Σηλὼμ, ἐν ᾗ πρῶτον τὴν σκηνὴν ἐπήξαμεν, τεσσαράκοντα ἔτη φερομένην ἐν τῇ ἐρήμῳ καὶ πλανωμένην· σύ τε ὁ μέγας ναὸς οὗτος καὶ περιβόητος, ἡ νέα κληρονομία· τὸ νῦν μέγας εἶναι παρὰ τοῦ λόγου λαβὼν, ὃν Ἰεβοῦς πρότερον ὄντα, Ἱερουσαλὴμ πεποιήκαμεν. Vale Anastasia, nomen a pietate habens. Tu enim nobis fidei doctrinam, quæ adhuc contemtui erat, excitasti. Vale, inquam, communis victoriæ sedes, noua Silo, in qua primum arcam fiximus, quadraginta annis in deserto circumactam incertisque sedibus vagantem. Tuque, o magnum hoc templum & nobile, noua hæreditas, quod magnitudinem, quam nunc habes, ab orthodoxa doctrina suscepisti: quodque nos, quum primum Iebus esses, Hierusalem effecimus. It. carm. IX. de somnio Anastasiæ tom. II. p. 79.

Εὗδον δὴ γλυκὺν ὕπνον, Ἀναστασίαν δέ τ' ὄνειρος
Στῆσεν ἐμοῖσι φέρων ἡματίοισι πόθοις.
Ἡ πρώτη λόγον αἰπὺν ἐνὶ προπόδεσσι μένοντα,
Ἤγαγεν ἐς κορυφὴν οὔρεος ἀκροτάτην.
Τοὔνεκ' Ἀναστασίαν μιν ἐπίκλησιν καλέουσι
Νηὸν, ἐμῆς παλάμης ἔργον ἀριστοπόνου.
Somno ego me dulci dederam, quum luce cupita
Ante meos oculos venit Anastasia:

tuta

*tuta*, quod ex *Arianorum* manibus recuperata erat. Magna ecclesia vrbis *Alexandrinæ* plerumque dicebatur *Cæsareum*, siue *templum Cæsarum* [*l*], cuius appellationis rationem nullam aliam fuisse, VALESIVS [*m*] iudicat, nisi quod ecclesia illa constructa fuisset in loco, qui *Cæsareum* antea dictus sit, id est *Cæsarum templum.* Quemadmodum alia ecclesia *Antiochiæ* cognomen *palææ* habebat, quod in ea parte ciuitatis ædificata erat, quam incolæ παλαιὰν appellabant. Ita ecclesia *Petri* in vrbe *Roma* olim *triumphalis* dicta fuit, quia in via *triumphali*, quæ ad capitolium ducebat, erat constructa. Et HIERONYMVS [*n*] fidem nobis facit, ecclesiam *lateranam* a *Laterano* ethnico, *Neronis* imperatoris gladio truncato, nomen accepisse, eo quod olim viri huius nobilis palatium *Romæ* fuerit. Sexcentas eiusdem generis obseruationes facere possemus: sed paucæ istæ sufficiunt ad demonstrandum, diuersas imponendi ecclesiis nomina fuisse rationes; nec argumentum dedicatarum sanctis ecclesiarum ex nominibus sanctorum, quibus appellatæ sint ecclesiæ, peti posse; quum aliunde satis constet, soli Deo, nulli autem rei creatæ, eas fuisse consecratas.

---

Hærentem quæ prima fidem radicibus imis
　Montis ad excelsi culmina summa tulit.
Vnde etiam templum (manus hæc quod sedula fixit)
　Hinc traxit sanctæ nomen Anastasiæ.

(*l*) Socrat. lib. VII. c. XV. Ἐκ τοῦ δίφρου ἐκβαλόντες, ἐπὶ τὴν ἐκκλησίαν ἣ ἐπώνυμον Καισάριον συνέλκουσιν ἀποδύσαντές τε τὴν ἐσθῆτα, ὀστράκοις ἀνεῖλον. Eam (feminam) e sella detractam, *ad ecclesiam, quæ Cæsareum cognominatur*, rapiunt: & vestibus exutam, testis interemerunt.
Liberat. breuiar. c. XVIII. (tom. V. conc. p. 769. b.) Igitur Petrus Moggus ab abbate Amone & Ioanne episcopo Magileos, & ab abbatibus monachorum inferioris Aegypti bella passus & seditione ei in *Cæsarea basilica* (vt dicitur) facta, anathematizauit synodum Chalcedonensem & tomum papæ Leonis.

(*m*) Vales. not. in Euagr. lib. II. c. VIII. Magna ecclesia vrbis Alexandrinæ *Cæsarea* dicebatur, vt docet Epiphanius in hæresi Arianorum & Liberatus in breuiario c. XVIII. Socrates vero in lib. VII. historiæ ecclesiasticæ c. XV. Caussam autem huius appellationis docet Athanasius in epistola ad Solitarios, eo quod scilicet ecclesia illa constructa fuisset in loco, qui *Cæsareum* antea dicebatur, id est Cæsarum templum.

(*n*) Hieron. epist. XXX. epitaph. Fabiolæ. Vt ante diem paschæ in *basilica* quomdam *Laterani*, qui Cæsariano truncatus est gladio, staret in ordine pœnitentium.

## §. X.

*Quo tempore altaria peculiarem consecrationem, nouis cærimoniis ab ecclesiarum consecratione distinctam, habere cœperint.*

QVOD de ecclesiis obseruauimus, idem & de altaribus valet, quod videlicet soli Deo, nec alii rei cuicumque dedicata fuerint, etiam postquam peculiarem consecrationem, nouis quibusdam cærimoniis ab ecclesiarum consecratione distinctam, habere cœperunt: quod sexto sæculo primum factum videtur. Concilium enim *Agathense* an. DVI. primum documentum publicum est, in quo distincta altaris consecrationis mentio habetur: ibique nouam cærimoniam chrismatis [o] sacerdotali benedictioni additam inuenimus. Neque multo post simile decretum in concilio *Epaonensi* ann. DXVII. offendimus in hanc sententiam: *Altaria* [p] *nisi lapidea infusione chrismatis non sacrentur.* Vnde ad minimum quædam altaria, si non vniuersa, cærimonia chrismatis consecrari consueuisse, colligimus. Vti autem hæc cærimonia noua erat, ita quoque altarium consecratio, tamquam ab ecclesiarum consecratione distincta, res noua est, multo magis autem consecratio vestium sacrarum, calicum, imaginum crucis, cerei paschalis, aquæ lustralis, corollarum precatoriarum, & campanarum, quam lector in HOSPINIANO [q] cum omnibus nouis ecclesias consecrandi ritibus, qui in libris *Romanensium* ritualibus traduntur, fuse & sigillatim descriptam videre potest, quam pluribus heic persequi instituti nostri ratio haud permittit.

## §. XI.

*Nulla ecclesia construenda, vel consecranda, nisi ante dotata.*

DE antiquis consecrationibus porro obseruandum est, quod per leges *Iustiniani* imperatoris nemini licuerit, nouam ecclesiæ alicuius fabricam inchoare, nisi prius episcopo subsidia ad alendum ministerium [r], ad tuendam domum, aliasque

(o) Concil. Agath. c. XIV. (tom. IV. conc. p. 1385.) Altaria placuit non solum vnctione chrismatis sed etiam sacerdotali benedictione sacrari.

(p) Conc. Epaon. c. XXVI. (ibid. p. 1579.)

(q) Hospin. de temp. l. lib. IV. c. II -- XI.

(r) Iustin. nouell. LXVII. c. II. Μὴ ἄλλως αὐτὸν ἐκκλησίαν ἐκ νέου οἰκοδομεῖν, πρὶν ἂν διαλεχθείη πρὸς τὸν θεοφιλέστατον ἀρχιεπίσκοπον, καὶ ὁρίσειε τὸ μέτρον, ὅπερ ἀ-

res,

res, quæ ad diuinum cultum inibi fouendum requirerentur, indulsisset. Et ex concilii cuiusdam *Hispanici* [s] regula episcopus ecclesiam non ante dedicare debebat, quam donationem ad eam sustentandam scripto definitam & lege confirmatam accepisset. Quæ regulæ necessariæ omnino erant, vt ecclesiæ aduersus ruinæ, ipsarumque ministri & cultus contra contemtionis & calamitatis periculum munirentur.

## §. XII.

*Episcopis ne quidquam pro consecratione deposcere licitum.*

PRAETER hanc æquam sufficientis beneficii in vsum ecclesiæ constitutionem episcopus a fundatore amplius quidquam exigendi haud habebat libertatem; sed quum ordinarii eius officii pars esset ecclesias consecrare, id eum facere sine vlla præmii laboris postulatione oportebat; si quid autem a fundatore vltro ei offerretur, acceptare illud poterat. Ita in modo memorato concilio *Bracarensi* [t] pro ecclesiis *Hispanicis*, & pro ecclesiis *Gallicanis* in secundo concilio *Cabilonensi* [u], aliisque *Caroli magni* ætate habitis, decretum fuit.

φορίζει πρός τε τὴν λυχνοκαίαν καὶ τὴν ἱερὰν λειτουργίαν, καὶ τὴν ἀδιάφθορον τοῦ οἴκου συντήρησιν, καὶ τὴν τῶν προσεδρευόντων ἀποτροφήν· καὶ, εἴπερ αὐτάρκως ἔχειν δόξειε, ποιεῖσθαι αὐτὸν πρότερον δωρεὰν τῶν ἀφορίζεσθαι μελλόντων, οὕτω τὲ τὸν οἶκον οἰκοδομεῖν. Non aliter quemquiam ecclesiam de nouo ædificare, priusquam loquatur ad Deo amabilem episcopum, & definiat mensuram, quam deputat & ad luminaria, & ad sacrum ministerium, & ad incorrumpendæ domus custodiam & obseruantiam alimenta: & si sufficienter habere videtur, faciat prius donationem eorum, quæ futura sunt deputari: & ita domus ædificetur.

(s) Concil. Bracar. III. c. V. (tom. V. conc. p. 897.) Vnusquisque episcoporum meminerit, vt non prius dedicet ecclesiam aut basilicam, nisi antea dotem basilicæ & obsequium ipsius per donationem chartulæ confirmatum accipiat: nam non leuis est ista temeritas, si sine luminariis, vel sine sustentatione eorum, qui ibidem seruituri sunt, tamquam domus priuata, ita consecretur ecclesia.

(t) Conc. Bracar. III. c. V. Placuit, vt quoties ab aliquo fideles ad consecrandas ecclesias episcopi inuitantur, non quasi ex debito munus aliquod a fundatore requirant, sed si ipsi quidem aliquid ex suo voto obtulerint, non respuatur. Si vero aut paupertas illum aut necessitas retinet, nihil exigatur ab illo.

(u) Conc. Cabillon. II. c. XVI. (tom. VII. conc. p. 1275.) Omnes vno consensu statuimus, vt sicut pro dedicandis basilicis & dandis ordinibus nihil accipiendum est, ita etiam pro balsamo, siue luminaribus emendis, nihil presbyteri chrisma accepturi dent.

## §. XIII.

### *Conſecrationes quouis die indiſcriminatim peractæ.*

QVOD ad tempus conſecrationis attinet, olim ſeſe non adſtringebant ad eam die ſolum dominica peragendam, ſed quolibet die antiquitus hæ conſecrationes, æque ac clericorum ordinationes, fieri poterant. Quæ obſeruatio eſt, quam in criticis ſuis adnotationibus in veteris eccleſiæ chronologiam frequenter habet eruditus PAGIVS [w]. Speciatim obſeruat, quod dedicatio baſilicæ *Hieroſolymitanæ*, *Conſtantini* iuſſu in plena epiſcoporum ſynodo peracta, in ſabbatum inciderit. Omnes enim ſcriptores in hoc conſentiunt, quod idibus Septembris ſeu die XIII. illius menſis, qui iſto anno ſecundum exactas regulas & methodum cyclicam cum ſabbatho concurrit, facta ſit. Vnde PAGIVS recte infert, nondum morem inualuiſſe, vt eccleſiæ die dominica dedicarentur.

## §. XIV.

### *Dies conſecrationis inter dies feſtos anniuerſarios celebrari ſolitus.*

NIHIL amplius de hac materia habeo dicere, niſi quod dies conſecrationis in multis eccleſiis inter dies feſtos anniuerſarios relatus ſit. Nam SOZOMENVS [x] de eccleſiæ, a *Conſtantino Hieroſolymis* ædificatæ, dedicatione narrat, „ex eo tempore „ſolemnem quotannis feſtiuitatem admodum ſplendide ab *Hieroſolymitana* eccleſia celebratam fuiſſe; adeo vt baptiſmi quo„que ſacramenta eo die tradita & per continuos ſeptem dies „conuentus eccleſiaſtici facti ſint, multique ex omni fere ter„rarum orbe conuenerint, qui huius feſtiuitatis tempore ad ſa„cra loca perluſtranda vndique accurrerint.„ Hiſce nouam

(w) Pag. critic. in Baron. an. CCCXXXV. n. IV. Initio Septembris, vt minimum, Euſebius & reliqui epiſcopi Tyro relicta, Hieroſolymam petierunt, quem die decima tertia Septembris baſilicæ Hieroſolymitanæ encænia celebrarint. Num. VI. Idus Septembris ſeu dies XIII. illius menſis concurrit hoc anno cum ſabbatho, vt methodus cyclica docet. Quare nondum mos inualuerat, vt eccleſiæ die dominica dedicarentur.

(x) Sozom. lib. II. c. XXVI. Ἐξ ἐκείνου δὲ, ἐτήσιον ταύτην ἑορτὴν λαμπρῶς μάλα ἄγει ἡ τῶν Ἱεροσολύμων ἐκκλησία· ὡς καὶ μυήσεις ἐν αὐτῇ τελεῖσθαι, καὶ ὀκτὼ ἡμέρας ἐφεξῆς ἐκκλησιάζειν· συνιέναι τε πολλοὺς σχεδὸν ἐκ πάσης τῆς ὑφ᾽ ἥλιον, οἳ καθ᾽ ἱστορίαν τῶν ἱερῶν τόπων πάντοθεν συντρέχουσι κατὰ τὸν καιρὸν ταύτης τῆς πανηγύρεως.

confue-

consuetudinem in *Anglia* nostra addidisse videtur GREGORIVS MAGNVS, de qua in ipsius epistola, quam *Mellito*, primo *Saxonum* episcopo, misit, apud BEDAM [y] in historia ecclesiastica hæc leguntur: *Vt die dedicationis vel natalitiis sanctorum martyrum, quorum illic reliquiæ ponuntur, tabernacula sibi circa easdem ecclesias, quæ ex fanis commutatæ sunt, de ramis arborum faciant, & religiosis conuiuiis solemnitatem celebrent, nec diabolo iam animalia immolent, sed ad laudem Dei in esu suo animalia occidant, & donatori omnium de satietate sua gratias referant.* Ex qua consuetudine publica illa conuiuia & oblectamenta, quæ *wakes* lingua nostra dicuntur, & in quibusdam locis adhuc vsitata sunt, tamquam reliquias huius anniuersariæ festiuitatis dedicationis ecclesiarum particularium, originem suam traxisse, probabilissimum est.

# *LIBRI OCTAVI*

## *CAPVT DECIMVM*

## DE HONORE ET VENERATIONE, QVAM ECCLESIIS SVIS EXHIBVERVNT PRISCI CHRISTIANI.

### §. I.

*Ecclesiæ ad nullum vmquam profanum vsum, sed sacrum duntaxat & religiosum cultum, adhibitæ.*

POST consideratam ecclesiarum exornationem & dedicationem, instituti nostri fert ratio, vt disquiramus, quem honorem & venerationem locis consecratis veteres exhibuerint, simulac ad diuinum cultum fuerunt separata. Vtebantur tunc illis tantummodo vt ædibus Dei ad actus deuotos ac religiosos, neque quicquam heic fieri patiebantur, quod non aliquo modo ad pietatem tenderet, vel proxime ad eam esset referendum. Ad conuentus religiosos, ad eligendos episcopos & clericos, ad habenda concilia, ad scholas catecheticas, ad consultationes de religione adhiberi, non autem instar communium & profanarum domorum ad inibi edendum, bibendum, & diuersandum, vsurpari poterant. Hinc, licet lex permitteret, vt homines ad sanctuarium in ecclesia confugerent, vti capite proxime sequenti videbimus, non tamen permittebant, vt ibi

(y) Bed. histor. lib. I. c. XXX.

ede-

ederent hoſpitiumque haberent. Quum quidam abuterentur catechumeniis (quæ, vt ſupra oſtendimus, loca erant intra eccleſiam pro viris & feminis, vt illic diuinæ liturgiæ auſcultarent) eaque in hoſpitia conuerterent, *Leo* imperator decernebat, vt iſti omnes ex habitationibus ſuis in eccleſia expellerentur. Alia res erat, ſi homines integras noctes vigilando & precando in eccleſia tranſigerent, quemadmodum frequenter tum in publicis, tum priuatis vigiliis faciebant; iſtiusmodi pernoctationes in eccleſia permittebantur, quia neceſſariæ diuini cultus circumſtantiæ erant. Tantummodo feminis per aliquem concilii *Illiberritani* [a] canonem, in eccleſiis vigilias agere, interdictum erat, eo quod ſæpius ſub prætextu orationis clandeſtina ſcelera ibi admiſſa fuerant. Ex eadem ratione *agapæ* ipſorum, quæ ex apoſtolica praxi primam originem ſuam habebant, deinceps propter intemperantiam & impietatem inde oriundam vetitæ, aut certe imminutæ fuerunt. Concilium *Laodicenum* [b] ſeuere hæc conuiuia interdicit & prohibet, ne qui in domo Dei comedant, & in hunc finem menſas atque lectos ibi præparent. Et concilium *Carthaginenſe* tertium hunc habet canonē: *Vt nulli epiſcopi vel clerici in eccleſia [c] conuiuentur, niſi forte tranſeuntes hoſpitiorum neceſſitate illic reficiantur; Et populi, quantum fieri poteſt, ab huiusmodi conuiuiis prohibeantur.* Quamquam enim veteres id ad tempus tolerare cogebantur, numquam tamen approbabant, vti AVGVSTINVS *Fauſto* [d] *Manichæo* narrat, ſed cum

(a) Concil. Illiberrit. c. XXXV. (tom. I. conc. p. 974.) Placuit prohiberi, ne feminæ in cœmiterio peruiligent; eo quod ſæpe ſub obtentu orationis latenter ſcelera admittant.

(b) Conc. Laodic. c. XXVIII. (ibid. p. 1501.) Ὅτι οὐ δεῖ ἐν τοῖς κυριακοῖς, ἢ ἐν ταῖς ἐκκλησίαις, τὰς λεγομένας ἀγάπας ποιεῖν καὶ ἐν τῷ οἴκῳ τοῦ Θεοῦ ἐσθιειν, καὶ ἀκούβιτα στρωννύειν. Quod non oportet in locis dominicis, vel in eccleſiis eas quæ dicuntur, agapas facere, & in domo Dei comedere, & accubitus ſternere.

(c) Concil. Carthag. III. c. XXX. (tom. II. conc. p. 1171.)
Cod. Afric. can. XLII. Ὥστε ἐπισκόπους ἢ κληρικοὺς ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ μὴ συμποσιάζεσθαι· εἰ μηδ᾽ ἂν τυχὸν ἀνάγκη ξενίας διαβάντες ἐκεῖ μεταλύσωσι· καὶ οἱ λαοὶ τῶν τοιουτρόπων συμποσίων, ὅσον δυνατόν ἐστι, κωλυθῶσιν.

(d) Aug. contr. Fauſt. lib. XX. c. XXI. Qui ſe in memoriis martyrum inebriant, quomodo a nobis approbari poſſunt, quum eos, etiam ſi in domibus ſuis id faciant, ſana doctrina condemnet? Sed aliud eſt, quod docemus, aliud quod ſuſtinemus: Aliud quid præcipere iubemur, aliud quid emendare præcipimus, & donec emendemus, tolerare compellimur.

vitia,

vitia, in quæ multi tali occaſione ruebant, tum ipſam conſuetudinem conuiuandi in eccleſia ſeu monumentis martyrum emendatum ibant, quia duo mala in eccleſiam hoc modo irrepſerant, intolerabilis videlicet intemperantia, & pagana ſuperſtitio. Multi enim, vt ipſe conqueritur [a], in his comeſſationibus ſepulcrorum & picturarum euadebant adoratores, & conuiuia ſua ſacrificia quædam pro mortuis habebant, voracitates ebrietateſque ſuas religioni deputantes. Adeoque conuiuia quæcumque in eccleſia aboleri ſumme neceſſarium erat, ne domus Dei iſtis compotationibus profanaretur, quas in priuatis domibus tolerari nefas erat. Et hæc vniuerſalis eorum regula in omnibus caſibus erat, conſuetudines non abſolute neceſſarias, etſi ex prima ſua origine innoxias & vtiles, abolere potius, quam earum abuſum & corruptionem in eccleſiarum profanationem admittere.

## §. II.

*Similis cautio ſacrorum vaſorum & vtenſilium eccleſiæ intuitu adhibita.*

Similis reuerentia & honor ſacris vaſis & vtenſilibus quibuſcumque, ad ſacramentorum & diuinorum officiorum adminiſtrationem ſpectantibus, exhibebatur. In nullum niſi ſacrum eorumque deſignationi conuenientem vſum adhiberi poterant. Quam ob cauſſam in ſceuophylacio eccleſiæ adſervabantur nec inde remouebantur vmquam, niſi ad officium altaris requiſita. Hæc conſuetudo adeo ſtudioſe obſeruabatur, vt quum ATHANASIVS de ſacro calice confracto accuſaretur, hoc ſibi obiectam crimen ipſe purgaret dicendo, locum illum, in quo fractum eſſe poculum dictitent, non fuiſſe eccleſiam, presbyterum [b] non fuiſſe, qui in illo loco habitaret: diem,

(a) Aug. de moribus eccleſ. lib. I. c. XXXIV. Noui, multos eſſe ſepulcrorum & picturarum adoratores: Noui multos eſſe, qui luxurioſiſſime ſuper mortuos bibant, & epulas cadaueribus exhibentes, ſuper ſepultos ſe ipſos ſepeliant & voracitates ebrietatesque ſuas deputent religioni.

(b) Athanaſ. apol. II. tom. I. p. 732. Par. MDCXXVII. (pag. 133. 134. edit. Par. MDCXCVIII.) Καὶ γὰρ ὁ τόπος ἐκεῖνος ἐν ᾧ κεκλᾶσθαι τὸ ποτήριόν φησιν, οὐκ ἦν ἐκκλησία, πρεσβύτερος οὐκ ἦν ὁ τὸν τόπον παροικῶν, ἡμέρα, καθ' ἣν Μακάριον τοῦτο πεποιηκέναι φασὶν, οὐκ ἦν κυριακή· μήτε τοίνυν ἐκκλησίας οὔσης ἐκεῖ, μήτε τοῦ ἱερουργοῦντος, μήτε τῆς ἡμέρας ἀπαιτούσης, ποῖον ἢ πότε, ἢ ποῦ τὸ ποτήριον κέκλασται μυστικόν; ποτήρια μὲν γὰρ εἶναι πολλὰ καὶ κατὰ τὰς οἰκίας, καὶ ἐν ἀγορᾷ μέσῃ,

qua id factum esse velint, non fuisse dominicam: Et quum calix apud solos legitimos ecclesiæ præsides inveniatur, nec vllus eius vsus sit, nisi tempore mysteriorum, se obiecti criminis reum esse non posse, quia non nisi priuatos ibi homines viderit, quorum in custodia calix esse non potuerit. Vasa a diaconis adseruari moris erat; hypodiaconi vero & alii inferiores ordines a conciliis *Laodiceno* [c] & *Agathensi* [d] ea contingere prohibebantur. Vnus duntaxat casus erat, in quo hasce res in communem vsum adhiberi licitum erat, si videlicet summa & absoluta necessitas id exigeret, nec vlla alia redimendi captiuos, vel pauperes famis tempore subleuandi, ratio iniri posset. Tum quidem misericordiam sacrificio præferendam & viua ac spiritualia Dei templa materiatorum templorum expensis conservanda esse, credebant, neque dubitabant sacræ mensæ vasa conflare, vel eorum ornamenta eiusmodi occasionibus diuendere: qua de re antehac testimonia ab exemplis *Ambrosii*, *Augustini*, *Cyrilli Hierosolymitani*, *Acacii* episcopi *Amidensium*, *Exuperii Tolosani*, & ex legibus [e] *Iustiniani* petita, in medium protuli-

*δῆλον, καὶ τούτων οὐδὲν ὁ θραύων ἀσεβεῖ· τὸ δὲ μυστικὸν ποτήριον, ὁ κἂν θραυσθῇ παρ' ἑκόντος, ἀσεβῆ ποιεῖ τὸν ἐπιχειρήσαντα, παρὰ μόνοις τοῖς νομίμως προεστῶσιν εὑρίσκεται· οὗτος ὁ τρόπος τούτου τοῦ ποτηρίου μόνος, ἄλλος οὐδείς. - - Καὶ ταῦτα φαμὲν, οὐχ ὅτι κἂν σχισματικῶν ποτήριον κέκλασται παρὰ Μακαρίου, ἀλλ' ὅτι μηδὲν ἦν ὅλως ἐκεῖ· πῶς γάρ; ὅπου μήτε τόπος κυριακῆς, μήτε τις ἐκεῖ τῆς ἐκκλησίας, ἀλλὰ μήτε ὁ καιρὸς μυστηρίων ἦν.* Etenim locus ille, in quo fractum esse poculum aiunt, non erat ecclesia: presbyter non erat, qui in illo loco habitabat: dies, qua id fecisse Macarium volunt, non erat dominica. Cum igitur ibi neque ecclesia esset, neque quæ sacra forent, neque dies hoc ipsum requireret, quales aut quando, aut vbinam mysticum poculum fractum est? Nam pocula esse multa per domos, & in medio foro, patet; quæ si quis franget, nullatenus impie agit. Mysticum vero poculum quod (si quis sponte fregerit, pro tali ausu impius efficitur:) apud solos legitimos ecclesiæ præsides inuenitur: hic enim solus huius poculi vsus & non alius est. - - Hæc autem eo dicimus, non quod vel schismaticorum poculum a Macario confractum sit, sed quod ibi nullum omnino fuerit: quomodo enim adfuisset, quam neque locus esset dominicus, sed neque tempus mysteriorum esset?

(c) Concil. Laodic. c XXI. (tom. I. conc. pag. 1500.) *Ὅτι οὐ δεῖ ὑπηρέτας ἔχειν χώραν ἐν τῷ διακονικῷ, καὶ ἅπτεσθαι δεσποτικῶν σκευῶν.* Quod non oportet ministros locum habere in diaconico, & sacra vasa tangere.

(d) Conc. Agath. c. LXVI. (tom. IV. conc. p. 1394.) Quoniam non oportet insacratos ministros licentiam habere in secretarium, quod græci diaconicum appellant, ingredi & contingere vasa dominica.

(e) Lib. V. cap. VI. §. VI. volum. II. pag. 296. 297. 298.

mus,

mus, quæ hoc loco repeti necesse non est. Enimuero si ab hoc vno casu extraordinario discesseris, summa profanatio & sacrilegium esse credebatur, rem diuino cultui sacratam in alium quemcumque vsum conuertere. Et sunt sane nonnulla memorabilium iudiciorum, in quæ istiusmodi sacrorum violatores inciderunt, exempla, quorum vnum duoue heic enumerare haud abs re fuerit. *Iulianus* apostata, perhibente THEODORETO [*f*], ministros duo *Felicem*, & *Iulianum* consanguineum suum, aliquando miserat *Antiochiam*, vt templum ibi, quod appellabatur *aureum*, spoliarent, & pretiosa vasa, a *Constantino* & *Constantio* donata, in publicum ærarium inferrent. Hi ipsi non satis habentes nudum admittere sacrilegium, infensissimum animum turpi quadam & profana ratione prodiderunt: *Iulianus* quidem sacram mensam permingendo, *Felix* vero, sacrorum vasorum magnificentiam conspicatus, exclamando: *Ecce, quibus vasis Mariæ filio ministratur!* Verum isti irreligiosi ac impii homines horum insanorum facinorum illico pœnas dederunt. Nam *Iulianus* confestim grauissimo morbo correptus est, ita vt intestina eius putredine consumerentur: nec per solitos meatus stercus egereret, sed impurum os, quod blasphemiæ instrumentum fuerat, excrementis alui meatum præberet; *Felix* vero ipse quoque diuino flagello repente percussus, sanguinem diu noctuque per os emisit, omnibus vndique venis in eam corporis partem confluentibus, vsque dum vniuerso sanguine effuso exstingueretur. Similem narrationem de *Proculo* quodam, præfecto regum *Vandalorum* habet VICTOR VTICENSIS [*g*], qui rapaci manu ecclesias catholicorum depopulatus de pallis altaris camisias sibi & femoralia fecit. Verum non multo post phrenitide captus, frustratim sibi comedit linguam, atque ita demum turpissima morte consum-

(*f*) Theodoret. lib. III. c. XII. XIII. tot.

(*g*) Victor de persecut. Vandal. lib. I. p. 593. (p. 1896. tom. VII. bibl. patr. edit. Paris. MDLXXXIX.) Geisericus mittit Proculum quemdam in prouinciam Zeugitanam, qui coarctaret ad tradendum mysteria diuina vel libros, cunctos domini sacerdotes, vt primo armis nudaret, & ita facilius inermes hostis callidus captiuasset. Quibus se non posse tradere clamantibus, ipse rapaci manu cuncta depopulabatur, atque de pallis altaris (proh nefas!) camisias sibi & femoralia faciebat. Qui tamen Proculus huius rei executor, frustratim sibi comedens linguam, in breui turpissima consumtus est morte.

tus eſt. Nec minus dignum memoratu eſt, quod de quibusdam episcopis *Donatiſtis* narrat OPTATVS, qui furore in catholicos perciti euchariſtiam a catholicis conſecratam canibus proiici iuſſerant; at non ſine ſigno diuini iudicii. *Nam iidem canes*, vt verba OPTATI [*h*] habent, *accenſi rabie ipſos dominos ſuos, quaſi latrones ſancti corporis reos, dente vindice tamquam ignotos & inimicos laniauerunt.* Vnde OPTATVS monitum ſeruatoris in memoriam illis reuocat Matth. VII, 6. *Ne date*, inquientis, *ſanctum canibus, nec proiicite margaritas veſtras coram porcis, ne quando conculcent eas pedibus ſuis & conuerſi lacerent vos.* Alia eiusdem generis exempla addi poſſent, ſed malumus in exponenda rerum ſacrarum reuerentia pergere, quam commemorandis violatorum earum pœnis longius immorari.

§. III.

*Quænam differentia inter eccleſias & ædes priuatas facta ſit.*

CONSIDEREMVS igitur, quænam differentia inter eccleſias & ædes priuatas facta ſit. Nonnulli hæretici, *Euſtathiani, Maſſaliani* & alii hanc diſtinctionem parui faciebant. Contra *Euſtathianos* duos habemus canones conditos in concilio *Gangrenſi*, ex quibus errores eorum, & quænam catholicorum oppoſita illis dogmata fuerint, diſcere poſſumus. Primus eſt, *Si quis* [*i*], *docet, domum Dei eſſe contemnendam, & quæ fiunt in ea congregationes, ſit anathema.* Alter ſic habet: *Si quis* [*k*] *præter eccleſiam vult eccleſiam habere, & contemnens eccleſiam vult ea, quæ ſunt eccleſiæ, agere, non conueniente presbytero de epiſcopi ſententia, anathema ſit.* Hæretici iſti & legitimum miniſterium & publicas eccleſias videntur ſpreuiſſe, nec vllam inter domum Dei & alias domos feciſſe differentiam, ſed docuiſſe, officia eccleſiaſtica æque domi ſuæ atque in eccleſia peragi poſſe. Contra quos errores hoc concilium adeo ſeuere inſurgens, nos admonet, quod de catholicæ eccleſiæ ſententia publica eccleſiæ officia in publicis, non autem in priuatis domibus, fieri debeant,

(*h*) Optat. lib. II. p. 55. edit. Par. MDCXXXI. (p. 49. edit. Par. MDCLXXIX.)

(*i*) Conc. Gangr. c. V. (tom. II. concil. p. 419.) Εἴ τις διδάσκει τὸν οἶκον τοῦ Θεοῦ εὐκαταφρόνητον εἶναι, καὶ τὰς ἐν αὐτῷ συνάξεις, ἀνάθεμα ἔστω.

(*k*) Ibid. can. VI. Εἴ τις παρὰ τὴν ἐκκλησίαν ἰδίᾳ ἐκκλησιάζοι, καὶ καταφρονῶν τῆς ἐκκλησίας τὰ τῆς ἐκκλησίας ἐθέλοι πράττειν μὴ συνόντος τοῦ πρεσβυτέρου κατὰ γνώμην τοῦ ἐπισκόπου, ἀνάθεμα ἔστω.

& quod

& quod contemtio domus Dei ſit, ſi ſecus peragantur. Mihi quidem nullum contrariæ praxeos exemplum, quod quidem veniam habuerit, ex omni antiqua hiſtoria ſuccurrit, ſi a neceſſitatis, leges omnes migrantis, caſu diſceſſeris. Quare non potui, quin hanc differentiam, quæ adeo in vniuerſum inter domum Dei & domos priuatas interceſſit, inter exempla honoris ac venerationis, quam templis ſuis exhibuerunt veteres, referrem.

## §. IV.

### *Quod nonnulli eorum mori, quam eccleſias hæreticis profanandas tradere, maluerint.*

PRODERIT hoc loco ſpeciatim in laudem AMBROSII meminiſſe, quanta cum animi fortitudine inſtar alicuius martyris eccleſias defenſum iuerit, ne *Arianis* profanandæ traderentur. Quum enim *Valentinianus* iunior, *Iuſtina* matre, imperatrice *Ariana*, inſtigante, primum legem publicaſſet, in codice *Theodoſiano* [*l*] etiam num exſtantem, qua *Arianis* conuentus celebrandi dederat licentiam; & poſtea *Ambroſio* miſiſſet, vt vnam de eccleſiis *Mediolanenſibus* illis traderet; hoc animo generoſo reſponſum dedit [*m*]: *Si a me peteret*, (imperator) *quod meum eſſet, id eſt, fundum meum, argentum meum, quiduis huiusmodi meum, me non refragaturum, quamquam omnia, quæ mea ſunt, eſſent pauperum: verum ea, quæ diuina, imperatoriæ poteſtati non eſſe ſubiecta. Si patrimonium petitur, inuadite: corpus, occurram. Vultis in vincula rapere? vultis in mortem? voluptati eſt mihi. Non ego me vallabo circumfuſione populorum, nec altaria tenebo vitam obſecrans,*

(*l*) Cod. Theod. lib. XVI. tit. I. de fid. cathol. leg. IV. Damus copiam colligendi his, qui ſecundum ea ſentiunt, quæ temporibus diuæ memoriæ ConſtantI, ſacerdotibus conuocatis ex omni orbe Romano, expoſitaque fide, ab his ipſis, qui diſſentire noſcuntur, Ariminenſi concilio Conſtantinopol. etiam confirmata, in æternum manſura decreta ſunt. Conueniendi etiam, (quibus iuſſimus pateſcat arbitrium: Sciturus his, qui ſibi tantum exiſtimant colligendi copiam contributam, quod ſi turbulentum quippiam contra noſtræ tranquillitatis præceptum faciendum eſſe tentauerint, vt ſeditionis auctores, pacisque turbatæ eccleſiæ, etiam maieſtatis, capite ac ſanguine ſunt ſupplicia luituri. Manente nihilo minus eos ſupplicio, qui contra hanc diſpoſitionem noſtram obreptiue aut clanculo ſupplicare tentauerint.

(*m*) Ambroſ. epiſt. XXXIII. edit. Baſ. MDLXVII. (lib. II. epiſt. XIV. tom. V. p 206. edit. Pariſ. MDCXLII.)

*sed pro altaribus gratiis immolabor.* Prorſus illicitum imperatori eſſe credebat AMBROSIVS, *Arianis CHRISTI* hoſtibus ea templa concedere, quæ *CHRISTI* cultui eſſent dedicata; multoque minus epiſcopum, *CHRISTI* miniſtrum, decere, huius tam fœdæ domini ſui ignominiæ ſeſe reddere participem: adeoque ad altare mori, ſi ita fieri neceſſe eſſet, quam in tantam profanationem conſentire malebat. Vel ex hoc vno exemplo facile ad iudicandum nobis erit, quam veteres de eccleſiarum, tamquam rei Deo propriæ, ſanctitate fouerint opinionem; & quod ad eccleſias ſuas conuentibus hæreticorum, quorum impietas pro vera religione haberi, & blaſphemia Deo, adorationis loco, offerri cupiebat, tradendas nihilo promptiores, quam ad biblia ethnicis ad combuſtionem reddenda, fuerint.

§. V.

*Ritus lauandi manus ingredientium in eccleſiam.*

DE cærimonia reuerentiæ, ingredientibus ipſis in templum vſitatæ, generalem quamdam obſeruationem inuenimus, quæ erat manus ac vultus lauandi conſuetudo in ſignum innocentiæ ac puritatis, ſi vaderent ad Deum coram ſancto altari adorandum. Qui ritus ex iſtis pſalmiſtæ verbis deſumtus videtur, *Lauabo in innocentia manus meas, atque circumibo altare tuum, domine.* Huius conſuetudinis frequens iniicitur mentio a CHRYSOSTOMO, EVSEBIO, TERTVLLIANO, SYNESIO, PAVLINO & aliis, quorum teſtimonia iam in priore huius libri parte [*n*] adlegauimus, vbi quoque, fontes & ciſternas plerumque in atrio eccleſiæ hunc in finem poſitas fuiſſe, oſtendimus.

§. VI.

*Cærimonia exeuendi calceos quibusdam vſitata, ſed non vniverſaliter recepta.*

ALIA cærimonia paucis quibusdam vſitata (non enim generatim hæc conſuetudo inualuit) erat calceorum detractio, vbi domum Dei ingrediebantur. CASSIANVS [*o*] de monachis *Ægyptiis* obſeruat, quod caligis calceorum loco vſi fuerint, nequaquam tamen pedibus eas inhærere permiſerint, quando ad celebranda ſeu percipienda ſacroſancta myſteria acceſſerunt,

(*n*) Lib. VIII. cap. III. §. VI. volum. III. p. 179. 180.

(*o*) Caſſian. inſtitut. lib. I. c. X.

illud

illud æstimantes etiam secundum litteram custodiri debere, quod dictum sit ad *Moysen*, vel ad *Iesum* filium *Naue : Solue corrigiam calceamenti tui, locus enim, in quo stas, terra sancta est.* Alii autem hoc non intelligebant, tamquam absolutum præceptum, omnes omnino homines ad hanc reuerentiæ cærimoniam obligans, sed tantum vbi consuetudo alicuius nationis hoc ipsum reuerentiæ indicium effecisset, quemadmodum inter orientales populos tempore *Moysis* & *Iosuæ* fuerit. Vnde istam cærimoniam non deprehendimus, tamquam consuetudinem, quæ inter priscos christianos vniuerse inualuerit. Nisi forte in *Aethiopicis* seu *Habessinis* ecclesiis sic obtinuisse videatur, quia, vt MEDVS [*p*] ex ZAGAE ZABONIS narratione de illis in DAMIANO A GOES obseruauit, eadem consuetudo in hunc vsque diem ibi durat. Quæ vtrum ex antiqua traditione ecclesiastica *Habessinorum* deriuanda, an praxis posterioribus temporibus inter eos recepta sit, non potest iam facile definiri.

## §. VII.

### *Num veteres, ingredientes in ecclesiam, ad altare sese incuruandi ritu vsi sint.*

IDEM responsum ad quæstionem de ritu incuruandi se ad altare sub primum ingressum in ecclesias dari debere, existimo. MEDVS ex antiquis scriptoribus eum non posse plane demonstrari, existimat, sed probabilitatem quamdam istius consuetudinis a *iudæis* deriuat. „Ait enim : Quali reuerentia, cæ„rimonia vel adoratione [*q*] sub ingressum in domum Dei tem-

(*p*) *Mede disc.* on *Eccles. 5.1.p 348.* (Vid. Gedd'es church historie p.91.) It is likewise forbidden among us to suffer *Heathens or Dogs*, or any other such *creatures*, to come within *our Churches*; neither is it lawfull for us to go into them otherwise *than barefoot*; or to *laugh*, *walk*, or *spit*, or *speak of secular things*, in them: For the Churches of *Ethiopia* are not like the Land, wherein the People of *Israel* did *eat the Paschal Lamb*, as they were going out of *Egypt*, where God commanded them *to eat with their Shooes on*, and *with their loins girt*, because of the *pollution of the land:* But they are like the *Mount Sinai*, where the Lord spoke to *Moses*, saying, *Moses, Moses, put off thy shooes, for the ground whereon thou treadest, is holy :* Now this mount *Sinai* was the *Mother* of our churches, from which they derive their original, as the Apostles did from the Prophets, and the *New Testament* from the *Old*.

(*q*) *Mede disc.* on *psalm, 132.p.397.* What reverential Guise, ceremony or Wor-

pori-

„poribus ab apostolis proximis vsi sint, (vsos autem quadam „esse, credo) silentio & obliuione prorsus inuolutum est. „IVDAEI ante ipsos, ex quibus religio christiana orta est, pro- „pitiatorium versus sese incuruare consueuerunt. Post illos „christiani in *graeca* & orientalibus ecclesiis per longissima re- „tro tempora, vt initium huius rei omnino ignoretur, eadem „sese altare versus seu mensam sacram incuruandi ratione vsi „sunt, dicentes illud publicani in euangelio: *Deus, placator mi- „hi peccatori;* sicut e liturgiis CHRYSOSTOMI & BASILII ap- „paret, & sicut ipsi in hunc vsque diem facere noscuntur. „Quae ipsorum consuetudo quum nullo vllius concilii decreto „siue canone introducta vel stabilita legatur, & consuetudini „populi Dei in veteri testamento adeo conueniat, igitur ex re- „motissima & antiquissima traditione ad eos deriuata videri „potest. Nihil igitur de vsu horum primorum saeculorum sciri „potest amplius, quam quod probabile videatur, ipsos *Iudaeos* „esse imitatos„. Haec pro consueta viri istius docti ingenui- tate dicta sunt, qui rem probabilem numquam pro demon- strata venditat. Ego ad opinionem eius magis probabilem reddendam vnum duntaxat ex CHRYSOSTOMO subiiciam, quod ex obseruatione ALBERTINI [r], qui inter alia reue- rentiae, Deo in auditione euangelii & susceptione baptismi ex- hibitae, exempla hoc memorat, quod quum candidati baptismi propius accesserunt ad baptisterium, quod stilo CHRYSOSTO-

ship they us'd at their ingress in God's House in the Ages next to the Apostles (and some I beliere they did) is wholly buried in Silence and Oblivion. The *Jews* before them, from whom the Christian Religion sprang, used to bow themselves down towards the Mercy-Seat. The *Christians* after them in the *Greek* and *oriental* Churches, have time of out of Mind, and without any known Beginning thereof, us'd to bow in like Manner, with their Posture toward the Altar, or Holy Table, saying that of the Publican in the Gospel, *God be mercifull to me a Sinner;* as appears by the Liturgies of St. *Chrysostom* and St. *Basil*, and as they are still known to do at this Day. Which Custom of theirs, not being found to have been ordaind or established by any Decree or Canon of any Council, and being so agreeable to te Use of God's People of the *old Testament*, may therefore seem to have been derived to them from very remote ad ancient Tradition. Nothing therefore can be known of the Use of those first Ages of the Church farther than it shall seem probable they might imitate the *Jews*.

(*r*) Albertin. de euchar. lib. II. p. 432. b. in fine.

MI [s] *thalamus ſpiritus & porticus gratiæ* dicitur, tamquam captiui procidere coram rege ſuo & omnes ſimiliter in genua ſe proiicere debuerint. Iam vero ſi iſtiusmodi actum reuerentiæ Deo ſub ingreſſum ſuum in baptiſterium exhibuerunt, ratio haud improbabilis eſt, qua ſimilis quædam reuerentia ab ingredientibus in templum adhibita eſſe colligitur. Sed vero in rebus, quæ clara luce & probatione carent, definiendis prudentiæ non eſt, nimis confidenter agere.

## §. VIII.

*Reges diadema deponebant cuſtodiasque relinquebant foris, domum regis regum ingreſſuri.*

ILLVD certiſſimum eſt, quod reges ac imperatores domum dei ingreſſuri, hanc iſti loco reuerentiam exhibuerint, vt non ſolum arma ſua & ſtipatores foris relinquerent, ſed ipſum quoque diadema deponerent; minime ſe decere exiſtimantes, cum regali ornatu in conſpectum regis regum prodire, vel videri armis & cuſtodibus corporis indigere, ſub pacato principis pacis tecto conſtitutos. CHRYSOSTOMVS ſæpius eloquentiam ſuam [t] in hanc conſuetudinem impendit, & hoc tamquam argumento vtitur, quo profundam omnibus inferioribus reuerentiam, humilitatem ac pacem perſuadeat, ſi in atria dei ingrediantur, quum eiusmodi exempla regum ſuorum ſibi ob oculos propoſita habeant. THEODOSIVS IVNIOR imperator eadem argumentandi ratione vtitur in lege quadam

(s) Chryſoſtom. in illud: Simile eſt regnum cælorum, cetera. Ἐπειδὰν καταλάβητε τὸν νυμφῶνα τοῦ πνεύματος, ἐπειδὰν εἰσδράμητε τὴν παστάδα τῆς χάριτος, ἐπειδὰν πλησίον γένησθε τῆς φοβερᾶς ὁμοῦ καὶ ποθεινῆς κολυμβήθρας, ὡς αἰχμάλωτοι προσπέσητε τῷ βασιλεῖ, ῥίψατε πάντες ὁμοίως ἐπὶ γόνατα. Poſtquam ad thalamum ſpiritus perueneritis, poſtquam ad porticum gratiæ adueneritis, poſtquam prope tremendam ſimul & deſiderabilem piſcinam veneritis, & tamquam captiui procideritis coram rege, omnes ſimiliter in genua vos proiicite.

(t) Chryſoſtom. orat. poſt redit. ab exilio tom. IV. p. 971. (p. 849. d. edit. Francof.) Βασιλεὺς εἰσέρχεται καὶ ῥίπτει ἀσπίδα καὶ διάδημα· σὺ εἰσῆλθες, καὶ ῥόπαλα ἥρπασας· ἐκεῖνος δὲ τὰ συνθήματα τῆς βασιλείας ἔξω ἀφίησι, σὺ τὰ συνθήματα τοῦ πολέμου ἐνταῦθα εἰσήνεγκας. Imperator locum ingreſſurus, ſcutum, parmam aut clypeum a ſe proiicit: contra tu ingreſſurus fuſtes arripis & clauas? Ille teſſeras imperii foris dimittit, tu teſſeras bellicæ impreſſionis huc intuliſti?

ſua [u], quam ad tollendos quorumdam abuſus rogabat, qui ad ſanctuarium in eccleſia cum armis ſuis confugiebant. Quam profanationem in nemine ferendam eſſe dicit, quum ipſemet arma ſua extra fores relinquat, & diadema, regiæ maieſtatis inſigne, deponat prius, quam in templum ingrediatur. Immo ipſe *Iulianus* huius conſuetudinis rationem habuit, quemadmodum SOZOMENVS [x] ex epiſtola illius, ad *Arſacium* pontificem *Galatiæ* data, recte obſeruat, vbi inter cetera, in quibus gentiles ſuos chriſtianos imitari cupit, hoc eſt, vt quum templa deorum adierint, nullus apparitorum cum armis eos præcedat. Iam ſupra [y] ex LEONE GRAMMATICO adnotauimus, quod *Michael* imperator *Græcorum* poſterioribus ſæculis reprehenſus fuerit, quod per ſpecioſas ſeu regias portas diadema geſtans intrarit, ad quas portas anteceſſores ipſius templum ingreſſuri diademata ſua deponere conſueuerint.

§. IX

*Ianuæ & columnæ eccleſiæ atque altaris ſæpius in amoris ac reverentiæ ſignum oſculo exceptæ & amplexu circumplicatæ.*

ALIA valde vſitata reuerentiæ, altaribus & templis exhibitæ, pars in eo ſita erat, vt homines illa, vel aliquam illorum partem, ianuas, limina, columnas, in magni amoris atque venerationis ſignum, complecterentur, ſalutarent, atque exoſcularentur. AMBROSIVS huius rei mentionem facit in epiſtola, qua pauorem & conſternationem narrat, in quam *Mediolanenſes* coniecti fuerint, quum imperatoris edictum de tradendis in vſum *Arianorum* eccleſiis accepiſſent. Milites pri-

(u) Edict. Theodoſ. ad calcem concil. Epheſ. (tom. III. p. 1238. d.) *Καὶ γὰρ ἡμεῖς, οὓς ἀεὶ τῷ δικαίῳ τῆς ἡγεμονίας περιστοιχίζει τὰ ὅπλα, καὶ οὓς οὐ πρέπει δίχα δορυφόρων εἶναι, τῷ τοῦ Θεοῦ ναῷ προσιόντες, ἔξω τὰ ὅπλα καταλιμπάνομεν, ἀποτιθέμενοι τὸ διάδημα.* Nos, qui legitimis imperii armis ſemper circumdamur, quoſque ſine armatis ſtipatoribus eſſe non conuenit, Dei templum ingreſſuri foris arma relinquimus, & ipſum etiam diadema, regiæ maieſtatis inſigne, deponimus. Vid. hoc ipſum edict. etiam in codice Theodoſ. lib. IX. tit. XLV. leg. IV.

(x) Sozom. lib. V. c. XVI. *ὅταν εἰς τὰ ἱερὰ φοιτῶσι τῶν θεῶν εἴσω τῶν προθύρων ἡγείσθω δὲ μηδεὶς αὐτῶν εἴσω στρατιώτης, ἑπέσθω δὲ ὁ βουλόμενος.* Quum templa deorum adierint, intra veſtibulum duntaxat occurrat lumen. Intrantes vero nullus apparitorum præcedat: ſequatur autem qui volet.

(y) Vid. cap. V. §. I. pag. 189 (a).

mos

mos fuisse dicit, qui lætiora ista in ecclesia nuntiarint, imperatorem fatalem sententiam suam reuocasse: certatimque irruentes in altaria, ea fuisse osculatos [z], omnia nunc quidem pacata & tuta esse, hoc ipso significantes. Adludit, sine dubio, ad osculum pacis, quod fideles olim sibi inuicem in sacra synaxi, tamquam amoris ac caritatis inter se mutuæ testimonium, dare consueuerunt. Quocirca existimari nequit, istiusmodi salutationes columnarum ecclesiæ vel altaris, tamquam religiosæ adorationis actus, sed tantum vt ciuiles amoris ac reverentiæ in illa significationes, fuisse consideratas. Et secundum hanc regulam reliqua loca omnia antiquorum auctorum interpretari debemus, qui de hac consuetudine frequentissime loquuntur, vt SIDONIVS APOLLINARIS [a], PAVLINVS [b], PRVDENTIVS [c], CHRYSOSTOMVS [d], ATHANASIVS [e], CASSIODORVS [f], & auctor *hierarchiæ ecclesiasticæ* [g] sub nomine DIONYSII AREOPAGITAE, & multi alii, qui scripserunt ante, quam superstitiosæ adorationes imaginum vllam fi-

(z) Ambros. epist. XXXIII. edit. Basil. MDLXVII. (epist. XIV. ed. Par. MDCXLII.) Certatim hoc nuntiare milites, irruentes in altaria, osculis significare pacis insigne.

(a) Sidon. lib. I. ep. V. Inter hæc patuit & Roma conspectui: cuius mihi non solum thermas, verum etiam naumachias videbar optaturus. Vbi priusquam vel pomœria contingerem, triumphalibus *apostolorum liminibus affusus*, omnem protinus sensi membris male fortibus explosum esse languorem.

(b) Paulin. natal. VI. Felicis p. 569. (p. 279. g. in bibl. patr. max. tom. VI.)
Sternitur ante fores & postibus oscula figit,
Et lacrimis rigat omne solum, pro limine sancto
Fusus humi - -

(c) Prudent. hymn. II. in S. Laur. v. 519. 520.
Apostolorum & martyrum
Exosculantur limina.

(d) Chrysostom. hom. XXIX. in 2 Cor. Πρόθυρα φιλοῦμεν τοῦ ναοῦ, Ianuas exosculamur templi.

(e) Athan. homil. ad eos, qui in homine fœnum figunt. tom. II. p. 304. ed. Par. MDCXXVII. Προσιόντες τῷ ἁγίῳ θυσιαστηρίῳ καὶ μετὰ φόβου καὶ χαρᾶς ἀσπαζόμενοι. Ad sacrum altare accedentes illud cum metu & gaudio exosculamur.

(f) Cassiodor. histor. tripart. lib. IX. c. XXX. Imperator (Theod. sius) ingredi limina tentans, non stans domino supplicauit, neque genua flexit, sed pronus in pauimento iacens, Dauidicam proclamauit vocem: Adhæsit pauimento anima mea, cetera.

(g) Dionys. ecclesf. hierarch. c. II. §. IV. p. 2?3. Μετὰ τοῦτο τὴν ἱερὰν ἀσπασάμενος τράπεζαν, πρὸς τὸν ἄνδρα παρόντα πρόσεισι κ. τ. λ. Deinde, vbi *sacrum altare deosculatus est*, ad virum, qui præsens est, accedit.

dem in ecclesia obtinuerunt, vbi similis quoque reuerentia libro euangeliorum, sine vlla suspicione adorationis materiæ, exhibita fuit.

## §. X.

### *Ecclesiæ ad meditationem & orationem priuatam æque ac publicam adhibitæ.*

NON incommodum fuerit hoc loco obseruare, quod ecclesiæ sæpius tamquam loca commodissima ad meditationes priuatas, precesque extraordinaria quadam occasione faciendas, adhibitæ fuerint. De *Theodosio* imperatore obseruat THEODORETVS [*h*], quod integram noctem ante, quam cum *Eugenio* tyranno dimicaret, in oratorio quodam, quod in montis vertice, vbi castra habebat, nactus erat, preces ad Deum fundendo transegerit. Eumdem in modum ATHANASIVS [*i*] & SOCRATES [*k*] & reliqui historici de *Alexandro* episcopo *Constantinopolitano* narrant, quod, quum *Eusebiani* graues ei minas intentassent, adserentes, propediem ipsi ademturos se esse sacerdotium, nisi *Arium* & socios in communionem reciperet, in ecclesia se solum incluserit, & ingressus ad altare sub sacra mensa pronum se humi prostrauerit, Deo multis diebus ac no-

(*h*) Theodor. lib. V. c. XXIV. *εὑρὼν οἰκίσκον εὐκτήριον ἐν τῇ τοῦ ὄρους ἀκρωνυχίᾳ, ἐν ᾧ τὸ στρατόπεδον ἦν, πάννυχος διετέλεσε τὸν τῶν ὅλων δεσπότην ἀντιβολῶν.*

(*i*) Athan. f. epist. ad Serapion. p. 671. edit. Par. MDCXXVII. tom. I. p. 341. edit. Par. MDCXCVIII. b. Ὁ τοίνυν ἐπίσκοπος Ἀλέξανδρος ἀκούσας ταῦτα, καὶ πάνυ λυπηθεὶς, εἰσελθὼν εἰς τὴν ἐκκλησίαν, τάς τε χεῖρας ἐκτείνας πρὸς θεὸν, ἀπωδύρετο, καὶ ῥίψας ἑαυτὸν ἐπὶ πρόσωπον ἐν τῷ ἱερατείῳ, κείμενος ἐπὶ τοῦ ἐδάφους, ηὔχετο. Quibus (minis Eusebianorum) auditis episcopus Alexander, magno mœrore perfusus, in ecclesiam ingressus est, extensisque ad Deum manibus, collacrimans in vultum procidit in sacrario: humique iacens orabat.

(*k*) Socrat. lib. I. c. XXXVII. Ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ᾗ ἐπώνυμον εἰρήνη μόνον ἑαυτὸν κατακλειστὸν ποιήσας, καὶ εἰς τὸ θυσιαστήριον εἰσελθὼν, ὑπὸ τὴν ἱερὰν τράπεζαν ἑαυτὸν ἐπὶ στόμα ἐκτείνας, εὔχεται δακρύων· νύκτας τε πολλὰς ἐφεξῆς καὶ ἡμέρας τοῦτο ποιῶν διετέλει. In ecclesia, quæ cognominatur Irene, se solum inclusit & ingressus ad altare, sub sacra mensa se humi prostrauit, Deo cum lacrimis supplicans. Atque hoc multis diebus ac noctibus continuatis gessit.

Ruffin. lib. I. c. XII. Ad vltimum certam ei (Alexandro) diem statuentes, denuntiant, vt aut ipse Arium susciperet, aut si reniteretur, se ecclesia pulso & in exilium truso, ab alio eum recipiendum sciret. Cum ille nocte, quæ ad constitutam intererat diem, sub altari iacens atque in oratione & lacrimis totam peruigilem ducens ecclesiæ caussam domino commendabat.

ctibus

ctibus continuatis supplicans, vt si quidem vera esset fides, quam ipse profiteretur, *Arii* autem sententia falsa, *Arius* iustas impietatis pœnas lueret. Id quod ipsum a Deo accepisse, adfirmant. Proximo enim die *Arium*, magnifice ad ecclesiam pergentem, humanæ necessitatis caussa ad locum publicum declinasse, ibique intestinis suis cum excrementis effusis, admodum ignominiosa morte periisse. Hæc ego ideo tantum memoro, vt ostendam, templis suis eam reuerentiam tribuisse veteres, vt, speciali quauis necessitate exigente, ea commodissima loca pro priuata non minus quam publica deuotione elegerint. Et iam supra [*l*] obseruauimus, multas eorum ecclesias ita fuisse constructas, vt priuatas cellulas haberent & secessus, in quibus homines se abdere, seque ipsi in priuata scripturarum lectione, meditatione ac oratione ad certum temporis spatium, pro lubitu sibi statutum, exercere potuerint.

§ XI.

*Publici ipsorum mores in templo magnæ reuerentiæ indices.*

PVBLICI ipsorum mores in templo generatim tales erant, vt magnam in illud, tamquam sanctuarium Dei & locum immediatæ præsentiæ eius, reuerentiam exprimerent. Intrabant illud tamquam palatium magni regis, vbi adessent angeli ministrantes, & ipsum cælum pateret, vbi *CHRISTVS* sederet in solio suo, & omnia impleta essent incorporeis potestatibus, vti CHRYSOSTOMVS [*ll*] loquitur. Hoc speciatim GREGORIVS NAZIANZENVS [*m*] de *Nonna* matre sua, obseruat, quod tantus in ipsa pietatis & deuotionis feruor inuentus fuerit, vt in sa-

(*l*) Vid. c. V. §. VIII. pag. 301. 302.

(*ll*) Chrysostom. hom. XV. in Hebr. (tom. VI. p. 833. c. edit. Francof.) εἰς μὲν βασίλεια εἰσιὼν, καὶ σχήματι καὶ βλέμματι, καὶ βαδίσματι, καὶ πᾶσι τοῖς ἄλλοις κοσμεῖς σαυτόν· ἐνταῦθα δὲ ἔνθα τὰ ὄντως ἐστὶ βασίλεια, καὶ τοιαῦτα οἷα τὰ οὐράνια, καὶ γελᾷς; σὺ μὲν οὖν, οἶδα, ὅτι οὐχ ὁρᾷς· ἄκουε δὲ ὅτι ἄγγελοι πάρεισι πανταχοῦ, καὶ μάλιστα ἐν τῷ οἴκῳ τοῦ Θεοῦ παρεστήκασι τῷ βασιλεῖ, καὶ πάντα ἐμπέπλησται τῶν ἀσωμάτων ἐκείνων δυνάμεων. Regiam quidem ingrediens, & habitu & adspectu & incessu & omnibus aliis te ornas & componis. Heic autem vere est regia, & plane heic sunt talia, qualia cælestia, & rides? Atque scio quidem, quod tu non vides, audi autem, quod vbique adsunt angeli, & maxime in domo Dei adsistant regi & *omnia sunt impleta incorporeis illis potestatibus.*

(*m*) Nazianz. orat. XIX. in fun. patris tom. I. p. 292. a. τὸ μήποτε φωνὴν αὐτῆς ἐν

cris conuentibus aut locis numquam illius vox audita ſit, neceſſariis tantum & myſticis exceptis; vt venerandæ menſæ numquam terga obuerterit, nec in templi pauimentum exſpuerit. Sed has leges ab omnibus & ſingulis neceſſario oportuiſſe obſeruari, dicere non auſim. Nam NAZIANZENVS innuit, matrem ſuam nonnulla ſupra communes vires feciſſe, & conſequenter electione propria & ſtudio, non regulis eccleſiæ, ad ea facienda fuiſſe obligatam. Poteramus heic porro conſiderare verecundum corporis eorum geſtum, quem in publico Dei cultu ſtando, genua flectendo, & humi ſe proſternendo oſtenderint; poteramus etiam praxin ſedendi ad preces & ad liturgiam miſſæ exponere, pro qua re, tamquam poſitu corporis, in publico Dei cultu apud priſcos chriſtianos vſitato, PERRONIVS & alii quidam ex diuerſis rationibus contendunt; ſed dabitur nobis opportunior de his rebus loquendi occaſio poſthac, vbi ad ſpecialiora eccleſiæ officia & miniſteria deuenerimus.

## §. XII.

*Eccleſiæ tutiſſimus rerum alicuius valoris adſeruandarum locus, & optimum perfugium tempore communis calamitatis.*

VLTIMVM reuerentiæ ipſorum in eccleſias exemplum, quod heic memorabimus, eſt, quod ſua eas ſanctitudo tutiſſimum rerum alicuius valoris adſeruandarum locum & optimum aſylum ac perfugium, communis calamitatis & miſeriæ tempeſtate, effecerit. Eccleſia non ſolum priuata ſua archiua, gazophylacia, & ceimeliarchia ſua pro adſeruandis ſcriptis, inſtrumentis & theſauris ſuis habebat, ſed communis etiam tuitionis ac defenſionis locus pro hominibus & rebus in multis caſibus aliis erat. Sic RVFFINO [n], SOCRATI [o] & SO-

ἱεροῖς ἀκουσθῆναι συλλόγοις, ἢ τόποις, ἔξω τῶν ἀναγκαίων καὶ μυστικῶν· - - τὸ σιωπῇ τιμᾶσθαι τὰ ἅγια, τὸ μήποτε νῶτα δοθῆναι τῇ σεβασμίᾳ τραπέζῃ, μηδὲ καταπτυσθῆναι θεῖον ἔδαφος.

(n) Ruffin. lib. II. c. XXX. Moris erat in Aegypto, vt menſura adſcendentis Nili fluminis ad templum Serapis deferretur, velut ad incrementi aquarum & inundationis auctorem - - Vlna ipſa, id eſt, aquæ menſura, quam πῆχυν vocant, ad aquarum dominum in eccleſiam cœpta deferri.

(o) Socrat. lib. I. c. XVIII. λεγόντων τῶν ἑλλήνων ὡς ἄρα ὁ σάραπις εἴη ὁ τὸν νεῖλον ἀνάγων ἐπὶ ἀρδείᾳ τῆς αἰγύπτου, τῷ τὸν πῆχυν εἰς τὸν ναὸν τοῦ σαράπιδος κομίζε-

ZOMENO

ZOMENO [*p*] obseruatur, quod cubitus *Nili*, quo incrementum aquarum illius fluminis notari consueuerit, alias in templo *Serapis* adseruari solitus, iussu *Constantini* in ecclesiam deferri cœperit, qui mos durauerit, vsque dum *Iulianus* apostata inde ad templum *Serapis* denuo eum deferri iusserit. Verum homines æque ac res tutum perfugium & securitatem in ecclesiarum sanctitudine inueniebant, quando in barbarorum inuasione nullus locus alius aduersus hostis cuiusdam, arma victricia circumferentis, insolentiam ac furorem tutos ipsos præstare poterat. Immo ipsi gentiles sæpissime saluti suæ, confugiendo ad ecclesias christianas, consulebant, vti AVGVSTINVS de ipsis gloriatur, celebratissimum librum suum aduersus paganos *de ciuitate Dei* hac cum obseruatione inchoans. Heic illis ob oculos proponit, quam ingrati in religionem *CHRISTI* sint, dum in eam adeo acerbe declamitent & inuehantur, quum tamen, nisi ferrum hostile [*q*] fugientes in sacratis eius locis vitam inuenissent, isthoc die contra eam linguas moturi non essent. Quum enim *Alaricus* rex *Gothorum* vrbem *Romam* expugnatam diriperet, præceptum prius dabat, vt omnes basilicas inuiolatas esse sinerent, & quicumque in eas confugissent, his inprimis parceretur, sanctitatem

*σθαι, αὐτὸς εἰς τὴν ἐκκλησίαν τὸν πῆχυν Ἀλέξανδρον μεταπεθῆναι ἐκέλευσε.* Quum gentiles Serapim esse dicerent, a quo Nilus ad irrigandos Aegypti agros adduceretur, eo quod cubitus Nili ad templum Serapidis portari consueuerat, ipse ad ecclesiam Alexandrinorum cubitum illum transferri præcepit.

(*p*) Sozom. lib. I. c. VIII. *ἀμέλει τοι, παρὰ μὲν αἰγυπτίοις, οὐκέτι εἰς τοὺς εἰωθότας ἑλληνικοὺς ναοὺς· εἰς δὲ τὰς ἐκκλησίας ἐξ ἐκείνου φέρεται ὁ πῆχυς, ᾧ σημαίνεται τῶν τοῦ νείλου ὑδάτων ἡ ἐπίδοσις* Ex eo tempore apud Aegyptios cubitus Nili, quo incrementum aquarum mutari solet, non amplius in gentilium templa, sicut mos erat, sed in ecclesias defertur.

(*q*) Augustin. de ciuit. Dei lib. I. c. I. Ex hac existunt inimici, aduersus quos defendenda est Dei ciuitas: quorum tamen multi correcto impietatis errore, ciues in ea fiunt satis idonei: multi vero in eam tantis exardescunt ignibus odiorum, tamque & manifestis beneficiis redemtoris eius ingrati sunt, vt hodie contra eam linguas non mouerent, nisi ferrum hostile fugientes, in sacratis eius locis vitam, de qua superbiunt, inuenirent. Annon etiam illi Romani Christi nomini infesti sunt, quibus propter Christum barbari pepercerunt? Testantur hoc martyrum loca & basilicæ apostolorum, quæ in illa vastatione vrbis ad se confugientes suos alienosque receperunt. Huc vsque cruentus sæuiebat inimicus: ibi accipiebat limitem trucidatoris furor: illo ducebantur a miserantibus hostibus, quibus etiam extra ipsa loca pepercerat, ne in eos incurrerent, qui similem misericordiam non habebant. cetera.

loci

loci præſidio ipſis eſſe futuram: quo pacto non minus gentiles quam chriſtiani ſalui euadebant. Nam milites inuiolate præceptum ducis ſui ſeruabant, & licet in reliquis locis omnibus crudeliter omnia diriperent hominesque trucidarent, eccleſias tamen adoriri, vel minimam inferre vim illis, qui ad eas confugiendo ſecuritatem & tutelam quæſierant, ſibi non ſumebant. Quid? quod nonnullos, quorum ſaluti conſultum cupiebant, in eccleſias ducebant ipſi, aduerſus aliorum, qui eis inſultare potuiſſent, violentiam ſic tutos reddentes. Tantam reuerentiam ipſi barbari *Gothi*, *Arianæ* alioquin hæreſi addicti, eccleſiis in ipſa truce ac præferuida ira & furore ſuo in *Romanos* exhibuerunt, quemadmodum non tantum AVGVSTINVS, ſed OROSIVS [r] etiam, HIERONYMVS [s], CASSIODORVS [t] & SOZOMENVS [u] cum aliis ſcriptoribus rem geſtam memoriæ prodiderunt. Neque facile dubitari poteſt, catholicos eadem reuerentia eccleſias coluiſſe: in primis ſi conſideres, quod ex vniuerſali conſuetudine & lege, ſub imperatoribus chriſtianis, eccleſia quæque priuilegio aſyli ſeu refugii certis in caſibus ornata fuerit. Cuius de rei origine & legibus eo ſpectantibus, (quum abuſus quidam ſæculis poſterioribus per legem canonicam adiecti fuerunt) capite iam ſequenti ex inſtituto exponemus.

(r) Oroſ. lib. VII. c. XXXIX. Adeſt Alaricus, trepidam Romam obſidet, turbat, irrumpit. Dato tamen præcepto prius, vt ſi qui in ſancta loca præcipueque in ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli baſilicas confugiſſent, hos in primis inuiolatos ſecuroſque eſſe ſinerent.

(s) Hieron. epiſt. XVI. ad Principiam. Quum & illam & te ad beati apoſtoli Pauli baſilicam barbari deduxiſſent, vt vel ſalutem vobis oſtenderent, vel ſepulcrum, cetera.

(t) Caſſiodor. variar. lib. XII. c. XX. Quum rex Alaricus vrbis Romæ deprædatione ſatiatus, apoſtoli Petri vaſa ſua deferentibus excepiſſet, mox vt rei cauſſam habita interrogatione cognouit, ſacris liminibus deportari diripientium manibus imperauit.

(u) Sozom. lib. IX. c. X. Ἐπεὶ δὲ πάλιν ὁ βάρβαρος, καὶ φοβερώτερον ἐπιὼν, οὐδὲν πλέον ἤνυε, θαυμάσας αὐτῆς τὴν σωφροσύνην· ἤγαγεν εἰς τὸ Πέτρου ἀποστολεῖον· καὶ παραδοὺς τοῖς φύλαξι τῆς ἐκκλησίας, καὶ χρυσοῦς ἓξ εἰς ἀποτροφὴν αὐτῆς, ἐκέλευσε τῷ ἀνδρὶ φυλάττειν. Quum barbarus adhuc terribilius irruens nihil proficeret, admiratus caſtitatem mulieris, duxit eam in baſilicam Petri apoſtoli: Quumque eam tradidiſſet eccleſiæ cuſtodibus, ſimulque ſex aureos ad victum ei comparandam, vt marito ſeruaretur, præcepit.

*LIBRI*

# *LIBRI OCTAVI*
## *CAPVT VNDECIMVM*
## DE PRIMA ORIGINE ASYLORVM, DEQVE LEGIBVS EO SPECTANTIBVS, IN ECCLESIIS CHRISTIANIS.

### §. I.
### *Origo huius priuilegii inde a temporibus* Conſtantini *arceſſenda.*

QVAECVMQVE de hoc priuilegio, quatenus ad vſum eius in antiqua eccleſia ſpectat, ſciri neceſſe eſt, ea vel ad originem huius conſuetudinis, vel ad locum ipſum, in quo aſylum eſſe poterat, vel ad homines, quibus hoc beneficium indulgendum erat, vel denique ad conditiones, quas obſeruare debebant, qui illud cupiebant obtinere eoque perfrui, referenda ſunt. Quocirca ſub his quatuor capitibus illud ſumus conſideraturi. Quod ad originem eius attinet, nulli vmquam auctori dubium fuit, quin id priuilegium eccleſiarum a tempore *Conſtantini* eſſe cœperit, licet nullæ leges *Theodoſio* vetuſtiores, ſiue in *Iuſtinianeo* ſiue *Theodoſiano* codice, de hoc ipſo reperiantur. Verum lex *Theodoſii* ipſa ſatis eſt teſtimonium, quod iam antea conſuetudo ſeu praxis eccleſiæ fuerit; nam lex eius lata non fuit, vt auctoritatem rei ipſi conciliaret, ſed vt momenta quædam ad eam ſpectantia certis regulis ſubmitteret, id quod rem iam antea in vſu fuiſſe declarat. An vero *Conſtantinus* vllam legem ad conſtituendum illud condiderit, de hoc quidem viri docti dubitant. BARONIVS [a] id adfirmat fretus auctoritate actorum, quæ dicuntur *Sylueſtri* papæ: ſed hæc ſpuria & ſuppoſititia ſcripta eſſe, nec vltra ſæculum nonum vel decimum referenda, notum eſt, quemadmodum PAPEBROCHIVS & PAGIVS [b] fatentur, qui rationes, quibus ea defendit BARONIVS, ac-

(a) Baron. an. CCCXXIV. n. LXI. Quinta die conceſſam eſſe ab eodem imperatore immunitatem eccleſiis, ibi (in actis Sylueſtri) traditur, vt ad eas confugientes ſecuri in omnibus eſſent.

(b) Papebroch. conatus chronico-hiſtoric. p. 49.
Pagi critic. in Baron. an. CCCXIV.) Narrant acta St. Sylueſtri factam hoc anno ſynodum, cui diuerſarum prouinciarum epiſcopi numero LXXV. interfuerint, & Helenam tunc adhuc gentilem, ſed a iudæis pene iudæam effectam, Conſtantinum filium ad iudæorum religionem amplectendum inui-

curate disquisiuerunt atque confutarunt. Sed vero GOTHOFREDVS, quod veri hac in re subesse videtur, admittit, nimirum quod praxis & consuetudo hoc priuilegium ab ipsis *Constantini* temporibus gradatim stabilierit. Nam antequam *Theodosius* vllam legem huius argumenti tulit, res ipsa certe in ecclesia obtinuit, quemadmodum ex narratione apparet, quam GREGORIVS NAZIANZENVS de ea in vita BASILII [c] habet, vbi *Basilium* viduam quamdam, quæ contra vim, a præfecto *Pon-*

tasse. Quæ, similiaue narrasse, consutasse est. Quis enim sibi persuadeat, in vnum concilium conuenisse christianorum antistites, & iudæorum sacerdotes ad disputationem de religione ineundam? Quis duodecim Rabbinos ab Isachar summo sacerdote delectos sibi fingat, qui contra christianam fidem disputarent; quum a tempore excidii Hierosolymitani desierint creari summi pontifices. Quare S. Syluestri acta plane supposititia esse minime dubitandam.

(c) Nazianz. orat. XX. de laude Basilii tom. I. p. 353. Paris. MDCXXX. *γυναῖκά τινα τῶν ἐπιφανῶν ἐξ ἀνδρὸς οὐ πρὸ πολλοῦ τὸν βίον ἀπολιπόντος, ὁ τοῦ δικαστοῦ σύνεδρος ἐβιάζετο, πρὸς γάμον ἕλκων ἀπαξιοῦσαν· ἡ δὲ οὐκ ἔχουσα ὅπως διαφύγῃ τὴν τυραννίδα, βουλὴν βουλεύεται, οὐ τολμηρὰν μᾶλλον, ἢ συνετήν· τῇ ἱερᾷ τραπέζῃ προσφεύγει, καὶ Θεὸν ποιεῖται προστάτην κατὰ τῆς ἐπηρείας· τί οὖν ἔδει ποιεῖν ὦ πρὸς τῆς τριάδος αὐτῆς· ἵν᾽ εἴπω τι καὶ δικανικῶς μεταξὺ τῶν ἐπαίνων, μὴ ὅτι τὸν μέγαν Βασίλειον, καὶ τῶν τοιούτων ἅπασι νομοθέτην, ἄλλον δέ τινα τῶν πολὺ μετ᾽ ἐκεῖνον, ἱερέα δὲ ὅμως; οὐκ ἀντιποιεῖσθαι, κατέχειν, κήδεσθαι, χεῖρα ὀρέγειν θεοῦ φιλανθρωπίᾳ καὶ νόμῳ τῷ τετιμηκότι θυσιαστήρια; οὐ πάντα δρᾶσαι καὶ παθεῖν ἐθελῆσαι πρότερον, ἤ τι βουλεύσασθαι κατ᾽ αὐτῆς ἀπάνθρωπον; καὶ καθυβρίσαι μὲν τὴν ἱερὰν τράπεζαν, καθυβρίσαι δὲ τὴν πίστιν μεθ᾽ ἧς ἱκέτευεν; οὔ φησιν ὁ καινὸς δικαστής· ἀλλ᾽ ἡττᾶσθαι χρὴ τῆς ἐμῆς δυναστείας, καὶ προδότας γενέσθαι χριστιανοὺς τῶν οἰκείων νόμων· ὁ μὲν ἐζήτει τὴν ἱκέτιν, ὁ δ᾽ εἴχετο κατὰ κράτος κ. τ. λ.* Mulieri cuidam amplissimo loco natæ, cuius maritus haud pridem extremo vitæ die functus erat, iudicis adsessor vim adferebat, inuitamque ad nuptias pertrahebat. Illa autem, quum nulla ratione hanc vim effugere posset, consilium capit non maioris audaciæ, quam prudentiæ plenum. Ad sacram etenim mensam confugit, Deumque aduersus hanc iniuriam propugnatorem sibi adoptat. Quid igitur per trinitatem ipsam (vt forensi quoque dicendi genere non nihil inter laudes vtar) faciendum fuit, non dico magno Basilio, ac de his rebus aliis leges statuenti, sed alii cuipiam longe illo inferiori, dum tamen sacerdoti? Quid aliud, nisi vt eam adsereret, retineret, omni cura tueretur, Dei clementiæ & legi, quæ altaribus honorem haberi iubet, manum porrigeret, omnia denique prius faceret & pateretur, quam vt inhumanius vllum aduersus eam consilium iniret, sicque & mensam sacrosanctam & fidem etiam illam, cum qua supplex erat, contumelia adficeret? Nequaquam, inquit iudex: sed omnes imperio meo cedere, ac christianos leges suas prodere oportet. Ille igitur supplicem deposcebat, hic omni vi retinebat. cetera.

ti

*ti* ſibi intentatam, ad altare confugerat, protexiſſe perhibet. Idem de *Ambroſio* in ipſius vita [*d*], a PAVLINO ſcripta, memoriæ proditum eſt, & AMBROSIVS ipſe de hac conſuetudine in epiſtola quadam ſua loquitur, vbi imperatori *Valentiniano* iuniori, qui quamdam ex eccleſiis *Mediolanenſibus Arianis* tradere eum iuſſerat, reſpondens dicit, ſe hac in re ipſi morem gerere non poſſe, quod ſi vero ſe in vincula vel mortem rapi iuberet, voluptati ſibi hoc futurum, nec ad altaria [*e*] ad vitam conſeruandam ſeſe confugiturum. Hæc & iſtiusmodi exempla alia docent, eccleſias hoc priuilegio ex antiqua conſuetudine gauiſas fuiſſe ante, quam *Theodoſius* vllam legem de eo ſtatueret, quod demum anno CCCXCII. non ad rem ſtabiliendam, ſed ad explanandam certisque regulis includendam fecit, qua de re mox plura loco ſuo dicentur.

## §. II.

*Primum ſolum altare, & interior fabrica eccleſiæ locus refugii, ſed poſtea vniuerſa exteriora ædificia ac ditio iuridica eccleſiæ eodem priuilegio donata.*

HEIC proxime diſquirendum eſt, quænam eccleſiæ pars ſpeciatim locus aſyli & refugii denominata fuerit. GOTHOFREDVS primum interiora tantum ædificia & conclauia eccleſiæ & ſpeciatim altare loca refugii fuiſſe, exiſtimat. Vnde SYNESIO [*h*] & aliis antiquis ſcriptoribus altare frequenter dicitur ἄσυλος τράπεζα, menſa, de qua nullus abripi ſiue retrahi poſſit. Siue autem initio ſic fuerit, ſiue non fuerit, id cer-

(*d*) Paulin. vit. Ambroſ. p. 9. edit. Baſil. ( p. 85. edit. Pariſ. MDCXLII. ) Obſecrauit primum ſcriptis imperatorem miſſo diacono: poſt a vero quum directus eſt Ioannes, tunc tribunus & notarius, qui nunc præfectus eſt ad tuitionem eorum, qui ad eccleſiam confugerant, etiam ipſe Aquileiam perrexit, precaturus pro eis. cetera.

(*e*) Ambroſ. ep. XXXIII. edit. Baſil. ( ep. XIV. edit. Par. ) Si patrimonium petitur, inuadite: corpus, occurram. Vultis in vincula rapere? vultis in mortem? voluptati eſt mihi. Non ego me vallabo ci cumfuſione populorum, *nec altaria tenebo, vitam obſecrans*, ſed pro altaribus gratiis immolabor.

(*h*) Syneſ. ep. LVIII. p. 193. edit. Par. MDCV. in 8uo ( p. 201. d. Par. MDCXXXIII. fol. ) Ὅτι πρῶτος παρ' ἡμῖν καὶ μόνος ἔργῳ καὶ λόγῳ τὸν χριστὸν ἐβλασφήμησεν· ἔργῳ μὲν, ἀφ' οὗ τῇ θήρᾳ τῆς ἐκκλησίας προσεπαττάλευσεν ἑαυτοῦ διατάγματα· τοῖς μὲν ὑπ' αὐτοῦ παρανομουμένοις, τῆς ἀσύλου τραπέζης ἀποκλείων τὴν ἱκετίαν. Quoniam primus apud nos & ſolus factis verbisque Chriſto maledixit; factis

tum eſt, *Theodoſii iunioris* ætate hosce limites refugii fuiſſe ampliatos. Nam in lege quadam eius, etiam num exſtante in vtroque codice [*i*], non tantum altare & nauis eccleſiæ, ſed quicquid etiam inter eccleſiam & exteriores muros interiacet, hoc eſt, ædes & domicilia epiſcopi & clericorum, hortuli, balnea, areæ, & porticus non minus quam interior templi pars, priuilegio præbendi immunitatem eo confugientibus inſigniuntur. Cumprimis baptiſteria, quæ, vt antea oſtendimus, loca extra eccleſiam erant, hoc priuilegio æque ac altaria, munita erant. Nam *Proterius* epiſcopus *Alexandriæ*, LIBERATO [*k*] & EVAGRIO [*l*] narrantibus, ad baptiſterium eccleſiæ confugit, vt factionis

quidem, ex quo edicta ſua ad eccleſiæ valuas adfixit; quibus contra leges a ſe vexatis aditum ac ſupplicationem ad ſacrum altare, tamquam aſylum, intercludebat.

(*i*) Cod. Theod. lib. IX. tit. XLV. de iis, qui ad eccleſias confugiunt. leg. IV. Inter templum, quod parietum deſcripſimus cinctu, & poſt loca publica & ianuas primas eccleſiæ, quidquid fuerit interiacens, ſiue in cellulis, ſiue in domibus, hortulis, balneis, areis atque porticibus, confugas interioris templi vice tueatur, cetera. Vid. cod. Iuſtin. lib. I. tit. XII. leg. III.

(*k*) Liberat. breuiar. c. XV. Ante triduum paſchæ, quo cœna domini celebratur, ab ipſis turbis concluditur in eccleſia ſanctæ memoriæ Proterius, quo ſe timore contulerat, ibique eadem die in baptiſterio occiditur, laniatur, eiicitur, & funus eius incenditur, ſparguntur & cineres eius in ventos.

(*l*) Euagr. lib. II. c. VIII. οὐδὲν ἕτερον ἦν ποιεῖν τὸν μακάριον ἐκεῖνον [Προτέριον] ἢ τόπον δοῦναι τῇ ὀργῇ κατὰ τὸ γεγραμμένον, καὶ τὸ σεπτὸν καταλαβεῖν βαπτιστήριον, φεύγοντα τῶν ἐπὶ αὐτῷ τρεχόντων πρὸς φόνον τὴν ἔφοδον· ἐν ᾧ τόπῳ καὶ βαρβάροις καὶ πᾶσιν ἀγρίοις ἀνθρώποις ἐγγίνεται δέος, τοῖς καὶ μὴ εἰδόσι τὸ σέβας τοῦ τόπου, καὶ τὴν ἐκεῖθεν βρύουσαν χάριν· ὅλως οἱ τὸν ἐξ ἀρχῆς πιωθέντα σκοπὸν εἰς ἔργον προαγαγεῖν σπουδάζοντες, οἱ μήδε ἐν τοῖς ἀχράντοις ἐκείνοις σηκοῖς αὐτὸν ἀνεχόμενοι σώζεσθαι, οὔτε τὸ σέβας αἰδεσθέντες τοῦ τόπου, οὔτε τὸν καιρόν· ἦν γὰρ τοῦ σωτηρίου πάσχα πανήγυρις· οὔτε τὴν ἱερωσύνην αὐτὴν φρίξαντες μεσιτεύουσαν Θεῷ καὶ ἀνθρώποις, ἀποκτείνουσι τὸν ἀνεύθυνον, σφάττουσιν αὐτὸν ἀπηνῶς μετὰ καὶ ἄλλων ἕξ· καὶ παραγαγόντες τοῦτο τὸ λείψανον πανταχοῦ κατατετρωμένον, ὁμῶς τε περισύραντες κατὰ πάντα σχεδὸν τόπον τῆς πόλεως, καὶ καταπομπεύσαντες σχετλίως, ἠκίζοντο ἀνηλεῶς τὸ τῶν πληγῶν οὐκ αἰσθανόμενον σῶμα διάτομόν τε καταμέλος, καὶ οὐδὲ τῶν ἐντὸς ἀπογεύσασθαι κατὰ τοὺς θῆρας φειδόμενοι ἐκείνου, ὃν ἔχειν μεσίτην θεοῦ καὶ ἀνθρώπων ἔναγχος ἐνομίσθησαν· πυρί τε παραδόντες τὸ ὑπολειφθὲν αὐτοῦ σῶμα, τὴν ἐκ τούτου κόνιν τοῖς ἀνέμοις παρέπεμπον, θηρίων πᾶσαν ὑπερακοντίσαντες ἀγριότητα. Nihil aliud facere potuit B. Proterius, quam ſicut ſcriptum eſt, dare locum iræ, & *ad venerandum baptiſterium confugere*, vt eorum, qui ad cædem faciendam irruebant, impetum declinaret: quo maxime in loco ipſis etiam barbaris & vniuerſis feris hominibus, qui ſanctitatem eius loci & promanantem inde gratiam ignorant, terror quidam oboriri ſolet. Nihilomi-

*Eutychi-*

*Eutychianæ* a *Timotheo Aeluro* inductæ furorem effugeret, & licet eo maxime in loco ipsis etiam barbaris & feris hominibus terror quidam oboriri soleat, tamen, vt episcopi *Ægyptii* [m], datis ad *Leonem* imperatorem litteris, queruntur, *Eutychiani* eo ipsum persequuti occiderunt, cadauer illius vndequaque vulneratum circumducentes per cuncta fere ciuitatis loca raptarunt, & denique incenderunt, cineresque eius sparserunt in ventos. Quam ob crudelitatem, contra leges religionis admissam, *Leo* imperator *Timotheum Aelurum* officio pulsum in exilium ad dies vitæ misit. Fuerunt loca multa alia, quibus præter ecclesias hoc sanctuarii & asyli priuilegium indultum erat, vt statuæ imperatorum, de quibus peculiaris titulus [n] in codice *Theodosiano* habetur; ita quoque vexillum imperatoris in castris, domus episcopi, monumenta & sepulcra mortuorum, cruces, scholæ, monasteria & xenodochia sæculis posterioribus, de quibus, vtpote negotio ecclesiarum alienis, nihil heic amplius dicimus, sed lectorem huius rei cupidum ad elaboratum RITTERSHVSII [o] tractatum de hoc argumento inter criticos *Londinenses* remittimus, in quo hæc loca vniversa & nonnulla alia priuilegio donata distincte considerantur.

## §. III.

## *Quibus hominibus ad sanctuarium confugere licuerit.*

nus tamen hi, qui consilium, quod Timotheus ab initio habuerat, ad effectum perducere studebant, qui ne immaculatis quidem illis septis Proterium seruari sustinebant; nec loci sanctitatem reueriti, nec tempus ipsum: erat enim tum dies festus paschæ salutaris: nec sacerdotii dignitatem reformidantes, quæ inter Deum atque homines sequestrata est, insontem occidunt, eumque & sex alios crudeliter mactant. Et cadauer illius vndequaque vulneratum circumducentes per cuncta fere ciuitatis loca raptant atrociter, miserandum in modum ei insultantes, & corpus sensus omnino expers absque vlla misericordia verberantes ac membratim sectantes. Ac ne quidem veriti sunt, ferarum more viscera illius degustare, quem paullo ante inter Deum atque homines interpretem ac sequestrum habere videbantur. Postremo quod reliquum erat corporis quum in rogum coniecissent, cinerem in ventos sparserunt, quasuis bestias crudelitate longe superantes.

(m) Epist. episcopor. Aegypt. ad calcem concil. Chalced. n. XXXII. (tom. IV. concil. p. 894.) vbi eadem latine leguntur, quæ modo ex Euagrio attulimus.

(n) Cod. Theod. lib. IX. tit. XLIV. De his qui ad statuas imperatorum confugiunt.

(o) Rittershusius de asylis c. III. tot.

Post loca refugii proxime nunc consideramus homines, quibus hoc beneficium indultum sit, & quibus in casibus ad asylum in ecclesiis confugere ipsis licuerit. Hoc enim priuilegium antiquis temporibus non ad protegendam impietatem, vel homines executioni fori ciuilis subtrahendos, vel ad leges in ordinariis casibus soluendas spectabat; sed praecipue ad praebendum innocentibus, iniuria adfectis & oppressis, refugium: vel in caussis dubiis, siue criminalibus, siue ciuilibus, tantummodo ad homines vsque adeo protegendos, donec aequa & iusta caussae ipsorum cognitio a iudicibus fieri posset, nec inhumanum & rigidum in modum iustitiae obtentu in eos animaduerteretur; vel certe ad dandam episcopis occasionem pro reis in istiusmodi casibus deprecandi, sicut honestum pariter & lege licitum erat episcopis, esse deprecatoribus. Haec erant asyla, quae defendebat contra praefectum *Ponti* [p] BASILIVS, contra *Andronicum* praefectum *Ptolemaidis* SYNESIVS [q] & contra *Eutropium* CHRYSOSTOMVS, qui *Arcadio* persuaserat, vt lege lata omnia huiusmodi priuilegia [r] ad ecclesiam spectantia abrogaret; diuina autem prouidentia primus ille erat, qui hoc priuilegio destituebatur, quum gratia & beneuolentia imperatoris priuatus ad altare, tamquam asylum, quod aliis denegauerat, confugeret. Quae res CHRYSOSTOMO occasionem elaboratissimam & memorabilem hunc in casum habendi orationem dabat, qua populi animos ad miserandum infensissimi inimici sui sortem mirifice commouebat, vt pro ipso, qui iam prostratus

(p) Naz. orat. XX. de laud. Basilii p. 353. vid. supra sub litter. (c) pag. 354.

(q) Synes. epist. LVIII. vid. sub litt. (h) pag. 355.

(r) Cod. Theod. lib. IX. tit. XLV. de his qui ad eccles. confug. leg. III. Si quis in posterum seruus, ancilla, curialis, debitor publicus, procurator, murilegulus, quilibet postremo publicis priuatisque rationibus inuolutus, ad ecclesiam confugiens, vel clericus ordinatus, vel quocumque modo a clericis fuerit defensatus, nec statim conuentione praemissa pristinae conditioni reddatur, decuriones quidem & omnes, quos solita ad debitum munus functio vocat, vigore & sollertia iudicantum ad pristinam sortem, velut manu mox iniecta, reuocentur: Quibus vlterius legem prodesse non patimur, quae cessione patrimonii subsequuta, decuriones esse clericos non vetabat. Sed etiam ii, quos oeconomos vocant, (hoc est, qui ecclesiasticas consueuerunt tractare rationes) ad eam debiti vel publici vel priuati, redhibitionem amota dilatione cogantur, in qua eos obnoxios esse constiterit, quos clerici defensando receperint, nec mox crediderint exhibendos, cetera.

coram

coram altari iacebat, apud imperatorem deprecarentur. Cui etiam supplicationibus suis vitam obtinebant: mortis enim sententia ita mitigabatur, vt bonis eius publicatis in exilium [s] duntaxat ablegaretur, tametsi postea proditionis scelere vitam perdidit. Hi præcipui sunt casus, ad quos antiquum asyli priuilegium respexit; & triginta plerumque dies hominibus in ista miseranda conditione sua indulgebantur, quod temporis spatium sufficere [t] in lege credebatur ad controuersias quasvis, quas istiusmodi homines coram ciuilibus iudicibus habere poterant, finiendas: Quamquam lex *Saxonica* regis *Alfredi* tres tantum dies ad hoc indulgeat, quemadmodum RITTERSHVSIVS & GOTHOFREDVS e LAMBARDI libro de *legibus* [u] *antiquis Angliæ* obseruarunt. Quo interiecto tempore ab ecclesia, si pauperes essent, ex reditibus pauperum alebantur; sin vero ipsi se sustentare possent, satis erat, ecclesiam præsidium ipsis suum indulgere, & id quidem in ante memoratis tantum, non autem in aliis, casibus.

## §. IV.

### *Quibus hominibus & flagitiis hoc priuilegium denegatum sit.*

### Primo *quidem, publicis debitoribus.*

QVAPROPTER vt ne quis sibi spem impunitatis vi huius privilegii conciperet, qui nullo id iure ac merito haberet, diuersa crimina & casus, tanquam excepti, in lege commemorantur, quibus ecclesia tutelam præstare non possit. Primum quidem, publici debitores, qui vel defraudassent vel impediissent publicos imperii reditus. Ex lege quadam *Theodosii Magni*, ad-

(s) Cod. Theod. lib. IX. tit. XL. de pœnis leg. XVII. Ne quis pro cohercitione delicti, vel pistoribus, vel cuicumque alteri corpori, quum alterius sit corporis, addicatur: sed vnusquisque pro crimine, in quo fuerit deprehensus, motum congruæ seueritatis excipiet.

(t) Iustin. nouell. XVII. c. VI. Ἀλλὰ μηδὲ τούτους δεῖ τοὺς καλουμένους λόγους προχείρως διδόναι σπεύδειν ἐπὶ πλείονα χρόνον, ἀλλὰ καὶ μετ' ἐξετάσεως, καὶ ἐν χρόνῳ συμμέτρῳ, καὶ οὐχ ὑπερβαίνοντι τριάκοντα προθεσμίαν ἡμερῶν· ὥστε μὴ ἐντεῦθεν ἀπεράντους εἶναι τοῖς ἀνθρώποις τὰς πρὸς ἑαυτοὺς φιλονεικείας κ. τ. λ. Sed neque hæc quæ dicuntur verba, id est iusiurandum, promte dare festines in amplius tempus: sed & cum examinatione in tempore medioci, & non transcendente triginta dierum inducias, ne ex hoc infinitæ sint hominibus ad inuicem contentiones.

(u) Lambard. de legibus Angliæ p. 23.

huc in vtroque codice exſtante, tales debitores, vtvt ad eccleſiam confugientes, nullum inde beneficium accipere, ſed illico adhibita vi extrahi [w] oportebat. Et ſi a clericis occultarentur, epiſcopus & clerici in tali caſu exigi, vel debitum ærario publico ſoluere iubebantur. BARONIVS [x] huius ipſius legis vigore compulſum aliquando AVGVSTINVM perſoluiſſe putat, quod debuerit *Faſtius* quidam, qui ad eccleſiam confugerat, quum vrgentibus publicis exactoribus facere ſatis non poſſet; Vnde AVGVSTINVS pro eius debiti ſolutione collectam faciebat in populo, quia ipſum oppignoratoribus torquendum tradere nolebat, vti ipſe in epiſtola quadam ſua [y] docet. Hæc cauſſa erat, vti alio iam loco [z] obſeruauimus, quamobrem *Auguſtinus* donationem poſſeſſionum eiusmodi hominum accipere recuſaret, qui origine ſua ad certa publica officia in ſocie-

(w) Cod. Theod. lib. IX. tit. XLV. de his qui ad eccleſias confugiunt leg. I. Publicos debitores, ſi confugiendum ad eccleſias crediderint, aut illico extrahi de latebris oportebit, aut pro his ipſos, qui eos occultare probantur, epiſcopos exigi. Sciat igitur præcellens auctoritas tua, neminem debitorum poſthac a clericis defendendum: aut per eos eius, quem defendendum eſſe crediderint, debitum eſſe ſoluendum.

(x) Baron. ann. CCCXCII. n. XXX. p. 672. Hæc plane ipſa lex eſt, cuius vigore compulſus aliquando S. Auguſtinus perſoluerat, quod debebat, qui confugerat ad eccleſiam. cetera.

(y) Auguſtin. epiſt. CCXV. Quum frater noſter Faſtius debito decem & ſeptem ſolidorum ab oppignoratoribus vrgeretur, vt redderet: quod ad præſens vnde explicaret ſe, non inueniebat; *ne corporalem pateretur iniuriam, ad auxilium ſanctæ eccleſiæ conuolauit*: illi etiam exactores quum proficiſci cogerentur, & ideo dilationem dare non poſſent, grauiſſimis me querelis onerauerunt, ita vt eis illum traderem; aut quod ſibi deberi oſtendebant, vnde acciperent, prouiderem. Quumque obtuliſſem Faſtio, vt veſtram ſanctitatem de neceſſitatibus eius adloquerer; pudore deterritus, ne facerem, deprecatus eſt. Ita ego maiore neceſſitate coarctatus, a fratre noſtro Macedonio decem & ſeptem ſolidos accepi, quos in cauſſam eius continuo dedi, promittente illo, quod ad certum diem cum eis reddendis poſſet occurrere, & conſentiente, vt ſi non poſſet occurrere, ſermo de illo fieret ad veſtram miſericordiam, quam fraternam fratribus exhibere conſueuiſtis. Nunc ergo, quoniam abſens eſt, reſtat vt ſubueniatis, non illi quem nemo compellat abſentem, ſed pollicitationi meæ, cuius exiſtimatio vobis ſemper eſt præſens. Iam enim dies, ad quam ſe promiſerat occurſurum, tranſactus eſt; & ego ei, qui ſolidos ſuos fidei meæ commiſit, quid reſpondeam non inuenio, niſi vt faciam, quod me facturum eſſe promiſi.

(z) Lib. V. c. III. §. V. vol. II. p. 239.

tate

tate tenebantur nauiculariorum, hoc eſt, eorum, qui ad publicum frumentum ex *Africa Romam* transportandum deuincti erant. Fieri enim poterat, vt, quos eccleſia ad hoc officium explendum adhiberet, naufragio vel alia quadam ratione publico ærario obnoxii euaderent: & tunc quidem eccleſia vel ſeruos ſuos ad tormenta dare, vel debitum ſoluere debebat; neque enim hoc in caſu perfugium ad eccleſiam, niſi ſub hac conditione, locum vllum habebat. Et hinc AVGVSTINVS [*a*] ſe iſtiusmodi poſſeſſiones accipere noluiſſe narrat, eo quod hac vel illa ratione eccleſia magnis turbis implicari potuiſſet. In priuatis cauſſis GOTHOFREDVS beneficium aſyli debitoribus pauperibus indultum fuiſſe, putat, vt a quæſtionibus aliquantum abſtracti, vel cum creditoribus ſuis tranſigere de negotio, vel aliam rationem æs alienum ſoluendi inire poſſent, quoad ſub tecto & tutela eccleſiæ degerent.

§. V.

Secundo, iudæis, *chriſtianos ſe fieri velle ideo tantum ſimulantibus, vt debitorum ſolutionem, vel pœnas pro criminibus ſuis ſufferendas, euitare poſſent.*

VERVM neque tunc hoc beneficium vniuerſale erat; *Iudæi* enim conuerſi ſpeciatim ab eo erant excepti. Nam lege quadam *Arcadii* & *Honorii*, quæ in vtroque codice adhuc reperitur, de ipſis ita ſtatutum legimus: *Iudæi, qui reatu aliquo vel debitis fatigati, ſimulant ſe chriſtianæ legi velle coniungi, vt ad eccleſias confugientes euitare poſſint crimina* [*b*] *vel pondera debitorum, arceantur, nec ante ſuſcipiantur, quam debita vniuerſa reddiderint, vel fuerint innocentia demonſtrata purgati.* In aliis tamen caſibus *iudæis* hoc beneficium non denegabatur, ſed communi aſyli priuilegio cum

(*a*) Auguſtin. homil. XLIX. de diuerſis tom. X. p. 520. edit. Par. MDCXXXVII. (ſerm. CCCLV. tom. V. p. 1382. edit. Par. MDCC.) Bonifacii hereditatem ſuſcipere nolui; non miſericordia, ſed timore. Nauiculariam nolui eſſe eccleſiam Chriſti. Multi ſunt quidem, qui etiam de nauibus acquirunt: tamen vna tentatio eſt, ſi iret nauis & naufragaret: homines ad tormenta daturi eramus; vt de ſubmerſione nauis ſecundum conſuetudinem quæreretur: & torquerentur a iudice, qui eſſent a fluctibus liberati? Sed non eos daremus Nullo enim pacto hoc facere deceret eccleſiam. cetera.

(*b*) Cod. Theod. lib. IX. tit. XLV. de his, qui ad eccleſias confugiunt. leg. II. Cod. iuſtin. lib. I. tit. XII. leg. I.

reliquis hominibus fruebantur, si recte indicat GOTHOFREDVS [c], qui IVLIVM CLARVM & PETRVM SARPVM [d] pro eadem sententia adlegat.

## §. VI.

## Tertio, *hæreticis & apostatis.*

RITTERSHVSIVS [e] hæreticorum sortem hoc respectu putat fuisse quodammodo deteriorem, quam *iudæorum*, quod qui ecclesiam deseruissent, omnibus fauoribus & defensionibus ecclesiæ destituantur. COVARRVVIAS, PANORMITANVS & SARPVS iam ante ipsum eadem collegerunt, sed non ex diserta quadam lege de hac materia, sed tantum ex generali quadam lege THEODOSII & VALENTINIANI, quæ apostatas & hæreticos a consortio omnium, & multis aliis priuilegiis, quibus homines alii [f] gaudent, excludit. Vnde ex parili ratione concludunt, in nullo casu beneficium asyli eos sibi vindicare potuisse, quod desertores & proditores christianæ religionis, quam semel in baptismo professi erant, peiores *iudæis*, illam numquam professis, habiti fuerint. Hinc alia quadam lege *Theodosii* seruis eorum hic fauor conceditur, qui ipsis dominis abiudicatur. Nam si quis apostatæ vel hæretici cuiusdam seruus [g] a domino suo ad ecclesiam confugeret, non tantum protegendus sed libertate etiam donandus erat. Quæ lex æque

(c) Gothofred. tom. III. p. 361. Innoxiis & debito liberis iudæis eam immunitatem constare, humanitatis ratio putatur. De qua alioquin quæstione videndus Iulius Clarus, aliique, & e recentioribus, qui haud ita pridem de iure asyli scripsit, Petrus Sarpus c. V. p. 58.

(d) Petr. Sarpus de iure asyli c. V. p. 58.

(e) Rittershus. de asylis c. VI. n. 6. 7. p. 246. Ius asyli & perfugii commune etiam est & patet non tantum orthodoxis, sed etiam errantibus, Giphan. in œcon. cod. p. 13. n. 55. non vero hæreticis; Panormit. ad c. inter alia n. 21. Couarr. l. 2. var. resol. c. 20. n. 13. Multo minus infidelibus; Pet. Sarp. de iur. asyl. c. V. in fin. Neque apostatis, qui omnibus fauoribus & defensionibus ecclesiæ catholicæ destituuntur; lib. III. c. de apostatis.

(f) Cod. Theod. lib. XVI. tit. VII. de apostatis leg. IV. Hi qui sanctam fidem prodiderunt & sanctum baptisma hæretica superstitione profanarunt, a consortio omnium segregati sint, cetera.

(g) Cod. Theod. lib. XVI. titul. VI. Ne sanctum baptisma iteretur. leg. IV. His qui forsitan ad rebaptizandum cogentur, refugiendi ad ecclesiam catholicam sit facultas, vt eius præsidio aduersus huius criminis auctores attributæ libertatis præsidio defendantur.

ad orthodoxiam ſtabiliendam quam hæreſin & apoſtaſiam ſufflaminandam ſpectabat, præmiis & pœnis diuerſo earum reſpectu conſtitutis.

## §. VII.

### Quarto, *ſeruis a dominis ſuis aufugientibus.*

ILLVD quidem ſpeciatim in cauſſa *Donatiſtarum* decretum fuit, qui ſeruorum ſuorum baptiſma iterabant, vt ſuæ eos religioni initiarent. Verum in aliis caſibus orthodoxorum dominorum ſerui tam amplo priuilegio haud gaudebant. Nam lege quadam *Arcadii* & *Honorii* an. CCCXCVIII ſerui in eadem cum publicis debitoribus, curialibus & aliis publicis imperii miniſtris, quos nullum aſyli priuilegium [*a*] a conditionis ſuæ officiis immunes præſtare poterat, claſſe collocantur. Quocirca etiamſi quis ex illis ad eccleſiam confugeret, vel clericus in eccleſia ordinaretur, nullum ei legitimum præſidium indulgeri poterat, ſed ſtatim inde ad ſeruitutem & conditionem priſtinam ciuilium iudicum auctoritate reuocari debebat. Noui equidem, GOTHOFREDVM hanc legem pro lege *Arcadii*, *Eutropii* incitatione aduerſus immunitatem eccleſiæ procurata, accipere, in quam CHRYSOSTOMVS [*b*], PROSPER [*c*], SOCRATES [*d*],

(*a*) Cod. Theod. lib. IX. tit. XLV. de his, qui ad eccleſias confugiunt leg. III. vid. §. III. ſub litt. (r) pag. 358.

(*b*) Chryſoſtom. hom. in Eutrop. tom. IV. (p. 481. ſeqq. edit. Francof.)

(*c*) Proſper. de prædict. lib. III. c. XXXVIII. Eutropius præpotens plurimum anima & mente paganus, quum in contumeliam eccleſiæ edictum obreptitie ab Arcadio chriſtiano imperatore ſculperet, vt ſi quis ad eam confugeret, etiam ab altari ſublatus pœnas lueret ampliores, diuino iudicio ſuæ ſententiæ prior ipſe propinatus eſt. Offenſam quippe prædicti regis incurrens, ad eius refugium, quam oderat, conuolauit. Quem ſancta mater pietatis gremio ſuum excepit inimicum. Quæ per venerabilem ſacerdotem Ioannem impetrans veniam oſori & ſuperbo vitam contulit & ſalutem. Eius exemplo cunctos admonens inimicos, vanum eis eſſe contra ſtimulum calcitrare.

(*d*) Socrat. lib. VI. c. V. Εὐτρόπιος εὐνοῦχος προεστὼς τοῦ βασιλικοῦ κοιτῶνος καὶ τὴν τοῦ ὑπάτου ἀξίαν πρῶτος εὐνούχων παρὰ βασιλέως λαβών, ἀμύνασθαί τινας προσφεύγοντας τῇ ἐκκλησίᾳ βουλόμενος, σπουδὴν πεποίητο νόμον παρὰ τῶν αὐτοκρατόρων προτεθῆναι, κελεύοντα μηδένα προσφεύγειν ταῖς ἐκκλησίαις, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἤδη προσφεύγοντας ἀφέλκεσθαι· δίκη δὲ εὐθὺς ἐπηκολούθει· προὔκειτο γὰρ ὁ νόμος, καὶ μετ᾽ οὐ πολὺ προσκρούσας τῷ βασιλεῖ ὁ Εὐτρόπιος, ἐν τοῖς πρόσφυξιν ἦν κ. τ. λ. Eutropius eunuchus præpoſitus imperialis cubiculi, & qui conſulatus dignitatem ab imperatore primus ex omnibus eunuchis acceperat, quum de nonnullis, qui ad eccleſiam confugerant, pœnas ſumere vellet, operam dederat, vt lex

SOZOMENVS [e] & alii quidem antiqui scriptores ecclesiastici tantopere declamitant, & quam ipse *Arcadius* anno sequenti reuocandam duxit, quum *Eutropius* in odium & offensionem ipsius incidisset. Quæ vtrum ipsa illa lex sit, nec ne, non subtiliter disputabimus: nam posito, quod sit, obseruandum tamen est, numquam eam penitus, sed in specialioribus quibusdam tantum circumstantiis reuocatam esse & abrogatam. Nam momentum illud de illegitima curialium ordinatione maximam partem vigorem suum retinuit, quemadmodum alio loco [f] liquido demonstrauimus. Ista autem pars, quæ ad seruos ad ecclesiam confugientes attinet, admodum exigua facta mutatione a *Theodosio iuniore*, *Arcadii* filio, codicis *Theodosiani* collectore, reuocata & denuo confirmata est. Lege enim quadam sua [g], quæ vltima de hoc argumento in isto codice est, in hunc modum statuit: *Super confugientibus ad sanctæ religionis altaria, sanctionem in perpetuum valituram credidimus promulgandam, vt si quidem seruus cuiusquam ecclesiam, altariaue, loci tantum veneratione confisus, sine vllo telo petierit, is non plus vno die ibidem dimittatur, quia domino eius, vel cuius metu pœnam imminentem visus est declinasse, a clericis, quorum interest, nuntietur. Isque eum impertita indulgentia peccatorum, vt nullis residentibus iracundiæ menti reliquiis in honorem loci & eius respectu, ad cuius auxilium conuolauit, abducat.* Et RITTERSHVSIVS [h] legem quamdam *Theodorici* regis *Gothorum* & diuersas alias in eamdem citat sententiam.

ab imperatoribus promulgaretur, iubens ne quis ad ecclesias profugeret, sed vt quicunque ad eas confugissent, inde abstraherentur. Verum Dei vindicta continuo subsequuta est. Vix enim lex proposita erat, quum Eutropius in offensionem veniens imperatoris, ipse quoque ad ecclesiam confugit.

(e) Sozom. lib. VIII. c. VII. Εὐτροπίου σπουδῇ τίθεται νόμος, προστάττων μηδαμῶς μηδένα εἰς ἐκκλησίαν καταφυγεῖν, ἐξελαύνεσθαί τε καὶ τοὺς ἤδη προσπεφευγότας· οὐκ εἰς μακρὰν δὲ, ὡς εἰς τὴν βασιλέως γαμετὴν ὑβρίσας ἐπιβουλευθεὶς, πρῶτον παρέβη τὸν νόμον καὶ ἀποδρὰς ἐκ τῶν βασιλείων, ἱκέτης τὴν ἐκκλησίαν κατέλαβεν. Eutropius legem ferri curauit, qua vetabatur, ne quisquam ad ecclesiam confugeret: & qui iam confugissent, expelli iubebantur. Nec multo post calumnia appetitus, quasi imperatoris coniugem contumelia adfecisset, primus ipse legem transgressus est, & ex palatio se proripiens, supplex ad ecclesiam confugit.

(f) Lib. IV. c. IV. §. IV. volum. II. pag. 147. seq.

(g) Cod. Theod. lib. IX. tit. XLV. de his qui ad eccles. confug. leg. V.

(h) Rittershus. de asylis c. VIII. Theodoricus rex Longobardorum reuerentiam

§. VIII.

## §. VIII.

**Quinto,** *expilatoribus, homicidis, coniuratis, virginum raptoribus, adulteris, & similium criminum reis.*

Qvod si vero homines criminis cuiusdam atrocioris rei essent, nimirum furti & expilationis, vel proditionis & coniurationis contra imperium, vel homicidii, vel rapinæ virginum, vel adulterii, vel alius criminis huius generis, tunc nihil intererat, seruine essent vel liberi istiusmodi rei, nec vnius quidem horæ respiratio talibus hominibus indulgebatur, sed e vestigio per ciuilem magistratum, adhibita vi, si necessitas flagitaret, ab ipso etiam altari extrahendi erant; vel si armis resistere auderent, impune ibi interfici poterant. Hoc ipsum luce meridiana clarius est ex lege *Iustiniani*, quæ hos & istiusmodi reos omnes, tamquam ab omni asyli beneficio generatim exceptos, declarat; quod sit [*i*] intentioni & scopo istius priuilegii contrarium, homicidis, adulteris, virginum raptoribus, vel vlli simili facinoroso tutelam præbere, sed potius innoxiis & istorum violentiæ atque iniuriæ expositis. Templorum cautelam non lædentibus & læsis simul a lege dari, adeoque, si qui istorum criminum conscientia inducti ad altare confugerent, eos inde extrahendos esse, & secundum legem, pro eo ac commeruissent, puniendos. Hæc vna *Iustiniani* lex veram intentionem & sensum reliquarum veterum legum omnium de hoc asyli priuilegio ostendit, quod, vt antea obseruauimus, eo spe-

templo exhibens, pœnam debitam moderatione considerata palpauit. Iouium enim cu ialem, quem corrector Lucaniæ Brutiorumque humani sanguinis effusione pollutum ipsi suggessit, ob hoc, quod mutuæ contentionis ardoribus excitatus rixam verborum vsque ad nefariam collegæ deduxit interitum; sed conscius facti sui intra ecclesiæ septa refugiens, declinare se credidit præscriptam legibus vltionem, *Vulcaniæ* insulæ perpetua relegatione damnauit.

(*i*) Iustin. nou. I. XVII. c. VII. *Οὔτε δὲ ἀνδροφόνοις, οὔτε μοιχοῖς, οὔτε παρθένων ἁρπαξιν ἁμαρτάνουσι τὴν ἐκ τῶν ὅρων φυλάξεις ἀσφάλειαν· ἀλλὰ κἀκεῖθεν ἐξελκύσεις, καὶ τιμωρίαν αὐτοῖς ἐπάξεις· οὐ γὰρ τῶν τὰ τοιαῦτα ἁμαρτανόντων φείδεσθαι προσήκει, ἀλλὰ τῶν περιόντων, ἵνα μὴ τοιαῦτα ὑπὸ τῶν τολμηροτέρων πάσχοιεν· ἄλλως τε ἡ ἐκ τῶν ἱερῶν ἀσφάλεια οὐ τοῖς ἀδικοῦσιν, ἀλλὰ τοῖς ἀδικουμένοις δίδοται παρὰ τοῦ νόμου· καὶ οὐκ ἂν εἴη δυνατὸν ἑκάτερον ἰσχυρίζεσθαι τῇ παρὰ τῶν ἀσύλων τόπων ἀσφαλείᾳ, καὶ τὸν ἀδικοῦντα καὶ τὸν ἀδικούμενον.* Neque autem homicidis, neque adulteris, neque virginum raptoribus delinquentibus terminorum custodies cautelam, sed etiam extrahes & supplicium eis inferes. Non enim talia delinquenti-

ctauerint, vt præcipue innocentes, iniuriam passi & a violentia oppressi protegerentur, & in grauioribus & dubiis caussis aliquod temporis spatium daretur, vsque dum placida rei cognitio procurari, vel deprecatio quædam apud iudices ab episcopo vel clericis pro istiusmodi hominibus, qui ea indigere viderentur, fieri posset. Atque ita GOTHOFREDVS [*k*] de tota materia definit, *Nihil*, inquiens, *ad ecclesiam perfugium erat, quam clericorum deprecatio seu intercessio:* & pro quibus laudabiliter & decenter deprecari poterant, eos etiam ad certum tempus contra violentiam & quæstiones in ecclesia tueri; non autem executioni ciuilis iudicii in alios sontes, pro quibus deprecari nefas erat, obicem ponere poterant.

§. IX.

*Iusta animaduersio in grandem recentiorum asylorum abusum, qui, eximendo homines a pœna legibus statuta & eneruando vim legum ciuilium admittitur.*

QVO intuitu pleraque recentiorum asylorum a prudentibus viris magnorum abusuum incusantur, dum omnis generis scelestis hominibus tutelam præbent, atque ita nefariorum facinorum cursum, homines pœna legibus statuta eximendo & vim legum ciuilium eneruando, mirum quantum adiuuant. Leges enim canonicæ GRATIANI & pontificum *Romanorum decretales* omnibus maleficis præsidium attribuunt, illis tantum exceptis, qui vel noctu, vel in via regia latrocinati fuerint, & in ipsa ecclesia, huius sibi tutelam promittentes, enormia crimina admiserint. Ceteri autem malefici libertatem confugiendi ad ecclesiam habent, & pro violatione immunitatum ecclesiæ venditatur, nisi promisso, vel iureiurando, nec mortem [*l*] nec aliam corporalem sed pecuniariam tantummodo pœnam reo infli-

bus parcere competit, sed hoc patientibus: vt non talia a præsumtoribus patiantur. Deinde templorum cautela non nocentibus, sed læsi datur a lege: & non erit possibile vtrumque tueri cautela sacrorum locorum, & lædentem & læsum.

(*k*) Gothofred. comm. in cod. Theod. lib. IX. tit. XLV. leg. V. p. 373.

(*l*) Decretal. Gregor. lib. III. tit. XLIX. de immunit. eccles. c. VI. Quantumcumque grauia maleficia perpetrauerit, non est violenter ab ecclesia extrahendus: Nec inde damnari debet ad mortem vel ad pœnam, sed rectores ecclesiarum sibi obtinere debent membra & vitam. Super hoc tamen quod inique fecit, est alias legitime puniendus.

ctum

ctum iri, caueatur, quemadmodum INNOCENTIVS III pontifex litteris ad regem *Scotiæ* datis, quas GREGORIVS IX. libro decretalium inseruit, rem definiuit. Concilium primum *Aurelianense* [m] canones quosdam in eamdem sententiam habet, quos, quantumuis ceteris vetustis legibus omnibus contrarios, GRATIANO [n] inter collectiones suas adoptare placuit. Atque ita lex canonica, quæ hodie obtinet, ecclesiasticarum immunitatum obtentu amplissimam licentiæ portam aperit, quando restrictiores conditiones tollit, quibus leges antiquæ hanc materiam, innocentibus & oppressis, non autem manifesto sceleratis hominibus, refugium indulgendo, circumscripserunt. Quam differentiam non tantum omnes scriptores *protestantes*, sed nonnulli etiam ex ipsis *Romanensibus* notarunt & questi sunt. POLYDORVS VERGILIVS [o] non dubitat hanc in rem ita scribere: „Sunt hodie in orbe nostro christiano, præsertim apud „*Anglos* passim asyla, quæ non modo insidias timentibus, „sed quibusuis sontibus, etiam maiestatis reis patent. Quod facit, vt manifeste appareat, nos id institutum non a *Mose*, qui „illis duntaxat, qui nolentes hominem occidissent, asylum po„suit, sed a *Romulo* esse mutuatos. Quæ nempe res haud dubie „in caussa est, cur bene multi a maleficiis minus abstineant ma„nus. Quid, quod templa nostra vbique gentium istiusmodi „sceleratis hominibus instar asylorum sunt, & id contra quam „*Moses* etiam constituerit, qui in Exod. c. XXI, 14. ita sanxit: *Si*

(m) Concil. Aurelian. I. c. II. (tom. IV. concil. p. 1403.) De raptoribus id custodiendum esse censuimus, vt si ad ecclesiam raptor cum rapta confugerit, & feminam ipsam violentiam pertulisse constiterit, statim liberetur de potestate raptoris, & raptor, mortis vel pœnarum impunitate concessa, aut seruiendi conditioni subiectus sit, aut redimendi se liberam habeat facultatem. cetera. Can. III. Seruus, qui ad ecclesiam pro qualibet culpa profugerit, si a domino pro admissa culpa sacramenta susceperit, statim ad seruitium domini sui redire cogatur. sed posteaquam datis a domino sacramentis fuerit consignatus, si aliquid pœnæ pro eadem culpa, qua excusatur, probatus fuerit pertulisse; pro contemtu ecclesiæ & præuaricatione fidei, a communione & conuiuio catholicorum, sicut superius comprehensum est, extraneus habeatur. Sin vero seruus pro culpa sua ab ecclesia defensatus sacramenta domini, clericis exigentibus, de impunitate perceperit, exire nolentem a domino liceat occupari.

(n) Gratian. causs. XVII. quæst. IV. c. XXXVI. It. causs. XXXVI. quæst. I. c. III.

(o) Polydor. Vergil. de inuent. rerum lib. III. c. XII.

quis

„*quis per in industriam occiderit proximum suum & per insidias, ab alta-*„*ri meo auellas eum, vt moriatur*„. Hæc est differentia ex illius auctoris opinione inter recentiora asyla & ea, quæ *Moses* constituit, quæque in veteri ecclesia obtinuerunt.

§. X.

*Conditiones antiquitus a confugientibus ad ecclesiam obseruari debitæ.* Prima: *Nulli cum telo in ecclesiam fugiendum erat.*

Vnvm adhuc intuitu priuilegii asylorum in antiquæ ecclesiæ legibus obseruandum est, nempe eos, qui hoc beneficio frui voluerint, certas conditiones in confugiendo ad ecclesias debuisse obseruare, vel alioquin omni iure suo eiusque titulo excidisse. Harum conditionum prima erat, vt ne cum armis in ecclesiam vel vllum locum vel ædificium ei adiacens, vt sunt hortuli, domus, atria, porticus, quibus asyli priuilegium datum erat, confugerent. Hoc specialiter monitum & cautum est lege quadam [p] *Theodosii Iunioris*, ita habente: *Qui templa cum armis ingredi audent, ne hoc faciant, præmonemus, dehinc si telis cincti, quouis ecclesiæ loco vel ad templi septa, vel circa, vel extra sint, statim eos, vt arma reponant, auctoritate episcopi a solis clericis seuerius conueniri præcipimus: data eis fiducia, quod religionis nomine melius, quam armorum præsidio muniantur. Sed si ecclesiæ voce moniti, post tot tantorumque denuntiationes, noluerint arma relinquere, iam clementiæ nostræ, apud Deum & episcoporum caussa purgata, armatis, si ita res exegerit, intromissis, trahendos se abstrahendosque esse. cognoscant, & omnibus casibus esse subdendos.* Si vero adhuc sese opponeret profugus, accideretque, vt in isthoc conflictu interficeretur [pp], sua ipsius culpa periisse existimandus, non autem violatio priuilegii ecclesiæ in hoc casu interpretanda erat, eo quod hanc necessariam securitatis suæ conditionem obseruare recusasset. Imperatores ipsi arma sua & diadema in ecclesiam ingressuri re-

(*p*) Cod. Theod. lib. IX. tit. XLV. de his, qui ad eccles. confug. leg. IV.

(*pp*) Ibid. leg. V. Si armorum fiducia resistendi animos insania impellente conceperint, abstrahendi abripiendique eum domino, quibus potest id efficere viribus, concedatur. Quod si illum etiam confici in concertatione pugnaque contigerit, nulla eius erit noxa, nec conflandæ criminationis relinquetur occasio, is qui ex statu seruili in hostilis & homicidæ conditionem transiuit, occisus sit.

linque-

linquebant foris, & hinc *Theodosius* æquum esse argumentatur [q], vt omnes profugi idem faciant, legibus tantum & loci sanctitate in securitatem suam confidentes.

## §. XI.

Secunda: *Nulli huc confugienti clamorem, ad seditionem siue tumultum excitandum, attollere licebat.*

Alia quædam conditio, in hoc casu obseruanda, erat, vt homines ad ecclesiam se reciperent silentes & modesti, non autem clamoribus tumultum popularem excitare studerent. Viri docti hoc ex lege quadam in *constitutionibus græcis* & codice *Iustinianeo* [r] colligunt, qua fugitiui, imperatore ad magnam ecclesiam in festo procedente, exclamatione vti vetantur, si quam vero petitionem habeant, priuatim docere imperatorem per archiepiscopum & ecclesiæ defensores iubentur; alioquin futurum dicitur, vt priuilegio suo excidant, & ecclesia eiecti ciuilibus magistratibus tradantur puniendi.

## §. XII.

Tertia: *Nulli in ecclesia edere vel pernoctare licitum, sed in exterioribus quibusdam ædibus suus cuique victus præbendus erat.*

Deniqve, etsi fugitiui in ecclesiam & ad ipsum altare se recipere poterant; non tamen illic edendi, cubandi & pernoctandi habebant veniam; sed clerici illis hoc interdicere diserta quadam lege tenebantur *Theodosii iunioris* [s], qui vt o-

(q) Edict. Theod. ad calc. concil. Ephes. cit. cap. X. §. VIII. litt. (u) pag. 346.

(r) Cod. Iustin. lib. I. tit. XII. de his, qui ad eccles. confug. leg. VIII. Ὁ τοῦ βασιλέως εἰς τὴν μεγάλην ἐκκλησίαν ἐν ἑορτῇ προϊόντος, ἐκβοήσει χρώμενος, ἐκπίπτει τοῦ πράγματος, καὶ διὰ τοῦ ὑπάρχου ἐκβαλλόμενος σωφρονίζεται· ὁ δὲ διὰ δυνατὸν πρόσωπον τῇ ἐκκλησίᾳ προσφεύγων, διδασκέτω τὴν βασιλείαν διὰ τοῦ πατριάρχου καὶ τῶν ἐκκλησιεκδίκων. Qui, imperatore ad magnam ecclesiam in festo procedente, exclamatione vsus fuerit: excidet a re sperata, & per præfectum eiectus castigabitur. Qui vero propter potentem personam ad ecclesiam confugit: doceat imperatoriam maiestatem per archiepiscopum & ecclesiæ defensores.

(s) Cod. Theod. lib. IX. de his, qui ad eccles. confug. leg. IV. Pateant summi Dei templa timentibus: nec sola altaria & oratorii templi circumiectum, qui

nes contrariæ conſuetudini prætextas cauſſas, quaſi homines non niſi intra eccleſiæ parietes tuti eſſe poſſent, præcideret, non ſolum eccleſiam & altare, ſed reliqua etiam ædificia & ſpatia, quæ eccleſiæ adiacebant, vniuerſa ad tuitionem confugientium proponebat; hanc tam ampli ſpatii in aſylum indulti dans rationem, ne homines ſe metu ad edendum & pernoctandum in eccleſia compelli cauſſarentur, quas res natura ſua minus decentes, nec ſtatui religionis & reuerentiæ, eccleſiis vtpote locis Deo ipſiusque cultui dedicatis debitæ, conuenientes iudicabat.

---

eccleſias quadripertito intrinſecus parietem ſeptu concludunt, ad tuitionem confugientium ſancimus eſſe propoſita: Sed vſque ad extremas fores eccleſiæ, quas oratum geſtiens populus primas ingreditur, confugientibus aram ſalutis eſſe præcipimus: vt inter templum, quod parietum deſcripſimus cinctu, & poſt loca publica & ianuas primas eccleſiæ, quidquid fuerit interiacens, ſiue in cellulis, ſiue in domibus, hortulis, balneis, areis, atque porticibus, confugas, interioris templi vice, tueatur. - - Hanc autem ſpatii latitudinem ideo indulgemus, ne in ipſo Dei templo & ſacroſanctis altaribus, confugientium quemquam mane vel veſpere cubare vel pernoctare liceat, ipſis hoc clericis religionis cauſſa vetantibus: ipſis qui confugiunt, pietatis rationem ſeruantibus.



LIBER

# LIBER NONVS.

## GEOGRAPHICA ANTIQVAE ECCLESIAE DESCRIPTIO; VBI DE DIVISIONE ILLIVS IN PROVINCIAS, DIOECESES, ET PAROCHIAS, ET DE PRIMA HVIVS DIVISIONIS ORIGINE AGITVR.

## CAPVT PRIMVM

### DE STATV ET DIVISIONE IMPERII *ROMANI*, ET QVOD ECCLESIA HVIVS AD EXEMPLAR EXTERNAM SVAM POLITIAM ET REGIMEN CONFORMAVERIT.

### §. I.

*Status imperii* Romani *tempore apostolorum.*

DE ecclesiis huc vsque loquuti, quatenus ædificia materiata siue loca congregationis in publicum Dei cultum constituta, significant, iam alio respectu eas considerare incipimus, quatenus ad certum populi christiani numerum intra certam aliquam ditionem denotandum adhibentur, vt in parochia, diœcesi, prouincia & patriarchatu. Quæ nomina frequentissime in veterum scriptorum monumentis occurrunt, etiamsi non eiusdem omnia sint antiquitatis, quare heic in eorum tum naturam tum originem inquiremus. Nonnulla hac de re iam diximus, loquentes de diuersis ecclesiæ ministris, in his ditionibus constitutis, qui fuerunt patriarchæ, metropolitani, episcopi & presbyteri, quoad ad potestatem & officia horum ministrorum in ecclesia explananda necesse fuit. Restant autem multa notatu digna, quæ tunc considerari non potuerunt, adeoque hoc loco peculiaris disquisitionis argumentum nobis suppeditabunt. Et vt heic statum & diuisionem ecclesiæ recte intelligamus, statum & diuisionem imperii *Romani* breuiter contueri proderit. Nam a viris doctis opinio generatim recepta est, ecclesiam externam suam politiam & regimen, tum in prima eius constitutione, tum in mutationibus & variationibus,

quæ sæculis subsequentibus interuenerunt, ad illam quodam modo accommodasse. Apostolorum ætate quælibet ciuitas inter *Græcos* pariter & *Romanos* immediatæ gubernationi certorum magistratuum ex suo ipsius corpore suberat, qui βουλὴ siue senatus dicebantur, alias *ordo* & *curia* appellati. Quos inter plerumque vnus reliquis dignitate erat superior, quem *dictatorem* alii, alii *defensorem ciuitatis* nuncupant; cuius potestas non tantum super ciuitatem sed vniuersum quoque adiacens territorium, dictum προάστεια, hoc est *suburbia*, siue minora oppida, ad iurisdictionem ciuitatis spectantia, se extendebat. Hæc ciuitas erat sensu ciuili, locus, vbi magistratus ciuilis & minor quidam senatus ad res istius societatis ordinandas moderandasque erat constitutus.

### §. II.

*Status ecclesiæ isti imperii statui conformis.*

IAM vero ad eumdem modum apostoli in prima plantatione & constitutione ecclesiæ, vbicumque ciuilem quemdam magistratum constitutum inuenere, ecclesiasticum etiam magistratum constituere studuerunt, senatu quodam siue presbyterio consistentem, hoc est, commune aliquod presbyterorum concilium, ex illisque præcipuum aliquem, reliquis præsidentem, qui προεστὼς, vel apostolus, vel episcopus, vel angelus ecclesiæ plerumque dicebatur, cuius iurisdictio non ad singularem quamdam congregationem adstricta erat, sed super omnem regionem, ciuitatis alicuius iurisdictioni subiacentem, quæ προάστεια vel παροικία, vel vti nunc vocatur, diœcesis ecclesiæ erat, explicata. Secundum hoc exemplar, vt probabile est, *Paulus Tito* præcepit, vt constitueret in *Creta* insula presbyteros κατὰ πόλιν, oppidatim, hoc est, ecclesiasticum senatum & magistratum, in quocumque loco antea ciuilis quidam magistratus fuerat: Qui, quemadmodum ex subsequuta historia ecclesiastica discimus, episcopus erat cum presbyteris suis, qui iunctim *seniores* & *senatus ecclesiæ* vocabantur. Ciuitates imperii suos quoque magistratus in territorio circumiacente habebant; sed hi magistratibus ciuitatis subditi ex illisque generatim electi erant, vti vir quidam doctus [a] ex FRONTINI libro *de limitibus agrariis* aliisque antiquariis *Romanis* obseruauit. In

(a) Dr. Maurice *Diœces. Episcop.* p. 390.

cum-

eumdem modum vnaquæque ecclesia ciuitatis spirituales ministros in omnibus oppidis & vicis, ad ciuicam regionem spectantibus, habebat; & hi ipsi ab ecclesia matrice, tum quod ad potestatis suæ exercitium, tum quod ad eorum institutionem, dependebant; quum ecclesiæ oppidanæ subordinati & ad reddendam ei rationem obligati essent, non secus ac magistratus subordinati in ciuili regimine erant.

§. III.

*Diuisio* Romani *imperii in prouincias & diœceses.*

ALIA imperii *Romani* erat diuisio in prouincias & diœceses. Prouincia ciuitates dicebantur totius regionis, auctoritati supremi cuiusdam magistratus, in metropoli residentis, subiectæ. Hic communiter prætor quidam vel proconsul vel alius magistratus similis excellentiæ & dignitatis erat. Diœcesis amplius adhuc erat territorium, diuersas prouincias complexu suo coërcens & continens: cuius in territorii metropoli generalior quidam magistratus reperiebatur, cuius potestas in omnem diœcesin sese extendebat, ad accipiendas appellationes & definiendas caussas, quæ ex quacumque ciuitate intra ipsius territorium ad eum de nouo cognoscendæ deferebantur. Et hic magistratus nonnumquam dicebatur *eparchus*, vel *vicarius imperii Romani*, & speciatim *præfectus Augustalis Alexandriæ*. Quo tempore hæc diuisio primum facta sit, in hoc viri docti non prorsus consentiunt, prouinciarum tamen diuisionem diuisione diœcesium antiquiorem esse, statuunt. Diuisio enim in diœceses *Constantini* demum ætate facta est. Diuisio autem imperii in prouincias iam longe ante fuit, ab aliis ad *Vespasiani* tempora relata, ab aliis adhuc vetustior & primæ ecclesiæ christianæ constitutioni æquæua credita.

§. IV.

*Idem exemplar ecclesia imitata.*

VTCVMQVE autem res se habet, certissimum est, ecclesiam in constituenda metropolitica & patriarchali potestate exemplum ab hac reipublicæ effigie desumsisse. Quemadmodum enim in qualibet prouinciæ cuiusque metropoli magistratus quidem erat, singularis cuiusque ciuitatis magistratibus superior: Ita quoque in eadem metropoli episcopus erat, cuius potestas ad omnem pertinebat prouinciam, dictus inde *metropolita*

 siue

siue *primas*, vtpote præcipuus totius prouinciæ episcopus. Et in omnibus proinde locis sedes episcopi ad ciuilem metropolin adstricta erat, excepto in *Africa*, vbi primas communiter senior episcopus prouinciæ erat, quomodo alio loco [b] ostendimus. Similiter vti respublica in omni præcipua cuiusuis ciuilis diœceseos ciuitate *vicarium* habebat; ita ecclesia consequutis temporibus *exarchos* seu patriarchas in multis, si non omnibus, præcipuis ciuitatibus imperii habere cœpit.

§. V.

*Confirmatur hoc ex ciuili notitia imperii.*

Hoc euidenter e ciuili imperii notitia cum ecclesiastica comparata apparebit; quam ego, quum non tantum lucem in hac materia fœneretur, sed singularem etiam vsum in multis aliis respectibus iis omnibus, qui historiæ ecclesiasticæ dant operam, præbeat, huc transcribam ex libro, qui inscribitur *Notitia imperii* [c] & circa tempora *Arcadii* & *Honorii* confectus esse dicitur, in quo vniuersum imperium in tredecim diœceses sub quatuor præfectis prætorio, & centum circiter & viginti prouincias in illis comprehensas, diuiditur, modo & forma sequente:

Præfectus prætorio per *orientem* [d], & sub ipso quinque diœceses, nimirum *Oriens*, *Aegyptus*, *Asiana*, *Pontica*, *Thracia*:

I. In diœcesi *Orientis* numerantur quindecim prouinciæ. 1. Palæstina. 2. Phœnice. 3. Syria. 4. Cilicia. 5. Cyprus. 6. Arabia. 7. Isauria. 8. Palæstina salutaris. 9. Palæstina secunda. 10. Phœnice Libani. 11. Euphratensis. 12. Syria salutaris. 13. Osrhœna. 14. Mesopotamia. 15. Cilicia secunda.

II. In diœcesi *Aegypti* sex prouinciæ. 1. Libya superior. 2. Libya inferior. 3. Thebais. 4. Aegyptus. 5. Arcadia. 6. Augustamnica.

III. In diœcesi *Asiana* decem prouinciæ: 1. Pamphylia. 2. Hellespontus. 3. Lydia. 4. Pisidia. 5. Lycaonia. 6. Phrygia

(b) Lib. II. c. XVI. §. VI. volum. I. p. 211.

(c) Inscriptio libri sic habet: Notitia dignitatum vtriusque imperii, orientis scilicet & occidentis vltra Arcadii Honoriique tempora & in eam G. PANCIROLI I. V. D. commentarium. Geneuæ MDCXXIII. fol.

(d) Vid. libr. modo citat. part. I. p. 10.

paca-

pacatiana. 7. Phrygia ſalutaris. 8. Lycia. 9. Caria. 10. Inſulæ Cyclades.

IV. In diœceſi *Pontica* vndecim prouinciæ: 1. Galatia 2. Bithynia. 3. Honorias. 4. Cappadocia prima. 5. Paphlagonia. 6. Pontus Polemoniacus. 7. Hellenopontus. 8. Armenia prima. 9. Armenia ſecunda. 10. Galatia ſalutaris. 11. Cappadocia ſecunda.

V. In diœceſi *Thraciæ* ſex prouinciæ: 1. Europa. 2. Thracia. 3. Hæmimontis. 4. Rhodope. 5. Mœſia ſecunda. 6. Scythia.

Præfectus prætorio per *Illyricum* [e] & ſub ipſo diœceſes duæ, Macedonia & Dacia.

VI. In diœceſi *Macedoniæ* ſeptem prouinciæ: 1. Achaia. 2. Macedonia. 3. Creta. 4. Theſſalia. 5. Epirus vetus. 6. Epirus noua & pars Macedoniæ ſalutaris.

VII. In Diœceſi *Daciæ* quinque prouinciæ: 1. Dacia mediterranea. 2. Dacia ripenſis. 3. Mœſia prima. 4. Dardania. 5. Pars Macedoniæ ſalutaris & Præualitana.

Præfectus prætorio *Italiæ* [f] & ſub eo tres diœceſes, videlicet *Italia*, *Illyricum*, *Africa*.

VIII. In diœceſi *Italiæ* ſeptendecim prouinciæ: 1. Venetiæ. 2. Aemilia. 3. Liguria. 4. Flaminia & Picenum annonarium. 5. Tuſcia & Vmbria. 6. Picenum ſuburbicarium. 7. Campania. 8. Sicilia. 9. Apulia & Calabria. 10. Lucania & Brutii. 11. Alpes Cottiæ. 12. Rhetia prima. 13. Rhetia ſecunda. 14. Samnium. 15. Valeria. 16. Sardinia. 17. Corſica.

IX. In diœceſi *Illyrici* ſex prouinciæ: 1. Pannonia ſecunda. 2. Sauia. 3. Dalmatia. 4. Pannonia prima. 5. Noricum mediterraneum. 6. Noricum ripenſe.

X. In diœceſi *Africæ* ſex prouinciæ: 1. Bizacium. 2. Numidia. 3. Mauritania ſitifenſis. 4. Mauritania cæſarienſis. 5. Tripolis. 6. Africa proconſularis.

Præfectus prætorio *Galliarum* [g] & ſub eo tres diœceſes, nimirum *Hiſpania*, *Gallia*, *Britannia*.

XI. In diœceſi *Hiſpaniæ* ſeptem prouinciæ: 1. Bætica. 2.

(e) Ibid. p. 40.
(f) Ibid. part. II. pag. 10. 11.
(g) Ibid. p. 12. 13.

Luſita-

Lusitania. 3. Gallæcia. 4. Tarraconensis. 5. Carthaginensis. 6. Tingitania. 7. Baleares.

XII. In diœcesi *Galliæ* septemdecim prouinciæ: 1. Viennensis. 2. Lugdunensis prima. 3. Germania prima. 4. Germania secunda. 5. Belgica prima. 6. Belgica secunda. 7. Alpes maritimæ. 8. Alpes Penninæ & Graiæ. 9. Maxima Sequanorum. 10. Aquitania prima. 11. Aquitania secunda. 12. Nouem populi. 13. Narbonensis prima. 14. Narbonensis secunda. 15. Lugdunensis secunda. 16. Lugdunensis tertia. 17. Lugdunensis Senonia.

XIII. In diœcesi *Britanniæ* quinque prouinciæ: 1 Maxima cæsariensis. 2. Valentia. 3. Britannia prima. 4. Britannia secunda. 5. Flauia cæsariensis. Hactenus illa notitia imperii:

## §. VI.

*Comparata cum antiquissimis narrationibus de diuisione prouinciarum ecclesiastica.*

QVAMQVAM autem notitiam ecclesiæ, quæ eiusdem cum illa sit antiquitatis, non habemus: (Nam *notitia* LEONIS SAPIENTIS [*b*], quæ postea exhibetur, recentionis æui est) tamen si fragmenta, quæ in actis & subscriptionibus antiquorum conciliorum supersunt, cum hac notitia imperii comparaueris, & vtrumque cum posteriore notitia ecclesiæ contuleris, manifesto patebit, ecclesiam in diœceses & prouincias eodem plane modo ac imperium fuisse diuisam; habentem exarchum seu patriarcham in vnaquaque ferme diœcesi, & metropolitanum seu primatem in vnaquaque prouincia. Cuius maxime probabilis recensio, antedictæ ciuili notitiæ conformata, in sequenti tabula exhibetur, prout diuisio ecclesiæ sæculo quarto exeunte sese videtur habuisse.

| I. In diœcesi *Orientis*. | Patriarcha *Antiochiæ*. |
|---|---|
| *Prouinciæ.* | *Metropoles.* |
| 1. Palæstina prima. | 1. Cæsarea. |
| 2. Phœnice. | 2. Tyrus. |
| 3. Syria. | 3. Antiochia. |
| 4. Cilicia prima. | 4. Tarsus. |
| 5. Cyprus. | 5. Constantia. |
| 6. Arabia. | 6. Bostra. |

(*b*) Apud Leunclau. in iure Græco-Romano tom. I. p. 88.

7. Isauria.

| *Prouinciæ.* | *Metropoles.* |
|---|---|
| 7. Iſauria. | 7. Seleucia. |
| 8. Palæſtina ſalutaris. | 8. Hieroſolyma ſeu Aelia. |
| 9. Palæſtina ſecunda. | 9. Scythopolis. |
| 10. Phœnice Libani. | 10. Emiſſa. |
| 11. Euphratenſis. | 11. Hierapolis. |
| 12. Syria ſalutaris. | 12. Apamea. |
| 13. Oſrhoene. | 13. Edeſſa. |
| 14. Meſopotamia. | 14. Amida. |
| 15. Cilicia ſecunda. | 15. Anazarbus. |
| II. In diœceſi *Aegypti.* | Patriarcha *Alexandriæ.* |
| *Prouinciæ.* | *Metropoles.* |
| 1. Libya ſuperior. | 1. Ptolemais. |
| 2. Libya inferior. | 2. Dranicon. |
| 3. Thebais. | 3. Antinoë vel Lycopolis. |
| 4. Aegyptus: | 4. Alexandria. |
| 5. Arcadia. | 5. Oxirinchus. |
| 6. Auguſtamnica. | 6. Peluſium. |
| III In diœceſi *Aſiana.* | Exarchus *Epheſi.* |
| *Prouinciæ.* | *Metropoles.* |
| 1. Pamphylia. | 1. Perga vel Sida. |
| 2. Helleſpontus. | 2. Cyzicus. |
| 3. Lydia. | 3. Sardes. |
| 4. Piſidia. | 4. Antiochia. |
| 5. Lycaonia. | 5. Iconium. |
| 6. Phrygia Pacatiana. | 6. Laodicea. |
| 7. Phrygia ſalutaris. | 7. Synada. |
| 8. Lycia. | 8. Myra. |
| 9. Caria. | 9. Aphrodiſias vel Stauropolis. |
| 10. Inſulæ Cyclades. | 10. Rhodus. |
| 11. Aſia proconſularis. | 11. Epheſus. |
| IV. In diœceſi *Pontica.* | Exarchus *Cæſareæ.* |
| *Prouinciæ.* | *Metropoles.* |
| 1. Galatia. | 1. Ancyra. |
| 2. Bithynia. | 2. Nicomedia. |
| 3. Cappadocia prima. | 3. Cæſarea. |
| 4. Cappadocia ſecunda. | 4. Tyana. |

 5. Hono-

| *Prouinciæ.* | *Metropoles.* |
|---|---|
| 5. Honorias. | 5. Claudiopolis. |
| 6. Paphlagonia. | 6. Gangra. |
| 7. Pontus Polemoniacus. | 7. Neocæsarea. |
| 8. Hellenopontus. | 8. Amasea. |
| 9. Armenia prima. | 9. Sebastia. |
| 10. Armenia secunda. | 10. Melitene. |
| 11. Galatia salutaris. | 11. Pessinus, al. Iustinianopolis. |

| V. In diœcesi *Thraciæ.* | Exarchus *Heracleæ* primum, & postea *Constantinopolis.* |
|---|---|
| *Prouinciæ.* | *Metropoles.* |
| 1. Europa. | 1. Heraclea. |
| 2. Thracia. | 2. Philippopolis. |
| 3. Hæmus mons. | 3. Adrianopolis. |
| 4. Rhodope. | 4. Traianopolis. |
| 5. Mæsia secunda. | 5. Marcianopolis. |
| 6. Scythia. | 6. Tomi. Verum episcopus Tomitarum autocephalus potius quam metropolitanus, quia nullos sub se habuit episcopos suffraganeos. |

| VI. In diœcesi *Macedoniæ.* | Exarchus *Thessalonicæ.* |
|---|---|
| *Prouinciæ.* | *Metropoles.* |
| 1. Achaia. | 1. Corinthus. |
| 2. Macedonia. | 2. Thessalonica. |
| 3. Creta. | 3. Cortyna. |
| 4. Thessalia. | 4. Larissa. |
| 5. Epirus vetus. | 5. Nicopolis. |
| 6. Epirus noua. | 6. Dyrrachium. |

| VII. In diœcesi *Daciæ.* | Exarchus, forte primum *Sardicæ*, postea *Achridi* siue *Iustinianæ primæ.* |
|---|---|
| *Prouinciæ.* | *Metropoles.* |
| 1. Dacia mediterranea. | 1. Sardica. |
| 2. Dacia ripensis. | 2. Eadem. |
| 3. Mæsia prima. | 3. Eadem. |

4. Darda-

| *Prouinciæ.* | *Metropoles.* |
|---|---|
| 4. Dardania. | 4. Scupi. |
| 5. Præualitana. | 5. Achridus. |

VIII. Diœcesis *Italiæ* ab aliis pro vna tantum diœcesi habetur, ab aliis in duas diuiditur, in diœcesin *Italicam* & præfecturam *Romanam.*

| In diœcesi *Italica.* | Exarchus *Mediolani.* |
|---|---|
| *Prouinciæ.* | *Metropoles.* |
| 1. Flaminia & Picenum. | 1. Rauenna. |
| 2. Venetia & Histria. | 2. Aquileia. |
| 3. Aemilia. | 3. Rauenna. |
| 4. Liguria. | 4. Mediolanum. |
| 5. Alpes cottiæ. | 5. Mediolanum. |
| 6. Rhætia prima. | 6. Mediolanum. |
| 7. Rhætia secunda. | 7. Mediolanum, aliis Rhætiopolis, dicta Augusta Tiberii iam Ratispona. |

| In præfectura *Romana.* | Patriarcha *Romæ.* |
|---|---|
| *Prouinciæ.* | *Metropoles.* |
| 1. Picenum suburbicarium. | 1. Roma. |
| 2. Campania. | 2. Roma, aliis Capua. |
| 3. Tuscia & Vmbria. | 3. Roma. |
| 4. Apulia & Calabria. | 4. Roma. |
| 5. Brutii & Lucania. | 5. Roma. |
| 6. Samnium. | 6. Roma. |
| 7. Valeria. | 7. Roma. |
| 8. Sicilia. | 8. Syracusæ. |
| 9. Sardinia. | 9. Calaris. |
| 10. Corsica. | 10. Incerta, aliis Roma. |

| IX. In diœcesi *Illyrici* occidentalis. | Exarchus *Sirmii.* |
|---|---|
| *Prouinciæ.* | *Metropoles.* |
| 1. Pannonia prima s. superior. | 1. Laureacum. |
| 2. Pannonia secunda. | 2. Sirmium. |
| 3. Saluia. | 3. Sirmium, al. Vindomana. |
| 4. Dalmatia. | 4. Salona. |
| 5. Noricum mediterraneum. | 5. Nonnullis Salisburgum |

| *Prouinciæ.* | *Metropoles.* |
| --- | --- |
| 6. Noricum ripenſe. | 6. Nonnullis Laureacum, aliis iſtæ duæ incertæ. |
| X. In diœceſi *Africæ.* | Exarchus *Carthaginis.* |
| *Prouinciæ.* | *Metropoles.* |
| 1. Africa proconſularis. | 1. Carthago. |
| 2. Byzacium. | 2. Ciuilis metropolis Adrunetũ. Eccleſiaſtica autem ſequuta ſedem epiſcopi ſenioris. Sic in reliquis omnibus. |
| 3. Numidia. | 3. Cirtha Iulia, aliis Conſtantina. |
| 4. Tripolis. | 4. Tripolis. |
| 5. Mauritania Sitifenſis. | 5. Sitifi. |
| 6. Mauritania Cæſarienſis. | 6. Cæſarea. |
| XI. In diœceſi *Hiſpaniæ.* | Exarchus *incertus.* |
| *Prouinciæ.* | *Metropoles.* |
| 1. Bætica. | 1. Hiſpalis. |
| 2. Luſitania. | 2. Emerita Auguſta. |
| 3. Gallicia. | 3. Bracara. |
| 4 Tarraconenſis. | 4. Tarraco. |
| 5. Carthaginenſis. | 5. Carthago Hiſpanica. |
| 6. Tingitana. | 6. Sedes epiſcopi ſenioris. |
| 7. Inſulæ Baleares. | 7. Incerta, al. Palma. |
| XII. In diœceſi *Galliæ.* | Exarchus *incertus.* |
| *Prouinciæ.* | *Metropoles.* |
| 1. Viennenſis. | 1. Arelatum, aliis Vienna. |
| 2. Lugdunenſis. | 2. Lugdunum. |
| 3. Germania prima. | 3. Treuiris, poſtea Metæ. |
| 4. Germania ſecunda. | 4. Treuiris, poſtea Colonia. |
| 5. Belgica prima. | 5. Treueri. |
| 6 Belgica ſecunda. | 6. Rhemi. |
| 7. Alpes maritimæ. | 7. Ebrodunum. |
| 8. Alpes Penninæ & Graiæ. | 8. Vienna. |
| 9. Maxima Sequanorum. | 9. Viſontium. |
| 10. Aquitania prima. | 10. Bituriges. |
| 11. Aquitania ſecunda. | 11. Burdigala. |

| *Prouinciæ.* | *Metropoles.* |
| --- | --- |
| 12. Nouempopulonia. | 12. Elusa vel Augusta Ausciorum |
| 13. Narbonensis prima. | 13. Narbo. |
| 14. Narbonensis secunda. | 14. Aquæ Sextiæ. |
| 15. Lugdunensis secunda. | 15. Rothomagus. |
| 16. Lugdunensis tertia. | 16. Turones. |
| 17. Lugdunensis Senoniæ. | 17. Senonæ. |

| XIII. In diœcesi *Britanniæ.* | Exarchus *Eboraci.* |
| --- | --- |
| *Prouinciæ.* | *Metropoles.* |
| 1. Maxima Cæsariensis, quæ initio continebat omnia a Thamesi ad fines vsque septemtrionales. | 1. Eboracum. |
| 2. Flauia Cæsariensis sumta ex priori & complexa omnia a Thamesi vsque ad Abum. | 2. Eboracum. |
| 3. Britannia prima, cuncta ad partem meridionalem Thamesis complexa. | 3. Londinum. |
| 4. Britannia secunda, siue omnia vltra Sabrinam. | 4. Carleolum. |
| 5. Valentia vltra murum Picticum. | 5. Eboracum. |

Hic erat potissimum status & diuisio ecclesiæ in prouincias & exarchatus, siue diœceses metropoliticas & patriarchales, sæculo quarto extremo. Vnde apparet, inter ecclesiam & rempublicam in hac materia in occidentali pariter & orientali imperio accuratam conuenientiam intercessisse.

## §. VII.

*Hoc porro e regulis & canonibus ecclesiæ probatur.*

Et hoc porro e regulis & canonibus, nec non e nota ecclesiæ praxi hoc in casu probari potest. Nam si quæ prouinciæ in imperio diuiderentur, plerumque in ecclesia etiam quædam subsequebatur diuisio: Et si qua ciuitas ad maiorem dignignatem in recensione ciuili eueheretur, similiter in ecclesiastica quoque maiorem obtinebat dignitatem. Ita quum controversiæ de primatu inter ecclesias in eadem prouincia suborirentur,

tur, ratio hanc litem dirimendi hæc erat, vt disquirerent, quænam ex illis metropolis esset in republica, iuberentque eamdem etiam esse metropolim in ecclesia. De quibus omnibus manifesta documenta in antiqua historia reperiuntur. Secundum hanc regulam episcopus *Constantinopolitanus* ad patriarchalem prouehebatur potestatem in ecclesia, qui antea ne quidem metropolitanus, sed primati *Heracleæ* in *Thracia* subiectus, fuerat. Cuius rei hæc ipsa ratio a duobus conciliis generalibus, quæ ipsum in hac recens acquisita potestate confirmabant, dabatur. Primum *Constantinopolitanum* sic decernebat [a]: *Constantinopolitanus episcopus habeat priores honoris partes post Romanum episcopum, EO QVOD SIT IPSA NOVA ROMA.* Quod decretum denuo confirmatum & ratum habitum est in concilio *Chalcedonensi* [b], quando ita statuit: *Sanctorum patrum decreta vbique sequentes, & canonem, qui nuper lectus est, centum & quinquaginta Dei amantissimorum episcoporum agnoscentes, eadem quoque & nos decernimus & statuimus de privilegiis sanctissimæ ecclesiæ Constantinopolis, nouæ Romæ. Etenim antiquo Romæ throno, quod vrbs illa imperaret, iure patres priuilegia tribuerunt. Et eadem consideratione moti centum quinquaginta Dei amantissimi episcopi, sanctissimo nouæ Romæ throno æqualia priuilegia tribuerunt, recte iudicantes, vrbem, quæ & imperio & senatu honorata sit, & æqualibus cum antiquissima regina Roma priuilegiis fruatur, etiam in rebus ecclesiasticis, non secus ac illam, extolli ac magni fieri, secundam post illam exsistentem: vt & PONTICAE & ASIANAE & THRACIAE diœcesis metropolitani soli, præterea episcopi prædictarum diœcesi-*

(a) Concil. Constant. c. III. (tom. II. concil. pag. 947.) Τὸν μὲν τοι Κωνσταντινουπόλεως ἐπίσκοπον ἔχειν τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς μετὰ τὸν τῆς Ῥώμης ἐπίσκοπον, διὰ τὸ εἶναι αὐτὴν νέαν Ῥώμην.

(b) Concil. Chalced. c. XXVIII. (tom. IV. concil. p. 770.) Πανταχοῦ τοῖς τῶν ἁγίων πατέρων ὅροις ἑπόμενοι, καὶ τὸν ἀρτίως ἀναγνωσθέντα κανόνα τῶν ρν. θεοφιλεστάτων ἐπισκόπων γνωρίζοντες, τὰ αὐτὰ καὶ ἡμεῖς ὁρίζομεν καὶ ψηφιζόμεθα περὶ τῶν πρεσβείων τῆς ἁγιωτάτης ἐκκλησίας Κωνσταντινουπόλεως, νέας Ῥώμης. Καὶ γὰρ τῷ θρόνῳ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης, διὰ τὸ βασιλεύειν τὴν πόλιν ἐκείνην, οἱ πατέρες εἰκότως ἀποδεδώκασι τὰ πρεσβεῖα· καὶ τῷ αὐτῷ σκοπῷ κινούμενοι οἱ ρν. θεοφιλέστατοι ἐπίσκοποι τὰ ἴσα πρεσβεῖα ἀπένειμαν τῷ τῆς νέας Ῥώμης ἁγιωτάτῳ θρόνῳ, εὐλόγως κρίναντες, τὴν βασιλείᾳ καὶ συγκλήτῳ τιμηθεῖσαν πόλιν, καὶ τῶν ἴσων ἀπολαύουσαν πρεσβείων τῇ πρεσβυτέρᾳ βασιλίδι Ῥώμῃ καὶ ἐν τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς, ὡς ἐκείνην, μεγαλύνεσθαι πράγμασι, δευτέραν μετ᾽ ἐκείνην ὑπάρχουσαν· καὶ ὥστε τοὺς Ποντικῆς καὶ τῆς Ασιανῆς, καὶ τῆς Θρᾳκικῆς διοικήσεως μητροπολίτας μόνους, ἔτι δὲ καὶ

um,

*rum, quæ ſunt inter barbaros, a prædicto throno ſanctiſſimæ Conſtantinopolitanæ eccleſiæ ordinentur, vnoquoque ſcilicet prædictarum diœceſium metropolitano cum prouinciæ epiſcopis, prouinciæ epiſcopos ordinante, quemadmodum diuinis canonibus eſt traditum. Ordinari autem, ſicut dictum eſt, prædictarum diœceſium metropolitanos a Conſtantinopolitano archiepiſcopo, conuenientibus de more factis electionibus & ad ipſum relatis.* Quæ decreta euidenter demonſtrant, ſingularem formæ reipublicæ in finibus & limitibus iuriſdictionis in eccleſia conſtituendis habitam fuiſſe rationem. Concilium *Antiochenum* hoc pro ratione adlegat, cur epiſcopis metropolitanis generatim honor deferendus ſit, quod præſint metropoli prouinciæ [c], in quam vndequaque concurrant omnes, qui habeant negotia. Adeoque ſi qua diſputatio, vt fieri adſolebat, inter duos epiſcopos in eadem prouincia de poteſtate metropolitica oboriretur, vtroque eam ſibi vindicante: hanc controuerſiam decidendi ratio hæc erat, vt diſquireretur, vtrius ſedes vera eſſet metropolis in republica? Cui legitimum ius ac priuilegium metropolis in eccleſia adiudicabatur. Secundum hanc regulam concilium *Taurinenſe* controuerſiam de primatu inter duas eccleſias *Arelatenſem* & *Viennenſem* dirimebat, decreto facto in hanc ſen-

τοὺς ἐν τοῖς βαρβαρικοῖς ἐπισκόπους τῶν προειρημένων διοικήσεων χειροτονεῖσθαι ἀπὸ τοῦ προειρημένου ἁγιωτάτου θρόνου τῆς κατὰ Κωνσταντινούπολιν ἁγιωτάτης ἐκκλησίας· δηλαδὴ ἑκάστου μητροπολίτου τῶν προειρημένων διοικήσεων, μετὰ τῶν τῆς ἐπαρχίας ἐπισκόπων, χειροτονοῦντος τοὺς τῆς ἐπαρχίας ἐπισκόπους, καθὼς τοῖς θείοις κανόσι διηγόρευται· χειροτονεῖσθαι δὲ, καθὼς εἴρηται, τοὺς μητροπολίτας τῶν προειρημένων διοικήσεων παρὰ τοῦ Κωνσταντινουπόλεως ἀρχιεπισκόπου, ψηφισμάτων συμφώνων, κατὰ τὸ ἔθος, γενομένων, καὶ ἐπ' αὐτὸν ἀναφερομένων.

(c) Concil. Antioch. c. IX. (tom. II. conc. p. 565.) Τοὺς καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν ἐπισκόπους εἰδέναι χρὴ, τὸν ἐν τῇ μητροπόλει προεστῶτα ἐπίσκοπον καὶ τὴν φροντίδα ἀναδέχεσθαι πάσης τῆς ἐπαρχίας, διὰ τὸ ἐν τῇ μητροπόλει πανταχόθεν συντρέχειν πάντας τοὺς πράγματα ἔχοντας, ὅθεν ἔδοξε καὶ τῇ τιμῇ προηγεῖσθαι αὐτὸν, μηδέν τε πράττειν περιττὸν τοὺς λοιποὺς ἐπισκόπους ἄνευ αὐτοῦ, κατὰ τὸν ἀρχαῖον κρατήσαντα τῶν πατέρων ἡμῶν κανόνα, ἢ ταῦτα μόνα, ὅσα τῇ ἑκάστου ἐπιβάλλει παροικίᾳ καὶ ταῖς ὑπ' αὐτὴν χώραις. Epiſcopos, qui ſunt in vnaquaque prouincia, ſcire oportet, epiſcopum, qui præeſt metropoli, etiam curam ſuſcipere totius prouinciæ, eo quod in metropolim vndequaque concurrunt omnes, qui habent negotia. Vnde viſum eſt, eum quoque honore præcedere: reliquos autem epiſcopos nihil magni momenti adgredi ſine ipſo, vt vult, qui ab initio obtinuit, patrum canon: vel ſola, quæ ad vniuſcuiuſque parochiam conferunt, & regiones, quæ ei ſubſunt.

tenti-

tentiam: *Illud inter* [*d*] *episcopos vrbium Arelatensis & Viennensis, qui de primatus apud nos honore certabant, a sancta synodo definitum est, vt qui ex eis comprobauerit, suam ciuitatem esse metropolim, is totius prouinciæ honorem primatus obtineat, & ipse iuxta præceptum canonum ordinationum habeat potestatem.* Fieri interdum solebat, vt quis honoris cupidus antistes ab imperatore peteret, vt honorem & potestatem metropolitani in ecclesia sibi conferret, quum tamen prouincia, ad quam pertinebat, non nisi vnam haberet metropolim. Quæ res ante dictæ regulæ ecclesiæ adeo erat contraria, vt magna synodus *Chalcedonensis* [*e*] abdicationem officii episcopis tale quid audentibus minaretur. Ab altera autem parte, si imperator prouinciam aliquam in duas partiri, nouamque metropolim in secunda parte erigere, consultum duceret, tunc ecclesia nouæ metropolis episcopo itidem iura ac priuilegia metropolitani in ecclesia indulgere nonnumquam solebat. Hac ratione *Tyana* in *Cappadocia* sedes metropolitæ æque ac *Cæsarea* euasit, quia prouincia edicto imperiali in duas diuisa fuerat. Idem in diuisione plurium aliarum prouinciarum, *Galatiæ*, *Pamphyliæ*, ceterarum, factum est. Vti in *notitia ecclesiæ*, quæ sub finem huius libri exhibebitur, videre est. Canones quoque ecclesiæ ad iuuandam hanc praxin in nouorum episcopatuum erectione facti sunt. Nam concilium *Chalcedonense* [*f*] alium habet canonem, qui ait: *Si qua ciuitas ab imperatoria auctoritate innouata est, vel deinceps innouata fuerit, ciuiles & publicas formas ecclesiasticarum quoque parochiarum ordo consequatur.* Qui ca-

(*d*) Concil. Taurin. c. II. (tom. II. p. 11[illegible].)

(*e*) Conc. Chalced. c. XII. (tom. IV. p. 762.) Ἦλθεν εἰς ἡμᾶς, ὥς τινες παρὰ τοὺς ἐκκλησιαστικοὺς θεσμοὺς προσδραμόντες δυναστείαις, διὰ πραγματικῶν βασιλικῶν τὴν μίαν ἐπαρχίαν εἰς δύο κατέτεμον, ὡς ἐκ τούτου δύο μητροπολίτας εἶναι ἐν τῇ αὐτῇ ἐπαρχίᾳ· ὥρισε τοίνυν ἡ ἁγία σύνοδος, τοῦ λοιποῦ μηδὲν τοιοῦτον τολμᾶσθαι παρὰ ἐπισκόπων· ἐπεὶ τὸν τοῦτο ἐπιχειροῦντα ἐκπίπτειν τοῦ οἰκείου βαθμοῦ. Peruenit ad nos, quod quidam, quum præter ritus ecclesiasticos ad potentatus accessissent, per pragmaticos vnam prouinciam in duas diuiserunt: vt ex eo duo essent metropolitani in eadem prouincia. Statuit ergo sacra synodus, ne episcopus deinceps tale quid audeat: quoniam is, qui hoc adgreditur, a suo gradu excidet.

(*f*) Conc. Chaled. c. XVII. (ibid. 763.) Εἴ τις ἐκ βασιλικῆς ἐξουσίας ἐκαινίσθη πόλις, ἢ αὖθις καινισθείη, τοῖς πολιτικοῖς καὶ δημοσίοις τύποις καὶ τῶν ἐκκλησιαστικῶν παροικιῶν ἡ τάξις ἀκολουθείτω.

non

non in concilio *Trullano* [g] repetitur & confirmatur. Vt adeo, ſi quis locus priuilegium ciuitatis adeptus, a ciuili quodam magiſtratu ſeparatim conſtituto gubernari cœpiſſet, a prioris etiam epiſcopi iurisdictione liberari & ab aliquo ſibi proprio gubernari potuerit. Ita quum *Conſtantinus Maiumam* in *Palæſtina*, quæ alias *Gazæis* contributa erat, iure ciuitatis donaſſet & ſeparatim rempublicam habere præcepiſſet, ſtatim noua ſedes epiſcopalis illic erecta fuit, quæ poſtea perpetuo durauit, non obſtante, quod *Iulianus* odio permotus in rem chriſtianam, iſtam ciuitatem priuilegio exutam, *Gazæis* denuo adiudicaſſet. SOZOMENVS hoc narrat, & addit porro [h], ætate ſua quemdam epiſcopum *Gazæ*, mortuo epiſcopo *Maiumitanorum*, vtrumque clerum coniungere ac ſibi ſubiicere conatum fuiſſe, nefas eſſe dicentem, vt vnius vrbis duo eſſent epiſcopi. Sed quum *Maiumitani* contradicerent, ſynodum prouinciæ, cauſſa cognita, alium epiſcopum ordinaſſe: quod prorſus æquum eſſe iudicaret, vt qui pietatis cauſſa ius ciuitatis adepti fuiſſent, ſed pagani principis ſententia eo iure excidiſſent, in iis ſaltem, quæ ad ſacerdotium & eccleſiaſticum ordinem ſpectent, conceſſis ſibi præmiis nequaquam ſpoliarentur. Atque ita ſedes epiſcopalis manſit, locumque inter reliquas in notitia eccleſiæ retinuit. Idem de *Emmaunte* obſeruari poteſt, quæ initio non niſi vicus erat, ad diœceſim & ciuitatem ſpectans *Hieroſolymitanam*. Sed a *Romanis* poſtea reædificata & *Nicopolis*, a magnis victoriis de *Iudæis* reportatis, dicta, ciuitas euaſit & ſedes epiſcopi, ſub quo charactere lector in notitia eccleſiæ inuenire eam poteſt. Hæc clariſſima ſunt documenta, in conſtituendis diœceſium aliorum-

(g) Conc. Trull. c. XXXVIII. (tom. VI. conc. p. 1159.) Τὸν ἐκ τῶν πατέρων τεθέντα κανόνα καὶ ἡμεῖς παραφυλάττομεν, τὸν οὕτω διαγορεύοντα· εἴ τις ἐκ βασιλικῆς ἐξουσίας κ. τ. λ. Canonem, qui a patribus factus eſt, nos quoque obſeruamus, qui ſic edicit; Si qua ciuitas, cetera, *vt in concilio Chalced. tantum* loco παροικιῶν heic legitur πραγμάτων.

(h) Sozom. lib. V. c. III. τῶν καθ' ἡμᾶς ἐπισκόπων τις τῆς Γαζαίων πόλεως, τελευτηκότος τοῦ προεστῶτος τῆς Μαϊουμιτῶν ἐκκλησίας, ἐσπούδασεν ἀμφοτέρους τοὺς κλήρους ὑφ' ἑαυτὸν ποιῆσαι, μὴ θεμιτὸν εἶναι λέγων, μιᾶς πόλεως δύο ἐπισκόπους προεστάναι· ἀντειπόντων δὲ τῶν Μαϊουμιτῶν, διέγνω ἡ τοῦ ἔθνους σύνοδος, καὶ ἕτερον ἐχειροτόνησεν ἐπίσκοπον· πάντως προσήκειν δοκιμάσασα, τοὺς δι' εὐσέβειαν δικαίων πόλεως ἀξιωθέντας, διὰ δὲ κρίσιν ἑλληνιστοῦ βασιλέως ἄλλως πράξαντας, ἐν ἱερωσύναις καὶ τάξει ἐκκλησιῶν, χρῆναι ἀφαιρεῖσθαι τῶν δοθέντων γερῶν.

que territoriorum limitibus, & formando externo ecclesiæ regimine regularum reipublicæ multam rationem habitam, multasque res ad modum imperii *Romani* ordinatas fuisse.

### §. VIII.

*Ecclesia tamen ad hanc formam obseruandam non omnino obligata, sed libertate sua ab ea discedendi vsa.*

VERVM, quum hæ res essent decentiæ duntaxat & externi ordinis, ecclesia istam formam non absolute, sed in tantum sequuta est, in quantum ad spiritualis sui regiminis & disciplinæ finem expedire & conducere iudicauit. Quam ob caussam exemplum reipublicæ non in omnibus est imitata. Non habuit vmquam vniuersalem aliquem episcopum in vniuersalis imperatoris imitationem; neque orientalem & occidentalem pontificatum in imitationem orientalis & occidentalis imperii; nec quatuor magnos administratores spirituales, conuenientes quatuor magnis status ministris, præfectis videlicet prætorio in ciuili imperio; vt taceam alias formas ministrosue rerum imperii, quorum non mediocris numerus in *notitia imperii* exhibetur. Immo in his rebus, in quibus ciuilem sequuta est formam, libertas ei sua tam ecclesiasticis, quam imperialibus legibus videtur conseruata; nec ei quidquam huiusmodi vi impositum est, sed prout ipsamet pro sua prudentia & circumspectione id ordinandum duxisset. Hoc ex nouella quadam *Iustini* colligi potest, vbi posteaquam vtramque *Armeniam* in quatuor prouincias diuisisset, addit [*i*]: *Quæ vero ad sacerdotia spectant, ea volumus in pristina manere forma, negotio ipso neque circa ius metropoliticum neque circa ordinationes vel mutationem, vel nouationem suscipiente: sed prius ordinatis nunc quoque ex ordinatione auctoritatem obtinentibus, & prioribus item metropolitanis in suo permanentibus ordine: vt quantum ad ipsa nihil penitus innouetur.* Et hoc porro ex re-

(*i*) Iustin. nouel. XXXI. c. II. Τὰ μὲν τοι περὶ τὰς ἱερωσύνας μένειν κατὰ τὸ πρότερον βουλόμεθα σχῆμα, οὐδὲν οὐδὲ περὶ τὸ μητροπολιτικὸν δίκαιον, οὐδὲ περὶ τὰς χειροτονίας τοῦ πράγματος ἀμειβομένου ἢ καινιζομένου, ἀλλὰ τῶν πρότερον χειροτονούντων, καὶ νῦν ἐχόντων τὴν τῆς χειροτονίας ἐξουσίαν, καὶ τῶν προτέρων μητροπολιτῶν ἐπὶ τῆς ἑαυτῶν μενόντων τάξεως· ὥστε μηδὲν τό γε ἐπ' αὐταῖς καινισθῆναι.

Id. nouel. XXVIII. c. II. Πᾶσαι αἱ τρισκαίδεκα πόλεις ἐπαρχίας ἔστωσαν μιᾶς, ἀφαιρουμένης μὲν οὐδετέρας αὐτῶν τῶν μητροπόλεων (Ἀμασείας τε φαμὲν καὶ Νεοκαισαρείας) τοῦ τῆς μητροπόλεως ὀνόματος· τῶν δὲ θεοφιλεστάτων αὐτῶν ἐπισκόπων τῶν

spon∫o

ſponſo apparet, quod INNOCENTIVS epiſcopus *Romanus* aut aliquis ſub huius nomine *Alexandro Antiocheno* dedit, qui quæſtionem [*k*] propoſuerat: *Vtrum diuiſis imperiali iudicio prouinciis, vt duæ metropoles fiant, ſic duo metropolitani epiſcopi debeant nominari:* Cui ille reſpondet: *Non viſum eſt ad mobilitatem neceſſitatum mundanam Dei eccleſiam commutari, honoreſque aut diuiſiones perpeti, quas pro ſuis cauſſis faciendas duxerit imperator.* Id quod docet, eccleſiæ in his rebus fuiſſe liberum, formam & diuiſionem reipublicæ ſequi vel non ſequi, quemadmodum ſibi maxime expedire crediderit: & ſi quæ huius generis mutationes factæ fuerint, eas generatim dirigente vel conſentiente quodam prouinciali vel generali concilio, vel tacite conſentiente & approbante eccleſia, factas fuiſſe.

## §. IX.

### *De* eccleſiis ſuburbicariis *in territorio eccleſiæ* Romanæ.

DVM in hoc argumento, quod ad antiquam eccleſiæ diuiſionem attinet, verſamur, commodum eſt inquirere, quid vetuſti ſcriptores *per eccleſias ſuburbicarias* in eccleſiæ *Romanæ* territorio intelligant. RVFFINVS in ſua canonum *Nicænorum* verſione & epitome ſextum ex illis ita [*l*] exhibet: *Vt apud Alexandriam & in vrbe Roma vetuſta conſuetudo ſeruetur, vt vel ille Aegypti, vel hic SVBVRBICARIARVM ECCLESIARVM ſollicitudinem gerat.* Innumeræ quæſtiones hac de re inter viros eruditos vltimo ſæculo obortæ ſunt, quibus enarrandis hanc noſtram diſſertati-

μὲν μητροπολιτῶν ἐνταυθοῖ χειροτονυμένων· τῶν δὲ ὑπ' αὐτὰς τεταγμένων, ὁμοίως ὑπ' αὐτῶν τῶν τὰς μητροπόλεις ἐχόντων [καθὰ καὶ μέχρι νῦν ἦν] χειροτονυμένων. ὐδὲν γὰρ τῶν περὶ τὴν ἱερωσύνην αὐτῶν καινίζομεν, ἐπειδὴ καὶ ἐπὶ μιᾶς ἐπαρχίας καὶ ὁ πάλαι χρόνος, καὶ ὗτος ὁ νῦν κατακοσμηθεὶς ὑφ' ἡμῶν, οἶδε πολλὰς τοιαύτας καταςάσεις ἐν τοῖς θεοφιλεςάτοις ἐπισκόποις τυγχανύσας. Omnes illæ tredecim vrbes vnius ſunto prouinciæ, vt tamen neque alterutri in iis metropoli (Amaſiæ ſcilicet & Neocæſareæ) metropolis nomen detrahatur: & Dei amantes earum epiſcopi, metropolitani quidem in hac vrbe: qui vero ſub metropolitanis collocati ſunt ab his qui metropoles ſub cura ſua habent (vt hactenus in more fuit) ordinentur, nihil enim circa ſacerdotium illorum innouamus, quum multas eiuſmodi inſtitutiones inter Dei amantiſſimos epiſcopos in vna etiam prouincia exſiſtere, tam vetuſtum ſæculum, quam quod per nos modo exornatur, nouerit.

(*k*) Innocent. epiſt. XVIII. n. II. ad Alex. Antioch. (tom. II. concil. p. 1269.)

(*l*) Ruffin. hiſtor. lib. I. c. VI.

onem non onerabimus; ſed duas duntaxat quæſtiones, quas cognoſcere lectoris intereſt, diſcutiemus.

I. Quam late hoc territorium patuerit?

II. Num id fuerint limites metropoliticæ, vel patriarchalis poteſtatis eius?

Vt cognoſcamus, quam late patuerit hoc territorium, haud meliorem inire poſſimus rationem, quam vt diſquiramus, quid per *regiones ſuburbicarias* in aliis locis intelligatur. Hæc enim appellatio frequenter obuia eſt in *codice Theodoſiano* [m], vbi GOTHOFREDVS [n] & eruditus noſter CAVEVS [o] compluresque alii

(m) Cod. Theodoſ. lib. XI. tit. I. de annona leg. IX. Tabulariorum fraudes ſe reſecaſſe, per *ſuburbicarias regiones*, vir clariſſimus Anatolius conſularis, miſſa relatione, teſtatus eſt. Plura vid. apud Gothofr. in h. l.

(n) Gothofr. in cod. Theod. lib. XI. tit. I. de annona leg. IX. At quibus Italia ſic dicta limitibus coërcebatur, quod ſane ſciri intereſt: hac enim iam ratione ſciri poterit, quos intra fines *ſuburbicariæ* conſtiterint. Procedat igitur principibus illis, quos dixi, omnibus, prior Conſtantinus M. *lib. 2. ſup. de integr. reſtit.* ad Baſſum PP. *Placuit poſt completum XX & V. annum, ex eo quo viceſimi & ſexti anni in vrbe Roma vſque ad anni triceſimi extremum diem ſpatia prorogari, & intra centeſimum vrbis Romæ miliarium, ſi tamen ab his iudicibus, qui Romæ ſunt, fuerit iudicandum. Per omnem vero Italiam vſque ad finem anni viceſimi & noni. In ceteris omnibus prouinciis vſque ad completum annum viceſimum & octauum.* Nempe vides, vt Conſtantino M. iuniore principes *ſuburbicas* ſeu *vrbicarias regiones* Italiæ opponunt, exorto iam *ſuburbicariarum* nomine; ita ante exortum huius nominis a Conſtantino M. centeſimum ab vrbe Roma & Italiam opponi. Quare oportet ſuburbicarias regiones & centeſimum idem eſſe. Sane & Conſtantinus M. vt altius adhuc adſurgamus, non aliter Dio *lib. LII. p. 548.* τήν τε Ἰταλίαν, inquit πᾶσαν ὑπὲρ πεντήκοντα καὶ ἑπτακοσίους ἀπὸ τῆς πόλεως ϛαδίους οὖσαν. Nam eo loco DCCL. ſtadia præciſe efficiunt centum milliaria, quod alibi a me oſtenſum eſt. Immo non aliter in epiſtola D. Seueri ad Fabium Cilonem P. V. vt refert Vlpianus l. 1. in pr. ff. de off. P. V. *Omnia omnino crimina*, inquit, *præfectura vrbis ſibi vindicauit: nec tantum ea quæ intra vrbem admittuntur, verum ea quoque quæ extra vrbem intra Italiam epiſtola D. Seueri ad Fabium Cilonem præfectum vrbi miſſa declaratur.* Quo loco vox *intra* excluſiue accipienda, vt alibi pluribus oſtendo: quod hactenus non perſpectum, facit, vt hic locus cum altero eiusdem Vlpiani pugnare vulgo crederetur, quo non niſi centeſimum præfecti vrbis adminiſtrationi tribuit: quum tamen eadem ſit ſententia: Centeſimum enim ab vrbe ad Italiam decurrit, ſeu inter vrbem & Italiam iacet. Quare veriſſimum, *regiones ſuburbicarias* & centeſimum idem eſſe: contra Italiæ appellatione, cum his ſuburbicariæ opponuntur, veniſſe prouincias omnes vltra centeſimum ſubmotas. cetera.

(o) Caue *Anc. Church-Gov.* c. 3. p. 114. ſeq. Though men of Learning may by

terri-

territorium seu iurisdictionem *præfecti vrbis Romæ* interpretantur, quæ regio erat centum millia passuum circiter in ambitu continens, & *Romæ* proxima, vt ex vetusta lege manifestum est, quæ præfecti vrbi iurisdictionem non ad vrbem *Romam* tantum pertinere, sed etiam ad centesimum inde milliarium [p] patere, ibique limites illi constitutos esse, dicit. Id quod a CASSIODORO [q] etiam obseruatum est & DIONE [r], qui loco *centesimi lapidis* phrasin *septingentorum quinquaginta stadiorum* adhibet,

tricks and subtilty intangle and perplex an argument, yet two things are plain beyond all just exception. First, that the Jurisdiction of the City-Præfect reach'd an Hundred miles about *Rome*. Secondly, that the *Urbicary* and *Suburbicary* Regions lay chiefly, and in all likelyhood, intirely within that compass and deriv'd that title from their vicinity to the City, and their immediate dependance upon the Government of its Provost. And I cannot but a little wonder that *Sirmond*, who more than once grants the *Præfect* of *Rome* to have had jurisdiction within an Hundred miles, should yet as often deny, that he had any Provinces under his Government, as if there had been no Prinvinces within that compass, when they are expresly call'd the *Suburbanæ Prouinciæ* in the *Theodosian Code*, and the ordinary Judges in those parts commanded to return all greater causes to the Tribunal of the City-Præfect, and this in contradistinction to the course of other Provinces, which were to be accountable to the *Prætorian Præfect*.

(p) Digest. lib. I. tit. XII. leg. I. §. IV. Si quid intra centesimum milliarium admissum sit, ad præfectum vrbi pertinet: si vltra ipsum lapidem, egressum est præfecti vrbi notionem.

(q) Cassiodor. form. lib. VI. p. 207. edit. Colon. Allobrog. MDCLVI. 4to (p. 129. edit. Paris. MDLXXXIX. folio) Ditioni tuæ non solum Roma commissa est, (quamuis in illa continentur vniuersa) verum etiam intra centesimum milliarium potestatem te protendere, antiqua iura voluerunt: ne tantæ ciuitatis iudicem muralis agger includeret, quum Roma omnia possideret.

(r) Dio lib. LII. p. 548. edit. Francof. MDXCII. 8uo (p. 480. a. b. edit. Hanov. MDCVI. folio) Πολίαρχος δὴ τις ἐκ τῶν προηκόντων καὶ ἐκ τῶν πάντα τὰ καθήκοντα προπεπολιτευμένων ἀποδεικνύσθω· οὐχ ἵνα ἀποδημησάντων πού τῶν ἱππάρχων ἄρχῃ, ἀλλ' ἵνα τά τε ἄλλα ἀεὶ τῆς πόλεως προστατῇ, καὶ τὰς δίκας, τάς τε παρὰ πάντων ὧν εἶπον ἀρχόντων ἐφεσίμους τε καὶ ἀναπομπίμους, καὶ τὰς τοῦ θανάτου, τοῖς δὲ ἐν τῇ πόλει, πλὴν ὧν ἂν εἴπω· καὶ τοῖς ἔξω αὐτῆς μέχρι πεντήκοντα ἑξακοσίων σταδίων οἰκοῦσι, κρίνῃ. Præfectus vrbis ex primariis viris quidam creandus est, qui omnes magistratus, quos geri ante hunc conuenit, gesserit; non vt per absentiam magistratuum remp. administret: sed vt cum reliquis in rebus vrbi præsit, tum causas quoque eis, quibus prouocatio competit, capitalesque etiam omnes, iis exceptis, quas post dicam, in vrbe, *ac extra eam* vsque ad LXXXI. millia passuum diiudicet.

quod ſecundum iuſtam computandi rationem tantundem eſt. Alii regiones iſtas ſuburbicarias easdem eſſe exiſtimant cum decem prouinciis diœceſis *Italicæ*, quæ ſub *vicario vrbico* fuerunt conſtitutæ, qui cum altero vicario *Italiæ* diœceſin *Italicam* inter eos diuiſit: ita vt *vicarius Romanus* ſeptem prouincias *Italiæ* (ſupra in notitia memoratas) & tres inſulas, *Siciliam*, *Sardiniam* & *Corſicam* ſub ſua habuerit iurisdictione, quas ſuburbicarias regiones vrbis *Romæ* dixerunt. Ita doctus noſter BREREWOODVS [s], SIRMONDVS [t], DV PINIVS & alii nonnulli, qui eccleſiaſticam epiſcopi *Romani* iurisdictionem ad omnes haſce decem prouincias, ſub inſpectione *vicarii vrbis* conſtitutas, extendunt. Vtraque harum opinionum, quippe quæ ad minimum argumentis probabilitatis defendi queunt, admitti poteſt: quum e contrario illi, qui eccleſias ſuburbicarias vel ad ſingularem quamdam diœceſim adſtringunt, vel eas in tantum extendunt, vt omnes prouincias imperii occidentalis includant, in oppoſita ſibi extrema currant, quæ nullum fundamentum ſiue in canone *Nicæno* ipſo, ſiue in vlla alia parte hiſtoriæ eccleſiaſticæ iſtius æui, habent. Perſpectum enim exploratumque eſt, canonem iſtum de trium magnorum epiſcoporum, *Romani*, *Alexandrini* & *Antiocheni* poteſtate, tamquam vltra vnam diœceſin patente, loqui. Quod vero epiſcopi *Romani* poteſtas iſthoc tempore in omne occidentale imperium patuerit, eius quidem rei nec vola nec veſtigium in illo concilii *Nicæni* canone reperitur, ſed hic ipſe contra omnes vulgares ſententias de eccleſiis ſuburbicariis repugnat, & per notam diſtinctionem inter *Italicam* & *Romanam* eccleſias, ſiue prouincias, conſtantemque oppoſitionem, ab eccleſiis *Africanis*, *Britannica*, *Mediolanenſi* aliisque, minima quaque arrogatæ in ſe patriarchalis poteſtatis occaſione factam, confutatur. Vnde pronum eſt concludere, notionem eccleſiarum ſuburbicariarum non debere extendi vltra limites vel *præfecti vrbis* (cuius iurisdictio ad centeſimum lapidem circa *Romam* patebat; & qui ex CAVEI aliorumque nonnullorum ſententia limites quoque erant, metropoliticæ pontificis *Romani* poteſtati conſtituti:) vel certe non vltra limites decem iſtarum prouin-

(s) Brerewood *of Patriarch. Gov.* Q. I. p. 99.
(t) Sirmond. cenſur. coniectur. lib. I. c. IV. (tom. IV. opp. p. 33. 34. 35. edit. Pariſ. MDCXCVI.)

ciarum,

ciarum, quæ ciuili iurisdictioni vicarii vrbis proxime subiacebant, erantque sequentes: *1. Campania. 2. Tuscia & Vmbria. 3. Picenum suburbicarium. 4. Valeria. 5. Samnium. 6. Apulia & Calabria. 7. Lucania & Brutii. 8. Sicilia. 9. Sardinia. 10. Corsica.* Quas CAVEVS [u] veros & proprios patriarchalis potestatis papæ *Romani* limites fuisse, censet, quemadmodum reliquas fines metropoliticæ iurisdictionis illius fuisse, arbitratur.

§. X.

*Hi probabiliter veri olim limites metropoliticæ pariter & patriarchalis iurisdictionis episcopi* Romani.

VERVMTAMEN non multum, reor, interest, vtrum has decem prouincias episcopi *Romani* metropoliticas an patriarchales diœceses siue prouincias appelles. Nam omnibus demum disputationibus, quæ hoc de argumento excitatæ fuerunt, consideratis, hi magnam partem veri olim limites metropoliticæ & patriarchalis eius potestatis fuisse videntur. Multis, scio, hoc paradoxon videbitur: at vero rem ita se habere, in exemplo episcopi *Alexandrini* [w] ostendimus, cuius iurisdictionis limites iidem fuerunt, nimirum, sex prouinciæ diœcesis *Aegypti*, quum esset & metropolitanus & patriarcha. Et cur res cum episcopo *Romano* non in eumdem modum se habere pos-

(u) Cav. *Anc. Church Govern.* c. V. p. 266. But you'll say, where then shall we find the Roman Patriarchate? certainly within much narrower limits. And here nothing can offer it self with so much rational probability, as that his Patriarchal Jurisdiction was concurrent with that of the *Vicarius Vrbicus*, or the Lieutenant of *Rome*, as his Metropolitical was with that of the *Præfectus Vrbis*, or City-Provost. Now the *Vicarius Vrbicus* had ten Provinces under his Government, four *Consular*, viz. *Campania*, *Tuscia* and *Vmbria*, *Picenum Suburbicarium* (the *Suburbicary* as well as other Provinces being in some cases, especially that of tribute, under the Inspections of the *Prætorian* Præfect, and his Lieutenant) *Sicilia*; Two *Correctorial Apulia* with *Calabria*, and *Lucania Brutiorum*; Four *Præsidial*, *Samnium*, *Sardinia*, *Corsica*, and *Valeria*. This was the *Urbicary Diocess*, distinct from *Italick Diocess*, the Metropolis whereof was Milan. Within these bounds the Bishops of *Rome*, especially after the times of the *Nicene* Council, took upon them to exercise Jurisdiction, to call Synods, ordain Metropolitans, and dispatch other Church-affairs. Hence they had their usual synod, which was a kind of Council in ordinary to the Bishop of *Rome*, and met upon all important occasions.

(w) Lib. II. c. XVII. §. XI. volum. I. p. 247. 248.

set,

ſet, cuius priuilegia tamquam exemplar expiſcopo *Alexandrino* a concilio *Nicæno* præſcribuntur, cuius hæc [x] ſunt verba: *Antiqui mores ſeruentur, qui ſunt in Aegypto, Libya & Pentapoli, vt Alexandrinus epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem, quandoquidem & epiſcopo Romano hoc eſt conſultum. Similiter & in Antiochia & in aliis prouinciis ſua priuilegia ac ſuæ dignitates & auctoritates eccleſiis ſeruentur.* Nonnulli epiſcopum *Romanum*, quum hic canon ſtatueretur, metropolitanum tantummodo fuiſſe, exiſtimant, vti LAVNOIVS, BEVEREGIVS, STILLINGFLEETVS & CAVEVS; quorum ex ſententia ſequatur, oportet, vt eccleſiæ ſuburbicariæ territorium metropoliticæ eius poteſtatis fuerint. BREREWOODVS [y] & SPALATENSIS poſt HIERONYMVM putant, fuiſſe eum proprie ſic dictum patriarcham; & alibi [yy] oſtendimus, dari quasdam rationes, vt iis adſtipulemur. Sed tum limites patriarchalis eius poteſtatis adhuc plane iidem fuerunt (prout *Alexandriæ* obtinuit) & decem prouinciæ diœceſis *Romanæ* legitimi iurisdictionis ipſius fuerunt fines. Atque hoc DVPINIVS [z]

(x) Concil. Nicæn. c. VI. Τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω, τὰ ἐν Αἰγύπτῳ καὶ Λιβύῃ καὶ πενταπόλει, ὥστε τὸν Ἀλεξανδρείας ἐπίσκοπον πάντων τούτων ἔχειν τὴν ἐξουσίαν· ἐπειδὰν γὰρ τῷ ἐν τῇ Ῥώμῃ ἐπισκόπῳ τοῦτο σύνηθές ἐστιν· ὁμοίως δὲ καὶ κατὰ τὴν Ἀντιόχειαν, καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἐπαρχίαις, τὰ πρεσβεῖα σώζεσθαι ταῖς ἐκκλησίαις.

(y) Brerewood of Patriarchal Power qu. 1.

(yy) Lib. II. cap. XVII. §. VIII. volum. I. p. 241. 242.

(z) Du Pin. de diſciplin. eccleſiaſt. diſſert. I. n. XIV. p. 92. ed. Par. MDCLXXXVIII. 8uo (p. 89. edit. Pariſ. MDCXCI. 4to) Reſtat inquirendum, quæ fuerint prouinciæ & eccleſiæ ſuburbicariæ & quinam illarum limites. Hoc autem in primis circa iſtam quæſtionem ſtatuendum videtur & pro certo ſupponendum, eccleſias ſuburbicarias prouinciis reſpondere ſuburbicariis. Quemadmodum enim eccleſiæ Aegyptiæ, Aſianæ, Illyricanæ, orientales, eæ ſunt eccleſiæ, quæ in iſtis diœceſibus erant ſitæ: ita etiam eccleſiæ ſuburbicariæ aliæ eſſe non poſſunt ab iis, quæ prouinciis ſuburbicariis continebantur. Tota ergo quæſtio de eccleſiarum ſuburbicarum limitibus ex prouinciarum ſuburbicarum limitibus pendet. Prouinciæ autem ſuburbicariæ aliæ dici non poſſunt, quam illæ, quæ circa Romam adiacebant: quæ vrbs dicitur ἀντονομαστικῶς. Docet id vel ipſum nomen, quod regiones ab vrbe non longe poſitas ſignificat, tum etiam imperatoriarum legum auctoritas, in quibus prouinciæ ſuburbicariæ appellantur eæ, quæ circa Romam adiacebant. Et procul diſſitis ab vrbe regionibus, vt Africæ, Galliæ & Hiſpaniæ opponuntur, patetque vel ex vna lege codicis Theodoſiani lib. VIII. tit. V. leg. XXXIV. vbi ſtatuitur, vt decretum in gratiam Africæ proconſularis latum, locum etiam habeat in prouinciis ſuburbicariis. Ferri igitur minime poteſt illorum opinio, qui prouinciarum ſuburbicarum nomine, vel vniuerſum imperium, vel ſaltem occidentem vniuerſum deſignari volunt.

inter

inter *Romanenses* ingenue fateri non dubitat; *Germaniam*, *Hispaniam*, *Galliam*, *Britanniam*, *Africam*, *Illyricum* & septem *Italiæ* prouincias iurisdictioni patriarchæ *Romani* hisce primis & antiquis sæculis subiectas fuisse, negans.

## §. XI.

### *Perspicua quædam huius rei documenta.*

Hoc vulgaribus ecclesiæ *Romanensis* scriptoribus generatim aduersatur, quorum vnus ideo in DVPINIVM ira & stomacho tantopere incensus est, vt contumeliosissime & acerbissime ipsum tractet, quod illud tam audacter concesserit; adeaque respondere [a] satagit, quæ ille & STILLINGFLEETVS contra vsitatum papæ studium patriarchalem potestatem in vniversum occidentem sibi vindicandi attulerunt. Quo vero cum successu, lector ex paucis his exemplis facile iudicabit, quæ sensum de ambitu & limitibus iurisdictionis patriarchalis papæ *Romani* indicatum satis euidenter comprobant. I. RVFFINVS, qui *Italus* & presbyter *Aquileiæ* fuit, adeoque limites patriarchalis potestatis episcopi *Romani* ignorare haud potuit, interpretans sextum concilii *Nicæni* canonem iurisdictioni eius prouincias suburbicarias [b] circumscribit; & aliæ antiquæ versiones, a SIRMONDO & IVSTELLO publicatæ, cum hac RVFFINI interpretatione concordant. II. Reliquæ septem prouinciæ *Italiæ* dioecesim *Italicam*, vt a prouinciis *Romanis* distinctam, proprie constituentes cum *Mediolano* metropoli sua, ad earum ingressum sita, episcopi *Romani* iurisdictioni olim non fuerunt subiectæ. Nam *Mediolanum* frequenter metropolis *Italiæ* ab ATHANASIO [c]

---

(a) Schelstrate's *Dissertation of Metropolitical and Patriarchal Power against* Stillingfleet. Lond. 1688.

(b) Ruffin. histor. eccles. lib. I. c. VI. vid. supra §. IX. sub litt. (l) p. 387.

(c) Athanas. epist. ad solitar. tom. I. p. 831. edit. Par. MDCXXVII. (p. 363. d. edit. Par. MDCXCVIII.) ἐξ ὧν εἰσιν οἱ νῦν λαμπρᾷ χρησάμενοι τῇ ὁμολογίᾳ, ἄνδρες εὐλαβεῖς, καὶ ἐπίσκοποι ἀγαθοὶ, Παυλῖνος ὁ ἀπὸ Τριβέρων τῆς μητροπόλεως τῶν Γαλλιῶν ἐπίσκοπος, καὶ Λουκίφερ ὁ ἀπὸ τῆς μητροπόλεως τῆς Σαρδινίας ἐπίσκοπος, Εὐσέβιός τε ὁ ἀπὸ Βερκέλλων τῆς Ιταλίας, καὶ Διονύσιος ὁ ἀπὸ Μεδιολάνων, ἔστι δὲ καὶ αὕτη μητρόπολις τῆς Ιταλίας. E quorum numero sunt viri, qui iam claram edidere confessionem, ipsique religiosi ac probi episcopi, Paulinus Treuirorum Galliæ metropolis episcopus, Lucifer metropolis Sardiniæ episcopus, Eusebius Vercellorum Italiæ vrbis, Dionysius *Mediolani, est autem & ipsa metropolis Italiæ.*

& THEODORETO [d] vocatur, accipientibus *Italiam* strictiore & peculiari sensu, vt a prouinciis *Romæ* subiectis distinctam. Episcopus *Mediolanensis* ab episcopo *Romano* numquam fuit ordinatus (quod tamen fieri oportuisset, si patriarchali eius potestati fuisset subiectus:) sed ab episcopo *Aquileiæ*, quemadmodum huius ciuitatis & aliorum locorum episcopi a *Mediolanensi* fuerunt initiati, id quod ex epistola PELAGII papæ [e] apparet, nec MARCA [f] id negare audet. Idem a viris doctis

(d) Theodoret. lib. II. c. XV. ὁ μὲν ἐπίσκοπος τῆς Ῥώμης Λιβέριος, καὶ Παυλῖνος ὁ τῆς μητροπόλεως τῶν Γαλλιῶν, καὶ ὁ Διονύσιος ὁ τῆς μητροπόλεως τῆς Ἰταλίας κ.τ.λ. Liberius episcopus vrbis Romæ, Paulinus metropolis Galliarum, Dionysius *metropolis Italiæ* (*Mediolanum* intelligit.)

(e) Pelag. epist. XVII. (tom. V. concil. p. 805. e.) Is mos antiquus fuit, vt quia pro longinquitate vel difficultate itineris ab apostolico onerosum illis fuerat ordinari, *ipsi se inuicem Mediolanensis & Aquileiensis ordinare episcopi debuissent*, ita tamen vt in ea ciuitate, in qua erat ordinandus episcopus, alterius ciuitatis pontifex occurrere debuisset.

(f) Marc. de concord. sacerdot. lib. VI. c. IV. n. VII. Ambrosii Mediolanensis episcopi electio & ordinatio, quæ facta est a synodo totius Italiæ decreto imperatoris Valentiniani coacta, euincit, nihil iuris per illas tempestates Romano pontifici competiuisse in ordinatione metropolitani Mediolanensis; a qua manus abstinuit per multum æui, sero vsurpata eius ordinatione. Colligi id abunde potest ex epistola Pelagii I. anno DLV. in sede Petri præsidentis: qui docens, episcopos Aquileiensem & Mediolanensem consueuisse inuicem sibi manus imponere, quando alterutra harum sedium pastore proprio viduata erat, insinuare tamen nititur, hanc consuetudinem introductam esse vitandis sumtibus, qui electo incumberet, si Romam pro ordinatione accedere cogeretur; quum vera huius instituti ratio in eo consistat, quod quum Mediolanum esset caput diœceseos Italicæ, vt constat ex concilio Aquileiensi, ordinatio metropolitæ Aquileiensis ad episcopum Mediolanensem optimo iure pertinebat, primatis vero Mediolanensis ordinatio ad Aquileiensem episcopum, quod primus esset inter metropolitanos synodi generalis diœceseos Italiæ. Ex epistola tamen quadam Gregorii I. colligitur, illo æuo eius, id est LVIII. annis post Pelagium inualuisse, vt necessarius esset summi pontificis consensus ad hoc, vt episcopis prouinciæ Mediolanensis libera esset ordinatio metropolitani. Verba eius minime ambigua sunt ad exarchum Italiæ scribentis de electione episcopi Mediolanensis. Ait enim, se, vt consuetudinem seruet, missurum esse ministrum ecclesiæ Romanæ, qui electum ab episcopis comprouincialibus, sicut vetus mos exigit, cum adsensu quoque pontificis Romani faciat consecrari. Distinguit autem illic accurate ius canonicum episcoporum comprouincialium, quod veteri mori adscribit, ab ecclesiæ Romanæ possessione, quam simpliciter consuetudinem appellat, absque vllo epitheto, quæ consuetudo haud

de

de *Rauenna* & aliis *Italiæ* locis obſeruatum eſt, quæ de iurisdictione & ſubiectione cum epiſcopis *Romanis* frequenter concertarunt, qua de concertatione CAVEVS [g] narrationem hiſtoricam per multa ſæcula deductam edidit, quæ longior eſt, quam vt heic intertexi poſſit. III. Quod ad prouincias attinet *Africanas* (quæ patriarchalis dominii pontificis *Romani* pars eſſe venditatur) hæ ſemper exarchum ſeu patriarcham proprium habuerunt, primatem videlicet *Carthaginenſem*, qui abſolutæ & ab omni ſubiectione liberæ poteſtatis fuit [h], quemadmodum in *nouella* quadam ſua eum declarat IVSTINIANVS. Planum etiam & perſpicuum eſt, concilia *Africana* ita ſemper ſtatuiſſe. Nam vt numquam pro ordinationibus *Romam* miſerunt, ita, ne quis vlla in cauſſa eo appellaret, interdixerunt. Id quod ſine vlla contradictione ex concilio *Mileuitano* [i] liquet, vtpote in quo canon habetur in hanc ſententiam: *Placuit, vt presbyteri, diaconi vel ceteri inferiores clerici in cauſſis, quas habuerint, ſi de iudiciis epiſcoporum ſuorum queſti fuerint, vicini epiſcopi eos audiant: & inter eos, quicquid eſt, finiant, adhibiti ab eis ex conſenſu epiſcoporum ſuorum. Quod ſi ab eis prouocandum putauerint, non prouocent, niſi ad Africana concilia, vel ad primates prouinciarum ſuarum. Ad transmarina autem* (*Roma* intelligitur) *qui putauerit appellandum, a nullo inter Africam in communionem ſuſcipiatur.* Hoc decretum porro diuerſis generalium ſynodorum inter ipſos habitarum actis confirma-

dubie introducta erat poſt ſchiſma eccleſiarum Mediolanenſis & Aquileienſis. *Neceſſe fuit pro ſeruanda conſuetudine*, inquit Gregorius, *militem eccleſiæ noſtræ dirigere, qui eum, in quo omnium voluntates atque conſenſum concorditer conuenire cognouerit a ſuis epiſcopis ſicut vetus mos exigit, cum noſtro tamen adſenſu faciat conſecrari* Idem ad Ioannem ſubdiaconum, cui harum rerum executionem commiſit, ſcribens ita loquitur: *Tunc eum a propriis epiſcopis, ſicut antiquitatis mos obtinet, cum noſtræ auctoritatis adſenſu faciat conſecrari: quatenus huiusmodi ſeruata conſuetudine & apoſtolica ſedes proprium vigorem retineat & a ſe conceſſa aliis ſua iura non minuat.*

(g) Caue *Anc. Church Govern.* c. V. tot. pag. 201 - - 266.

(h) Iuſtin. nouel. CXXXI. c. IV. Καὶ τὸν ὅμοιον τρόπον τὸ δίκαιον τῆς ἀρχιερωσύνης, ὅπερ τῷ ἐπισκόπῳ Ἰυστιανῆς Καρχηδόνος τῆς Ἀφρικῆς διοικήσεως δεδώκαμεν, ἐξ ὅπερ ὁ Θεὸς ταύτην ἡμῖν ἀποκατέστησε, φυλάττεσθαι κελεύομεν. Simili quoque modo ius pontificis, quod epiſcopo Iuſtinianæ Carthaginis Africanæ ciuitatis dedimus, ex quo Deus hanc nobis reſtituit, ſeruari iubemus.

(i) Concil. Mileuit. II. c. XXII. (tom. II. conc. p. 1542.)

tum fuit, occasione notissimæ appellationis *Apiarii*, presbyteri *Africani*, quem, a concilii cuiusdam *Africani* patribus officio pulsum, *Zosimus*, episcopus *Romanus*, communioni restituere nitebatur. *Zosimus* decretum quoddam concilii *Nicæni*, vt venditabatur, pro se adlegabat, appellationes recipiendi sibi concedens auctoritatem. Sed patres *Africani* hoc decretum commentitium esse probabant, arcessitis *Constantinopoli*, *Antiochia* & *Alexandria* fide dignis canonum *Nicænorum* exemplis, in quibus nihil eiusmodi apparebat. Quo facto patres *Africani* ad *Celestinum* papam (*Zosimus* enim, & *Bonifacius* istius successor pendente controuersia, mortui erant) acriorem mittebant epistolam, in qua inter alia, „Præfato debitæ salutationis officio, inquiunt, „impendio deprecamur, vt deinceps ad vestras aures hinc ve- „nientes non facilius admittatis, nec a nobis excommunicatos „in communionem vltra velitis excipere: quia hoc etiam *Nicæ*- „*no* concilio definitum facile aduertet venerabilitas tua. Nam „& si de inferioribus clericis vel laicis videtur ibi præcaueri, „quanto magis hoc de episcopis voluit obseruari, ne in sua „prouincia communione suspensi, a tua sanctitate vel festina- „to, vel præpropere, vel indebite videantur communioni re- „stitui? Presbyterorum quoque & sequentium clericorum im- „proba refugia, sicuti te dignum est, repellat sanctitas tua: „quia & nulla patrum definitione hoc ecclesiæ derogatum est „*Africanæ*, & decreta *Nicæna* siue inferiores clericos, siue ipsos „episcopos, suis metropolitanis apertissime commiserunt. Pru- „dentissime enim iustissimeque prouiderunt, quæcumque nego- „tia in suis locis, vbi orta sint, finienda. Nec vnicuique proui- „dentiæ gratiam sancti spiritus defuturam: quæ æquitas a Chri- „sti sacerdotibus & prudenter videatur & constantissime tenea- „tur: maxime, quia vnicuique concessum est, si iudicio offen- „sus fuerit cognitorum, ad concilia suæ prouinciæ vel etiam v- „niuersale prouocare. Nisi forte quisquam est qui credat, vni- „cuilibet posse Deum nostrum examinis inspirare iustitiam, & „innumerabilibus congregatis in concilium sacerdotibus dene- „gare. Aut quomodo ipsum transmarinum iudicium ratum e- „rit, ad quod testium necessariæ personæ, vel propter sexus, „vel propter senectutis infirmitatem, multis aliis intercurrenti- „bus impedimentis, adduci non poterunt? Nam vt aliqui

tam-

„tamquam a tuæ ſanctitatis latere mittantur, nulla inuenimus „patrum ſynodo conſtitutum. Quia illud, quod pridem per eundem coëpiſcopum noſtrum *Fauſtinum*, tamquam ex parte *Nicæni* concilii, exinde transmiſiſtis, in conciliis verioribus, quæ „accipiuntur *Nicæni* a ſancto *Cyrillo*, coëpiſcopo noſtro *Alexandrinæ* eccleſiæ, & a venerabili *Attico Conſtantinopolitano* antiſtite, ex authentico miſſis, quæ etiam ante hoc per *Innocentium* „presbyterum & *Marcellum* ſubdiaconum, per quos ad nos ab „eis directa ſunt, venerabilis memoriæ *Bonifacio* epiſcopo prædeceſſori veſtro, a nobis transmiſſa ſunt, in quibus tale aliquid non potuimus reperire. Executores clericos veſtros „quibuscumque petentibus nolite mittere, nolite concedere, „ne fumoſum typhum ſæculi, in eccleſiam Chriſti, qui luce ſimplicitatis & humilitatis diem Deum videre cupientibus præfert, videamur inducere.„ Cum pluribus aliis in eamdem ſententiam, quæ *codici canonum eccleſiæ Africanæ* [*k*] fuſe inſerta inueniuntur. Ex quibus ſole meridiano clarius liquet, quod *Auguſtini* tempore papa *Romanus* patriarchalem poteſtatem in eccleſias *Africanas* nullo iure ſibi vindicare potuerit. IV. BALVZIVS porro pro eccleſiis *Gallicanis* (in excellenti ſua præfatione in librum ANTONII AVGVSTINI de *emendatione* GRATIANI) demonſtrauit, ante octingentos annos ſynodos *Gallicanas* nullam vmquam appellationem a decretis ſuis ad pontificem *Romanum* fieri permiſiſſe. Semper ſuos ipſæ ordinabant metropolitanos, vt ex concilio *Aurelianenſi* ſecundo [*l*] anno DXXXIII. apparet. Et nonnumquam paparum *Romanorum* vſurpationi fortiter reſiſtebant, quod in ante memorato BALVZIO & CAVEO [*m*] videre eſt, ad quos lectorem, quum ſpecia-

(*k*) Cod. can. Afric an. capp. CXXXV. CXXXVI. CXXXVII. CXXXVIII. (tom. II. concil. p. 1122. ſq.)

(*l*) Concil. Aurelian. II. c. VII. (tom. IV. concil. p. 1781.) In ordinandis metropolitani epiſcopi antiquam inſtitutionis formulam renouamus, quam per incuriam omnimodis videmus amiſſam. Itaque metropolitanus epiſcopus a comprouincialibus epiſcopis, clericis vel populis electus, congregatis in vnum omnibus comprouincialibus epiſcopis ordinetur, vt talis Deo propitio ad gradum huius dignitatis accedat, per quem regula eccleſiæ in melius aucta plus floreat.

(*m*) Caue *Anc. Church-Govern.* c. V. p. 210. 220. I shall only remark, that when *Hincmar*, Arch-bishop of *Remes* had depos'd *Rothald* Bishop of *Soissons*

liora ista heic interponere longum foret, amandamus. V. Denique, de ecclesiis *Britannicis* exploratum est, ante sexcentos annos nullam sui submissionem subter pontificis *Romani* patriarchalem potestatem eas agnouisse. Quum *Augustinus* monachus in *Britanniam* delatus septem, (vt perhibent) *Britonum* episcopis persuadere satageret, vt episcopo *Romano* sese submittentes ritus *Romanos* in celebratione paschatis & aliis quibusdam rebus amplecterentur: responsum illi [n] dabant in hanc sententiam: „Nescire se obedientiam papæ Romano debitam, „sed esse se sub gubernatione episcopi *Caërlegionis* super *Osca*, „qui sit sub Deo supremus ipsorum antistes. In negotio autem controuersiæ paschatis, tantum abest, vt ad *Romanam* consuetudinem sequendam se perduci passi sint, vt potius antiquum morem pascha die quodam dominico, a *Romana* festiuitate diverso, celebrandi per aliquot sæcula seruauerint, omnia argumenta, quæ pontifex eiusque adseclæ contra ipsos vrgere poterant, nihil morati. Vnde a pontificiis internuntiis & emissariis schismaticorum loco habiti fuerunt. Quæ res euidenter demonstrat, quod pontificis *Romani* potestatem patriarchalem in se, eo quidem tempore, non agnouerint. Id quod e

for great misdemeanours, *Rothald* appeal'd to *Rome*, and Pape *Nicolaus* espous'd his cause, wrote sharply to *Hincmar*, and cited him to appear, and answer what he had done at *Rome*. But *Hincmar* would not stir, but published a large Apologetick to the Pope, wherein he justifies his Act, and though the gives good words and great deference to the See Apostolick, yet stoutly contends, that he ought to be content with a general care and inspection, and not interrupt the ordinary rights of Metropolitans, and that 'twas infinitely reasonable, that the criminal should be referr'd to the judgement of his own Province.

(n) Spelman. concil. Britan. an. DCI. tom. I. p. 108. Responsio ita habet: Notum sit & absque dubitatione vobis, quod nos omnes sumus & quilibet nostrum obedientes & subditi ecclesiæ Dei & papæ Romæ & vnicuique vero & pio christiano ad amandum vnum quemque eorum verbo & facto fore filios Dei: & aliam obedientiam, quam istam, non scio debitam ei, quem vos nominatis esse patrem patrum, vindicari & postulari, & istam obedientiam nos sumus parati dare & soluere ei, & cuique christiano continuo. Præterea nos sumus sub gubernatione episcopi Caërlegionis super Osca, qui est ad superuidendum sub Deo super nobis & faciendum nos seruare vitam spiritualem.

BEDA

BEDA [o] manifeſtum eſt, qui diuerſis in locis illud repetit. Et GVILLIELMVS MALMSBVRIENSIS [p], STEPHANVS HEDDIVS [q], EADMERVS [r] & alii vitæ VVILFRIDI, archiepiſcopi *Eboracenſis*, (acerrimi propugnatoris rei *Romanæ* contra ritus *Britonum*) ſcriptores eamdem hiſtoriam memoriæ prodiderunt. Dicunt enim, *Wilfridum* ordinationem nec a *Scoticis*, nec *Britannicis* epiſcopis, nec ab vllo alio per ipſos ordinato, accipere voluiſſe, eò quod ſedes apoſtolica eorum reieciſſet communionem. Vt adeo, quemadmodum ex his auctoribus obſeruauit STILLINGFLEETVS [s] epiſcopus, planum ſit, eccleſias *Scoticas* & *Britannicas* eo tempore fuiſſe a *Romano* pontifice excommunicatas, quia *Romanis* ritibus in celebrando paſchate & arrogatæ in ſe pontificis poteſtati ſubmittere ſeſe noluerint. Multa plura, quæ huc faciunt, eruditi noſtri antiquarii BREREWOODVS [t], WATSONIVS [u], CAVEVS [w], & STILLINGFLEE-

(o) Bed. hiſtor. gent. Anglor. lib. II. c. II. & XIX. lib. III. c. XXV. Lib. V. c. XVI. & XXII.

(p) Malmsbur. de geſtis pontific. Anglor. lib. III.

(q) Steph. Heddius de vit. Wilfrid. c. XII.

(r) Eadmer. vit. Wilfrid.

(s) Stillingfleet's *Anſwer to* Creſſy. p. 300. Mr. *Creſſy* confeſſeth, *that the Scots, Picts, and Brittains in all matters of faith agreed with the Saxon, that is, the Roman Church:* but it is plain withall, that the great zealot for the Church of Rome, *Wilfrid*, refuſed to receive orders among them and gives this the reaſon of it, *becauſe the Apoſtolical See did not allow them communion with it*; for ſpeaking of the Brittish and Scottish Biſhops, he ſaith, *quos nec apoſtolica ſedes in communionem recepit, nec eos qui ſchiſmaticis conſentiunt:* it ſeems then, the *Brittish* and *Scottish Churches* ſtood *excommunicated* at that time by the Church of *Rome;* and therefore he deſires to go into *France, vt ſine controuerſia apoſtolicæ ſedis, licet indignus, gradum epiſcopalem merear accipere;* ſo that the Pope would neither allow their *churches* nor their *ordinations*. So *William* of *Malmsbury* ſaith, *that they would neither be ordained by the Scottish Biſhops, nor by any ordained by them, becauſe the Apoſtolical See had rejected their Communion.* But what was it, I beſeech Mr. *Creſſy*, that unchurched the Brittish and Scottish Chriſtians, and nulled their ordinations, and made them deſerve excommunication? *Why*, forſooth, *they had not the right tonſure among them, and they did not keep* Eaſter *on the right Sunday*; theſe are all the material differences Mr. *Creſſy* will allow for the cauſes of ſo much ſeverity.

(t) Brerewood *of Patriarch Gov.* Qu. 3.

(u) Watson de eccl. Britann. antiqua libertate theſ. II.

(w) Cave *Anc. Church Gov.* c. V. p. 244. From *Africk* let us ſail into *Brittain*, and

TVS [x], ad libertatem & omni subiectione immunem rationem

see how things stood in our own Country, the first Nation of the whole *Western* World that received the christian Faith; it being planted here (as *Gildas*, an Author of untainted Credit, and no inconsiderable antiquity, informs us, and he speaks it too with great assurance) *tempore summo Tiberii Caesaris*, in the latter Time of *Tiberius* his Reign, which admits to have been the very last year of his Life (he died *march* the XVI. Ann. Chr. XXXVII.) it was five or six years before 'tis pretended *S^t Peter* ever came to, or founded any church at *Rome*. Christianity though struggling with great difficulties, and but lukewarmly entertain'd by some, yet as *Gildas* assures us, made shift to keep its head in the following Ages, as is evident from some passages in *Origen*, *Tertullian*, and others, and from the known story of King *Lucius* the first Christian King, - - Religion being settled, that church Government grew up here as in other Countries, by Bishops and then Metropolitans, or superiour Bishops, there can be no just cause to doubt.

(x) Stillingfleet Orig. Britan. c. V. pag. 356. It remains onely, that we consider the *Liberty* or *Independency* of the *Brittish Churches*; of which we can have no greater Proof than from the *Carriage* of the *Brittish Bishops* towards *Augustin* the *Monk*, when he came with *full power* from the *Pope* to require *Subjection* from them. And this material point relating to the *Brittish Churches* I shall endeavour to clear from all the *Objections* which have been made against it. In order thereto, we are to understand, That *Augustin* the *Monk* by virtue of the Pope's Authority, did challenge *a Superiority over the Bishops of the* Brittish *Churches*, which appears not onely by *Gregory*'s Answer to his *Interrogations*, but by the *Scheme* of the *Ecclesiastical Government* here, which *Gregory* sent to him, after he had a fair prospect of the *Conversion* of the *Saxons*, which was at the same time that he sent *Mellitus*, *Justus*, *Paulinus* and *Rufinianus* whith the *Archiepiscopal Pall* to him. There he declares, thar there were to be two *Archbishops Sees*, one at *London*, (which out of honour to *Ethelbert* or *Augustin* was fixed at *Canterbury*, or rather by *Ethelbert*'s own Authority) and the other at *York*, which had been a *Metropolitan See* in the *British* times, and both these *Archbishops* were to have twelve *Suffragan Bishops* under them. The Bishop of *London* was to be consecrated by his *own Synod* and to receive the *Pall* from the Pope; But *Augustin* was to appoint the first Bishop of *York*, who was to yield *Subjection* to him for his time, but afterwards *the Sees* were to be *Independent* on each other. But by this it should seem, *that he had Authority given him onely over those Bishops who were consecrated by him, And the Archbishop of* York; what then becomes of those Bishops in *Britain*, who were *Consecrated* by neither, and such they knew there were? Concerning these *Gregory* gives a plain Answer, *That they were all to be subject to the Authority of Augustin; and to govern themselves in Life and Doctrine and Church-Offices according to his Direction.* *Augustin* being furnished with such *full Power*, as he

eccle-

ecclesiarum *Britanniæ* demonstrandam, adlegarunt, quæ heic repetere supersedemus, vnam tantum & alteram exceptionem, quam in dissertatione sua de patriarchali episcopi *Romani* potestate, STILLINGFLEETI *originibus ecclesiæ Britannicæ* opposita, fecit SCHELSTRATVS, consideraturi.

§. XII.

*Contrariæ exceptiones* Schelstrati de *ecclesia* Britannica *considerantur.*

SCHELSTRATVS[y], manuscriptum ab HENRICO SPELMANNO editum, continens responsum *Dinothi Augustino* datum, spurium esse dicit & commentitium: stilum enim manifeste prodere, quod recentioris sit ætatis. Quod profecto graue argumentum est hominis, qui tam idoneus stili *Britannici*, quo manuscriptum illud exaratum exstat, iudex est, vt ne linguam *Anglicanam* quidem sine interpretis opera se intelligere profiteatur. Quo pacto igitur illud, quod stilo *Britonum* scriptum est, diiudicare poterit, qui nullum illius linguæ vocabulum intelligit? Sed subiungit ille, materiam & argumentum ipsum ostendere, quod sit fictitium: manifestum enim esse, non fuisse ea tempestate archiepiscopum *Caërlegione* ad *Oscam*, quemad-

thought desires a *Meeting* with the *Brittish Bishops*, at a place called *Augustinsac*, as *Bede* saith, in the *Confines* of the *Wiccii* and the *West Saxons*. Where this place was is very uncertain, and not at all material; *Camden* could find nothing like it, and the *Conjectures* of others since have no great probability, either as to *Austric*, or *Haustake*, or *ossiuntree*, but at this place the *Brittish Bishops* gave *Augustin* a Meeting; where the first thing proposed by him was, *That they would embrace the Unity* of the Catholick Church, and then join with him in Preaching to the Gentiles, for, saith he, *they did many things repugnant to the Unity of the Church;* Which was in plain terms to charge them with *schism*; and the *Terms* of *Communion* offer'd, did imply *Submission* to the *Church* of *Rome*, and by consequence to his *Authority* over them. But the utmost that could be obtained from them, was onely *that they would take farther advice, and give another Meeting, with a greater Number.* And then were present *Seven Bishops of* the Brittains, *and many Learned Men*, chiefly of the Monastery of Banchor, where Dinoth was then Abbot; And the Result of this Meeting was, *that they utterly refused submission to the church of* Rome, *or to* Augustin *as Archbishop over* them. And for the Account of this, we are beholding to *Bede*, whose Authority is liable to no exception in this matter.

(y) Schelstrat. di Tertat. c. VI. p. 130.

modum ſcriptum venditet; ſed iurisdictionem metropoliticam iam ante centum circiter annos *Meneuiam* fuiſſe translatam. Quaſi non omnibus perſpectum ſit & exploratum, archiepiſcopum *Meneuiæ* (vrbis, nunc *S. Davids Head* dictæ) titulum archiepiſcopi *Caërlegionis*, ſede quantumuis inde remota, retinere potuiſſe, quia *Caërlegio* ſedes primitiua erat, non ſecus ac epiſcopus inſulæ *Manniæ* etiamnum titulum epiſcopi *Sodorenſis* retinet, eo quod *Sodora* & omnes *Hebrides*, ſeu inſulæ occidentales *Scotiæ*, pars dioeceſis ipſius olim fuerunt, licet nunc quidem per multa ſæcula ab ea ſeparatæ. Verum vt exemplum *Romæ* propius adferamus, geographi [z] narrant, quod *Oſtia* & *Portus Auguſti* adhuc duobus epiſcopis titulum tribuant, quorum alter ſemper ſit cardinalis quidam ſenior, alter collegii cardinalium decanus, licet vterque locus hodie ita exſtinctus iaceat, vt vix ab vllo homine incolatur. Infra capite quinto huius libri videbimus, ſæpius tres quatuorue antiquos epiſcopatus *Italicos* coniungi conſueuiſſe, quemadmodum de *Tarquiniis Corneto* & *Grauiſcis* obſeruauit HOLSTENIVS [a]. Neque rebus ita ſe habentibus abſurdum committitur, quocumque horum titulorum dioeceſis coniunctæ epiſcopus appelletur. Cur igitur id contra huius teſtimonii, quod epiſcopo *Meneuiæ* titulum epiſcopi *Caerlegionis* tribuit, valorem obiici oportuit, quando hæc vrbs titulus primitiuus fuit? Sed ſecundo ex BEDA conſtare dicit, quæſtionem illam non ad primatum epiſcopi *Romani*, ſed *Auguſtini* metropoliticam in illos iurisdictionem, attinuiſſe. Quomodo autem epiſcopi *Britannici* pro ſchismaticis habiti fuere, ſi papæ *Romani* auctoritas in hac controuerſia nullo

(z) Ferrar. lexic. geogr. voce *Oſtia*. Oſtia colonia & vrbs Latii, epiſcopalis, ad oſtia Tiberis, e regione Portus vrbis, prorſus a Saracenis euerſa, ab vrbe Roma XVI. mill. paſſ. diſtans. Manet epiſcopatus, qui cardinali ſeniori, a quo pontifex maximus coronatur, tribuitur. cetera.
Id. in voce *Portus Auguſti*. Portus Auguſti, qui & Romanus, *Porto*, vrbs Hetruriæ prorſus exciſa, quod Oſtia Tiberis, contra *Oſtiam* vrbem etiam exſtinctam II. mill. paſſ. diſtantem, ab vrbe Roma XVI. mill. paſſ. in meridiem. Manet epiſcopatus, vnus e ſex, qui cardinalibus antiquioribus conferuntur.

(a) Holſten. annot. in geogr. Carol. a S. Paulo p. 4?. ad voc. *Tarquinii*. *Tarquinii* vulgo *Tarquera*] *Tarquina* &c. Epiſcopatus hic Cornetum translatus, vt & Grauiſcanus.

modo

modo intercessit? Num schismatici forent, eo quod *Augustini* metropoliticam reiecissent iurisdictionem? Num hic istam potestatem inexcusabili quadam ratione & suo ipsius arbitratu vsurparat, seque ipsis metropolitam obtruderat, a nemine, qui dignitate ipso esset superior, ad hoc negotium legitime delegatus? Planum itaque est, alterum altero inclusum, & reiectionem *Augustini* etiam reiectionem fuisse illius, qui *Augustinum* amandarat. Sed vero in aliis etiam rebus primatum papæ admittere recusabant, ad ritus *Romanos* in celebratione paschatis, administratione baptismi, tonsura S. *Petri* aliisque quibusdam consuetudinibus nolentes sese conformare; id quod argumento erat, quod quemadmodum ecclesiæ *Romanæ* antea haud fuerant subiecti, nec cum ea quidem, sed cum orientalibus potius ecclesiis, communionem coluerant, ita nunc dictaturæ eius sese submittere in animo non haberent, antiquas potius suæ ipsorum, tamquam liberæ & ab alia nulla dependentis, ecclesiæ consuetudines porro obseruare parati. Num quis sibi persuadere potest, episcopos *Britannicos*, si pontificem *Romanum* legitima in se potestate gaudere credidissent, mandatis eius in eiusmodi rebus, vt sunt obseruatio paschatis & similes, sese submittere dubitaturos fuisse, quum res istæ minimam iurisdictionis patriarchalis partem efficiant? Ipse ille auctor noster, quando ad materiam paullo curatius considerandam progreditur, adserto suo inhærere non audet, sed episcopis *Britannicis* tandem cum BARONIO aliisque partis suæ scriptoribus conuitiari incipit, dicens [*b*], quod inde a tempore irruptionis *Saxonum*, doctrinis ritibusque ecclesiæ catholicæ desertis, tamquam schismatici a centro communionis ecclesiasticæ recessissent: & quod concludi oporteat, Deum miraculis, *Augustini* deprecatione factis, ecclesiæ schismaticæ *Britonum* falsitatem ostendere voluisse. Hoc ad institutum nostrum facit caussamque nobis concedit, de qua disceptatur, quæ est, Num ecclesia *Britannica* pontificis *Romani* iurisdictionem in se tunc agnouerit, quando eo peruenit *Augustinus*? Quod auctor noster post breuem quamdam cum docto aduersario suo altercationem negare, cumque eo pæne in eamdem pedibus ire sententiam cogitur, & tunc se ad vltimum &

(*b*) Schelstrat. diss. c. VI. p. 106.

commune partis suæ refugium, ad conuitia videlicet & miracula, conuertit, quæ quum nulla hac in re argumenta sint, nihil ad ea respondebimus; sed vnum adhuc dispiciemus, Vnde constet, *Britannos* sub aduentum *Saxonum* antiquam doctrinam de patriarchali papæ *Romani* potestate deseruisse? Quod vt demonstret auctor noster, plana & perspicua documenta adferat, necesse est, quod ante illud tempus ecclesia *Britannica* episcopi *Romani* patriarchalem in se iurisdictionem semper agnouerit. Et hic quidem prætextus toti dissertationi eius scopus est: sed probationes eius in leues quasdam coniecturas abeunt, quibus nihilo secius hæc quatuor momenta demonstrasse, videri cupit. I. A *Petro* apostolo ecclesiam *Britannicam* [c] fundatam esse; quod, quisquis episcopum VSSERIVM de primordiis [d] christianæ fidei in *Britannia* legit, æque facile S. *Paulo* vel viginti aliis attribuet: Adeo exigua ratio suppetit, patriarchalem pontificis *Romani* potestatem prima ecclesiæ *Britannicæ* conuersione stabiliendi. II. Ex antiqua traditione argumentatur, potestatem patriarchalem esse institutionis apostolicæ, & hoc ipso [e] ecclesiam *Britannicam Romanæ* subiectam factam, quicumque demum illam ad fidei christianæ obsequium primum perduxisset. Sed hæc traditio maiori inuoluta est obscuritate, & magis precaria argumentatio est, quam prima illa. III. Dicit, episcopos *Britannicos* in concilio *Arelatensi* episcopi *Romani* [f] patriarchalem in se & vniuersum occidentem agnouisse potestatem. IV. Denique, hanc potestatem in plena hac extensione & latitudine sexto concilii *Nicæni* canone agnitam esse & confirmatam [g]. Quatenus synodus *Nicæna* hanc potestatem admiserit vel confirmauerit, iam ostendimus, vbi de ecclesiis suburbicariis verba fecimus. Vt adeo vnum tantummodo supersit examinandum, quid ponderis argumentum *Schelstratianum*, ex concilio *Arelatensi* depromtum, habeat. Hoc concilium a *Constantino*, non autem ab episcopo *Romano*, contra *Donatistas* anno CCCXIV. coactum fuit. Aderant heic præsentes episcopi

(c) Schelstrat. diss. c. I. & II.

(d) Visser. de antiquit. eccles. Britan. c. I. tot.

(e) Schelstrat. dissert. c. III.

(f) Ibid. c. IV.

(g) Schelstrat. dissert. c. V.

*Britan-*

*Britannici*, *Eborius Eboraco*, *Restitutus Londino*, & *Adelphius Lindocolnia*, vel *Colonia Lindi*, quemadmodum probabiliter legi oportere postea demonstrabimus. Iam in synodica ipsorum epistola ad *Sylvestrum* papam locus quidam reperitur (ab omnibus autem pro corrupto agnitus) qui maiores eum dioeceses tenere [*h*] dicit. Quod auctor noster interpretatur, quasi patriarchalem quamdam potestatem in omnes magnas imperii occidentalis dioeceses, *Macedoniam*, *Daciam*, *Illyricum*, *Italiam*, *Africam*, *Hispaniam*, *Galliam* & *Britanniam* habere censendus sit. At enim vero vna heic quæstio fieri potest, quæ omnem isti commento speciem auferet. Num patres *Africani*, quorum multi huic interfuerunt concilio, vocabula *maiores dioeceses* ita intellexerunt? Quod si eos fecisse, dixeris, quomodo factum est, vt sæculo mox subsequuto tribus episcopis *Romanis*, vna serie sibi succedentibus, adeo fortiter se opponerent & libertatem sibi suam hac ipsa in caussa vindicarent, (quemadmodum illos fecisse supra (*hh*) vidimus,) omnem ei potestatem recipiendi ab ecclesiis *Africanis* appellationes denegantes? Num *Augustinus* & reliqui antistites omnes obliti ea fuerunt, quæ maiores sui *Arelati* admodum nuper subscriptione sua agnouerant, quod videlicet *Africa* vna esset ex papæ *Romani* maioribus dioecesibus? An vero sensibus suis, veluti miseri *Britones* sub irruptionem *Saxonum*, debilitati in schisma iam incurrerunt, quemadmodum illi fecisse contumeliose & falso dicuntur? Nihil horum omnium hoc in casu statui potest. Adeoque hoc nobis demonstrationi est, nec patres *Africanos*, nec *Britannos*, nec alios vllos tunc in concilio præsentes, verba ista *maiores dioeceses* eo sensu accepisse, quo quidem auctor noster ea accipienda esse, dictitat. Vt adeo, quicumque demum eorum sensus fuerit, hunc ea sensum habere non posse, certum sit. Atque ita omne argumentum, quod auctor ex hoc commento, ad subiiciendum pontifici *Romano Britannos*, construit, collabitur, vtpote fundamento destitutum.

(*h*) Concil. Arelat. I. epist. synod. (tom. I. concil. p. 1426. a.) Placuit etiam, antequam a te, qui *maiores dioeceses tenes*, per te potissimum omnibus insinuari. *Scheilstratus* & *Perronius* ita id corrigunt: Placuit etiam hæc iuxta antiquam consuetudinem a te, qui maiores dioeceses tenes, & per te potissimum omnibus insinuari.

(*hh*) Vid. §. XI. p. 395. 396. 397.

Nolo cum ipſo iam diſputans contendere pertinaciter, vocabulum *diœceſis* illa tempeſtate in nullo auctore pro maiore quadam imperii *Romani* diœceſi fuiſſe adhibitum. *Conſtantinum* [*i*] ita alicubi adhibuiſſe, dicit, loquentem de *Aſiana* & *Pontica* diœceſibus. Quæ res, ſi ipſum iuuare aliquo modo poteſt, alium ei locum ſuggerere poſſum. Nam *Conſtantinus* etiam de ciuili quodam miniſtro loquitur, quem *καθολικὸν διοικήσεως*, ſeu *rationalem diœceſis* [*k*] appellat, vbi cum VALESIO, maiorem aliquam imperii *Romani* diœceſin intelligendam eſſe, ſtatuo. Immo vero ſupra me exiſtimare dixi, iſto tempore patriarchas in eccleſia fuiſſe, magnasque habuiſſe imperii *Romani* diœceſes inter ſe diuiſas. Num vero hinc ſequitur, vt, quum vocabulum *diœceſis* nonnumquam ita adhibeatur, hoc loco idem ſignificare oporteat, vbi manifeſta eſt in contrarium demonſtratio? Nemini non notum eſt, circa illam tempeſtatem nomen diœceſis ſingulis etiam eccleſiis epiſcopalibus fuiſſe datum, easque maiores diœceſes vocari conſueuiſſe in oppoſitione titulorum ſeu parochiarum, quæ erant *quaſi diœceſes*, hoc eſt, minores diœceſes ſub illis comprehenſæ, quemadmodum liber *pontificalis* [*l*] in vita *Marcelli*, qui ex anteceſſoribus *Syluestri* vnus fuit,

(*i*) Conſtantin. ep. ad omnes eccleſias ap. Euſeb. de vit. Conſtant. lib. III. c. XIX. *Τούτου εἵνεκεν ἐπὶ τοῦ παρόντος καλῶς ἔχειν ἅπαντες ἡγήσαντο· καὶ αὐτὸς δὲ τῇ ὑμετέρᾳ ἀγχινοίᾳ ἀρέσειν ὑπεσχόμην, ἵν᾽ ὅπερ δ᾽ ἂν κατὰ τὴν Ῥωμαίων πόλιν τε καὶ Ἀφρικὴν, Ἰταλίαν τε ἅπασαν, Αἴγυπτον, Σπανίαν, Γαλλίας, Βρεττανίας, Λιβύας, ὅλην Ἑλλάδα, Ἀσιανήν τε διοίκησιν καὶ Ποντικὴν, καὶ Κιλικίαν, μιᾷ καὶ συμφώνῳ φυλάττεται γνώμῃ, ἀσμένως τοῦτο καὶ ἡ ὑμετέρα προσδέξηται σύνεσις.* Id circo id æquum rectumque eſſe omnes iudicauerunt, quod & vobis placiturum eſſe ſpopondi, vt ſcilicet quid in vrbe Roma perque omnem Italiam, Africam, Aegyptum; per Hiſpaniam, Gallias, Britannias, Libyas, per vniuerſam Achaiam, *per Aſianam & Ponticam diœceſin*, per Ciliciam denique concordi ſententia obſeruatur, id veſtra quoque prudentia libentibus animi amplectatur.

(*k*) Ibid. lib. IV. c. XXXVI. *ἀπεστάλη δὲ γράμματα παρὰ τῆς ἡμετέρας ἡμερότητος πρὸς τὸν τῆς διοικήσεως καθολικὸν, ὅπως ἅπαντα τὰ πρὸς ἐπισκευὴν αὐτῶν ἐπιτήδεια παρασχεῖν φροντίσειεν.* Litteræ a noſtra clementia miſſæ ſunt ad *rationalem diœceſis*, vt cuncta ad eorum codicum confectionem neceſſaria præberi curet.

(*l*) Pontifical. vit. Marcelli (tom. I. concil. p. 946. c.) Hic fecit cœmiterium via Salaria, & viginti quinque titulos in vrbe Roma conſtituit, *quaſi diœceſes*, propter baptiſmum & pœnitentiam multorum, qui conuertebantur ex paganis, & propter ſepulturas martyrum.

reddi-

reddidit. Vt adeo, quando *Syluester* maiores dioeceſes tenuiſſe dicitur, id nihil velit amplius, quam quod metropolitanus fuerit, habens diuerſas dioeceſes epiſcopales iurisdictioni ſuæ ſubiectas, quibus ſecundum conſuetudinem tempus celebrandi paſcha aliasque res in concilio decretas ſignificare debuit. Vel ſi ipſum iſto tempore patriarcham fuiſſe ſtatuas; tum per maiores eius dioeceſes intelligi poterunt decem prouinciæ ſuburbicariæ, quæ antiqui patriarchalis eius iurisdictionis limites fuerunt. Quemcumque vero ſenſum habent, eum certe habere nequeunt, quem auctor noſter de magnis imperii *Romani* dioeceſibus ſibi fingit. Abſurdum enim foret cogitare, quod *Africa* ex pontificis *Romani* dioeceſibus ſe eſſe, agnouerit, quæ numquam prouinciis ſuburbicariis fuit adnumerata, & quod magis eſt, quæ pontificis conſiliis, quibus vel minimam poteſtatem in ipſam ſibi conciliare ſtuduit, tam fortiter reſtitit, abſolutam nec aliunde dependentem poteſtatem in omnibus cauſſis cognitionis ac iurisdictionis eccleſiaſticæ ſibi vindicando. Et quum res eccleſiæ *Britannicæ* eadem fuerit atque *Africanæ*, ſequitur, eam æque minus atque alias *Romæ* paruiſſe, non obſtante, quod quidem eius epiſcopi in concilio *Arelatenſi* ſubiectionem papæ debitam agnouiſſe dicantur; qua ex re auctor noſter præcipuum cauſſæ ſuæ robur petit, quum tamen diligenter excuſſa & examinata nihil roboris habeat, quemadmodum lectori partium ſtudio alieno nos demonſtraſſe, haud dubitamus. Nos præcipuas quasdam celebris huius ſcriptoris exceptiones contra eccleſiæ *Britannicæ* libertatem tanto lubentius heic conſiderauimus, quod ignoramus, an quis vmquam ad eas reſponderit; & fore confidimus, vt hæc pauca, quæ attulimus, lectori vera libertatis noſtræ fundamenta & ſimul conſilia in contrarium ob oculos proponant, quæ epiſcopi *Romani*, tamquam patriarchæ imperii occidentalis, poteſtati nos ſubiicere volunt, quum tamen dioeceſis *Britannica* æque iuſto abſolutæ libertatis titulo, atque *Roma* ipſa, vel *Africa* vel alia quæcumque imperii dioeceſis, gauiſa ſit. Non inquiremus heic vlterius in aliorum patriarcharum vel metropolitanorum limites vel ipſorum dioeceſes, quod tanti momenti diſputationes de eis non fuerunt excitatæ, & quod ex *notitia* eccleſiæ, quam heic in vltima huius libri parte ſubiungimus, facile condiſci poſſunt. Quam ob

rem

rem proximo loco ordinariam antiquarum diœcesium episcopalium, siue, vti nunc vocantur, diœcesanarum ecclesiarum, amplitudinem examinabimus.

# LIBRI NONI
## CAPVT SECVNDVM
## DE NVMERO, NATVRA ET AMPLITVDINE DIOECESIVM, SIVE ECCLESIARVM EPISCOPALIVM, IN AFRICA, AEGYPTO, ALIISQVE ORIENTALIBVS PROVINCIIS.

### §. I.

*Diœceses olim παροικίαι*, parœciæ *dictæ.*

EX iis, quæ capite vltimo diximus, planum est & perspicuum, antiquissimam & apostolicam diuisionem factam fuisse in diœceses seu ecclesias episcopales; hoc est, eiusmodi districtus, quos singuli episcopi vna cum presbyteris suis gubernarunt. Interim in harum diœcesium naturam & amplitudinem paullo vlterius inquirendum est, quia magni errores a recentioribus quibusdam scriptoribus circa illas admissi sunt. Sunt, qui diœcesim tribus prioribus sæculis nihil amplius fuisse statuunt, quam tantum hominum numerum, qui in vnam quamdam congregationem coire potuere, & plerumque coiuerunt. Alii antiquarum diœcesium limites extendunt longius, vt ciuitatem & totam regionem adiacentem includant. Tunc vero, ethnicis ad christianam religionem generatim conuersis, istiusmodi diœceses in singulares congregationes diuidi & nouum vnicuique earum episcopum dari oportuisse statuunt. Nulla inter hasce duas opiniones differentia est, nisi hæc, quod altera primum & originarium ecclesiæ exemplar plane perperam capiat, & altera cum eius praxi litiget. Sed fundamentum rei erat, quod ecclesia in constituendis diœcesium limitibus aliam sequeretur regulam, non singularium conuentuum seu congregationum, sed regulam regiminis in qualibet ciuitate, includentis non tantum ciuitatem ipsam sed suburbia etiam, siue regionem, ciuitati intra iurisdictionis suæ limites circumiacentem. Quæ plana videtur esse ratio grandis illius & omnibus manifestæ differentiæ, quam in diœcesium amplitudine deprehendimus,

# ANTIQUORUM AFRICÆ Episcopatuum Geographica Nova Descriptio

15 20 25 30

35

OCEANUS ATLANTICUS

Fretum Gaditanum

Castellum Tingi

Nova

Lux Fl.

Oppinum

Rusadirum

MARE INTERNUM AFRICUM

MAURITANIA

Subur

Phoeta Mons

Gypsaria

Tasaccora

Castra Nova

Quidum

Regia

Mina

Arsenaria

Cartena

Tipasa

Icosium

Rusucurru

MAURITANIA

Macanita

Sala Fl

Amaurensia

Chalcorychy Mons

Vagal

Manliana

Buren Mons

Baaca

SITIFENSIS

TINGITANA

CÆSARIENSIS

Vaga

Zalacus Mons

Labdia

Thubuna

NUMIDIÆ PARS

Lamasba

Lambiri

Zama

30

Atlas Minor Mons

Durdus Mons

Agna

Agna Fl

Garaphi Mons

Phruresus Mons

Buzara Mons

Atlas Major Mons

LIBIÆ INTERIORIS PARS

15 20 25 30

30 35 40 45

Æthusa I

MARE INTERNUM AFRICUM Quod et

Carthago

Cossyra I

Gaulos I

Melite I

Æthusa I

Lopadusa I

MEDITERRANEUM

MAURITANIA

SITIFENSIS

PROCONSULARIS

Sinus Hadrumeticus

Cercina

NUMIDIA

Germania

Thambes Mons

BYZACENA

Tacape

Girba

Sabrata

Oea

Leptis Magna

MARE

Capsa

Telepte

Putea

Triton Fl.

TRIPOLITANA

Gillius Mons

Cinyphus Fl

Misinus I

Pontia I

Gaia I

Philoni villa

Buzara Mons

Marmarsanus Mons

Turris

Pallas palus

Libya palus

Usaletus Mons

Thizibi Mons

Ampsaga Fl.

LIBIÆ INTERIORIS PARS

Cruzambar Mons

30 35 40 45

N. 3

mus; quando aliæ admodum amplæ, aliæ valde anguſtæ ſunt, prout ciuilis cuiusque ciuitatis magiſtratus maiorem haberet vel minorem iurisdictionem. Equidem duo ſunt, quæ improvidis lectoribus hac in materia plerumque imponunt. Vnum eſt, quod dioecesis epiſcopalis antiquo nomine per tria priora ſæcula communiter dicatur παροικία, quam pro ecclesia parochiali, ſeu ſingulari quadam congregatione, falſo accipiunt: Quum tamen, vt viri eruditi [a] obſeruarunt, tunc non loca ſeu habitacula ab ecclesia quadam proxima, ſed vicos proximos a ciuitate denotaret, qui vna cum ciuitate epiſcopi παροικία, ſiue, vt nunc vocamus, ipſius dioecesis, ordinariæ illius curæ ac iurisdictionis limites erant. Rem ita ſe habuiſſe, inde euidenter apparet, quod ampliſſimæ dioeceses, quales erant *Romana*, *Antiochena*, & *Alexandrina*, quæ multas complectebantur ecclesias particulares, eodem nomine appellantur, quemadmodum lector vel centum loca in EVSEBIO [b] inuenire poterit, vbi vocabulum παροικίας adhibet, quando de his amplis & populoſis ciuitatibus, quæ plures ecclesias particulares in ſe continebant, loquitur. Ciuitas *Alexandrina* tempore *Alexandri* atque *Athanaſii* in diuerſos diſtrictus diuiſa erat, qui *lauræ* dicebantur, quarum in vnaquaque ecclesia erat presbyterum in ſe habens conſtitutum. Et nihilominus iſtæ omnes non niſi vna erant παροικία, quemadmodum *Alexandro* in epiſtola ſua encyclica [c] contra *A-*

(a) Brerewood *of Patriarch. Gov.* Q. I. p. 102.

(b) Euſeb. lib. I. c. I. ὅσα τε καὶ πηλίκα πραγματευθῆναι κατὰ τὴν ἐκκλησιαστικὴν ἱστορίαν λέγεται, καὶ ὅσοι ταύτης διαπρεπῶς ἐν ταῖς μάλιστα ἐπισημοτάταις παροικίαις ἡγήσαντό τε καὶ προέστησαν. Quot præterea quantæque res in ecclesia geſtæ a ſcriptoribus noſtris commemorentur: qui præcipue *in celeberrimis ciuitatibus* (*parœciis*) eidem ecclesiæ non ſine laude præfuerint.

Id. lib. II. c. XXIV. Νέρωνος ὄγδοον ἄγοντος τῆς βασιλείας ἔτος, Πρῶτος μετὰ Μάρκον τὸν ἀπόστολον καὶ εὐαγγελιστὴν, τῆς ἐν Ἀλεξανδρείᾳ παροικίας, Ἀνιανὸς τὴν λειτουργίαν διαδέχεται. Nerone octauum imperii annum agente primus poſt Marcum euangeliſtam *Alexandrinæ ecclesiæ* (*parœciæ*) adminiſtrationem ſuſcepit Anianus.

(c) Alex. epiſt. encycl. apud Socrat. lib. I. c. VI. Ἐν τῇ ἡμετέρᾳ παροικίᾳ ἐξῆλθον νῦν ἄνδρες παράνομοι καὶ χριστομάχοι κ. τ. λ. In *noſtra parœcia* exſtiterunt nuper homines iniqui & hoſtes Chriſti, cetera.

*viam* dicuntur. Lector hoc vocabulum videre poteſt ita adhibitum ab EPIPHANIO [*d*], HIERONYMO [*e*], conciliis *Antiocheno* [*f*], *Ancyrano* [*g*] multisque aliis poſteriorum ſæculorum, vbi certum eſt, epiſcopales diœceſes paullo ampliores fuiſſe quam eccleſias parochiales, quatenus hæ ſingulares congregationes ſignificare creduntur. Vt adeo nihil manifeſtius, quam vſus vocabuli *παροικίας* pro diœceſi, quarto poſt natum ſeruatorem ſæculo, eſſe poſſit.

## §. II.

*Quo tempore nomen* diœceſis *primum adhiberi cœptum ſit.*

IAM vero circa hanc tempeſtatem nomen *diœceſis* ſimili modo adhiberi cœpit. Nam ſynodus *Arelatenſis*, quæ ſæculo quarto ineunte celebrata eſt, ad epiſcopum ſcribens *Romanum*, maiores eum *diœceſes* tenere [*h*] dicit; quas diœceſes etſi SCHELSTRATVS & alii *Romanenſes* ſcriptores patriarchales diœceſes, ad

(*d*) Epiphan. epiſt. ad Ioan. Hieroſolym. Ad *meæ parœciæ* videbantur eccleſiam pertinere, cetera.

(*e*) Hieron. ep. LIII. ad Ripar. Miror Sanctum epiſcopum, in cuius *parochia* eſſe presbyter dicitur Vigilantius, acquieſcere furori eius &c.

(*f*) Concil. Antioch. c. IX. (tom. II. concil. p. 505.) ἕκαστον ἐπίσκοπον ἐξουσίαν ἔχειν τῆς ἑαυτοῦ παροικίας, διοικεῖν τε κατὰ τὴν ἑκάστῳ ἐπιβάλλουσαν εὐλάβειαν, καὶ πρόνοιαν ποιεῖσθαι πάσης τῆς χώρας τῆς ὑπὸ τὴν ἑαυτοῦ πόλιν. Vnumquemque epiſcopum habere *ſuæ parochiæ* poteſtatem & adminiſtrare pro vnicuique conueniente religione, & totius regionis curam gerere, quæ ſuæ vrbi ſubeſt.

(*g*) Concil. Ancyran. c. XVIII. (tom. I. conc. p. 1461.) Εἴ τινες ἐπίσκοποι καθαςαθέντες, καὶ μὴ δεχθέντες ὑπὸ τῆς παροικίας ἐκείνης, εἰς ἣν ὠνομάσθησαν, ἑτέραις βούλοιντο παροικίαις ἐπιέναι, καὶ βιάζεσθαι τοὺς καθεστῶτας, καὶ στάσεις κινεῖν κατ' αὐτῶν, τούτους ἀφορίζεσθαι. Si qui conſtituti epiſcopi, & ab illa *parochia*, in quam nominati fuerunt, non ſuſcepti, alias velint *parochias* inuadere, & iis qui conſtituti ſunt, vim adferre, & ſeditiones aduerſus illos excitare, eos ſegregari oportet.

Auguſtin. epiſt. CCXLI. [al. CCLXII.] (p. 1007. edit. Altdorf. MDCLXIIX. 4to) Fuſſala dicitur Hipponenſi territorio confine caſtellum: antea ibi numquam epiſcopus fuit: ſed ſimul cum contigua ſibi regione ad *parœciam Hipponenſis* eccleſiæ pertinebat.

Baſil. epiſt. CCLXIV. περιοδευόντων ἡμῶν τὴν παροικίαν κ. τ. λ. Dum ego vicina loca vrbis (*parochiam*) obirem, cetera.

(*h*) Concil. Arelat. I. epiſt. ſynod. (tom. I. concil. p. 1426.) vid. ſupra ſub lit. (*b*) pag. 405.

pon-

pontificis *Romani* iurisdictionem amplificandam, interpretantur; magis tamen probabile est, obseruante CAVEO [*i*], quod singulares tantum episcopatus significent, tametsi *Constantinum* diuisionem imperii in ciuiles dioeceses forte fecisse largiar, vnde patriarchales dioeceses nomen suum in sequentibus sæculis traxerunt. Vocabulum illud pro singulari quadam dioecesi in conciliis *Africanis* frequenter adhibetur, vt quum dicitur [*k*] *Nemini sit facultas, relicta principali cathedra, ad aliquam ecclesiam in DIOECESI constitutam se conferre*: Ita similiter in *codice Africano* & *collatione Carthaginensi* sæpius. Ex quibus perspicimus, vocabula *parochia* & *dioecesis* istis temporibus plane idem significasse, & si quis dioecesin nomine parochiæ vocet, hunc ideo eam non singularem quamdam congregationē facere.

§. III.

*Quid per* προάστεια, *seu* suburbia, *intelligendum sit.*

ALTERVM, quod lectoribus hac in re imponere solet, est ambigua significatio, quam nomina προάστεια & *suburbia* admittunt; quæ sensu hodierno accepta nihil amplius quam ædes

(*i*) Cave's *Anc. Ch. Gov.* c. III. p. 129. 130. When the synod at *Arles* in their Letter to Pope *Sylvester* say, that he did *maiores dioeceses tenere* (a passage frequently quoted by the Writers of the *Roman* Church) possess greater Dioceses; besides, that the place, as *Salmasius* obserues, is very corrupt, and affords no current sense, 'tis plain, that the word *Dioces* there cannot be understood of *Patriarchal* Dioceses, *Constantine* not having yet made the division of the Empire, nor *Dioceses* come up in a ciuil, much less in an Ecclesiastical sense) and must therefore be meant of single Bishopricks, in the modern use of the word, and which was not unusual in those days, as is evident from the *Code* of the *African* Church, and the conference between the *Catholicks* and *Donatists* at *Carthago*, where nothing is more common and obvious than the usage of the word *Dioces*, for a single Episcopal See; the places are too numerous to be reckon'd up.

(*k*) Conc. Carth. V. c. V. (tom. II. concil. p. 1216.)

Cod. can. Afric. c. CXVII. οἱαιδήποτε ἐκκλησίαι ἐν διοικήσει καθεστῶσαι, quæcumque ecclesiæ in *dioecesi* constitutæ. Can. CXVIII. inscriptio: Περὶ τοῦ, πῶς μεταξὺ ἀλλήλων μερίζονται τὰς διοικήσεις οἱ ἐπίσκοποι κ. τ λ. De *dioecesibus*, qualiter eas inter se diuidant episcopi &c. Can. CXIX. Inscript. Περὶ τοῦ, ἐάν τινα διοίκησιν ἐξ αἱρέσεως ἐλευθερώσῃ ἐπίσκοπος, καὶ περὶ τριετίαν κατέχῃ, μηδένα ταύτην ἀναζητεῖν. Vt si quam *dioecesim* episcopus ab hæresi liberans, triennio possederit, nullus eam repetat. Can. CXXIII. Inscript. ὥστε τὸν καταφρονοῦντα τῆς ἰδίας διοικήσεως ἐπίσκοπον στερεῖσθαι τῆς κοινωνίας. Vt si episcopus negligat suam *dioecesin*, communione priuetur.

mœnibus ciuitatis contiguas significant; antiquis autem temporibus omnes vicos seu pagos denotabant, ciuitati in certo quodam districtu circumiacentes, qui proinde tamquam ad ciuitatem pertinentes considerabantur, vt vt sæpius multorum millium passuum interuallo ab ea disiuncti. Sic *Canopus* duodecim milliaribus distabat ab *Alexandria*, & tamen in actis concilii *Chalcedonensis* ab *Athanasio* [*l*] quodam προάστειον, seu *suburbium* illius ciuitatis, vocari legimus. Ita *Daphne* SOZOMENO [*m*] dicitur *suburbanum Antiochiæ*, licet XL. stadiis seu quinque mill. pass. inde distaret. Et PANCIROLLVS [*n*] de nobili suburbio *Constantinopolis*, quod ἕβδομον siue *Septimum*, appellabant, obseruat, illud ita vocatum fuisse, quod septimo ab vrbe lapide abesset, quamquam postea, ciuitate mirum in modum increscente, propior illius pars facta atque habita est. Ita quoque in suburbanis *Carthaginis* locus erat, quem *Decimum* vocabant, quod decem milliaribus ab vrbe distaret, vti PROCOPIVS [*o*] auctor est. Sunt

(*l*) Concil. Chalced. act. III. (tom. IV. p. 408. c.) οὕτως οὖν καταλαβομένου ἐμοῦ τοῦ Ἀθανασίου τὴν Μετάνοιαν, προάστειον δὲ τοῦτο τῆς μεγίστης Ἀλεξανδρείας, ὅ ποτε Κάνωπος καλούμενον· ὅπερ προάστειον ἄνωθεν, καὶ ἐκ παλαιᾶς συνηθείας, ἐτύγχανε πρὸς ἀνάπαυσιν τῶν καταφύγων. Sic ergo perueniente me Athanasio in Metanœa, id est, huius nominis *suburbano magnæ Alexandrinæ ciuitatis, quod aliquando Canopus vocabatur;* quod *suburbanum* ab initio & ex antiqua consuetudine ad refrigerium confugientium constitutum est.

(*m*) Sozom. lib. V. c. XIX. Δάφνη τὸ ἐπίσημον τῆς Ἀντιοχείας προάστειον, κομᾷ μὲν ἄλσει κυπαρίσσων πολλῶν, *Daphne* nobile *Antiochiæ suburbanum* multarum quidem cupressorum nemore nitescit.

(*n*) Pancirol. com. in notit. imper. lib. I. c. LXXII. Erat id suburbium Constantinopolis, vt Procopius *lib. I. de ædificiis Iustinian* memorat. Alterum, ait, templum D. Theodoro ædificauit in suburbio, quod, *Hebdomon*, id est *Septimum* appellatur. - Prope *Septimum* Samuelis prophetæ ossa ab Arcadio Augusto translata & condita fuisse D. Hieronymus *aduersus Vigilantium* Martyrologium 20. *August.* & alii *Niceph.* lib. 14. c. 10. testantur. Ibidem, id est *septimo ab vrbe lapide* Theodosius Magnus in basilica magnifice exstructa, D. Ioan. Baptistæ caput condidit, vt D. Prosper *in chronicis.*

(*o*) Procop. Vandalic. lib. I. c. XVII. - ὅπως τῶν πολεμίων ἐν στενοῖς γινομένων ἀμφὶ τὸ τῆς πόλεως προάστειον, ὃ Δέκιμον καλοῦσιν, ἀμφοτέρωθεν ξυνιόντας, κυκλώσασθαί τε αὐτοὺς, καὶ σαγηνεύσαντας διαφθεῖραι. Vt cum hostis in angustias *Decimi*, *qui locus est in agro suburbano* (Carthaginensi) se compegisset, eum ipsi vtrimque interciperent, ac veluti septum indagine profliga-

etiam,

etiam, qui exiſtimant, quod *Ager Sexti*, in quo mortem pro religione *CHRISTI* ſubiit *Cyprianus*, ita dictus fuerit, quod ſex milliaria a ciuitate abeſſet. *Martyrologium* enim *Romanum* loco *Agri Sexti* ponit *Sextum Milliare*. Iam in omnibus iſtiusmodi ſuburbiis conuentus agebantur particulares, a conuentibus eccleſiarum ciuitatis diſtincti; quemadmodum ex iis, quæ EVSEBIVS [p] ex epiſtola DIONYSII ALEXANDRINI obſeruauit, apparet, qui ſibi ad *Collutbionem*, locum regionis *Mareoticæ*, migrare iuſſo multum conſolationis attuliſſe dicit, quod fratres, illic ſe ob vicinitatem vrbis cariſſimorum & coniunctiſſimorum hominum adſpectu crebrius fruiturum, monuiſſent, adfirmantes, eos acceſſuros ibique commoraturos, *&, tamquam in ſuburbanis remotioribus, particulares illic conuentus futuros.* Vt adeo antiqua hæc vocabula παροικία & προάστεια, vero ſuo vetuſto & primitiuo ſenſu accepta, diœceſin epiſcopi, non ſingularem quamdam parochiam ſenſu hodierno efficiant, ſed ciuitatem cum omnibus vicis & pagis intra regionem ſitis, ad quam magiſtratus oppidani iurisdictio patebat. Hæc enim, vt IVSTELLVS [q] ex probatis auctoribus demonſtrauit, differentia eſt inter πόλιν & κώμην, *ciuitatem* & *vicum*, vt ciuitas locus ſit, quem magiſtratus

rent - - ἐν δὲ Γράσσης ἐξαναστάντες, τεταρταῖοι ἐς Δέκιμον ἀφικόμεθα, σταδίοις ἑβδομήκοντα Καρχηδόνος ἀπέχον. Graſſe profecti die quarto peruenimus *Decimum*, *quod Charthagine ſtadiis LXX. diſtat.*

(p) Euſeb. lib. VII. c. XI. ὡς ἐν προαστείοις πορρωτέρω κειμένοις, κατὰ μέρος ἔσονται συναγωγαί.

(q) Iuſtel. not. in cod. can. p. 82. Ciuitatis nomine non tantum vrbs mœnibus cincta ſignificatur, ſed & regio ſeu territorium ciuitati adſcriptum. Sic Dio Chryſoſtomus orat. XXXIV. inter cetera, quæ Cæſarem Tarſenſibus conceſſiſſe narrat, χώραν nominat. κἀκεῖνος ὑμῖν, inquit, παρέσχε χώραν, νόμους, τιμὴν, ἐξουσίαν κ. τ. λ. *Ille vero vobis præſtitit regionem, leges, honorem, poteſtatem.* Xiphilinus de Byſantio a Seuero imperatore diruto & in vici formam redacto loquens, τὴν πόλιν τε, inquit, καὶ τὴν χώραν αὐτῆς Περινθίοις ἐχαρίσατο, καὶ αὐτῇ ἐκεῖνοι οἷα κώμῃ χρώμενοι. *Vrbem omnemque eius regionem Perinthiis conceſſit: illique Byſantio vſi ſunt vt vico.* Iurisconſulti territorium ciuitatis vocant. Pomponius, *Territorium eſt vniuerſitas agrorum intra fines cuiusque ciuitatis, intra quos*, vt ait Siculus Flaccus, *iuris dicendi ius erat.* Hinc iudicis territorium l. fin. ff. de iurisdict. Nec vero in republica tantum, ſed etiam in eccleſia ciuitates, regiones ac territoria ſua habuerunt, quæ paſſim in conciliis & in hiſtoria eccleſiaſtica παροικιῶν nomine ſignificantur. Iuſtinianus l. 26. c. de epiſcop. aud. ἐν ἐκείνῃ τῇ πόλει ἢ τῇ παροικίᾳ, *in ciuita-*

ex ſuo ipſius corpore conſtitutus domeſticis legibus moderatur, & in regionem ſibi circumiacentem exercet auctoritatem. Vicus autem locus ciuitati ſubditus, non habens ex ſe ipſo magiſtratum, ſed talem, qui ad ciuitatem, cui paret, ſpectat. Secundum quam notionem eccleſia epiſcopalis generatim erat ciuitas quædam & tota regio, eiusdem plane amplitudinis cum poteſtate magiſtratus ciuilis, cuius fines maximam partem diœceſis epiſcopalis fines erant; quamuis iſta regula non adeo vniuerſalis eſſet, quin ſpecialiores quasdam admitteret exceptiones. Atque hinc diſpaleſcit, quod licet amplitudines diœceſium inter ſe admodum diuerſæ fuerint, pro amplitudine regionis & territorii ciuitatis, & multæ earum valde anguſtum habuerint ambitum, cum aliis comparatæ; generatim tamen tam late patuerint, vt epiſcopum & presbyterium in eccleſia ciuitatis, & presbyteros ac diaconos in regionibus ruralibus, admitterent.

## §. IV.

*Diœceſes non generatim ita amplæ inter nationes, primis temporibus ad religionem chriſtianam perductas, quemadmodum inter nationes medio eccleſiæ æuo conuerſas.*

Ad illuſtrandam totam hanc materiam, (quæ ex diuerſis rationibus, ad ſtatum eccleſiæ antiquæ recte percipiendum, magni vſus eſt) ſpeciatim heic, quam late cum ampliores tum anguſtiores diœceſes patuerint, diſpiciemus, vtrarumque ſtatum paullo diſtinctius conſideraturi. Licet enim ratione amplitudinis inter ſe valde diſcreparent, omnes tamen forma regiminis conueniebant; cuius natura non in hoc conſiſtebat, vt his illisue limitibus omnino eſſet circumſcriptum; id enim conſtitu-

*te vel eius vicinia.* & l. 35. c. de epiſcop. & cler. κἂν τολμήσῃ τις ἀφελέσθαι πόλιν τοῦ ἰδίου ἐπισκόπου ἢ τῆς περιοικίδος αὐτῆς, ἀτιμοῦται. *Si quis audeat ciuitatem aut ſuo epiſcopo aut territorio priuare, infamis redditur.* Sic *territorium epiſcopi* in concil. Aurelian. I. can. XIX. & Aurelian. III. c. XIIX. conc. Vaſenſi can. III. Wormat. c. LX. & in actis concilii Conſtantinopolitani ſub Menna, *territorium Apamearum.*

Concil. Antioch. c. IX. (tom. II. conc. p. 565.) Ἕκαστον ἐπίσκοπον ἐξουσίαν ἔχειν τῆς ἑαυτοῦ παροικίας, διοικεῖν τὸ κατὰ τὴν ἑαυτῷ ἐπιβάλλουσαν εὐλάβειαν καὶ πρόνοιαν ποιεῖσθαι πάσης τῆς χώρας τῆς ὑπὸ τὴν ἑαυτοῦ πόλιν. Vnumquemque epiſcopum habere ſuæ parochiæ poteſtatem & adminiſtrare pro vnicuique conueniente religione, & totius regionis curam gerere, quæ ſuæ vrbi ſubeſt.

tioni

tioni eius tantum aduentitium quid erat. Eadem regiminis forma in plerisque ecclesiæ partibus adhuc conseruatur, & tamen vnusquisque, cui iustas obseruationes facere lubuerit, differentiam aliquam inter primas nationum conuersiones, & eas, quæ medio ecclesiæ æuo subsequutæ sunt, facile cognoscet. Nam in primis diœceses generatim numerosiores nec ita amplas, vt in posterioribus, fuisse in propatulo est. Omnis *Asia minor* in longitudine ab *Hellesponto* vsque ad *Euphratem* fluvium DCXXX. millia passuum, in latitudine a *Sinu Issico* in *Cilicia* vsque *ad Trapezuntem* circiter CCX. mill. pass. habere, ab optimis geographis existimatur. Nihilosecius quadringentæ fere diœceses in hoc terræ tractu fuerunt, vti lector ex *notitia ecclesiæ* ad calcem huius libri videre ipse poterit. Iam vero si oculos in medii æui conuersiones coniecerimus, numerum diœcesium valde exiguum, ambitum autem earum admodum magnum, deprehendemus. Nam in *Germania*, quæ duplo amplior quam *Asia minor* esse creditur, (longitudine illius DCCCXL. latitudine DCCXL. millia passuum complectente) XL. tantum episcopatus exsistunt; in vniuerso *Belgio* XVIII; in *Dania* XV; in *Suecia* X; in *Russia* XXI; in *Polonia* XXX; quemadmodum HEYLINVS aliique geographi eos computarunt. Et numerus episcopatuum in *Anglia* nostra, quæ itidem posterior quædam conversio est, & eorum, qui fuerunt in *Asia minore*, nullam inter se proportionem habent, licet *Magna Britannia* insula amplitudine sua isti prouinciæ non multum cedat. Curioso & docto lectori in huius differentiæ caussas inquirendum relinquimus, dum nos ad ostendendam diuersam diœcesium in primitiua ecclesia amplitudinem progredimur, vbi alias valde amplas, valde angustas alias, eamdem tamen episcopatus formam in omnibus seruatam, nec vllam singulari quadam congregatione terminatam, deprehendemus.

§. V.

*Specialior diœcesium* Africæ *descriptio.*

INITIVM faciemus a diœcesibus *Africanis*, quas nonnulli in minimis omnium episcopatibus falso posuerunt; quum tamen, si recte inita fuerit earum recensio, pluribus aliis multo ampliores fuisse, apparituræ sint. *Africa* enim (sex *Romanas* prouincias *Tripolim*, *Byzacenam*, *Africam proconsularem*, *Numidiam* & vtram-

& vtramque *Mauritaniam* complexa) PROCOPIO [r] dierum XC. iter patuisse dicitur: quod si vnius diei iter stadia CCX. siue milliaria viginti sex cum quadrante efficere statueris, sicvti PROCOPIVS supputat, vltra MMCCC. milliaria euadunt: Latitudo in quibusdam locis CC. & in aliis D. milliaria habebat: vnde inita computatione duplo maior, quam *Germania* vel *Gallia*, efficitur. Iam in hoc ambitu *Augustini* memoria circiter CCCCLXVI. episcopatus fuerunt, quemadmodum ex collatione *Carthaginensi* [s], *breuiculo* AVGVSTINI [t] & *notitia* ecclesiæ *Africanæ*, quinquaginta circiter annis post *Augustini* obitum facta, & a SIRMONDO [u] in lucem publicam edita, patet. Dioeceses, quæ nunc sunt in *Gallia*, si cum istis comparaueris, altero tanto maiores, & quæ sunt in *Germania*, adhuc maiores esse intelliges. Interim, hoc non obstante, episcopatus *Africani*, vti vir quidam doctus [v] computauit, singuli sexaginta vel octoginta ciuitates & vicos, summa vniuersorum adæquata, continuisse iudicari possunt. Hoc ad minimum certum est, illorum multos admodum late patuisse. AVGVSTINI dioecesis *Hipponensis* vltra quadraginta milliaria longa erat. Ipse enim *Fussalam* [w], dioecesis suæ oppidum, vbi nouum episcopatum erexerat,

(r) Procop. Vandal. lib. I. c. II. p. 177. Ἐπέβαλλε τῷ μὲν τὸ τῆς ἑσπέρας ἔχοντι κράτος, Λιβύης τὰ πλεῖστα διήκοντα ἐς ἐνενήκοντα ὁδὸν ἡμερῶν. Ad imperatorem occidentis pertinebat pars Africæ maxima, quæ dierum XC. iter patet. - - μιᾶς δὲ ἡμέρας ὁδὸς ἐς δέκα καὶ διακοσίους διήκει σταδίους. Vnius autem diei iter ad stadia CCX. euadit.

(s) Collat. Carthag. die I. (tom. II. conc. p. 1414.) n. CCXIII. Efficiuntur omnes (Donatistarum episcopi) ducenti septuaginta nouem. num. CCXIV. Catholicæ partis episcopi secundum subscriptionem huic breui insertam efficiuntur ducenti sexaginta sex, exceptis his, quos dicunt nec dum subscripsisse.

(t) Augustin. breuic. collat. die I. c. XIV. (tom. VII. opp. p. 565. edit. Basil. MDLXIX.) Quibus recitatis quæsiuit de numero episcoporum vtriusque. Respondit officium, nomina Donatistarum episcoporum esse ducenta septuaginta nouem, adnumeratis etiam illis, pro quibus absentibus alii subscripserant, computato & illo defuncto. Catholicorum autem omnium præsentia nomina esse constitit ducenta octoginta sex, viginti enim non subscripserant. cetera.

(u) Notit. Afric. apud Sirmond. miscell. tom. I. p. 439 -- 446. qua vltima pagina computatione facta Sirmondus, *Et sic fiunt*, inquit, *omnes episcopi diversarum prouinciarum numero CCCCLXVI.*

(v) Maurice's *Defence of Dioces. Episc.* p. 163.

(w) Aug. epist. CCLXII. ad Cælestin. (p. 1007. ed. Altdorf.) Ab Hippone memoratum castellum millibus quadraginta seiungitur.

quatu-

quatuor milliaribus a ſe abfuiſſe narrat. Nonnullæ etiam aliæ diœceſis ipſius eccleſiæ in epiſtolis [x] & aliis libris eius memorantur, quas STILLINGFLEETVS [y] conlegit. Quibus lector

(x) Auguſtin. epiſt. LXXIV. *Malliamenſem* quemdam ſubdiaconum, Victorinum, apud nos conſtitit eſſe Manichæum, cetera. - - eum coërcitum pellendum de ciuitate (*Malliana* ſiue *Mehane*) curaui.
It. epiſt. CCIII. *Mutagenam* ipſe perrexi & eam quidem miſeram videre non potui &c.
It. ep. CCXII. Illud ſane moneo, quia dignaris, quoniam & ſalus & exiſtimatio tua cariſſima nobis eſt, & ipſi *Germanicianenſes* pertinent ad curam humilitatis noſtræ, cetera.
It. epiſt. CCXXXVI. Conuictus atque confeſſus eſt, die ieiunii natalis domini, quo etiam *Gippitana eccleſia*, ſicut ceteræ, ieiunabat. cetera. - - Et quum me rogaret, vt ad *presbyterum fundi Armemanenſis in campo Bullenſi*, vnde ad nos venerat, cauſſa eius inſinuata litteras darem, &c.
It. de cura pro mortuis c. XII. (tom. IV. opp. edit. Baſil. MDLXIX. p. 888. c.) Homo quidam Curma nomine, *municipii Tullienſis*, quod Hipponi proximum eſt, cetera.

(y) Stillingfleet's *Unreaſonableneſs of Separation* part. III. ſect. IX. p. 251. 252. Let Mr. *Baxter* now judge, whether their *Bishopricks* were like our *Pariſhes*, as he confidently affirms. Saint *Auguſtin* mentions the *municipium Tullenſe* not far from *Hippo*, there was a *Presbyter* and *Clerks* under his *care* and *government*. - - It ſeems the *Donatiſts* were very troubleſome in ſome of the remoter parts of the *Dioces* of *Hippo*, whereupon Saint *Auguſtin* ſent one of his *presbyters* to *Cæcilian* the *Roman Preſident*, to complain of their inſolence, and to crave his aſſiſtance, which he ſaith he did, *leſt he ſhould be blamed for his negligence, who was the Biſhop of that Dioces.* And can we think all theſe perſons had *preſential and local communion* with Saint *Auguſtin* in his church at *Hippo?* While he has yet but a *Presbyter* at *Hippo*, in the abſence of the *Bishop* he writes to *Maximinus* a *Donatiſt Biſhop* a sharp letter, for offering to *re-baptize* a *Deacon* of their *Church*, who was placed at *Mutagena*, and he ſaith, *he went from* Hippo *to the place himſelf, to be ſatisfied of the truth of it.* At the ſame place lived one *Donatus* a *Presbyter* of the Donatiſts, whom ſaint *Auguſtin* would have had brought to him againſt his will, to be better inſtructed, *as being under his care*, but the obſtinate man rather endeavour'd to make away him ſelf, upon this he writes a long Epiſtle to him. In another Epiſtle he gives an account, that there was a place called *Fuſſala*, *which with the Country about it belonged to the Dioces of* Hippo; *where there was abundance of People, but almoſt all* Donatiſts; *but by his great care in ſending Presbyters among them, thoſe places were all reduced; but becauſe* Fuſſala *was 40. miles diſtant from* Hippo, *he took care to have a Biſhop placed among them*; but as appears by the event he had better have kept it under his own care. For upon the complaints made againſt their *new Biſhop*, he vvas fain to *reſume it*; as appears by a *Presbyter* of epi-

epiſtolas alias [z] addere poteſt, in quibus eccleſiarum apud *Subſanam*, apud *Turres*, apud *Cizam*, apud *Verbalis* & in *Fundo Strabonianenſi* atque *Gippitano*, tamquam diſpenſationi ac curæ ſuæ creditarum, mentionem facit. In ipſa ciuitate *Hipponenſi* diuerſæ erant eccleſiæ, quarum tres ex occaſione AVGVSTINO memorantur, vna dicta *eccleſia pacis* [a], alia *baſilica Leontii* [b] & tertia quædam ad *viginti martyres* [c], quorum fama *Hippone* [d] celebris erat, vt qui probabiliter martyres *Africani* & ſpeciatim de eccleſia, cuius *Auguſtinus* erat epiſcopus, fuerunt. In altera ciuitate *Hipponenſi*, quæ *Hippo Diaretorum* diſtinctionis ergo appellabatur, canones *Africani* [e] de diuerſis loquuntur eccleſiis.

---

*Fuſſala*, vvhich he mentions aftervvards. However it appears, that a place *40. miles diſtance* was then under the care of ſo *great* a *Saint*, and ſo *excellent a Biſhop* as Saint *Auguſtin* was.

(z) Aug. ep. CCXXXVI. Inſinuo prudentiæ tuæ, Habundantium quemdam in *fundo Strabonianenſi* pertinente ad curam veſtram ordinatum fuiſſe presbyterum. Ibid. Die ieiunii natalis domini, quo etiam *Gippitana eccleſia*, ſicut ceteræ, ieiunabat.

It. ep. CCXL. Ordinatus eſt apud *Subſanam* ſubdiaconus Timotheus præter meum conſilium & voluntatem. - - Certus ſum, Chriſtum habitare in corde tuo, per quem te obſecro, vt ipſum conſulas tuæ menti ſibi ſubditæ præſidentem, vtrum homo, qui in eccleſia meæ diſpenſationi credita iam legere cœperat, & non ſemel, ſed iterum & tertio, apud *Subſanam*, & presbytero *Subſanenſis eccleſiæ* comitatus, & apud *Turres*, & apud *Cizam* & apud *Verbalis* legerat, non fuiſſe lector poſſit aut debeat iudicari.

(a) Aug. ep. CX. Quum Auguſtinus epiſcopus vna cum Religiano & Martiniano coëpiſcopis ſuis conſediſſet in *Eccleſia Pacis* Hipponenſium regionum. cetera.

(b) Aug. ſerm. XI. de diuerſis. Inſcriptio ſic habet: Sermo habitus eadem die in *eccleſia Leontiana*, de monitis baptizatorum.

(c) Auguſtin. ſerm. X. de diuerſis, cuius inſcriptio hæc eſt: Sermo habitus ad *martyres viginti*, cetera.

(d) Aug. de ciuitat. Dei lib. XXII. c. VIII. (tom. V. opp. p. 1345. c. edit. Baſil. MDLXIX.) Erat quidam ſenex Florentius Hipponenſis noſter, homo religioſus & pauper, qui ſutoris ſe arte paſcebat, caſulam perdiderat, & vnde ſibi emeret, non habebat: ad *viginti martyres*, *quorum memoria apud nos eſt celeberrima*, clara voce, vt veſtiretur orauit. cetera.

(e) Cod. can. Afric. c. LXXVIII. ἤρεσεν ἵνα ἐπειδὴ τῆς ἐκκλησίας τῶν ἐν Ἱππῶνι Φρεντιτῶν ἡ ἐγκατάληψις ὐκ ὀφείλει ἐπὶ πολὺ ἀμεληθῆναι· καὶ ἐπειδὴ αἱ ἐκεῖ ἐκκλησίαι κατακέχονται παρὰ τῶν τὴν ἄτοπον τῶ Αἰκυπίω κοινωνίαν παραιτησαμένων κ. τ. λ. Placuit, vt quoniam *Hipponenſium Diaretorum* eccleſiæ deſtitutio non

Et

Et in *collatione Carthaginensi* catholicos episcopos sæpius conqueri, legimus, quod *Donatistæ* anti-episcopos non tantum in suis ipsorum ciuitatibus, sed in aliis etiam diœcesium suarum locis [*f*] constituerint. Et episcopi *Donatistarum* incusationem retorquebant, dicentes, catholicos *Constantinæ* [*g*] episcopum non tantum in ipsa ciuitate, sed alium etiam in media diœcesi constituisse: idemque eos fecisse in ciuitate *Mileuitana*, ita quidem, vt vnum ibi ordinassent, alterum in *Tuncensi* ciuitate eiusdem diœcesis, & tertium in loco, qui dicatur *Ceramussa*. Ex quibus facile ad concludendum est, istas diœceses tunc temporis tam late patuisse, vt non tantum regionem ruralem, sed sæpenumero plures etiam ciuitates ambitu suo complexæ fuerint. Idem ex canone isto conciliorum *Africanorum* [*h*] inferri licet, qui *Nemini sit facultas*, inquit, *relicta principali cathedra ad aliquam ecclesiam in diœcesi constitutam se conferre.* Quod ipsum manifesto indicat, diœceses ipsorum præter ciuitatem cathedralem alias adhuc ecclesias in agris habuisse. Cuius generis exempla innumera ei sese offerent, qui historiam & antiquitates ecclesiæ *Africanæ* studiosius volet euoluere. Nos duo tantummodo huc spectantia subiungemus. Primum quidem, quod *Carthago* bene multas ecclesias, ad diœcesin suam pertinentes, sæculo quarto habuisse cognita sit. SIRMONDVS [*i*] in notis suis in sermones AVGVSTINI septem earum

est diutius negligenda, & *ecclesiæ ibi* ab his retinentur, qui Equitii facinorosam communionem declinauerunt, cetera.

(*f*) Collat. Carth. die I. c. CLXXXI. Alypius episcopus ecclesiæ catholicæ dixit: Scriptum sit, istos omnes in villis vel in fundis esse episcopos ordinatos, non in aliquibus ciuitatibus.

(*g*) Collat. Carth. ibid. c. LXV. Petilianus episcopus dixit: - - In plebe mea, id est ciuitate *Constantinensi*, aduersarium habeo Fortunatum. In medio autem diœcesis meæ nunc institutum habeo, immo ipsi habent, nomine Delphinum, peruidet iam hinc præstantia tua, duos in vnius plebe fuisse imaginarie constitutos, vt & numerum augeant, & tamen plebium numerus non idem sit qui sit illarum scilicet personarum. Et hoc argumenti est maximi, vt videantur nos hoc genere superare, si duo contra vnum fiant constituti vel tres. Nam etiam in plebe præsentis sanctissimi collegæ ac fratris mei Adeodati, id est, in ciuitate Mileuitana, ita commissum esse constat, vt vnum ibidem habeat aduersarium, alterum in Tuncensi ciuitate, quæ ad huius scilicet plebem antiquitus pertinet, & ante biennium esse videtur constitutus, tertius vero sit in loco, qui dicitur Ceramussa.

(*h*) Concil. Carth. V. c. V.

(*i*) Sirmond. not. in Serm. XIV. a se edit. tom. X. p. 151. (opp. Sirmondi tom. I.

recenſet, quarum nomina in inſcriptionibus ſermonum memorantur, videlicet eccleſiam primariam, dictam *baſilicam maiorem & reſtitutam*, *baſilicam Fauſti*, *baſilicam Leontianam*, *baſilicam Celerinæ*, *baſilicam nouarum*, *baſilicam Petri* regionis tertiæ, & *baſilicam Pauli* regionis ſextæ. Quibus STILLINGFLEETVS [*k*] addit duas eccleſias extra ciuitatem, vnam, vbi CYPRIANVS martyrium ſubierat, & alteram, vbi corpus illius combuſtum erat in loco quodam *Mappalia* dicto, quarum vtraque VICTORI VTICENSI memoratur. MAVRITIVS [*l*] noſtras, qui rem inueſtigauit paullo ſtudioſius, hiſce adhuc intra ciuitatem ſubiungit eccleſiam, quæ *Florentia* dicta ſit, & *baſilicam Gratiani* & *Theodoſianam*, & *Honorianam* & *Tricillarum:* Et ſine dubio plures aliæ fuerunt, quia VICTOR [*m*], quingentos circiter clericos ad eccleſiam *Carthaginenſem* pertinuiſſe, auctor eſt. Alterum, quod de eccleſia *Africana* nos notare velle diximus, eſt, quod in *Tripoli*, vna de ſex prouinciis *Africæ Romanæ*, quinque tantummodo epiſcopi fuerint, quod cum ex canonibus conciliorum *Africanorum* [*n*], tum ex antiqua *notitia* iſtius eccleſiæ condiſcimus, in qua illorum ſedes enarrantur *Leptis magna*, *Odea*, *Tacapa*, *Sabrata*

p. 337. a.) De baſilica Reſtituta dictum eſt ad ſerm. IV. In eadem habitum etiam fuiſſe ſermonem CII. de diuerſis, indicat inſcriptio. Tertius præterea de diuerſis, qui eſt de verbis pſalmi *Confitemini Domino quoniam bonus*, & tractatus in pſalmum LV. ille in codice S. Germani, hic in noſtro, Carthagine habiti dicuntur in *baſilica reſtituta*. Neque in hac ſolum, quæ primaria erat, ſed in aliis etiam Carthaginenſibus baſilicis habiti ab eo ſermones memorantur: vt in *baſilica Fauſti*, XII. & CXXII. de diuerſis. in *baſilica Leontiana*, XI. de diuerſis. in *baſilica Celerinæ*, XCVI. de tempore. in *baſilica nouarum*, XC. de tempore. in *baſilica Petri* regionis tertiæ, CCLI. de tempore. in *baſilica Pauli* regionis ſextæ, XXIV. de diuerſis.

(*k*) Stillingfleet's *Unreaſonableneſs of Separation* p. 249. vvithout the city there vvere *two great Churches*, ſaith *Victor*; one vvhere S. *Cyprian ſuffered Martyrdom*, and the other *where his Body was buried*, at a place called *Mappalia*

(*l*) Maurice's *Defence of Dioceſ. Epiſc.* p. 51.

(*m*) Vict. de perſecut. Vandal. lib. V. (tom. VIII. bibl. patr. max. edit. Lugdun. MDCLXXVII. p. 694. f.) Tunc etiam Eugenio paſtore iam in exilio conſtituto, vniuerſus clerus eccleſiæ Carthaginis cæde inediaque maceratur, fere quingenti & amplius.

(*n*) Concil. Carth. III. c. XXXIX. (tom. II. concil. p. 1173.) In Tripoli, vt adſeritur, epiſcopi ſunt quinque tantummodo. Vid. cod. can. eccleſ. c. XLIX. (ibid. p. 1073.) ἐν Τριπόλει δὲ πέντε καὶ μόνον εἰσὶν, ὡς γινώσκετε, ἐπίσκοποι.

& Gir-


PATRIARCHATUS
ALEXANDRINI.
Geographicæ Noua Descriptio
LIBYCUM
MARE
AEGYPTIUM PELAGUS
LIBYA
LYBIA
PENTAPOLIS
als CYRENAICA
MARMARICA
HAMMONIACA
REGIO
Marmarica
Asiphus Mons
Bascise Mons
Aspis Mons
Ogdamus Mons
Anagombri Mons
Arenosus Mons
Bæcoleus Mons
Velpi Montes
Libyci Montes
Mæridis Lacus
Solis Fons
Cleartus Palus
Lacci Palus
Lycomedis Lacus
Oasis Magna
Berenice
Ptolemais
Barce
Darnis
Antipyrgus
Paretonium
Antiphra
Alexandria
Memphis
Babylon
Heliopolis
Oxyrinchus
Antinoe
Panopolis
Ptolemais
Thebais
Diospolis parua
Tentyra
Coptus
Diospolis magna quæ Thebæ
Hermontes
Latopolis
Ombi
Phylæ
Pnups
ARCADIA
THEBAIS PRIMA
THEBAIS SECUNDA
AUGUSTAMNICA PRIMA
ARABIÆ PETRÆÆ PARS
SINUS ARABICI PARS
Sirbonis Palus
Rhinocorura
Ostracina
Cassium
Pelusium
Clysma
ÆTHIOPIÆ sub ÆGYPTO PARS
n:4.

[illegible] ἐν Τριπόλει δὲ πέντε καὶ μόνον εἰσὶν, ὡς γινώσκετε, ἐπίσκοποι.

& Gir-

& *Girberis*; quarum de tribus episcopi concilio *Carthaginensi* sub *Cypriano* interfuerunt, neque plurium præsentia, quum tam pauci essent, requirebatur. Iam vero hic amplus terræ tractus erat, vt ipse BLONDELLVS [o] ex PTOLEMAEO probat, qui multas ciuitates alias nominat, *Chuzim*, *Sumucim*, *Pisindam*, *Sydidenim*, *Azuim*, *Gerisam*, *Iscinam*, *Amunclam*, *Buttam*, ceteras. Vt adeo, siue totum *Africæ* ambitum cum dioecesium in ea comprehensarum numero compares, siue singulas dioeceses in se consideres, manifestum sit, singulos episcopos ciuitatem & regionem aliquam, siue amplum territorium pro dioecesi sua, habuisse; quosdam duas ciuitates vel plures; nullos autem tam exiguum populum, vt ipsorum dioeceses paroeciæ rurales, siue congregationes singulares, quemadmodum quibusdam eas vocare placuit, dici meruerint.

## § VI.

### *De dioecesibus* Aegypti, Libyæ, *&* Pentapolis.

Ex prouinciis *Africanis* in prouincias dioecesis *Aegyptianæ*, vti in ciuili imperii *Romani* notitia dicitur, transimus, sub qua omnes regiones *Libyæ*, *Pentapolis* & *Aegypti*, a *Tripoli* vsque ad sinum *Arabicum*, comprehenduntur. Hæ regiones vniuersæ, ex accurata viri cuiusdam docti [p] computatione, ter tanto maiores quam *Anglia* esse noscuntur: numquam tamen centum amplius episcopos habuere. Nam ALEXANDER & ATHANASIVS, idonei admodum hac in re iudices, vix tot supputant. ATHANASIVS [q] ἐγγὺς ἑκατὸν *prope centum* in *Aegypto*, *Libya* & *Pentapoli* fuisse, dicit, & ALEXANDER [r] eamdem locutionem in e-

(o) Blondel. apol. p. 181. ex Ptolem. lib. IV. c. III. In Tripolitana prouincia Chuzim, Sumucim, Pisindam, Sydidenim, Azuïm, Gerisam, Iscinam, Amunclam, Buttam, aliasque vrbes fuisse docet Ptolemæus, quinque tamen nec plures episcopatus, nempe Leptimagnensem, Oeensem, Tacapensem, Sabratensem, & Girberisem ex concilio tertio Carthaginensi, Africanarumque sub Hunerico rege ecclesiarum notitia habuisse constat.

(p) Maurice's *Defence of Dioces. Episc.* p. 71.

(q) Athan. apol. II. p. 778. (p. 123. c. edit. Par. MDCXCVIII.) πρῶτον μὲν ἐν τῇ ἡμετέρᾳ χώρᾳ συναγομένη ὑπὸ ἐπισκόπων ἐγγὺς ἑκατόν. Primum quidem in nostra prouincia in vnum coacta, ab *episcopis prope centum*.

(r) Alex. ep. encycl. apud Socrat. lib. I. c. VI. (p. 11. c. edit. Amstelod. siue potius Colon.) Ταῦτα λέγοντας τοὺς περὶ Ἄρειον, καὶ ἐπὶ τούτοις ἀναισχυντοῦντας, αὐτούς τε καὶ τοὺς συνακολουθήσοντας αὐτοῖς, ἡμεῖς μὲν μετὰ τῶν κατ' Αἴγυπτον ἐπισκόπων

 pistola

pistola sua encyclica contra *Arium* adhibet, quando se cum reliquis *Aegypti* ac *Libyæ* episcopis, prope centum numero in vnum congregatis, *Arium* eiusque asseclas anathemate perculisse, perhibet. Et posthac *notitiæ* ecclesiæ haud plures numerant. Quam lector huic libro subiunctam inueniet, ea tantum XCVII habet, *Tripolitanis*, de quibus loquuti sumus antea, exclusis; Et aliæ in CAROLO A SANCTO PAVLO numquam centum & vnum excedunt. Vt adeo dioecesium numerus fere idem sine immutatione per aliquot sæcula durasse videatur. CAROLVS A SANCTO PAVLO ex antiquis scriptoribus & conciliorum subscriptionibus aliisque ecclesiæ monimentis nomina illarum collegit, quæ heic subiungemus, de ceteris regionibus omnibus, quas percursuri sumus, idem facturi: vt lectores, qui nomina cum geographiæ ecclesiasticæ chartis, quas paullo castigatiores pro hoc opere exscribendas curauimus, conferre cupiunt, dioecesium amplitudinem vereque antiquum statum & geographiam ecclesiæ tanto melius possint intelligere. Patriarchatus *Aegypti* interdum in tres prouincias, aliquando in sex, nonnumquam in nouem diuisus erat, sed totius eius limites iidem manebant, *Aegyptum*, *Libyam* & *Pentapolin* includentes. In CAROLI A SANCTO PAVLO *geographia sacra* amplissima diuisio admittitur, atque ita, nouem prouinciis in *Aegypto* factis, dioeceses hoc recensentur ordine:

## I. IN AEGYPTO PRIMA.

1. Alexandria. 2. Hermopolis parua. 3. Metelis. 4. Coprithis. 5. Sais. 6. Letus, al. Latopolis. 7. Naucratis al. Naucratia. 8. Andromena siue Andropolis. 9. Nicium. 10. Onuphis. 11. Taua. 12. Cleopatris. 13. Mareotis. 14. Schedia, & Menelaites. 15. Phthenegus al. Phthenoti Nomus. 16. Nitria.

## II. IN AVGVSTAMNICA PRIMA.

1. Pelusium. 2. Heraclea in Sethræte Nomo. 3. Tanis s. Tanes. 4. Rhinocorura. 5. Thmuis. 6. Ostracina. 7. Phacusa. 8. Cassium. 9. Aphnæum, quod in itinerario ANTONINI Daphnis

καὶ τῆς Λιβύης, ἐγγὺς ἑκατὸν ὄντων, συνελθόντες ἀναθεματίσαμεν. Hæc igitur dicentem Arium & sectatores eius impudenter adstruentem, nos quidem vna cum *Aegypti* ac *Libyæ* episcopis, *prope centum numero*, in vnum congregatis, tum ipsum, tum eos, qui illi adhæserant, anathemate perculimus.

vocari

vocari ei videtur. 10. Hephæstus. 11. Panæphysus. 12. Gerrum seu Gerus. 13. Thennesus. 14. Sela.

III. IN AVGVSTAMNICA SECVNDA.

1. Leontopolis. 2. Atribis. 3. Onium, al. Ilium. 4. Babylon. 5. Bubastus. 6. Pharbæthus. 7. Heliopolis. 8. Scenæ Mandrorum. 9 Thou. 10. Antithou.

IV. IN AEGYPTO SECVNDA.

1. Cabasa. 2. Phragonea. 3. Pachneumonis. 4. Elearchia. 5. Diospolis. 6. Sebennythus. 7. Cynus seu Cynopolis inferior. 8. Busiris. 9. Paralus. 10. Xoës. 11. Butus.

V. IN ARCADIA.

1. Oxyrinchus. 2. Heraclea superior. 3. Arsinoë, al. ciuitas crocodilorum. 4. Theodosiopolis. 5. Aphroditopolis. 6. Memphis. 7. Clisma. 8. Nilopolis. 9. Parallus. 10. Thamiate, nunc Diamata dicta. 11. Cynopolis superior; quæ, HOLSTENIO obseruante, in *notitia* HIEROCLIS metropolis huius prouinciæ ponitur.

VI. IN THEBAIDE PRIMA.

1. Antinoë. 2. Hermopolis maior. 3. Cusa. 4. Lycopolis. 5. Oasis magna. 6. Hypsele. 7. Apollinis ciuitas parua. 8. Antæum. 9. Panopolis.

VII. IN THEBAIDE SECVNDA.

1. Ptolemais. 2. This, seu Thinis. 3. Coptus. 4. Tentyra. HOLSTENIVS corrigit ex Græco Teuchira. 5. Maximianopolis. 6. Latopolis. 7. Hermetes al. Hermonthes. 8. Diospolis magna. al. Thebais magna. 9. Therenunthis. 10. Phylæ. 11. Thoi. 12. Ombi. 13. Tathyris. 14. Diospolis parua.

VIII. IN LIBYA CYRENAICA al. PENTAPOLI.

1. Ptolemais, vbi *Synesius* fuit episcopus. 2. Sozusa. 3. Lemandus. 4. Cyrene. 5. Teuchyra. 6. Berenice. 7. Ticelia al. Pisila. 8. Aptuchi Fanum. 9. Erythra. 10. Barce. 11. Hydrax. 12. Disthis. 13. Palæbisca. 14. Olbia. Quibus HOLSTENIVS addit Boræum.

IX. IN

## IX. IN LIBYA MARMARICA, al LIBYA SECVNDA.

1. Darnis. 2. Paraetonium. 3. Antipyrgus. 4. Antiphra. 5. Marmarica. 6. Zagylis vel Zagyla, quod nomen nonnunquam ab aliis Gazula legi HOLSTENIVS obſeruat. 7. Zygris.

Præter haſce CAROLO A SANCTO PAVLO ſeptem alii epiſcopatus in *Aegypto* incertæ poſitionis obſeruantur: *Vantena*, *Gauœa*, *Flagonita*, *Cotenopolis*, *Gazula*, *Eleſma* & *Pſynchus*. At vero ex his quinque corrupta tantummodo nomina habere, & *Pantena* pro *Antinoë*, *Flagonita* pro *Fragonita*; *Eleſma* pro *Cliſma*; *Gazula* pro *Zagula*; & *Pſynchus* pro *Oxyrinchus* legi, recte notat HOLSTENIVS. *Paralum* etiam, & vnum duasue ſedes alias bis nominatas videri, obſeruamus. Vt ita vniuerſum diœceſium numerum in his nouem prouinciis non vltra centum adſcendere, liceat nobis iudicare. Iam vero vt harum diœceſium magnitudinem mediocriter æſtimare poſſimus, prouinciarum iſtarum ſtatum, & quam ſingulæ patuerint, paucis conſiderari oportebit. Et hoc modo, iſtam obſeruationem veram eſſe, deprehendemus, (quam de *Palæſtina* quoque, *Aſia minore* & *Italia* debemus facere) heic quasdam ex ampliſſimis iuxta ac anguſtiſſimis in mundo diœceſibus ſub eadem regiminis epiſcopalis forma exſtitiſſe. In *Libya* & *Pentapoli* diœceſes videntur fuiſſe valde magnæ; nam in vtraque prouincia haud plus viginti duæ erant: & tamen iſtæ prouinciæ late patebant, quemadmodum ex iis videre eſt, quæ ex ERATOSTHENE notat PLINIVS [s], quod *Alexandria* in *Aegypto* a *Cyrenis* in *Pentapoli* DXXV. M. paſſuum ſpatio disiuncta fuerit, cuius partem maximam inter hoſce epiſcopatus diuidi oportet; vnde illas ſedes ampliſſimas fuiſſe, coniectandi locus eſt. *Berenice* extima *Pentapolis* in occidentem ciuitas erat, a qua, auctore PLINIO [t], *Arſinoë*, ſeu *Teuchira*, proxima ſedes epiſcopalis, aberat XLIII. M. paſſuum, & ab hac *Ptolemais* XXII. M.

(s) Plin. lib. V. c. VI. Eratoſthenes a Cyrenis Alexandriam terreſtri itinere DXXV. M. prodidit.

(t) Plin. lib. V. c. V. Berenice in Syrtis extimo cornu eſt, quondam vocata Heſperidum ſupra dictarum, vagantibus Græciæ fabulis. Nec procul ante oppidum fluuius Lethon, lucus ſacer, vbi Heſperidum horti memorantur. Abeſt a Lepti CCCLXXXV. M. paſſuum. Ab ea Arſinoë, Teuchira vocitata, XLIII. M. paſſuum. Et deinde Ptolemais, antiquo nomine Barce, XXII. M. paſſuum.

paſſu-

paſſuum. Et certum eſt, alias quasdam longiore interuallo ab ſe inuicem fuiſſe remotas. Sed fuerint fortaſſis, qui diœceſes nihilominus paruas & nullius momenti fuiſſe, opinentur, quia SYNESIVS [u] de ſua ipſius ciuitate *Ptolemaide*, metropoli *Pentapolis*, loquens, *exiguam vrbem* eam appellet. Cui opinioni vt occurramus, pauca quædam ex SYNESIO de ciuitatibus & diœceſibus huius regionis adnotabimus. *Ptolemaidem*, in qua SYNESIVS fuit epiſcopus, territorium aliquod & eccleſias rurales in diœceſi ſua habuiſſe, ex ipſomet SYNESIO [*] conſtat, quando ad presbyteros ſuos, quum modo epiſcopus conſecratus eſſet, ſcribens, *Vos ipſi*, inquit, *ſupplices pro me ad Deum manus tendite; atque & vrbanæ multitudini, & quæcumque in agris aut in paganis eccleſiis degit, meo nomine preces publice priuatimque vniuerſis indicite.* Quæ verba ſatis euidenter probant, quod etiamſi *Ptolemais* ipſa non adeo ampla fuerit ciuitas, nihiloſecius tamen diœceſin non nullius magnitudinis, & eccleſias per agros in circuitu ſuo habuerit. Alio loco, per vniuerſam *Ampelitidem* [†], quæ quidem ſub ſua poteſtate ſit, eccleſias omnes ſuccenſas eſſe atque in rudera redactas, dolet. Duæ huius nominis regiones in *Pentapoli* erant, ad *Cyrenen* altera, altera ad *Ptolemaidem* ſpectans: Et probabile omnino eſt, in vtraque oppida fuiſſe & vicos, hiſce eccleſiis matricibus ſuo quosque loco ſubiectos. CAROLVS quidem A SANCTO PAVLO ex SYNESIO de vna vel duabus diœceſibus huius prouinciæ loquitur, quæ minores eſſe videntur. *Hydrax* enim & *Palæbiſca* vici tantummodo erant, olim ad diœceſin *Erythræ* ſpectantes, a qua, tempore *Valentis* imperatoris, ſeparati peculiarem ac proprium epiſcopum acceperunt. Sed nullus ante hunc ibi fuit, neque vllus poſtea, nam *Theophili*, epiſcopi *Alexandrini* [w], decreto *Palæbiſca* & *Hydrax* in antiquam

(u) Syneſ. epiſt. LVIII. Εἰ δέ τις ὡς μικροπολίτην ἀποσκυβαλίσει τὴν ἐκκλησίαν κ. τ. λ. Si quisquam, velut exiguæ vrbis eccleſiam noſtram contemſerit.

(*) Syneſ. epiſt. XI. αὐτοί τε οὖν ὑπὲρ ἐμοῦ χεῖρας ἱκέτιδας ἄρατε πρὸς θεὸν, καὶ τῷ τε ἐν ἄστει δήμῳ, καὶ ὅσα κατ' ἀγροὺς ἢ κωμητικαὶ ἐκκλησίαι αὐλίζονται, τὰς ὑπὲρ ἡμῶν εὐχὰς, καὶ κοινῇ καὶ καθ' ἕνα πᾶσι παρεγγυήσατε.

(†) Syneſ. Caſtaſt. p. 302. a. b. Οὐ παρὰ τοῦτον αἱ πανταχοῦ τῆς ὑφ' ἡμᾶς Ἀμπελίτιδος ἐκκλησίαι πυρίκαυστοι, καὶ ἐρείπια.

(w) Syneſ. epiſt. LXVII. ad Theophilum. (p. 210. c. edit. Par. MDCXXX.) Παλαίβισκα καὶ ὕδραξ εἰς τὴν ἀρχαίαν τάξιν ἐπανήχθησαν, καὶ πρὸς τὸ Ἔρυθρον ἀνελήφθησαν, δόγματι, φασὶ, τῆς σεβασμίας σοῦ κεφαλῆς.

formam redactæ ſunt, & *Erythræ* iterum contributæ. Vt adeo hoc diœceſium potius amplitudinem demonſtret, illasque probet tam late patuiſſe, vt aliæ ex eis conſtitui potuerint. Alio loco SYNESIVS [x] de *Olbiatis* loquitur, quos δῆμον κωμήτην, *populum vici cuiusdam* appellat, eosque epiſcopum habuiſſe dicit. Sed vero vir quidam doctus ſcite obſeruat [y], hac appellatione populum ſeu nationem in multis vicis degentem denotari poſſe, cuiusmodi plures in *Pentapoli* aliisque *Africæ* partibus, non niſi paucas ciuitates habentibus, fuerint. Nam quemadmodum ille ex POMPONIO MELA & PLINIO demonſtrat, hi populi per agros ſparſi generatim magno numero vna verſabantur, & nomine paruarum nationum veniebant, tametſi caſas, ſiue mapalia, quemadmodum iſtarum regionum lingua dicuntur, habitarent. Atque ita, etiamſi ſedes epiſcopi in vico quodam fuerit, amplam tamen regionem pro diœceſi ſua habere potuit, quomodo aliarum nationum hiſtoriam perluſtrantes animaduertemus In vicina prouincia *Libya Zygus* pagus erat & ſedes epiſcopi: nihilominus tamen, vt idem vir doctus [z] ex PTOLOMAEO [a] obſeruat, eiusmodi vicus erat, qui territorium iuxta littus maris habebat; & omnis ora maritima *Libyæ* diuiſa erat inter hunc & duos tresue alios eiusmodi pagos, (vel ciuitates, vtramuis appellationem iis tribuere voles.) Nam in omni hac *Libya* ſeptem duntaxat diœceſes erant, CCC. M. paſſuum iuxta littus patentes, vt ſedes epiſcopales ad minimum L. millia paſſuum ab ſe inuicem diſtarent. Attamen quum forte deſerta eſſet regio & barbaris habitata populis, diœceſes pluribus aliis minores eſſe potuerunt, ex numero chriſtianorum potius quam terræ magnitudine æſtimatæ; Exempli cauſſa: ſi cum nonnullis in *Aegypto* ſibi omnium proximis comparentur. In *Aegypto* diœceſes non ita magnæ, vti in *Libya* & *Pentapoli*, ſta-

(x) Syneſ. ep. LXXVI. Ὀλβιάταις, οὗτοι δὲ δῆμός εἰσι κωμήτης, ἐδέησεν αἱρέσεως ἐπισκόπου, τοῦ μακαριωτάτου πατρὸς Ἀθάμαντος τῷ μακρῷ βίῳ τὴν ἱερωσύνην συγκαταλύσαντος. Olbiatis. Vici cuiusdam hic populus eſt: Epiſcopi creatione opus fuit; quum beatiſſimus pater Athamas longiore vita pariter & ſacerdotio functus eſſet.

(y) Maurice's *Defence of Dioceſ. Epiſc.* p. 60.

(z) Maurice ibid. p. 61.

(a) Ptolem. lib. IV.

tui

tui possunt, quod heic octoginta erant episcopatus; neque tamen *Aegyptus* longius quam reliquæ duæ patere potuit, sed regio hominum multo erat fertilior, adeoque ad plures episcopatus in minore terræ tractu admittendos accommodata. HEYLINVS longitudidem illius tantum DLXII. mill. passuum & latitudinem CLX. millia complecti iudicat: id quod ad computationem prope accedit PLINII [b], illam passuum esse DLXXXVI. millia longam, & CLXX. millia, a *Pelusio* ad *Canopum*, latam statuentis. Hæc in octoginta dispertita dioeceses plus XXX. millia passuum longitudinem & latitudinem singulis dioecesibus dabit; quod spatium aptum & congruens est dioecesi, quæ plures ciuitates ac parochias complexu suo coërcet & continet, sed nimis amplum singulari congregationi. Quam longe lateque nonnullæ harum dioecesium patuerint, ex *Alexandrinæ* dioecesis magnitudine iudicare poterimus, quæ primum permultas ecclesias cum constitutis in illis presbyteris in ipsa ciuitate, tempore *Alexandri* & *Athanasii*, habuit, quemadmodum plus vice simplici narrat EPIPHANIVS [c], nominans præter magnam illam ecclesiam, vulgo dictam *Cæsariam*, eas, quæ *Dionysii*, *Theonæ*, *Pierii*, *Serapionis*, *Perseæ*, *Dizyæ*, *Mendidii*, *Anniani*, *Abiæ* & *Baucalis*, in qua

(b) Plin. lib. V. c. IX. Adhæret Asia, quam patere a Canopico ostio ad Ponti ostium Timosthenes XXVI. XXXIX. M. passuum tradidit. Ab ora autem Ponti ad os Mæotis Eratosthenes XV. XLV. M. passuum. Vniuersam vero cum Aegypto ad Tanain, Artemidorus & Isidorus LXXXVIII. M. pass. Maria eius complura ab accolis traxere nomina: quare simul iudicabuntur. Proxima Africæ incolitur Aegyptus, introrsus ad meridiem recedens, donec a tergo prætendantur Aethiopes. Inferiorem eius partem Nilus, dextra lævaque diuisus, amplexu suo determinat, Canopico ostio ab Africa, ab Asia Pelusiaco CLXX. M. passuum interuallo.

(c) Epiphan. hæres. LXVIII. Meletian. n. IV. Ἦν οὗτος ἐν Βαυκάλῃ τῇ ἐκκλησίᾳ οὕτω καλουμένῃ Ἀλεξανδρείας πρεσβύτερος. Arius *Baucalæ* cuiusdam apud Alexandriam *ecclesiæ* presbyter erat.
Epiphan. hæres. LXIX. n. II. Εἰσὶ πλείους τὸν ἀριθμὸν ἐν τῇ Ἀλεξανδρείᾳ, σὺν τῇ νῦν κτισθείσῃ τῇ Καισαρείᾳ καλουμένῃ. Complures Alexandriæ ecclesiæ sunt, præter eam quæ nuper exstructa *Cæsaria* dicitur.
Et paullo post: Ἄλλαι δέ εἰσι πλείους, ὡς ἔφην, Διονυσίου καλουμένη ἐκκλησία, καὶ ἡ τοῦ Θεωνᾶ, καὶ ἡ Πιερίου, καὶ Σεραπίωνος, καὶ ἡ τῆς Περσαίας, καὶ ἡ τοῦ Διζύας, καὶ ἡ τοῦ Μενδιδίου, καὶ ἡ Ἀννιανοῦ, καὶ ἡ τῆς Βαυκάλεως, καὶ ἄλλαι. Præter hanc aliæ sunt plures, vt diximus, velut Dionysii ecclesia, Theonæ, Pierii, Serapionis, Perseæ, Dizyli, Mendidii, Anniani, Baucalis & cetera.

ARIVS fuit presbyter, nomen gerebant: deinde amplam regionem *Mareotidis* habebat ad se pertinentem. Nam *Athanasius* [*d*] numquam ibi episcopum fuisse, dicit, aut chorepiscopum: sed tantum presbyteros, episcopo ecclesiæ *Alexandrinæ* subditos, eosque fuisse quatuordecim numero (præter diaconos tredecim) quorum alii duos vicos, alii plures in sua quisque provincia habuerint. *Canopus* quoque olim in hac diœcesi fuit, vtpote suburbanis *Alexandriæ* accensita (vti supra adnotauimus), magnus licet locus, & XII. mill. passuum interuallo ab ea disiunctus. *Nicopolis* itidem ad hanc spectauit diœcesin, quam STRABO [*e*] vrbe haud minorem censeri debere dicit. Vt proinde particulares conuentus in his remotioribus huius diœcesis suburbiis, quorum incolæ ad ecclesiam matricem coire non potuerunt, celebrari oportuisse, necesse sit. Non de vlla alia diœcesi in *Aegypto* tam specialia monumenta suppetunt, ex hac tamen reliquas metiri poterimus, siquidem vnicuique diœcesi territorium XX. vel XXX. mill. passuum, secundum iustas supputandi regulas adsignari posse, liquet. Neque his cum ratione opponi potest, quod nonnumquam sedes episcopales in vicis æque ac in ciuitatibus fuerint. Nam multi vici ciuitatibus pares erant, magnumque habebant territorium sibi subiectum. Quemadmodum de *Schedia* speciatim obseruat STRABO, quæ ipsius ætate [*f*] pagus tantum erat, sed talis, vt vrbi æqui-

(*d*) Athan. apol. II. p. 802. ed. Par. MDCXXVII. (p. 200. d. ed. Par. MDCXCVIII.) *ὁ Μαρεώτης, καθὰ προεῖπον, χώρα τῆς Ἀλεξανδρείας ἐςὶ, καὶ ἐδέποτε τῇ χώρᾳ γέγονεν ἐπίσκοπος ἐδὲ χωρεπίσκοπος· ἀλλὰ τῷ τῆς Ἀλεξανδρείας ἐπισκόπῳ αἱ ἐκκλησίαι πάσης τῆς χώρας ὑπόκεινται· ἕκαςος δὲ τῶν πρεσβυτέρων ἔχει τὰς ἰδίας κώμας μεγίςας, καὶ ἀριθμῷ δέκα πε καὶ πλέονας.* Mareotes, vt supra dictum est, regio est Alexandrina, in qua numquam episcopus fuit, aut chorepiscopus: sed vniuersæ illius regionis ecclesiæ Alexandrino parent episcopo. Presbyteri autem singuli suos vicos habent maximos, qui decem circiter sunt immo plures numero.

(*e*) Strabo lib. XVII. p. 795. edit. Paris. MDCXX. (p. 1145. ed. Amstelod. MDCCVII. c.) *Διὰ δὲ τε Ἱπποδρόμε διελθόντι ἡ Νικόπολίς ἐςιν ἔχεσα κατοικίαν ἐπὶ θαλάττῃ πόλεως ἐκ ἐλάττω· τριάκοντα δέ εἰσιν ἀπὸ τῆς Ἀλεξανδρείας ςάδιοι* Exeunti per Hippodromum est Nicopolis, quæ habitatur ad mare, ita vt vrbe haud minor censeri debeat: Distat ab Alexandria stadiis triginta.

(*f*) Strabo lib. XVII. p. 800. (1152. a.) *Διέχει τετράσχοινον τῆς Ἀλεξανδρείας ἡ Σχεδία, κατοικία πόλεως.* Schedia quatuor schœnis distat ab Alexandria, pagus vrbi similis est.

parari

parari posset; & *Athanasii* temporibus iura ac priuilegia ciuitatis videtur obtinuisse vel certe caput alicuius *Nomi*, siue regionis *Menelaitis* dictæ, fuit. Nam ATHANASIVS *Agathodæmonem* [g] episcopum *Schediæ* pariter & *Menelaiti* vocat. Vt adeo, tametsi in *græca notitia* huius prouinciæ plures episcopatus a vicis denominati legantur, e. gr. a vico *Psaneo* & *Cotrideo*, *Rhicomerio*, *Pariana* & *Anassa*; persuadere tamen nobis haud debeamus, horum locorum episcopos pastores duntaxat singularis cuiusdam vici fuisse, sed potius vnumquemque amplum aliquod territorium ad exemplum *Schediæ* habuisse, in quo iurisdictionem suam exercere potuerit. In diœcesi *Arsinoës* sæculo tertio medio parœcias per agros fuisse, manifestum est. DIONYSIVS enim ecclesiæ *Alexandrinæ* episcopus de illis in epistola quadam loquitur, in qua de *Nepote* quodam chiliasta, qui istius loci episcopus fuerat, disserit. Cuius post obitum se in præfecturam *Arsenoiticam* profectum, conuocatis presbyteris ac doctoribus per singulos vicos [h] concionantibus, tres continuos dies opinionem *Nepotis*, quæ quasdam ipsorum ecclesias infectas in schismata & factiones discidisse visa fuerit, examinasse dicit. Idem CASSIANVS [i] de *Panæphyso* in prouincia *Augustamnica prima* obseruat, quod plures vrbes & vicos sub se habuerit, vsque dum

---

(g) Athan. epist. ad Antioch. p. 580. edit. Par. MDCXXVII. (p. 776. c. edit. Paris. MDCXVIII.) Ἐστι δὲ ἕκαστος τῶν προειρημένων ἐπισκόπων, πρὸς οὓς ἡ ἐπιστολὴ ἐγράφη, Εὐσέβιος πόλεως Βιργέλλων τῆς Γαλλίας - Οἱ δὲ ἐπιστείλαντες, ὅ τε πάπας Ἀθανάσιος καὶ οἱ παρατυχόντες σὺν αὐτῷ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ αὐτός τε Εὐσέβιος καὶ Ἀστέριος, καὶ οἱ λοιποὶ, Γάϊος Παρατονίου τῆς ἔγγιστα Λιβύης - - Ἀγαθοδαίμων Σχεδίας καὶ Μενελαΐτου. κ. τ. λ. *Episcopi* prædicti, ad quos epistola scripta est, hi sunt: Eusebius Vercellorum Galliæ vrbis - - Qui vero epistolam scripserunt, hi sunt: Athanasius papa & qui cum eo Alexandriæ adfuere, ipse Eusebius & Asterius, reliqui autem Gaius Paratonii proxime Libyam - - *Agathodæmon Schediæ & Menelaite*, cetera.

(h) Dionys. apud Euseb. lib. VII. c. XXIV. Συγκαλέσας τοὺς πρεσβυτέρους καὶ διδασκάλους τῶν ἐν ταῖς κώμαις ἀδελφῶν κ. τ. λ.

(i) Cassian. collat. XI. c. III. Sumto baculo & pera, vt illic cunctis viam ingredientibus monachis moris est, ad ciuitatem nos suam, id est *Panephysim* itineris dux ipse perduxit. Cuius terras, immo etiam contiguæ regionis plurimam partem quondam opulentissimam, siquidem ex ea cuncta, vt fama est, in regios cibos subministrabantur, repentino terræ motu excussum mare transgressis limitibus occupauit, atque ita collapsis ferme *omnibus vicis*, optimas olim terras salsis paludibus supertexit.

inundatione maris & terræ motu fere omnes collabarentur. Et CAROLVS A SANCTO PAVLO, *Phragoneam* in *Aegypto secunda* totum nomum *Elearchiæ* diœcesis suæ loco habuisse ex ATHANASIO [*k*] recte obseruat. Et si a *Thenneso* in prouincia *Augustamnica* discesseris, quam sine vllo territorio ad eam spectante, facere videtur CASSIANVS [*l*], de omnibus *Aegypti* ciuitatibus generatim adfirmari potest, quod in circuitu suo sua habuerint *προάστεια* siue suburbia & vicos, aliæ quidem plures, pauciores aliæ: in quibus, quemadmodum DIONYSIVS episcopus *Alexandrinus* [*m*] auctor est, sacri conuentus, a conuentibus ecclesiarum matricum distincti, agi consueuerint.

VERVM ENIMVERO ne lectoribus meis imponam, vnum par est obseruem, quod magnitudinem harum diœcesium in vna parte *Aegypti* valde imminuet, hoc est, quod, sicut in aliis

(*k*) Car. a Sanct. Paulo p. 281. edit. Paris. MDCXLI. (p. 271. edit. Amstelod. MDCCXI.) Elearchia ciuitas Aegypti dicitur in concilio Chalcedonensi act. I. & in dicta notitia. Regionem tamen fuisse ex hoc coniicio, quod ad plures sedes episcopales pertinuerit. *Agatho Phragoneos* & Elearchiæ episcopus dicitur apud D. Athanasium in epist. ad. Antioch. & Isaac Elearchiæ præsul concilio Ephesino subscripsit.
Athan. epist. ad Antioch. (tom. I. p. 776. c. edit. Par. MDCXCVIII.) Ἀγαθὸν Φραγώνεως καὶ μέρους τῆς Ἐλεαρχίας (ἐπίσκοπον).

(*l*) Cassian. collat. XI. c. I. Ad oppidum Aegypti, cui Thennesus nomen est, emensa nauigatione peruenimus. Cuius accolæ ita vel mari vel stagnis salsis vndique circumluuntur, vt solis, quia terra deest, negotiationibus dediti, opes atque substantiam nauali commercio parent, ita vt ædificiis cum voluerint exstruendis terra non suppetat, nisi de longinquo nauigiis apportetur.

(*m*) Dionys. ap. Euseb. lib. VII. c. XI. (p. 212. edit. Amstelod. s. Colon. MDCXCV.) Ἔτυχον δὲ παραμυθίας, ὑπομνησάντων με τῶν ἀδελφῶν, ὅτι γειτνιᾷ μᾶλλον τῇ πόλει· καὶ ἡ μὲν Κεφρὼν πολλὴν ἡμῖν ἦγεν ἀδελφῶν τῶν ἀπ' Αἰγύπτου τὴν ἐπιμιξίαν, ὡς πλατύτερον ἐκκλησιάζειν δύνασθαι· ἐκεῖ δὲ πλησιαίτερον οὔσης τῆς πόλεως, συνεχέστερον τῆς τῶν ὄντως ἀγαπητῶν καὶ οἰκειοτάτων καὶ φιλτάτων ὄψεως ἀπολαύσομεν· ἀφίξονται γὰρ καὶ ἀναπαύσονται· καὶ ὡς ἐν προαστείοις πορρωτέρω κειμένοις, κατὰ μέρος ἔσονται συναγωγαί· καὶ οὕτως ἐγένετο. Multum mihi consolationis attulit, quod fratres me admonuerunt, locum illum a ciuitate propius abesse. Itaque quamuis Cephron maximam nobis multitudinem fratrum ex Aegypto confluentium adduxisset, adeo vt laxius iam conuentus agere possemus; illic tamen ob vicinitatem vrbis, carissimorum & coniunctissimorum hominum adspectu crebrius nos aiebant esse fruituros. Eos quippe accessuros ibique commoraturos: & tamquam in suburbanis remotioribus, particulares illic conuentus futuros. Idque ita contigit.

parti-

partibus regio omnium in mundo populosissima, ita in aliis prorsus deserta & inculta fuerit. Ciuitates generatim iuxta *Nili* fluminis ripas positæ, sed ab vtroque latere extra X. vel XX. mill. passuum spatium vasti montes & solitudines erant, quas nullus mortalium incolebat, donec, OROSIO [n] obseruante, hasce vastas solitudines arenasque diffusas, quas propter sitim ac sterilitatem, periculosamque serpentum abundantiam conuersatio humana non nosset, magna habitantium monachorum multitudo, relictis ciuitatibus, compleuisset. Hæc solitudinum *Aegypti* descriptio a IOSEPHO [o] confirmatur, vbi de incredibili expeditione loquitur, quam *Moses* cum exercitu *Aegyptio* per eas susceperit, *Aethiopes* nec opinantes adgressurus. Scriptores etiam christiani, qui de vita agunt monastica, solitudines istas curatius describunt. SVLPICIVS SEVERVS prima eremi in *Thebaide* [p] duodecim tantum millibus a *Nilo* statuit. Eremus autem ipsa vastissima erat. Nam CASSIANVS de eremo *Scethi*, vbi *Paphnutius* abbas fuit, loquens, monachum quemdam ibi ab ecclesia duodeuiginti millibus [q] commoratum esse, dicit. Sed „*Calami* & *Porphyrionis* eremum, longioris solitudinis interuallo „ab vniuersis vrbibus & habitaculis hominum, quam eremum „*Scythii*, diuidi dicit, septem siquidem vel octo mansionibus „vastissimæ solitudines [r] deserta penetrantes vix ad cellula-

(n) Oros. hist. lib. VII. c. XXXIII.

(o) Ioseph. antiquit. lib. II. c. V. (p. 58. c. edit. Colon. MDCXCI.) Τῆς γῆς χαλεπῆς οὔσης ὁδευθῆναι διὰ πλῆθος ἑρπετῶν (παμφορωτάτη γάρ ἐστιν, ὡς καὶ τὰ παρ' ἄλλοις ταῦτα οὐκ ὄντα μόνη τρέφειν, δυνάμει τε καὶ κακίᾳ τῇ τῆς ὄψεως ἀσυνήθει διαφέροντα, τινὰ δ' αὐτῶν ἐστι καὶ πετεινά, ὡς λαθόντα ἀπὸ γῆς κακουργεῖν, καὶ μὴ προειδομένους ἀδικεῖν ὑπερπετῆ γινόμενα) νοεῖ πρὸς ἀσφάλειαν καὶ ἀβλαβῆ πορείαν τοῦ στρατεύματος στρατήγημα θαυμαστόν κ.τ.λ. Quum hoc iter difficile esset præ multitudine serpentum (nam hic tractus plurimos gignit, aliquot etiam genera, quæ nusquam alibi reperiuntur, noxios omnes & ipso adspectu horrendos, & in his quosdam volucres, vt non solum humi latentes insidientur, sed & sublimes ex improuiso noceant) commentus est ad securum iter exercitus stratagema dignum admiratione. cetera.

(p) Sulpic. dial. I. c. VII. (c. XIII. edit. Lips. MDCCIII. p. 398.) Vbi prima eremi ingressus sum duodecim fere a Nilo millibus, cetera.

(q) Cassian. institut. lib. V. c. XL. Decem & octo millibus longe ab ecclesia commanebat.

(r) Id. collat. XXIV. c. IV.
Conf. Instit. lib. X. c. XXIV. Abbas Paulus, probatissimus patrum, quum in

„rum

„rum ſuarum ſecreta peruenire.„ Vt adeo ſecundum hanc deſcriptionem probabile ſit, fere dimidiam *Aegypti* partem arena & deſertis fuiſſe abſciſſam, quæ coli non potuerit, nec proinde habitata ſit, donec monachi, inuenta noua viuendi ratione, ciuitatibus relictis, hic illic ſparſi ſolitudinum incolæ euaſerint. Atque hoc modo diœceſes *Aegypti*, ſi proprie de habitabili earum parte loquamur, ad multo anguſtiorem ambitum reducendæ, & circiter XV. millia paſſuum generali amplitudinis earum menſuræ, ſi ſummam omnium æquaueris, hoc ſenſu adſignanda erunt. Sed vero vti *Alexandria* & aliæ maiores fuerunt, ita *Thenneſum* & *Panæphyſum* & alias multo minores fuiſſe, certum eſt. Quæ res obſeruationem ſupra de illis a nobis factam confirmat, heic quaſdam ex ampliſſimis iuxta ac anguſtiſſimis in mundo diœceſibus ſub eadem regiminis epiſcopalis forma extitiſſe, non obſtante, quidquid in contrarium legimus.

## §. VII.

### *De diœceſibus* Arabiæ. *Et cur hæ frequentiores in vicis, quam in aliis locis.*

Ex patriarchatu *Alexandrino* proxime iam in *Hieroſolymitanum* progrediendum nobis eſſet, at quum *Arabia* interiecta nobis occurrat, illam heic contuebimur, tametſi ad patriarcham ſpectet *Antiochenum*. CAROLVS A SANCTO PAVLO errore ductus eam *Arabiam Petream* vocat, quæ, obſeruante HOLSTENIO, diſtincta erat prouincia ſub patriarcha *Hieroſolymitano*, & in antiquis monimentis eccleſiaſticis nomine *Palæſtinæ tertiæ* vulgo nota. Hoc loco autem *Arabia* pro ea parte ſumitur, quæ metropoli *Boſtræ* ſuberat, antiquis ſcriptoribus interdum *Philadelphia* vocata. In hac prouincia viginti vna diœceſes antiquitus fuerunt, quarum duodeuiginti a CAROLO A SANCTO PAVLO recenſentur. 1. *Boſtra.* 2. *Adra.* 3. *Medaba.* 4. *Geraſa.* 5. *Nibe* vel *Neba.*

eremo vaſtiore conſiſtens, quæ Porphyrio nuncupatur, palmarum fructibus & horto modico ſecurus, haberet ſufficientem alimoniæ ſuæ victusque ſubſtantiam, nec poſſet aliquid aliud, vnde ſuſtentarentur, operis exercere, eo *quod ab oppidis & habitabili terra ſeptem manſionibus, vel eo amplius deſerti illius ſepararetur habitatio*. plusque expeteretur pro mercede vecturæ, quam valere poſſet pretium operis deſudati, collectis palmarum foliis, quotidianum penſum velut exinde ſuſtendandus, a ſemetipſo iugiter exigebat.

6. *Phi-*

*6. Philadelphia*, vnde in EPHIPHANIO & aliis hæc regio dicitur *Arabia Philadelphia. 7. Esbus. 8. Neapolis. 9. Philippopolis. 10. Constantine. 11. Dionysias. 12. Maximianopolis. 13. Auara. 14. Elana* al. *Necla. 15. Zerabena. 16. Erra. 17. Anitha*, vel vt HOLSTENIVS legit, *Eutimia. 18. Parembola.* Quibus adhuc tres ab HOLSTENIO adduntur, *Canotha*, *Phæno* & *Bacathus*, EPIPHANIO & EVSEBIO memoratæ. Sequentibus temporibus, vbi *notitia* facta est, quæ huius libri capite septimo exhibetur, numerus diœcesium ad triginta quatuor adauctus est, quarum duodecim appellantur vici. Neque hoc nouum & insolens in hac regione fuisse, ex SOZOMENO [s] apparet. Moris enim in quibusdam prouinciis fuisse dicit, episcopos in vicis consecratos habere, & speciatim *Arabiæ* & *Cypri* hoc nomine meminit. Sed tum opinari non debemus, quasi hæ diœceses vnius tantum vici finibus fuerint terminatæ, quemadmodum nonnulli, hypothesi suæ de episcopatibus singularium congregationum gratificaturi, falso inde concluserunt. Nam vici isti erant antiquis communiter sic dictæ *metrocomiæ*, multos alios vicos sibi subiectos habentes; ita vt certæ alicuius regionis vici primarii essent. Hoc ex EPIPHANIO [t] liquet, qui de *Bacatho*, episcopatu rurali quodam, loquens μητροκωμίαν Ἀραβίας, *primarium vicum Arabiæ* vocat, quod plures ibi vicos ad hunc pertinentes fuisse indicat. Quare hæ diœceses æque magnæ ac aliæ esse potuerunt, habentes non solum istum vicum, sed nonnumquam integra quoque territoria & regiones sibi subiectas: vti ex ante dicta notitia videre est, in qua earum quædam *clima orientalium* & *clima occidentalium* dicuntur. Quo ipso non singularis quidam vicus, sed paruus aliquis populus seu natio istiusmodi regionis sub primario quodam vico, a quo vniuersa diœcesis nomen habebat,

(s) Sozom. lib. VII. c. XIX. Ἐν ἄλλοις δὲ ἔθνεσιν ἐστὶν ὅπη καὶ ἐν κώμαις ἐπίσκοποι ἱερῶνται, ὡς παρὰ Ἀραβίοις καὶ Κυπρίοις ἔγνων καὶ παρὰ τοῖς ἐν Φρυγίαις Ναυατιανοῖς καὶ Μοντανισταῖς. In aliis prouinciis interdum etiam vici consecratos habent episcopos, sicut in Arabia & in insula Cypro animaduerti, & apud Novatianos ac Montanistas, qui sunt in Phrygia.

(t) Epiphan. epitom. Panarii (tom. II. p. 145. d. n. XII. Οὐαλήσιοι· οὗτοι, καθὼς ὑπειλήφαμεν, οἱ τὴν Βάκαθον κατοικοῦντες, μητροκωμίαν τῆς Ἀραβίας τῆς Φιλαδελφίας. Valesii. Hi, quantum suspicor, Bacathi habitant, quæ est Arabiæ Philadelphiensis *primarius vicus*.

bat, denotatur. *Arabes* natio erant, cui in vicis potius commorari placebat, & non nisi pauca oppida erant, cum aliis nationibus comparata. Et hæc caussa videtur esse, quamobrem in hac regione episcopos in vicis constitui licitum fuerit, quod alioquin canonibus ecclesiæ interdictum erat, quemadmodum alio loco [*tt*] ostendimus.

§. VIII.

*De diœcesibus* Palæstinæ, *seu de patriarchatu* Hierosolymitano.

Ex *Arabia* proxime pergimus in *Palæstinam*, seu patriarchatum *Hierosolymitanum*, qui ex patriarchatu *Antiocheno* desumtus tres habuit prouincias, iurisdictionis suæ limitibus adsignatos, quæ in antiquis monimentis ecclesiasticis, ad modum ciuilis descriptionis imperii *Romani*, plerumque *Palæstina prima*, *secunda* & *tertia* dicuntur. In his tribus prouinciis (intra terræ *Canaan* & *Arabiæ petrææ* terminos constitutis) a CAROLO A SANCTO PAVLO quadraginta septem circiter antiquæ diœceses numerantur.

I. IN PALAESTINA PRIMA.

1. Hierusalem. 2. Cæsarea. 3. Dora. 4. Antipatris. 5. Diospolis, in scripturis sacris vocata Lydda. 6. Iamnia. 7. Nicopolis, quæ est Emmaus. 8. Sozusa. 9. Maiuma. 10. Ioppe. 11. Ascalon. 12. Gaza. 13. Rhaphia. 14. Anthedon. 15. Eleutheropolis, olim locus quidam circa Hebronem. 16. Neapolis vel Sichem. 17. Elia. 18. Sebaste, vulgo Samaria. 19. Petra. 20. Hiericho. 21. Libias. 22. Azotus. 23. Zabulon. 24. Araclia al. Heraclea. 25. Baschat. 26. Archelais.

II. IN PALAESTINA SECVNDA.


1. Scythopolis. 2. Pella. 3. Caparcotia al. Caparnaum. 4. Gadara. 5. Capitolias. 6. Maximinianopolis. 7. Tiberias. 8. Mennith. 9 Hippus. 10. Amathus.

III. IN PALAESTINA TERTIA.

1. Petra. 2. Augustopolis. 3. Arindela. 4. Arad. 5. Ariopolis. 6. Elusa. 7. Zoara. 8. Sodoma. 9. Phenon. 10. Pharan. 11. Aila. HOLSTENIVS in emendationibus suis in hunc catalo-

(*tt*) Lib. II. c. XII. §. I. vol. I. p. 171. 172.

gum


PATRIARCHATUS
HIEROSOLYMITANI
GEOGRAPHICA
Nova Descriptio
MARE
SYRIA
CUM
MARE
AEGYPTIUM
PATRIARCHA
ANTIOCHENI
PALÆSTINA
SECUNDA
PALÆSTINA
PRIMA
PALÆSTINA
SALUTARIS
PALÆSTINA TERTIA
MARE MORTUUM seu Lacus Asphaltites
ARABIA PETRÆA
SARRACENI
PATRIARCHATUS ALEXANDRINI PARS
Philadelphia
Gaza
Pelusium
Petra
Sodoma
Arad
Elusa
Raphia
Bostra
Medaba
Cæsarea Stratonis
Dora
Sirbonis Palus

[illegible] HOLSTENIVS [illegible]

(*tt*) Lib. II. c. XII. §. I. vol. I. p. 171. 172.

gum

gum duas delet, nimirum *Baſchat*, quam eamdem cum *Bacatho* in *Arabia Philadelphiæ* fuiſſe, putat; & *Phenon*, quam eidem prouinciæ adſignat. Sed harum duarum loco tres alias in *Palæſtina prima* inuenit, nempe *Sycamazona*, *Gerara*, & alteram *Lyddam* a *Dioſpoli* ante memorata diſtinctam. Vt adeo vniuerſus cognitarum diœceſium numerus fuerit quadraginta octo.

IAM ſi has omnes vna intueare, & cum quadraginta diœceſibus in *Germania* conferas, admodum paruæ iſtarum intuitu videbuntur. Quum enim *Germania* DCCCXL. mill. paſſuum longa & DCCXL. mill. paſſuum lata eſſe ſtatuatur, vniuerſa harum trium diœceſium amplitudo ad ſpatium CLX. mill. paſſuum non adſcendet. Nam longitudo *Palæſtinæ* ſeu terræ *Canaan*, complectentis partem *Phœniciæ*, vſque ad *Tyrum* & *Sidonem*, quæ tamen ab his prouinciis excluditur, ab HIERONYMO [*u*], COTOVICO [w], MASIO [*x*] aliisque CLX. mill. paſſ. & latitudo a *Ioppe* ad *Iordanem* fluuium haud amplius LX. mill. paſſ. habere iudicatur. Quibus ſi LX. circiter millia trans *Iordanem* pro latitudine *Palæſtinæ tertiæ* ad fines *Arabiæ Philadelphiæ* & *Boſtræ* addideris, perfectam trium iſtarum diœceſium dimenſionem habebis. Vnde intelligis, duas diœceſes *Germanicas* centum millia paſſuum longas, æque amplas eſſe atque has quadraginta octo ſimul ſumtas. Verum enim vero erant quædam diœceſes inter illas iuſtæ cuiusdam magnitudinis. *Eleutheropolis*, ciuitas HIERONYMO admodum memorata, non procul a loco, vbi *Hebron* ſita fuit, in limitibus *Danis* & *Iudæ*, ſatis amplum habuiſſe territorium videtur. Nam HIERONYMVS de vicis, ad eam pertinentibus ab eaque decem & ſeptem milliaribus [*xx*] diſtantibus, loquitur, multorumque aliorum vicorum in

(*u*) Hieron. epiſt. ad Dardan. (tom. III. opp. p. 732. f. edit. Pariſ. MDCXLIII.) Reſpondeant mihi, qui hanc terram - - poſſeſſam putant a populo Iudæorum, poſtquam reuerſus eſt ex Aegypto, quantum poſſederit, vtique a Dan vſque a Berſabe, *quæ vix centum ſexaginta millium in longum ſpatio tenditur.* - - Pudet dicere latitudinem terræ repromiſſionis, ne ethnicis occaſionem blaſphemandi dediſſe videamur. Ab Ioppe vſque ad viculum noſtrum Bethlehem quadraginta ſex millia ſunt. cetera.

(w) Cotouic. itinerar. Hieroſolym. lib. I. c. I. p. 327.

(*x*) Maſius in Ioſuam XII, 24.

(*xx*) Hieron. de locis Hebr. voce *Duma.* Duma vicus grandis in finibus Eleu-



eodem

eodem territorio mentionem facit, etiamsi eorum diſtantiam ab vrbe non adeo accurate tradat. SOZOMENVS alios quosdam vicos nominat, vt *Beſanducam* [y], vbi EPIPHANIVM natum dicit: Et *Celam* & *Berathſatiam* [z], vbi *Michæ* & *Habacuci* vatum oſſa reperta ſint. Prope *Beſanducam Epiphanius* monaſterium ædificauerat, habebatque vicus eccleſiam, in qua diaconum ordinauit EPIPHANIVS, vt ipſe [a] auctor eſt. Ex quibus omnibus, hanc ciuitatem amplum territorium & diœceſim haud mediocrem, cum multis oppidis & eccleſiis ad ea ſpectantibus, habuiſſe, patet. Fuerunt etiam nonnullæ aliæ, ſpeciatim in *Palæſtina* ſecunda & *tertia*, eiusdem cum diœceſi *Eleutheropolitana* magnitudinis. Sed prudens quisque lector ex harum diœceſium amplitudine facile iudicabit, quod alias quasdam ideo admodum paruas fuiſſe oporteat, quum in tam anguſto terræ tractu tanta earum multitudo fuerit. Quod ſi oculos ad oram maritimam *Palæſtinæ* conuertamus, & *Tyrum*, *Sidonem*, *Ptolemaidem*, *Sycaminum* ac *Porphyriam* (quippe intra antiquos terræ *Canaan* limites conſtitutas, vt vt nunc ad prouinciam *Phœnicem* & patriarcham *Antiochenum* ſpectantes) ei accenſeamus, in CLX. mill. paſſuum tractu ſeptemdecim vel duodeuiginti ciuitates, earumque alias aliis valde vicinas, deprehendimus. COTOVICVS [b] quatuor tantum milliaria a *Ptolemaide* ad *Porphyriam* ſupputat; & *Sicaminum* & *Zabulon* haud longius inde remotæ

theropoleos, decem & ſeptem ab ea milliaribus diſtans.

(y) Sozom. lib. VI. c. XXXII. Ἐπιφάνιος δὲ, ἀμφὶ Βησανδούκην κώμην, ὅθεν ἦν, νομοῦ Ἐλευθεροπόλεως. Epiphanius iuxta *Beſanducen vicum* in territorio Eleutheropolitano ſitum, ex quo ortus fuerat.

(z) Sozom. lib. VII. c. XXIX. Καὶ γὰρ δὴ καὶ τοὔνομα ταύτης ἐστιν Κελὰ, ἡ πρὶν Κεῖλα ὀνομαζομένη πόλις, καθ' ἣν ὁ Ἀβακοὺκ εὑρέθη· καὶ Βηραθσατία χωρίον ἀμφὶ δέκα στάδια τῆς πόλεως διεστώς· περὶ δὲ τοῦτο ὁ Μιχαίου τάφος ἦν κ. τ. λ. Locus, in quo repertus eſt Abacuc, vocabatur *Cela*; olim vero *Ceila* ciuitas dicebatur. *Berathſatia* vero locus eſt decem circiter ſtadiis diſtans ab vrbe: iuxta quem locum erat ſepulchrum Michææ.

(a) Epiphan. epiſt. ad Ioan. Hieroſolymit. (tom. II. p. 312. c.) Quum celebraretur collecta *in eccleſia villæ*, quæ eſt iuxta monaſterium noſtrum, ignorantem eum & nullam penitus habentem ſuſpicionem, per multos diaconos apprehendi iuſſimus, & teneri os eius, ne forte liberari ſe cupiens, adiuraret nos per nomen Chriſti, & primum *diaconum* ordinauimus, cetera.

(b) Cotouic. itinerar. lib. I. c. XX.

erant.

erant. FERRARIVS autem viginti vel viginti quatuor computat; adeoque priorum duarum poſitio quodammodo dubia eſt, ſed reliquæ tres quinque circiter vel ſex milliaribus alia ab alia abfuiſſe, cenſeri poſſunt. Idem de *Dora* & *Cæſarea* metropoli obſeruat BAVDRANDVS [*c*], quod quinque tantum milliaribus disiunctæ fuerint. Ita FERRARIVS *Antipatridem* decem milliaribus a *Cæſarea*, & *Dioſpolin* decem amplius ab *Antipatride* abfuiſſe ſtatuit. *Dioſpolis* in ſacris litteris *Lydda* vocatur & *Ioppe* proxima dicitur. BAVDRANDVS ſex tantum milliaria ponit, emendans FERRARIVM, qui decem habet. *Iamnia* etiam decem circiter milliaribus a *Ioppe* diſtabat & duodecim tantum a *Lydda*, vti ex *itinerario* ANTONINI colligitur. Vt proinde hæ tres ciuitates non amplius duodecim milliaribus alia ab alia disiunctæ fuerint. Sed *Gaza*, *Maiuma* & *Anthedon* adhuc viciniores ſibi inuicem erant, non longius viginti ſtadiis, ſeu tribus milliaribus alia ab alia diſſitæ, quemadmodum diſtantiam earum ſpeciatim obſeruauit SOZOMENVS [*d*]. *Maiumam* dicit prius vicum tantum fuiſſe, ſitumque prope mare ad *Beſorem* torrentem, ad *Gazæos*, quorum portus fuerit, ſpectaſſe. Sed quum *Conſtantinus*, ipſam chriſtianæ religioni impenſe deditam eſſe, intelligens, ciuitatis iure donaſſet ſeparatimque rempublicam habere iuſſiſſet, ſtatim ſecundum antiquam regulam ſedem epiſcopi factam eſſe, atque poſtea quoque, non obſtantibus quorumdam in contrarium ſtudiis, manſiſſe: qua de re capite præcedente diximus. Tametſi vero iſtæ ciuitates tam prope ab ſe inuicem abfuerunt, exiſtimandum tamen non eſt, earum epiſcopos tantum fuiſſe parochianos, ſeu ſingularium cœtuum paſtores. Quando *Maiuma Gazæ* coniuncta fuit, eccleſia ſine vllo dubio plus vna congregatio fuit. Nam EVSEBIVS de *Siluano* epiſcopo *Gazæorum*, qui perſecutionis *Diocletianeæ* tempore reli-

(*c*) Baudrand. lexic. geogr. voce *Dora*. Dora, ſeu Dor, vrbs fuit terræ ſanctæ in tribu Manaſſe, in ora littorali, quinque milliaribus a Cæſarea in boream.

(*d*) Sozom. lib. V. c. III. Προσένειμε (Ἰουλιανὸς) Γάζῃ τὴν Κωνσταντίαν, ἀμφὶ τοὺς εἴκοσι σταδίους διεστῶσαν. Gazæis Conſtantiam (olim *Maiuma* dictam) adiudicauit, *viginti circiter ſtadiis ab ea diſſitam*. Cap. IX. Καιρὸν εὑρὼν ἔφυγεν εἰς Ἀνθηδόνα πόλιν ἐπὶ θάλασσαν, ἀφεστῶσαν Γάζης ὡς εἰς σταδίους εἴκοσι. Ipſe opportunitatem nactus *Anthedonem* auſugit, vrbem maritimam *viginti circiter ſtadiis Gaza diſtantem*.

 gionis

gionis caussa capite truncatus erat, loquens, ecclesiarum [e] circa *Gazam* episcopum eum nominat. Quod diœcesin illius plus vnam congregationem fuisse, indicat. Quid? Quod quum *Maiuma* inde separata esset, *Gaza* adhuc plures alios vicos & populosum territorium sibi subiectum habuit. SOZOMENVS [f] trium vicorum mentionem iniicit, quorum vnus dictus fuerit *Thabatha*, vbi *Hilarion* natus; alter *Chaphorcabra*, patria *Ammonii*; & tertius quidam *Bethelia*, quam πολυάνθρωπον κώμην Γαζαίαν, *vicum Gazæorum abundantem incolarum multitudine* appellat; & præter alia templa *Pantheon* gentilium illic fuisse dicit, vnde hunc locum nomen accepisse coniicit, quod *Syrorum* lingua idem sit ac domicilium deorum. Iam vero pagus, qui plura gentilium templa habuit, sine dubio, postcaquam *CHRISTO* nomen dedit, nonnullas etiam ecclesias christianas habuit, cum presbyteris ad sacra munia obeunda constitutis, quantumvis ecclesiæ *Gazæorum* subiectis. Ad *Maiumam* autem quod attinet,

(e) Euseb. lib. VIII. c. XIII. Τῶν δὲ ἐπὶ παλαιστίνης μαρτύρων, Σιλβανὸς ἐπίσκοπος τῶν ἀμφὶ τὴν Γάζαν ἐκκλησιῶν - - τὴν κεφαλὴν ἀποτέμνεται. Inter martyres Palæstinæ *Siluanus* ecclesiarum circa *Gazam* vrbem episcopus - - capite truncatus est.

(f) Sozom. lib. III. c. XIV. διέπρεπε τότε ἐνθάδε Ἱλαρίων ὁ θεσπέσιος· τούτῳ δὲ πατρὶς μὲν ἦν Θαβαθὰ κώμη πρὸς νότον δὲ Γάζης κειμένη. Florebat in ea (Palæstina) tunc temporis diuinus Hilario. Patria huic fuit Thabatha, vicus ad austrum vrbis Gazæ situs. Lib. VI. c. XXXII. Καὶ Αμμώνιος δὲ ὡσεὶ δέκα σταδίοις διεστὼς, ᾤκει ἀμφὶ Χαφαρχοβρὰν κώμην Γαζαίαν, ἀφ' ἧς τὸ γένος εἶχεν. Ammonius decem circiter stadiis remotus habitabat iuxta *vicum Gazæorum Chapharcobram*, ex quo originem traxerat. Lib. V. c. XV. Καθόπ πατρὸς ἕλληνος ὢν αὐτός τε πανοικὶ καὶ οἱ ἀπὸ τοῦ γένους Αλαφίωνος, χριστιανοὶ πρῶτοι ἐγένοντο ἐν Βηθελίᾳ κώμῃ Γαζαίᾳ, πολυανθρώπῳ τε οὔσῃ, καὶ ἱερὰ ἐχούσῃ ἀρχαιότητι καὶ κατασκευῇ σεμνὰ τοῖς κατοικοῦσι καὶ μάλιστα τὸ πάνθεον, ὡς ἐπὶ ἀκροπόλεως χειροποιήτου τινὸς λόφου κείμενον, καὶ πανταχόθεν πάσης τῆς κώμης ὑπερέχον· συμβάλλω δὲ τὸ χωρίον ἔνθα λαχεῖν τὴν προσηγορίαν, καὶ ἐκ τῆς Σύρων φωνῆς εἰς τὴν ἑλλήνων ἑρμηνευόμενον, θεῶν οἰκητήριον ὀνομάζεσθαι διὰ τὸν τοῦ πανθέου ναόν. Quum patre gentili natus esset, ipse tamen cum vniuersa domo, omnesque simul, qui ex gente erant Alphionis, primi fidem Christi susceperunt *Bethelia*, qui vicus est *Gazæorum*, abundans incolarum multitudine; templaque habet, tum ob vetustatem, tum ob structuram, indigenis veneranda: præcipue vero Pantheon, colli cuidam manufacto, velut arci, impositum & supra vniuersum pagum vndequaque eminens. Vnde etiam hunc locum nomen accepisse coniicio, & ex Syrorum lingua in græcam conuersum deorum domicilium vocari ab illud fanum Pantheon.

tinet, quando diſtincta diœceſis facta eſt, epiſcopus illius non ſingularis parœciæ paſtor fuit, ſed clericos ſub ſe habuit & reliqua omnia, quæ eccleſia epiſcopalis *Gazæorum* habuit, quemadmodum SOZOMENVS [g] ſpeciatim hac de re animaduertit, *Vtraque eccleſia*, inquiens, *ſuum ſeorſum habet epiſcopum, ſuum clerum: dies item feſtos martyrum ſuorum & commemorationes epiſcoporum, qui ipſis præfuerunt: vicinorum denique agrorum limites, quibus eccleſiæ ad vtrumque epiſcopatum pertinentes diſtinguuntur.* Vt autem ne mireris, tales ibi exſtitiſſe vicos, quales iam memorati ſunt, non abs re fuerit obſeruare, quæ de duobus vicis *Idumææ Begabri* & *Caphartophan* non procul hinc diſſitis, narrat IOSEPHVS, quod videlicet *Veſpaſianus* [h] plus quam decem millia hominum peremerit, & prope ad mille captis multos alios inde exegerit. Alio etiam loco [i], multos *Galilææ* vicos tam populoſos fuiſſe, dicit, vt qui fuerit minimus, ſupra quindecim millia colonorum habuerit. Iam vero aliquot iſtiusmodi vici metrocomiæ, ſeu vico cuidam primario, coniuncti facile ad tantum numerum adſcenderint, qui ad efficiendam diœceſin epiſcopumque & clericos ſeparatim habendos ſuffecerit, quem epiſcopum pro ſingularis cuiusdam congregationis paſtore accipere velle, abſurdum foret. Atque ita cum minimis diœceſibus in hac *Palæſtinæ* parte euidenter fuit comparatum, vbi, non obſtante terminorum ſuorum anguſtia, ſub eadem regiminis epiſcopalis forma cum reliquis eccleſiis fuerunt conſtitutæ.

---

(g) Sozom. lib. V. c. III. *ἑκατέρα γὰρ ἰδίᾳ ἐπίσκοπον, καὶ κλῆρον ἔχει, καὶ πανηγύρεις μαρτύρων καὶ μνείας τῶν παρ' αὐτοῖς γενομένων ἱερέων, καὶ ὅρους τῶν πέριξ ἀγρῶν, οἷς τὰ ἀνήκοντα ἑκατέρᾳ ἐπισκοπῇ θυσιαστήρια διορίζεται.*

(h) Ioſeph. de bell. iudaic. lib. V. c. IV. *Καταλαβόμενος δὲ δύο κώμας, τὰς μεσαιτάτας τῆς Ἰδουμαίας, Βήταριν καὶ Καφάρτοβαν, κτείνει μὲν ὑπὲρ μυρίους, αἰχμαλωτίζεται ὑπὲρ χιλίους, καὶ τὸ λοιπὸν πλῆθος ἐξελάσας, ἐγκαθίστησι τῆς ἰδίας δυνάμεως οὐκ ὀλίγον, οἱ κατατρέχοντες ἐπόρθουν ἅπασαν τὴν ὀρεινήν.* Captis duobus vicis in media Idumææ ſitis, hoc eſt Begabri & Caphartophan, plusquam decem millia hominum peremit: prope autem ad mille cepit: exactaque inde reliqua multitudine, non paruam militum ſuorum partem ibi conſtituit, qui omnia montana loca incurſando vaſtabant.

(i) Ioſeph. de bell. iud. lib. III. c. II. *ἀλλὰ καὶ πόλεις πυκναὶ, καὶ τὸ τῶν κωμῶν πλῆθος, πανταχοῦ πολυάνθρωπον διὰ τὴν εὐθηνίαν, ὡς τὴν ἐλαχίστην ὑπὲρ πεντακισχιλίους πρὸς τοῖς μυρίοις ἔχειν οἰκήτορας.* Quin & ciuitates ibi (in Galilæa) crebræ ſunt, & vbique multitudo vicorum propter opulentiam populoſa, vt qui ſit minimus, ſupra quindecim millia colonorum habeat.

INTE-

INTERIORES *Palæstinæ* diœceses generatim patebant latius; quædam tamen paruæ erant. Nam *Emmaus* sexaginta tantum stadiis siue septem milliaribus & dimidio *Hierosolymis* distabat, quemadmodum litteræ sacræ & peregrinatores [*k*] tradunt : attamen quum ex vico vrbs facta & a *Romanis* tempore *Adriani* reædificata & post excidium *Hierosolymorum* victoriamque de *Iudæis* relatam *Nicopolis* nominata esset, (vti SOZOMENVS [*l*], EVSEBIVS [*m*] & HIERONYMVS [*n*] memoriæ prodiderunt) ipsa quoque in sedem episcopalem euecta & secundum ecclesiæ regulam territorium oppidanum, diœcesi suæ contributum, nacta fuit; sub qua appellatione & dignitate postea in *notitiis* ecclesiæ reperitur. Hoc fortassis diœcesim *Hierosolymitanam* ab vna parte paullo arctioribus terminis coërcet, quam vulgo creditur; sed tamen ad plures particulares ecclesias capiendas adhuc satis ampla erat. Nam antiquitatum *iudaicarum* scriptores communiter tradunt, in ipsa ciuitate plus quam quadringentas fuisse synagogas. LIGHTFOOTVS [*o*] qua-

(*k*) Cotouic. itiner. lib. II. c. XIX.

(*l*) Sozom. lib. V. c. XXI. Πόλις ἐστὶν ἐν Παλαιστίνῃ ἡ νῦν καλουμένη Νικόπολις· ταύτην δὲ ἔτι κώμην οὖσαν οἶδεν ἡ θεία τῶν εὐαγγελίων βίβλος, καὶ Ἐμμαοῦς προσαγορεύει· Ῥωμαῖοι δὲ μετὰ τὴν ἅλωσιν Ἱεροσολύμων καὶ τὴν κατὰ τῶν Ἰουδαίων νίκην, Νικόπολιν ἀνηγόρευσαν· ἐκ δὲ τοῦ συμβάντος οὕτως ὠνόμασαν. Vrbs est in Palæstina, Nicopolis hodie dicta. Hanc, quum adhuc vicus esset, sacer euangeliorum liber commemorat, & Emmauntem appellat. Post excidium autem Hierosolymorum & post victoriam de Iudæis relatam, Romani eam Nicopolim nominarunt: ex euentu belli nomen loco imponentes.

(*m*) Euseb. Chron. an. MMCCXXXVII. Παλαιστίνης Νικόπολις, ἡ πρότερον Ἐμμαοῦς, ἐκτίσθη πόλις, πρεσβεύοντος ὑπὲρ αὐτῆς καὶ προϊσταμένου Ἰουλίου Ἀφρικανοῦ τοῦ τὰ χρονικὰ συγγράψαντος. In Palæstina Nicopolis, quæ prius Emmaus vocabatur, vrbs condita est, legationis industriam pro ea suscipiente Iuliano Africano, scriptore temporum.

(*n*) Hieron. de locis Hebraic. voce *Emmaus.* (tom. III. p. 184. a. edit. Francof. MDCLXXXIV.) Emaus, de quo loco fuit Cleophas, cuius Lucas meminit Euangelista. Hæc est nunc Nicopolis, insignis ciuitas Palæstinæ.

(*o*) Lightfoot hor. hebr. in Matth. procem. c. XXXVI. *Hieros. Chelub*, fol. 35. 3. *R. Phinehas nomine R. Hosbaiæ dicit*, *Quadringentæ & sexaginta synagogæ erant Hierosolymis : quorum vnaquæque habuit domum libri & domum doctrinæ :* בית ספר למקרא ובית תלמוד למשנה *Domum libri pro scriptura*, id est, vbi legeretur scriptura : *& domum doctrinæ pro Traditionibus*, id est, *Beth Midrasch*, vbi docerentur Traditiones. Recitantur hæc alibi, atque illic adsurgit numerus ad CCCCLXXX. Idem *Megillah*, fol. 73. 4. *Dicit R. Phineas nomine R. Hosbaiæ*, *Quadraginta & octo-*

drin-

dringentas & quinquaginta computat: Alii [p] quadringentas & ſexaginta, & alii [q] quadringentas & octoginta cum pro *Iudæis*, tum pro peregrinis fuiſſe, dicunt. OPTATVS in non magna planitie in vertice montis *Sionis* ſeptem ſynagogas fuiſſe adfirmat, vbi *Iudæi* [r] conuenientes legis per *Moyſen* datæ lectioni auſcultare conſueuerint. Et EPIPHANIVS [s] totidem memorat, easque poſt excidium *hieroſolymorum* ad tempora vſque *Adriani*, vnam autem ex illis ad ipſa *Conſtantini* tempora perſtitiſſe, perhibet. Iam vero mirum foret, ſi ciuitas quæ tot habuit ſynagogas, non niſi vnam eccleſiam præbuiſſet, iam chriſtiana facta, & tot conuerſorum millia ipſo apoſtolorum tempore complexa. Sed habebat etiam territorium extra ciuitatis mœnia & eccleſias quodam interuallo inde diſtantes.

---

*ginta ſynagogæ erant Hieroſolymis &c.* De variatis numeris heic non quærimus, poſterior eſt recentior, adſtruiturque per *Gematriam*, vt vocant, e voce מלאתי *Ieſ. I, 21.* R. *Sol* in *Ieſa. II, 1.* *Inuenimus in Peſikta, R. Menahem a R. Hoshaia dicit CCCCLXXX. ſynagogæ erant Hieroſolymis ſecundum valorem arithmeticum vocis* מלאתי. Nota, vt non computetur א.

(p) Othon. lex. Rabb. p. 627. Synagogæ ſexaginta & quadraginta (leg. ſine dubio *quadringentæ*) erant Hieroſolymis, cetera.

(q) Sigon. de republ. Hebr. lib. II. c. VIII. In commentariis Hebræorum ſcriptum eſt, vltimis temporibus in vrbe Hieroſolyma quadringentas octoginta ſynagogas conſtitutas fuiſſe, quod Iudæi eo ex omnibus regionibus conuenirent.

Goodwin. Moſes & Aaron lib. II. c. II. §. III. Hieroſolyma continebat CCCCLXXX. ſynagogas præter templum, cum pro Iudæis tum pro peregrinis.

(r) Optat. lib. III. p. 62. edit. Par. MDCXXXI. (p. 63. ed. Par. MDCLXXIX.) Non in illo monte Sion, in cuius vertice eſt non magna planities, *in qua fuerant ſeptem ſynagogæ*, vbi Iudæorum populus conueniens legem per Moyſem datam diſcere potuiſſet.

(s) Epiph. de menſur. & ponder. n. XIV. (tom. II. opp. p. 170. c. edit. Colon. MDCLXXXII.) ἐκεῖ γὰρ ᾠκοδόμητο· τουτέστιν ἐν τῷ μέρει Σιὼν, ἥτις ἀπὸ τῆς ἐρημώσεως παρελείφθη, καὶ μέρη οἰκήσεων περὶ αὐτὴν τὴν Σιὼν, καὶ ἑπτὰ συναγωγαὶ, αἳ ἐν τῇ Σιὼν μόναι ἑστήκεσαν, ὡς καλύβαι, ἐξ ὧν μία περιελείφθη ἕως χρόνου Μαξιμωνᾶ τοῦ ἐπισκόπου καὶ Κωνσταντίνου τοῦ βασιλέως, ὡς σκηνὴ ἐν ἀμπελῶνι, κατὰ τὸ γεγραμμένον. Erat illa (eccleſia parua quædam chriſtianorum) in Sionis parte conſtructa, quæ ciuitati ſuperfuerat, cum Sioni propinquis aliquot ædificiis ac *ſeptem ſynagogis*, quæ in eodem monte ſolæ velut tuguria perſtiterant, ex quibus vna duntaxat ad Maximonæ præſulis & Conſtantini imperatoris tempora velut vmbraculum in vinea, vt ſcripturæ verbis vtar, relicta videbatur.

*Bethlehem* enim in diœcesi *Hierosolymitana* erat, sex milliaribus ab ecclesia matrice dissidens; quam ob caussam ecclesiam & presbyteros separatim habebat, sed episcopo *Hierosolymitano* subiectos, vti auctor est HIERONYMVS [*t*], qui *Ioanni* episcopo *Hierosolymitano* grandem potestatis suæ abusum exprobrat, dum presbyteris suis *Bethlehemiticis* præcepisset, ne istius monasterii competentibus in pascha baptismum traderent, quos illi idcirco *Diospolim* baptizandos misissent. HIERONYMVS eodem loco ecclesiæ *Thiriæ* [*u*] meminit, in quo presbyteros & diaconos ordinarit episcopus *Hierosolymitanus*. Neque dubium est, plures alias istiusmodi parœcias intra huius diœcesis terminos fuisse, iurisdictionem eius admittentes. Non omnes *Palæstinæ* diœceses ita sigillatim enarrare possumus; istæ autem, quas nonnulli in minimis posuerunt, *Lydda* videlicet & *Iamnia*, ciuitates fuisse & circumiacentia in vicina regione loca potestati suæ subdita habuisse, videntur. Vt adeo, si a *Maiuma* discesseris, cui ciuitatis priuilegia ademerat *Iulianus*, nullus vicus in *Palæstina* fuerit, separatim habens episcopum; sed quot vici, tot erant parochiæ ad vicinam ciuitatem, cuius in territorio positi erant, spectantes: quæ res has ecclesias diœcesanas adhuc eiusdem cum reliquis generis facit, quarum late patebat iurisdictio. IOSEPHVS quidem *Lyddam* vicum apppellat, sed vicum tamen ciuitate haud inferiorem fuisse, dicit: & postea ciuitas facta, & *Diospolis* vocata est, quando fuit sedes episcopi. Cuius diœcesis etsi ab vna parte non adeo ampla esse potuit, quum tantum sex milliaribus a *Ioppe* versus mare abesset; ab aliis tamen partibus longius patebat. Nam HIERONYMVS [*w*]

(*t*) Hieron. epist. LXI. ad Pammach. c. XVI. Annon tu potius scindis ecclesiam, qui *præcepisti Bethleem presbyteris tuis*, ne competentibus nostris in pascha baptismum traderent, quos nos Diospolim ad confessorem & episcopum misimus Dionysium baptizandos?
Sulpic. Seuer. dialog. I. c. IV. (cap. VIII. p. 389. edit. Lipf. MDCCIII.) Inde digressus, Bethleem oppidum petii, quod ab Hierosolymis sex millibus disparatur, ab Alexandria autem sedecim mansionibus abest. Ecclesiam loci illius Hieronymus presbyter regit: nam *parochia est episcopi, qui Hierosolymam tenet*.

(*u*) Hieron. l. c. Theosebium, Thiriæ ecclesiæ diaconum facis presbyterum & contra nos armas, illiusque in nos abuteris eloquentia.

(*w*) Hieron. loc. hebr. voce *Bethsarissa*. Est in finibus Diospoleos villa, quinde

de *Bethsarissa*, vico quodam ad eam spectante, loquitur, tametsi quindecim fere milliaribus ab ea distaret, in regione sic dicta *Tamnitica*, quæ huius ciuitatis fuisse territorium videtur.

Nos in recensendis *Palæstinæ* diœcesibus sigillatim quæque persequuti sumus, eo quod religio christiana heic primum plantata fuit, & vera antiquorum episcopatuum forma ex illis omnium optime colligi potest. Qui hosce episcopatus non maiores quam parœcias rurales fuisse, autumant, magnopere falluntur ab vna parte; qui vero earum limites tam late, quam diœcesium in *Germania*, extendunt, haud excusatius ab altera parte errant. Vt res ex vero æstimetur, lectorem recordari oportet, numquam heic in vniuersis tribus *Palæstinis* quinquaginta omnino episcopos fuisse. Sæculo sexto medio quadraginta quinque tantum ibi fuerunt, qui concilio *Hierosolymitano*, an. DXXXVI. subscripserunt. Neque in accuratissima disquisitione numerum XLVIII. vmquam eos excessisse deprehendes. Vt adeo absurdissimum foret cogitare, vti quidem nonnulli fecerunt, hasce diœceses tantum ecclesias fuisse parochiales, siue singulares congregationes. Ab altera parte, si vniversam regionem non plusquam centum & sexaginta milliaria ambitu suo complexam fuisse memineris, euidentissimum est, quod istæ diœceses non potuerint latissime patentis esse magnitudinis, & cum aliis quibusdam comparatæ, vix vnius ad viginti proportionem habuisse deprehendantur. Id quod vlteriore demonstratione haud indiget.

§. IX.

### *Catalogus prouinciarum & diœcesium sub patriarcha* Antiocheno.

PROXIMVS patriarchatus est *Antiochenus*, cui CAROLVS A SANCTO PAVLO hasce tredecim prouincias adsignat: *Syriam Primam. Syriam secundam. Theodoriadem. Ciliciam primam. Ciliciam secundam. Isauriam. Euphratensem. Osrhoenam. Mesopotamiam. Phœniciam primam. Phœniciam secundam. Arabiam* & *Cyprum* insulam. Quarum de vna, *Arabia Philadelphiæ*, iam loquuti sumus; & tres aliæ, *Isauria*, *Cilicia prima* & *Cilicia secunda* in *Asia minore* sitæ,

decim ferme ab ea millibus distans contra septemtrionem in regione Tamnitica.

proxime ſequenti capite intra iſtius regionis prouincias conſiderabuntur. Ad reliquas quod attinet, heic primum diœceſes in vnaquaque prouincia ſigillatim recenſebimus, daturi deinde paucas quasdam obſeruationes in illas, & in alias nonnullas *orientales* prouincias, huic auctori haud memoratas.

IN SYRIA PRIMA.

1. Antiochia. 2. Seleucia Pieria. 3. Berrœa, vulgo Aleppo. 4. Chalcis. 5. Onoſarta, vel potius Anaſarta. 6. Gabbus. Quibus ab HOLSTENIO etiam alia additur, dicta Paltus, quam ille minus recte in Theodoriade poni exiſtimat.

IN SYRIA SECVNDA.

1. Apamea ad *Orontem* fluuium. 2. Arethuſa. 3. Epiphania. 4. Lariſſa. 5. Mariana vel Mariamne. 6. Raphanæa. 7. Seleucia iuxta *Belum* al. Seleucobelus. Ad haſce quoque aliam transfert HOLSTENIVS, Balanæam dictam, ex prouincia Theodoriade, in qua male collocari putat; ſed fallitur.

IN THEODORIADE.

1. Laodicea. 2. Gabala. 3. Paltos. 4. Balanæa.

IN EVPHRATESIA SEV COMAGENE.

1. Hierapolis. 2. Cyrrhus. 3. Samoſata. 4. Doliche. 5. Germanicia. 6. Zeugma. 7. Perre, aliis corrupte lecta Perga, & Pella & Peria, vt HOLSTENIVS animaduertit. 8. Europus al. Amphipolis & Thapſacum. 9. Vrima. 10. Cæſarea, alias Neocæſarea Euphratenſis vocitata. 11. Sergiopolis. 12. Sura. 13. Marianopolis, quam nonnulli in Syria ſecunda ponunt.

IN OSRHOENA SEV MESOPOTAMIA INFERIORE.

1. Edeſſa. 2. Carræ. 3. Circeſia, al. Circeſium. 4. Nicephorium. 5. Bathnæ. 6. Callinicus al. Leontopolis. 7. Marcopolis. 8. Himeria. 9. Dauſara.

IN MESOPOTAMIA SVPERIORE.

1. Amida, nunc vulgo Caramit. 2. Niſibis. 3. Rheſina. 4. Martyropolis. 5. Caſcnara. Hiſce ab HOLSTENIO adduntur duæ, Cepha & Mniſus ſeu Miniza.

IN PHOENICIA PRIMA.

1. Tyrus. 2. Sidon. 3. Ptolemais olim Ace & Aucon, nunc

# PATRIARCHATUS ANTIOCHENI GEOGRAPHICA

Nova Descriptio

PATRIARCHATUS CONSTANTINOPOLITANI PARS

LYCAONIÆ PARS

CAPADOCIÆ PARS

PAMPHYLIÆ PARS

ARMENIA

ASSYRIA

Choatras Mons

Cyrus Fl.

Euphrates Fl.

Tigris Fl.

Niphates Mons

Taurus Mons

Martyropolis

Amida

Edessa

Rhesinas

Nisibis

Carrhæ

Batne

Zeugma

Samosata

Anazarbus

Seleucia

Tarsus

CILICIA

ISAURIA

EUPHRATENSIS

OSRHOENA

MESOPOTAMIA

Macedonopolis

Miniza

Seleucia

Babylon

Ctesiphon

Lycus Fl.

Caprus Fl.

Gorgus Fl.

Regius Fl.

Zagros Mons

Parochoatras Mons

SUSIANA

Auxumis

Oroatis Fl.

BABYLONIA

CYPRUS INSULA

MARE SYRIACUM

MARE ÆGYPTICUM

Antiochia

Berœa

Apamea

SYRIA PRIMA

SYRIA SEC.

Laodicea

Arethusa

Emesa

Palmyra

PHOENICIA

PHOENICIA LIBANI

Heliopolis

Berytus

Sidon

Tyrus

Ptolemais

Tripolis

Byblus

Damascus

Abila

Cæsarea

Scythopolis

Hierusalem

Sodoma

Philadelphia

Bostra

ARABIA

Petra

PATRIARCHATUS HIEROSOLYMITANI PARS

PETRÆA

ÆGYPTUS

Saracenorum Regio

ARABIA DESERTA

Montana Fœlicis Arabiæ

Geapolis

ARABICUS SINUS

ARABIÆ FŒLICIS PARS

SINUS PERSICUS



nunc autem Aca & Acona. 4. Berytus. 5. Byblus. 6. Tripolis. 7. Arca. 8. Orthosias. 9. Botrus. 10. Aradus. 11. Antardus. 12. Porphyrium. 13. Paneas, al. Cæsarea Philippi. 14. Sycaminum, nunc Capo Carmelo.

## IN PHOENICIA LIBANI.

1. Damascus. 2. Laodicea scabiosa. 3. Abyla. 4. Heliopolis. 5. Iabruda. 6. Palmyra. 7. Emesa. 8. Danaba. 9. Alais. 10. Euaria, al. Euroia, al. Iustinianopolis. 11. Comoara. 12. Corada. 13. Sarracene, siue Sarracenorum ciuitas, quæ potius ad Arabiam pertinet. HOLSTENIVS addit Arlanam.

## IN CYPRO.

1. Constantia, seu Constantina. 2. Citium. 3. Amathus. 4. Curium. 5. Paphos. 6. Arsinoë. 7. Lapithus. 8. Thamassus. 9. Chytrus. 10. Tremithus. 11. Soli. 12. Ledra. 13. Tiberiopolis. HOLSTENIVS Carteriopolim addit & Carpasiam, vbi *Philo* fuit episcopus, qui plerumque ex vulgari errore dicitur Carpathius, quasi Carpathi, quæ maris mediterranei insula est, episcopus fuisset, quum tamen huius Carpasiæ, in insula Cypro episcopus fuerit, quemadmodum HOLSTENIVS & CAVEVS obseruarunt.

## §. X.

### *Obseruationes in diœceses* Cypri.

IAM vt paucas quasdam notas in hasce diœceses distincte faciamus, animaduertimus, ex eadem ratione, qua CAROLVS A SANCTO PAVLO *Cyprum* sub patriarcha *Antiocheno* collocauit, *Assyriam* quoque, *Persiam*, *Babyloniam*, *Adiabenem*, *Indiam* & *Homeritarum* regionem in *Arabia felice* ad *Antiochiam* referri potuisse. In omnibus enim hisce locis episcopi fuerunt, vti ostensuri sumus, sed nulli patriarchæ, nisi suis ipsorum metropolitanis subditi. Atque talis esse *Cyprus* a concilio *Ephesino* decreta fuit; vnde semper ἀυ[τ]οκέφαλος, seu libera ab omni subiectione provincia credita est, quemadmodum alio loco [x] pluribus probatum dedimus. Quidquid heic porro de *Cypro* obseruare habemus, ad hasce quindecim diœceses, quas heic ostendimus, attinet, quod magnæ fuerint, si cum diœcesibus *Palæstinæ* com-

(x) Lib. II. c. XVIII. §. II. vol. I. pag. 262.

parentur. *Cyprus* enim FERRARIO CLXX. mill. paſſ. aliis CC. longa, adeoque maior, quam *Palæſtina*, dicitur. BAVDRANDVS circuitum eius DL. mill. paſſ. circiter computat quod, ſine vlla ampliore in locorum diſtantiam vel ciuitatum vicorumque amplitudinem inquiſitione, ſatis eſt ad oſtendendum, has diœceſes non fuiſſe de anguſtiſſimis, etſi de minoribus quibusdam, quas iuxta continentem terram offendimus, ſi alias prouincias intueamur.

## §. XI.

## *De diœceſibus* Syriæ primæ & ſecundæ.

PROXIMA *Cypro Syria* eſt, olim omnem regionem *mari mediterraneo* & *Euphrati* interiacentem complexa, a *Romanis* autem in ſex prouincias diuiſa, *Syriam primam* & *ſecundam*, *Phœniciam primam & ſecundam*, *Theodoriadem* & *Euphrateſiam*, alias *Hagiopolin* & *Comagenem* vocitatam. Harum ſex prouinciarum ſimul ſumtarum longitudo intra trecenta & quadraginta millia paſſuum, latitudo autem a *mari mediterraneo* ad *Euphratem* ducenta millia habere a geographis exiſtimatur. Et omnes diœceſes in vniuerſis prouinciis circiter quinquaginta ſex, hoc eſt, octo tantum amplius, quam in *Palæſtina* erant. Ex quo lector harum diœceſium, cum aliis diœceſibus in *Palæſtina* comparatarum, magnitudinem facile æſtimare poterit, ſi vtriusque regionis menſuram conſiderare & aliam cum alia conferre velit. Sed vero de paucis quibusdam harum prouinciarum diœceſibus paullo diſtinctius loquendum erit. *Syria prima* antiquitus ſex tantum diœceſes habuit, & in recentioribus *notitiis* quinque tantum deprehendimus. Metropolis *Antiochia* erat, vna ex ampliſſimis orbis terrarum ciuitatibus. CHRYSOSTOMVS, qui idoneus magnitudinis illius iudex haberi poteſt, aliquoties decem vel viginti myriades [xx],

(xx) Chryſoſtom. hom. LXXXVI. in Matth. (tom. I. p. 893. c. edit. Francof.) Τῇ τοῦ θεοῦ χάριτι εἰς δέκα μυριάδων ἀριθμὸν οἶμαι τοὺς ἐνταῦθα συναγομένους τελεῖν. Gratia Dei *centum millia* hominum huc (Antiochiam) conuenire puto.
Id. homil. XLII. in Ignat. tom. I. p. 567. (pag. 501. c.) εἴπω καὶ τέταρτον στέφανον ἐκ τῆς ἐπισκοπῆς ἡμῖν ἀνέχοντα ταύτης, τίς οὖν ἐστιν οὗτος; τὸ τὴν πατρίδα αὐτὴν ἐπιτραπῆναι τὴν ἡμετέραν· ἐπίπονον μὲν γὰρ καὶ ἑκατὸν ἀνδρῶν καὶ πεντήκοντα προστῆναι μόνον· τὸ δὲ πόλιν ἐγχειρισθῆναι τοσαύτην, καὶ δῆμον εἰς εἴκοσι ἐκτεινόμενον μυριάδας πόσης ἀρετῆς οἴει καὶ σοφίας ἀπόδειξιν εἶναι; Quartam

hoc

hoc eſt centum vel ducenta hominum millia in ea contineri, dicit. Et hoc partem laudationis ſuæ in *Ignatium* facit, quod, quum centum homines vel etiam quinquaginta regere difficile ſit; tanta tamen eius ſapientia fuerit ac virtus, vt *S. Petrus* non dubitarit eius fidei ac curæ vrbem, ducenta hominum millia continentem, committere. Territorium extra ciuitatem interiori eius magnitudini reſpondebat. Nam ab vna parte itinere bidui ſeu quinquaginta mill. paſſ. ad territorium *Cyri*, vbi *Theodoretus* erat epiſcopus, porrigebatur. STRABO [*y*] enim, hæc duo territoria ſibi contigua fuiſſe, dicit. Erant multi grandes vici in hac regione ſimiles vrbibus; vt *Daphne* in ſuburbanis *Antiochiæ*; *Gindarus*, in finibus huius diœceſis *Cyrum* verſus, quæ STRABONIS ætate ciuitas fuit ad *Cyrum*, ſeu *Cyreſticam* ſpectans regionem. Notandum vero eſt, quod duo huius nominis loci fuiſſe videantur, alter quidem ciuitas, alter autem vicus. STRABO [*z*] enim de *Gindaro* regionis *Cyreſticæ* loquitur, quam vrbem appellat: & nos *Petrum* quemdam *Gindarenſem*, inter epiſcopos *Syriæ* concilio *Nicæno* ſubſcribentem, inuenimus; qui etiam inter epiſcopos concilii *Antiocheni*, qui *Athanaſium* damnauerunt, fuit, quemadmodum HOLSTENIVS [*a*] & SCHELSTRATVS ex horum conciliorum ſubſcriptionibus

---

coronam adiungam, quæ ſe nobis offert ex epiſcopatu. Quænam eſt iſta, quod ipſe nimirum patriam noſtram gubernauit. Si enim centum homines vel etiam quinquaginta regere difficile eſt, quantæ virtutis & ſapientiæ debet exiſtimari tam celebrem vrbem adminiſtrare, & eum populum regere, qui *ducenta contineat hominum millia?*

(*y*) Strab. lib. XVI. p. 751. (p. 1090. edit. Amſtelod.) ἔπειτα ἡ Κυῤῥηστικὴ μέχρι τῆς Ἀντιοχίδος. Sequitur Cyreſtica regio vſque ad Antiochenſem agrum.

(*z*) Strabo ibid. Ἐνταῦθα δ᾽ ἐστὶ πόλις Γίνδαρος, ἀκρόπολις τῆς Κυῤῥηστικῆς, καὶ λῃστήριον εὐφυές. Hoc in loco eſt *Gindarus ciuitas*, Cyreſticæ regionis arx, & aptum latronibus receptaculum.

(*a*) Holſten. adnotat. Geograph. p. 206. (p. 311. in geogr. Car. a S. Paulo ed. Amſt.) *Gindarenſis Syriæ Petrus epiſc.* &c.] Idem adfuit concilio Antiocheno contra S. Athanaſium.
Schelſtrat. de concil. Antioch. p. 93. Aliud quid eſt de Petro in codice Corbeienſi poſt Alexandrum citato: licet enim in codicibus MSS. Colbertinis, Sangermanenſi, Thuano, & Oxonienſi eodem modo hic Petrus referatur ſine prouincia & ciuitate, eum tamen ponit catalogus Antiochenæ ſynodi vulgatæ editionis ſub prouincia Syriæ Cœles, vbi: *Petrus Gindarenſis*. Hic & vnus fuit ex CCCXVIII. patribus Nicænis, vt patet ex catalogo Nicæni concilii, vbi ſubſcriptus habetur tamquam Gindarenſis epiſcopus.

obſer-

obſeruarunt. Vnde concludere nobis licebit, *Gindarum* SRABONI memoratam, eamdem probabiliter ciuitatem fuiſſe, cuius hic *Petrus* epiſcopus fuit, & aliam fuiſſe *Gindarum*, vicum tempore *Theodoreti* ad *Antiochiam* pertinentem, vbi *Aſterius* monachus vixit, quo de THEODORETVS [*b*] in *hiſtoria* ſua *religioſa* loquitur; vbi aliorum etiam vicorum [*c*] meminit prope *Amanum* montem in territorio *Antiochiæ*, quos longo ſpatio ab *Antiochia* disiunctos fuiſſe, neceſſe eſt. Nam *Amanus* mons terminus ſeptemtrionalis *Syriæ* erat. *Berræa* & *Chalcis* peramplæ erant ciuitates, viginti paſſuum millibus altera ab altera diſtantes. In eadem prouincia ſita erat *Seleucia Pieria* ſedecim mill. paſſ. ab *Antiochia* deorſum verſus ad *Orontem* fluuium, & quinque millibus a mari, quod ſatis erat territorium ad faciendam amplam diœceſin, etſi priore multo inferiorem.

IN *Syria ſecunda* antiquis temporibus ſeptem fuerunt epiſcopatus, & eumdem numerum in recentioribus *notitiis* eccleſiaſticis inuenimus. Ex hiſce metropolis erat *Apamea* ciuitas, quam THEODORETVS [*d*] LXXV. mill. paſſuum ab *Antiochia* diſtare, dicit, habuiſſe autem illam amplum quoddam territorium multosque vicos, e STRABONE [*e*] aliisque antiquis

(*b*) Theod. hiſt. relig. vit. Iulian. p. 777. ὕστερον χρόνοις πολλοῖς ὕστερον ὑπὸ τῆς θείας χάριτος προσκληθεὶς, ὡς ἂν καὶ ἑτέρους πολλοὺς εἰς τὴν αὐτὴν παιδοτριβήσειεν ἀρετὴν, ἐν τοῖς περὶ τὴν Γίνδαρον χωρίοις, κώμη δὲ αὕτη μεγίστη τελεῖ ὑπὸ τὴν Ἀντιώχειαν τεταγμένη, τὴν ἀσκητικὴν παλαίστραν ἐπήξατο. Hic longo poſt tempore diuina impulſus gratia, vt alios quoque multos ad eamdem virtutem exerceret, in locis *Gindaro* vicinis, *qui vicus eſt maximus* ſub *Antiochia conſtitutus*, palæſtram fixit monaſticam.

(*c*) Theod. hiſtor. relig. vit. Simeon. p. 801. c. p. 808. b. πολλὴν ἀνύσας ὁδὸν, ὄρος καταλαμβάνει τὸ καλούμενον Ἀμανόν. - Τοῦτο οὐ μόνον τοὺς περιοίκους ἐνέπλησε δείματος, ἀλλὰ καὶ τὴν πόλιν ἅπασαν, τὴν Ἀντιόχου λέγω· ὑπὸ ταύτην γὰρ τὸ χωρίον ἐτέλει, θεῖν ἐκεῖ κατηνάγκασε. Longum iter emenſus ad montem peruenit, qui *Amanus* appellatur. - Quæ res non tantum accolis terrorem iniecit, ſed *Antiochenam vrbem* vniuerſam, *cui vicus ille parebat*, eo properare compulit.

(*d*) Theodoret. epiſt. CXIII. †

(*e*) Strab. lib. XVI. p. 752. (p. 1091. edit. Amſtelód.) Ἡ δ' Ἀπάμεια καὶ πόλιν ἔχει τὸ πλέον εὐερκῆ. - - χώρας εὐπορεῖ παμπόλλης εὐδαίμονος, δι' ἧς ὁ Ὀρόντης ῥεῖ, καὶ περιπολεῖ συχνὰ ἐν ταύτῃ. Apamea vrbem habet magna ex parte probe munitam. - Regione & multa & vbere abundat, per quam Orontes fluit & multus in ea vagatur.

ſcripto-

ſcriptoribus diſcimus. *Lariſſa* in hac prouincia FERRARIO quatuordecim mill. paſſ. ab *Apamea*; *Arethuſa* ſedecim mill. ab *Epiphania*; *Epiphania* a *Lariſſa* duodeuiginti mill. paſſ. a *Lariſſa* diſtare dicuntur. Vt adeo ad minimum viginti millia paſſuum vnicuique diœceſi in hac prouincia adſignari poſſe, intelligamus.

## §. XII.

### *De diœceſibus* Phœniciæ primæ *&* ſecundæ.

IN *Phœnicia prima* paucæ aliquot ciuitates, vti ſupra de *Palæſtina* verba facientes obſeruauimus, aliæ aliis valde vicinæ, erant, e. gr. *Sycaminum* & *Porphyrium*, quarum ciuitatum diœceſes hanc ob cauſſam non adeo amplæ eſſe potuerunt. *Tyrus* autem, *Sidon* ac *Berytus* & amplæ fuerunt ciuitates & longiore interuallo disiunctæ. *Tyrus* enim XXV. mill. paſſ. a *Sidone* ex vna parte, & totidem vel pluribus a *Ptolemaide* ex altera parte, diſtabat. COTOVICVS [*f*] XX. tantum mill. paſſ. ſupputat; FERRARIVS autem XXXII. mill. paſſ. fuiſſe dicit. Et quidem ciuitas ipſa valde ampla fuit, ſi STRABONI credimus, inſulam enim, vndeuiginti mill. paſſ. in circuitu habentem, confeciſſe dicit [*g*]. PLINIVS [*h*] de inſulæ magnitudine conſentit, ſed oppidum ipſum modo XXII. ſtadia obtinuiſſe ſtatuit. *Sidon* itidem ampla fuit ciuitas, nec minus XXV. millibus paſſuum ab alia quacumque disiuncta. BAVDRANDVS [*] XXV. mill. paſſ. a *Tyro* & XXXV. mill. a *Beryto* ſeparat. *Berytus* legis ciuilis ſtudio clara & grandibus ac florentiſſimis *Orientis* ciuitatibus accenſita, haud propinquiores ſibi habuit, quam *Sidonem* in auſtrum & *Byblum* ad arctos, a qua XXXIV. mill. paſſ. auctore FERRARIO, [†] abfuit. Diœceſes in altera *Phœnicia Libanum* montem verſus prioribus maiores erant. Heic enim ampliores erant ciuitates, & maiori locorum interuallo a ſe inuicem

(*f*) Cotouic. itin. lib. I. c. XX.

(*g*) Strab. lib. XVI. †

(*h*) Plin. lib. V. c. XIX. Tyrus quondam inſula præalto mari ſeptingentis paſſibus diuiſa. - Circuitus XIX. mill. paſſ. eſt, intra Palætyro incluſa.

(*) Baudr. lexic. voce *Sidon*. Sidon vrbs eſt *Syriæ* - XXXV. mill. paſſ. diſtat a Beryto in meridiem, vti LV. a Damaſco in occaſum.

(†) Ferrar. lexic. voce *Berytus*. Berytus vrbs archiepiſcop. Phœniciæ littorali, ſub patr. Antiocheno, inter Bylum ad arctos XXXIV. & Sidonem in auſtrum XXX. mill. paſſ.

disiunctæ. Has inter grandis ciuitas *Damascus* erat, istius prouinciæ olim metropolis, cuius amplitudo ex iis colligi potest, quæ IOSEPHVS [*i*] de incolis illius memoriæ prodidit, quod decem millia *Iudæorum* vna hora iugularint. *Emissa* noua metropolis itidem ampla ciuitas ab AMMIANO MARCELLINO [*k*] iudicatur, qui eam *Tyro*, *Sidoni* & *Beryto* æquat. Quod ad illarum vrbium attinet territoria, ea ex ipsarum distantia ab aliis locis metiri debemus. *Laodicea* & *Arethusa* vicinæ proximæ *Emissæ* erant, ab eaque XVI. mill. pass. FERRARIO [†] iudice, distabant. Neque *Damascum* angustioribus limitibus includi, legimus. Circumdata enim erat *Abyla*, *Iabruda* & *Cæsarea Philippi*, quarum vltimam FERRARIVS ab ea XXVI. mill. passuum seiungit. *Abyla* regionis illius caput erat, tunc temporis *Abylene* vocitata, quæ, *Luca* euangelista perhibente, tetrarchæ appellationem *Lysaniæ* dedit. Vnde colligere nobis licebit, non mediocre eam habuisse territorium. Heic quoque erat magna ciuitas *Palmyra*, alius regionis tum *Palmyrenes* dictæ caput, de qua eamdem conclusionem facere æquum est, tametsi non habeo, quod de harum regionum amplitudine speciatim obseruem, nisi quod *Abyla* XXXII. mill. passuum ab *Heliopoli*, alia nota huius prouinciæ vrbe & vna de vicinis eius proximis, separata habeatur, vti illarum distantiam ex *itinerario* ANTONINI FERRARIVS [††] computat.

---

(*i*) Ioseph. de bell. iud. lib. II. c. XXV. Κἂν τούτῳ Δαμασκηνοὶ τὴν τῶν Ῥωμαίων φθορὰν πυθόμενοι, τοὺς παρ' ἑαυτοῖς Ἰουδαίους ἀνελεῖν ἐσπούδασαν - - τοὺς δὲ Ἰουδαίους, ὡς ἂν ἐν στενῷ χωρίῳ τὸν ἀριθμὸν ὄντας μυρίους, καὶ πάντας ἀνόπλους, ἐπελθόντες ὑπὸ μίαν ὥραν, ἀδεῶς ἔσφαξαν. Tunc *Damascem*, cæde Romanorum cognita, Iudæos apud se degentes opprimere studuerunt. - - *Iudæorum* autem *decem millia*, quippe in angusto loco, atque omnes inermes adgressi, vna hora sine metu *iugulauerunt*.

(*k*) Amm. Marcell. lib. XIV. c. VIII. p. 47. edit. Lugd. MDCXCIII. Phœnice regio plena gratiarum & venustatis, vrbibus decorata magnis & pulchris: in quibus amœnitate celebritateque nominum Tyrus excellit, Sidon & Berytus, *iisdemque pares Emissa* & Damascus, sæculis conditæ priscis.

(†) Ferrar. lex. voce *Emisa*. Emisa, Emissa Ptolemæo, vrbs Syriæ archiepiscopalis sub patriarcha Antiocheno, inter Arethusam & Laodiceam XVI. mill. passuum.

(††) Ibid. voce *Heliopolis*. Heliopolis - vrbs Phœnicis ad Libanum montem inter Laodiceam LX. & Damascum LXX. mill. pass. ab Abyla XXXII.

§. XIII.

## §. XIII.
## *De* Theodoriade.

IN prouincia *Theodoriadis* inter *Syriam primam* & *Phœniciam* in ora maritima tres tantum fuerunt diœceſes, *Laodicea* metropolis, *Balanæa* & *Gabala*, eædemque in *notitia* IACOBI GOAR aliisque memorantur. Quorum locorum diſtantia ex *itinerario* ANTONINI condiſci poteſt. *Balanæa* XXIV. mill. paſſuum ab *Antarado* in *Phœnicia*, *Gabala* XXVII. mill. a *Balanæa* diſtabat, (FERRARIVS heic XXIV. ſecundum recentiorem computationem habet;) & *Laodicea* metropolis XVIII. mill. paſſ. a *Balanæa*. Et earum territoria ab aliis partibus longius patebant.

## §. XIV.
## *De* Euphrateſia *ſeu* Comagene.

IN prouincia *Euphrateſiæ* ſeu *Comagenes* quomdam tredecim diœceſes fuerunt, & tantum vna plus in recentioribus *notitiis*. Plures vrbes magnæ heic ſitæ, vt *Hierapolis*, prouinciæ iſtius metropolis, & *Samoſata* ad *Euphratem* fluuium, IOSEPHO [*l*] pariter & AMMIANO MARCELLINO [*m*], magnæ & amplæ ciuitatis nomine memorata. Ampliſſimi autem territorii diœceſis in his partibus fuit *Cyreſtica*, cuius *Theodoretus* epiſcopus fuit, qui magnitudinem illius accuratiſſime deſcripſit. Alicubi [*n*]

(*l*) Ioſeph. de bell. iud. lib. VII. c. XXVII. Τὰ Σαμόσατα τῆς Κομμαγηνῆς μεγίστη πόλις. Samoſata Comagenes maxima ciuitas.

(*m*) Amm. Marcell. lib. XIV. c. VIII. (p. 47. edit. Lugd. MDCXCIII.) Prima poſt Oſdroënam - - Commagena, nunc Euphratenſis, clementer adſurgit, Hierapoli, vetere Nino, & *Samoſata ciuitatibus amplis* illuſtris.

(*n*) Theodoret. epiſt. XLII. p. 927. a. Τῆς ἡμετέρας χώρας τεσσαράκοντα μὲν σημείων τὸ μῆκός ἐστι, τοσοῦτον δὲ τὸ εὖρος - - τοῦτο τῆς χώρας τὸ μέτρον πέντε μὲν μυριάδας ἔχει ζυγῶν ἐλευθερικῶν, μυρία δὲ πρὸς τούτοις ἕτερα ταμιακά. Regionis noſtræ longitudo milliarium eſt quadraginta, totidem occupat latitudo. - - In hoc regionis noſtræ ambitu iugorum immunium millia ſunt quinquaginta fiſcalium rurſus alia decem millia. Epiſt. XLVII. Τῷ ὄντι γὰρ βαρυτάτην μὲν ἀπογραφὴν ὑπὲρ πάσας τῆς ἐπαρχίας τὰς πόλεις ἡ ἡμετέρα πόλις ἐδέξατο· πάσης γὰρ πόλεως κουφισθείσης, μεμένηκεν αὕτη μέχρι καὶ τήμερον ὑπὲρ ἓξ μυριάδων καὶ δισχιλίων εἰσφέρουσα ζυγῶν. Reuera grauiſſimam ſupra omnes prouinciæ ciuitates deſcriptionem ciuitas noſtra paſſa eſt: & quum releuatæ fuerint ſingulæ ciuitates, remanſit ipſa vſque in hunc diem *iuga conferens ſupra ſexaginta duo millia.*



enim

enim illius longitudinem milliarium esse quadraginta totidemque latitudinem, & plus quam sex myriades seu sexaginta millia ζυγῶν iugorum continere dicit. Iam vero vocabulum *iuga* non singulare quoddam iugerum denotat, vt viri quidam docti falso arbitrantur; sed tantum terræ spatium, quantum vno per annum iugo boum exarari poterat: & ad eiusmodi proportionem tributa *Romana* agris imponebantur, vnde ordinarium tributum, quod ratione agrorum exigi solebat, in lege ciuili *iugatio* dicebatur, quemadmodum alio iam loco [o] notandi habuimus occasionem. Vt adeo sexaginta millia iugorum, secundum hanc computandi rationem, multo maiorem diœcesin effectura sint, quam si illa de singularibus duntaxat iugeribus accipere vellemus. Ne vero sterilem & incultam terram fuisse existimemus, THEODORETVS alio loco, quot ecclesias & parœcias in diœcesi sua habuerit, recenset, & octingentas [p] fuisse dicit. Quarum nonnullæ, *Theodoreto* in diœcesin veniente, *Marcionis*, *Arii*, & *Eunomii* hæresibus infectæ erant; sed ille supra decem millia, ex vna solum secta, *Marcionis* [q] videlicet, ad catholicam fidem reduxit, & ex aliis aliquot millia plura. Quæ argumenta omnia eo conspirant, vt ipsam pro vna de largissimis in Oriente diœcesibus habeamus, qualem etiam reuera fuisse, BLONDELLVS [r] ingenue fatetur, tametsi

(o) Vid. lib. V. c. III. §. III. vol. II. p. 232.

(p) Theodoret. epist. CXIII. ad Leon. p. 986. d. τῆς θείας μοι χάριτος συνεργησάσης πλείους μὲν ἢ χιλίας ψυχὰς ἠλευθέρωσα τῆς Μαρκίωνος νόσου, πολλοὺς δὲ ἄλλους ἐκ τῆς Ἀρείου καὶ Εὐνομίου συμμορίας προσήγαγον τῷ δεσπότῃ Χριστῷ· καὶ ἐν **ὀκτακοσίαις ἐκκλησίαις** ἔλαχον ποιμαίνειν· τοσαύτας γὰρ ἡ Κύρρος παροικίας ἔχει. Diuini mihi cooperante gratia supra mille animas Marcionis morbo liberaui, multosque alios ex Arii & Eunomii partibus ad Christum dominum perduxi. Et *octingentarum ecclesiarum* pastoralem curam sortitus sum, tot enim Cyrus habet parœcias.

(q) Id. epist. CXLV. p. 1026. c. Ἐγὼ θρηνῶ καὶ ὀδύρομαι, ὅτι ἃς πρώην τοῖς τῶν Μαρκίωνος τὴν λύμην δεξαμένοις προσέφερον ἀποδείξεις, καὶ πλείους ἢ μυρίους διὰ τῆς θείας χάριτος πείσας προσήγαγον τῷ παναγίῳ βαπτίσματι, ταύτας νῦν τοῖς νομισθεῖσιν ὁμοπίστοις ἡ ἐπισκήψασα νόσος προσφέρειν καταναγκάζει. Mihi flere libet ac lugere, quod quæ dudum aduersus Marcionis tabe corruptos argumenta protuli, conuictosque Dei beneficio plures decem millibus ad sanctissimum baptismum perduxi, ea nunc in eos, qui fidei nostræ creduntur, exorta hæresis proferre cogit.

(r) Blondel. apol. p. 185. Octingentas curæ suæ commissas ecclesias Theodoretus

alii

alii quidam totam hiſtoriam commentitiam eſſe, nobis ſatagunt perſuadere, quum tamen omnes circumſtantiæ ita concordent, vt clariſſima veritatis documenta ei fœnerentur. Qui reſponſa ad obiectiones videre volunt, STILLINGFLEETVM [s] vel MAVRITIVM [t] conſulant, qui, quæ in contrarium adlata ſunt, diligenter examinauerunt. Quod ad alias huius prouinciæ vrbes, *Dolicham*, *Germaniciam*, *Nicopolim*, *Zeugma*, *Cæſaream*, ceteras attinet, earum nonnullæ exiguæ tantum ciuitates fuerunt, exempli cauſſa *Dolicha*, quæ THEODORETO [u] πολίχνη σμικρὰ, *paruum oppidulum*, vocatur. Sed forte amplas diœceſes habuerunt, quemadmodum *Cyrus* habuit, quæ in ſe nec magna ciuitas, nec bene habitata erat, diœceſin autem maiorem habebat, quam multæ aliæ ciuitates, quarum amplitudo vel decies tanto maior exſiſtebat.

## §. XV.

## *De* Oſrhoena & Meſopotamia.

IN prouinciis *Romanis* trans *Euphratem* (quas nonnulli generali nomine *Meſopotamiam* vocant, eo quod inter duos fluuios *Tigrim* & *Euphratem* ſitæ erant; Romani autem in duas prouincias diuidebant, *Oſrhoenam* iuxta ripas *Euphratis*, & *Meſopotamiam Tigrim* verſus) adeo paucæ diœceſes in antiquis monimentis reperiuntur, vt noſtræ recenſiones valde imperfectæ eſſe mihi videantur. Nam vniuerſus numerus in vtraque prouincia non vltra ſedecim adſcendit; quum tamen in recentioribus *notitiis* in ſola *Oſrhoena* ſedecim, & in altera prouincia triginta quinque plures recenſeantur; vnde antiquas recenſiones heic mancas eſſe probabile fit. Alioquin has diœceſes mirum in modum amplas fuiſſe ſtatuendum foret. Nam BAVDRANDVS regionem CCCCXX. mill. paſſ. longam & CCLXX. latam facit.

refert, quis autem Ptolemæo Ariſterium, Regiam, Rubam, Heracliam, Niaram &c. inter Cyrreſticæ πόλεις memorante, vnicam in toto illo eccleſiarum numero, quæ *vrbis* nomen mereatur, Cyrum fuiſſe ſomniet?

(s) Stillingfleet's *Unreaſonableneſs of Separation* p. 258-262.

(t) Maurice's *Defence of Dioc. Epiſc* p. 396.

(u) Theodor. lib. V. c. IV. Ὁ δὲ θεῖος Εὐσέβιος ἔσχατον ἐπίσκοπον Μάριν τῇ Δολίχῃ κεχειροτόνηκε· πολίχνη δὲ αὕτη σμικρὰ, καὶ τῆς Ἀρειανικῆς νόσου κατ' ἐκεῖνο τοῦ καιροῦ μετειλήφει. Poſtremum omnium Marim diuinus Euſebius Dolichæ creauit epiſcopum: oppidulum hoc paruum, & Ariana tabe tunc temporis infectum.

Quæ in ſedecim diœceſes diſpertita ſingulas valde magnas efficiet. Sed non omnis regio ad religionem chriſtianam conuerſa fuiſſe videtur; ciuitates enim *Romanæ* eæ tantum erant, quæ ad ripas fluuiorum, & præcipue *Euphratis*, ſitæ erant. Itaque illas non ſecus atque certa luce, quæ ex antiqua nobis hiſtoria adfunditur, recenſebimus. Ex qua clarum & euidens eſt, earum nonnullas ad minimum tales ſedes epiſcopales, quales in omnibus reliquis mundi partibus, fuiſſe, hoc eſt, ciuitates cum territoriis & eccleſiis per villas & vicos conſtitutis. Hoc manifeſtum eſt ex iis, quæ de *Caſchara*, vna ex ciuitatibus *Meſopotamiæ*, obſeruat EPIPHANIVS, [w] quod præter ſedem epiſcopi eccleſias in vicis conſtitutas ac presbyteros in illis miniſtrantes ſæculo tertio habuerit. De *Mane* enim hæretico, primo *Manichæorum* auctore, loquens dicit, quod quum in publica cum *Archelao*, epiſcopo *Caſcharæ*, diſputatione victum illum populus lapidibus obruere voluiſſet, fuga ſibi conſulens diſceſſerit *Diodoridem*, pagum in *Carcharis*, vbi *Tryphon* quidam fuerit presbyter, quem ad nouam diſputationem ſollicitarit. Quod ſi minores ciuitates eiusmodi habuerunt diœceſes, idem facile de *Niſibi* metropoli concludere poterimus, quæ tanta vrbs fuit, vt aliquando contra *Perſarum* irruptionem, *Iuliano* imperatore, eo quod incolæ omnes chriſtiani eſſent, opem illis haud ferente, ipſa ſe poſſet defendere, quemadmodum SOZOMENVS [x] de ea obſeruat. *Edeſſa*, alterius prouinciæ metropolis, itidem ampliſſima fuit ciuitas, & ſedes regia *Agbari*, qui ſeruatoris noſtri tempore vi-

(w) Epiphan. hæreſ. LXVI. Manich. num. XI. Ἐντεῦθεν ὁ Μάνης ἀποδράσας, βουλομένων αὐτὸν λιθοβολῆσαι - - ἀναχωρήσας δὲ ἔρχεται εἰς κώμην τινὰ τῆς Καρχάρων εἰς Διοδωρίδα καλουμένην, ἐν ᾗ Τρύφων τις ἐπιεικέστατος κατ' ἐκεῖνο καιροῦ ἐτύγχανε τῶν αὐτόθι πρεσβύτερος κ. τ. λ. Secundum hæc Manes fuga ſibi conſuluit. Populus enim lapidibus illum obruere volebat; - - Inde diſcedens *Diodoridem; pagus is eſt in Carcharis*, ſeſe contulit: vbi *Tryphon* quidam erat vir optimus, ac tum *loci illius presbyter*.

(x) Sozom. lib. V. c. III. Ἀμέλει τοι προσδοκωμένων τότε Περσῶν ἐπιστρατεύειν, πρεσβευομένοις περὶ τούτο Νισιβηνοῖς, ὡς παντελῶς χριστιανίζουσι, καὶ μήτε τοὺς ναοὺς ἀνοίγουσι, μήτε εἰς τὰ ἱερὰ φοιτῶσιν, ἠπείλησε μὴ βοηθεῖν, μήτε πρεσβείαν δέχεσθαι, καὶ ὡς ἐναγοῦς τῆς αὐτῶν πόλεως μὴ ἐπιβήσεσθαι· πρότερον εἰ μὴ πύθοιτο εἰς ἑλληνισμὸν μεταβαλόντας. Quum Perſarum irruptio eo tempore exſpectaretur, Niſibenis, qui legatos ea de re ad ipſum miſerunt, eo quod chriſtiani omnes eſſent, ac neque templa deorum aperirent, neque ad ſacra accederent, minatus eſt,

xit,

xit, & cuius opera mature admodum ad chriſtianam fidem perducta eſſe generatim creditur, atque ita ab ipſis forte rei chriſtianæ initiis diuerſæ eccleſiæ ibi fuerunt. Sed vtcumque res ſe habet, poſterioribus certe temporibus illic exſtitiſſe noſcuntur. Nam SOZOMENVS de perſecutione, ſub *Valente* imperatore ſuborta, loquens, ipſum omnes eccleſias intra ciuitatem, ex quibus maxime inſignis fuerit *Thomæ* apoſtoli [*xx*], nomine nuncupata, abſtuliſſe dicit, ita vt populus in campo iuxta ciuitatem ad diuinum cultum coire neceſſe habuerit.

## §. XVI.

## *De* Armenia Perſica.

PRAETER haſce prouincias, CAROLO A SANCTO PAVLO memoratas, aliæ quædam regiones extra imperii *Romani* limites fuerunt, eamdem regiminis epiſcopalis formam habentes, de quibus proinde non abs re fuerit circumſcripte ac breuiter exponere, dum de prouinciis orientalibus agimus. Quæ nunc *Armenia magna* dicitur, ea antiquis temporibus *Armenia Perſica* vocata fuit, eo quod non ad *Romanum* ſed *Perſicum* pertineret imperium. Hic etiam epiſcopi tempore THEODORETI [*y*] fuerunt, vti ex quibusdam illius epiſtolis apparet. *Eulalio* enim epiſcopo ſcribens, diſtinctionis cauſſa, τῆς Περσικῆς Ἀρμενίας ἐπίσκοπον, *Perſicæ Armeniæ epiſcopum* ipſum appellat. Et alia

ſe nec opem laturum, nec legationem admiſſurum eſſe, nec in ipſorum vrbem vtpote ſceleratam, pedem prius illaturum, quam ipſos ad gentilium religionem ſe transtuliſſe, didiciſſet.

(*xx*) Sozom. lib. VI. c. XIIX. Μαθὼν ἐν Ἐδέσῃ εὐκτήριον ἐπιφανὲς εἶναι Θωμᾶ τοῦ ἀποστόλου ἐπώνυμον, ἦλθε τοῦτο ἱστορῆσαι· ἀφαιρεθέντων δὲ κἀνταῦθα τῶν εὐκτηρίων οἴκων, θεασάμενος ἐν πεδίῳ πρὸ τοῦ ἄστεος συνηγμένους τοὺς ἀπὸ τῆς καθόλου ἐκκλησίας, λέγεται τὸν καθόλου ὕπαρχον λοιδορήσασθαι, καὶ πὺξ κατὰ τῆς σιαγόνος πλῆξαι, ὡς παρὰ τὴν αὐτοῦ πρόσταξιν συγχωρήσαντα γενέσθαι τοιαύτας συνόδους. Quum didiciſſet in vrbe Edeſſa inſignem eſſe baſilicam, Thomæ apoſtoli nomine nuncupatam, eius ſpectandæ cauſſa eo perrexit. Porro quum plebem eccleſiæ catholicæ in campo iuxta ciuitatem collectas agere vidiſſet, nam & *illic catholicis ademtæ erant eccleſiæ*, præfectum grauiter obiurgaſſe, & pugno maxillam eius percuſſiſſe dicitur, quod contra ipſius præceptum huiusmodi conuentus fieri permiſiſſet.

(*y*) Theodor. ep. LXXVII. ad Eulal. Εὐλαλίῳ ἐπισκόπῳ τῆς Περσικῆς Ἀρμενίας, Eulalio epiſcopo Perſicæ Armeniæ.

epiſto-

epistola [z] *Eusebio*, eiusdam regionis episcopo, inscripta est. Vnde planum & euidens est, fuisse THEODORETI memoria in hac prouincia episcopos, quot vero, neque ex ipso, neque ex vllo alio vetusto scriptore discere possumus. OTTO FRISINGENSIS [a], BARONIVS [b] & alii nonnulli recentiores scriptores multa de *Catholico Armeniæ* verba faciunt, qui, missis sæculo decimo tertio ad *Romanum* pontificem legatis, ei sese subiecerit mille episcoporum sub se habens numerum. Sed vt BREEREWOODVS [c] scite obseruat, si vniuersa narratio non est commentitia, OTTO obedientiam pro communione falso accipere statuendus est. Potest enim esse, vt *Catholicus Armeniæ* ingentem episcoporum *Iacobitarum*, communioni suæ addictorum, numerum habuerit, tot autem in *Armenia* iurisdictioni eius subesse haud potuerunt. Nam recentiores *notitiæ* vndeuiginti solum episcopos in hac *Armenia* recensent, vti lector capite huius libri septimo videbit. Neque vero per vnum vel duo sæcula a viginti ad mille multiplicatos fuisse probabile est. Sed quomodocumque res se habet, historia isthæc ad primorum sæculorum ecclesiæ statum, de quo præsens instituitur disquisitio, non spectat.

## §. XVII.

## *De* Assyria, *siue* Adiabene, *&* Chaldæa.

PORRO de ecclesiis relatum legimus in aliis quoque imperii *Persici* partibus vltra *Tigrim*, in *Adiabene*, (quæ regio *Assyriæ* est) & in *Babylonia* siue *Chaldæa*, in qua duas magnas ciuitates, *Seleuciam* & *Ctesiphontem* sub episcopo quodam inuenimus.

(z) Theod. epist. LXXVIII. Εὐσεβίῳ ἐπισκόπῳ τῆς Περσικῆς Ἀρμενίας. Eusebio episcopo Persicæ Armeniæ.

(a) Otto Frising. lib. VII. c. XXXII. Ea tempestate legati Armeniorum episcoporum, eorumque metropolitani, quem ipsi Catholicon, id est vniuersalem, propter infinitum, id est amplius quam mille episcoporum sub se habentem numerum, vocant, legati ab vltimo pene Oriente summum pontificem Viterbii, laboriosum iter per annum & sex menses complentes, adeunt, eique ex parte illius ecclesiæ subiectionem omnimodam, cum consalutando offerentes, caussas viæ, nobis cum aliis multis præsentibus, apud veterem aulam aperiunt, cetera.

(b) Baron. an. MCXCV. n. XXX. (tom. XII. p. 314. edit. Antuerp. MDCXXIX.) vbi ista Ottonis verba exscripta leguntur.

(c) Brerewood. Enquir. c. XXIV.

Hæ regum *Perſicorum* ſedes regiæ erant, & tribus tantum milliaribus ab ſe inuicem diſtantes, quomodo PLINIVS [*d*] & poſt ipſum FERRARIVS computarunt, aliis licet maiore illas interuallo disiungentibus. *Seleucia* nonnullis eadem, quæ *Mauſilum*, hodie patriarchæ *Neſorianorum* ſedes, eſſe dicitur. Sed olim ambæ vna duntaxat diœceſis erant, vti e SOZOMENO [*e*] diſcimus, *Symeonem* appellante archiepiſcopum *Seleuciæ* & *Cteſiphontis* ſub *Sapore* rege *Perſidis*, qui tempore *Conſtantini* vixit. Fuerunt etiam eodem tempore in hiſce oris alii epiſcopi, quorum nonnulli cum *Symeone* propter religionis chriſtianæ profeſſionem ſunt interfecti, vt idem auctor [*f*] perhibet. Mentionem quoque facit *Acepſimæ* cuiusdam, epiſcopi regionis *Adiabenes*, & viginti trium aliorum, quorum nomina ibi recenſentur, vt qui ſub idem tempus [*g*] in diuerſis imperii *Perſici* oris pro fidei doctrina occiſi ſint. Cuiusmodi autem habuerint diœceſes,

(*d*) Plin. lib. VI. c. XXVI. Cetero in ſolitudinem rediit (Babylon) exhauſta vicinitate Seleuciæ, ob id conditæ a Nicatore intra nonageſimum lapidem, in confluente Euphratis foſſa perducti atque Tigris: quæ tamen Babylonia cognominatur, libera hodie ac ſui iuris, Macedonumque moris - - Inuicem ad hanc hauriendam, *Cteſiphontem iuxta tertium ab ea lapidem* in Chalonitide condidere Parthi, quod nunc eſt caput regni.

(*e*) Sozom. lib. II. c. IX. Διαβάλλουσι πρὸς Σαβώρην, τὸν τότε βασιλέα, Συμεώνην τὸν τότε ἀρχιεπίσκοπον Σελευκείας καὶ Κτησιφῶντος, τῶν ἐν Περσίδι βασιλευουσῶν πόλεων, ὡς φίλον ὄντα τῷ Καίσαρι Ρωμαίων. Accuſant apud Saporem, qui tunc temporis in Perſide regnabat, *Symeonem archiepiſcopum Seleuciæ & Cteſiphontis*, quæ vrbes ſunt Perſidis nobiliſſimæ, vt qui amicus eſſet imperatori Romanorum.

(*f*) Sozom. lib. II. c. X. Κατὰ δὲ τὴν αὐτὴν ἡμέραν, ὁμοίως ἀναιρεθῆναι προσετάχθησαν καὶ ἄλλοι ἑκατὸν ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ ὄντες· τελευταῖον δὲ αὐτοῖς ἐπισφαγῆναι Συμεώνην, τὸν πάντων θάνατον θεασάμενον: ἦσαν δὲ τούτων οἱ μὲν, ἐπίσκοποι· οἱ δὲ, πρεσβύτεροι καὶ ἄλλοι ἄλλων κληρικῶν ταγμάτων. Eodem die centum quoque alii in carcere conſtituti pari modo iuſſi ſunt interfici: vtque poſtremus omnium Symeones, poſtquam cædem illorum ſpectaſſet, iugularetur. *Ex quibus alii erant epiſcopi*, alii presbyteri, alii diuerſorum ordinum clerici.

(*g*) Sozom. lib. II. c. XIII. ὑπὸ δὲ τοῦτον τὸν χρόνον καὶ Ακεψιμᾶν τὸν ἐπίσκοπον συνελάβοντο, καὶ πολλοὺς ὑπ' αὐτὸν κληρικῶν. Sub idem tempus Acepſimam epiſcopum, multosque ex eius clericis corripuerunt. - ἐπίσκοποι δὲ ὧν ἐπυθόμην, Βαρβοτύμης, καὶ Παῦλος, καὶ Γαδδιάβης καὶ Σαβῖνος, καὶ Μαρέας, καὶ Μώκιος, καὶ Ἰωάννης καὶ Ὁρμίσδας, Πάπας τε καὶ Ἰάκωβος, καὶ Ρώμας καὶ Μαάρης, καὶ Ἄγας καὶ Βόχρης, καὶ Αβδᾶς καὶ Αβδιησοῦς, Ἰωάννης καὶ Αβράμιος καὶ Αγδελᾶς, καὶ Σαβώρης, καὶ Ισαὰκ, καὶ Δαῦσας, κ. τ. λ. vid. ſub ſeq. lit. (*h*).

coniicere nobis ex iis licebit, quæ de iſtorum epiſcoporum vno *Bichore* narrat SOZOMENVS [*h*], quod vna cum *Maureando* chorepiſcopo ſuo & clericis ſuis ducentis circiter & quinquaginta interemtus ſit. Tantus clericorum numerus & chorepiſcopus inter eos conſtitutus ſane amplam diœceſin tenuiſſe videntur; & ſi reliquæ huic ſimiles fuerunt, concludere licebit, tales fuiſſe epiſcopos, quales inter omnes nationes Orientis vidimus.

## §. XVIII.

## *De* Immirenis *in* Perſide *&* Homeritis *in* Arabia felice.

THEODORETVS LECTOR [*i*] de alia natione, *Anaſtaſii* imperatoris temporibus chriſtianam religionem amplexa, loquitur, quos *Immirenos* vocat, & ad extremos noti fines habitaſſe, *Perſisque* ſubiectos fuiſſe, dicit. Num plures vno epiſcopos habuerint, incertum eſt; vnius enim duntaxat, ipſis ſub conuerſionem ſuam conſtituti, mentio fit. Eodem fortaſſis modo cum illis comparatum fuit, vti cum aliis quibusdam populis barbaris, *Gothis*, *Saracenis* & id genus pluribus, vt vnus epiſcopus toti genti præfuerit. VALESIVS [*ii*] hanc gentem

(*h*) Sozom. lib. II. c. XIII. Nota. Ex ſequentibus Sozomeni verbis patet, epiſcopi nomen non fuiſſe *Bichorem*, ſed *Dauſam*, nec chorepiſcopi *Maureandum*, ſed *Mareabden*, adeoque cl. Binghamus in vtroque nomine erraſſe mihi videtur. Sic autem Sozomenus proxime poſt vltima verba ſub lit. (g) adlata, habet: Καὶ Δαῦσας, ὃς αἰχμάλωτος ἦν γενόμενος ὑπὸ Περσῶν ἀπὸ ζαβδαίου χωρίου ὧδε προσαγορευομένου· Κατ' ἐκεῖνο δὲ καιροῦ ὑπὲρ τοῦ δόγματος τέθνηκεν, ἅμα Μαρεάβδῃ, χωρεπισκόπῳ καὶ κληρικοῖς τοῖς ὑπ' αὐτὸν, ἀμφὶ διακοσίοις πεντήκοντα, οἱ παρὰ Περσῶν αἰχμάλωτοι συνελήφθησαν. *Dauſas*, qui quidem captiuus a Perſis abductus fuerat ex loco quodam, qui Zabdæus dicitur: tunc temporis vero pro fidei doctrina occiſus eſt vna cum *Mareabde chorepiſcopo*, *& clericis ſuis ducentis circiter & quinquaginta*, qui vna cum illo capti fuerant a Perſis.

(*i*) Theodor. Lect. lib. II. p. 567. Ιμμιρηνοὶ ἔστιν ἔθνος τελοῦν ὑπὸ Πέρσας· οἰκοῦσι δὲ ἐν ταῖς ἐσχατιαῖς τοῦ νότου· Ἰουδαῖοι δὲ ὑπῆρχον ἀνέκαθεν, ἐκ τῆς ἐλθούσης πρὸς Σολομῶντα βασιλίδος τοῦ νότου· ἐγένοντο ἐθνικοί. Οἱ αὐτοὶ δὲ ἐπὶ Αναστασίου ἐχριστιάνισαν καὶ ἐπίσκοπον ἔλαβον. Immireni gens eſt Perſis ſubiecta ad extremas noti fines habitans. Et ab initio quidem iudæi fuerant, iam inde a regina Auſtri, quæ ad Salomonem olim venit. Poſtea gentiles facti ſunt. Anaſtaſii vero temporibus chriſtianam religionem amplexi ſunt & epiſcopum acceperunt.

(*ii*) Valeſ. in h. l. Ιμμιρηνοί. Ego Homeritas eſſe exiſtimo. Omnia enim quæ Immirenis tribuit Theodorus, Homeritis plane conueniunt. Etenim Homeritæ ad extimos fines habitant oceani meridiani & metropolim habent Sa-

cum

cum *Homeritis* confundit, quos BOCHARTVS [*k*] & alii rectius in *Arabia Felice Oceanum* versus *Indicum* collocant. BARONIVS [*kk*] *Homeritas* fidem christianam demum amplexas statuit circa ann. CCCLIV. sub idem tempus, quo *Indi* siue *Aethiopes*, imperante *Constantio*, ad obsequium *CHRISTI* perducti sint. Quinam vero tunc temporis episcopi inter ipsos constituti fuerint, de eo quidem nobis haud innotuit. Sæculo autem sexto ineunte florentem religionis statum heic reperimus, donec *Dunaan* quidam, ex christiano apostata *iudæus*, rerum potitus immanem contra ecclesiam persequutionem excitaret, præcipue in ciuitate *Nagran*, vbi *Arethas* quidam regulus erat regno *Homeritarum*, vt multi alii reguli, subiectus, quem cum omni populo suo crudeliter deleuit. Verum hac tempestate per *Iustinum Romanorum* imperatorem & *Clesbanem* regem *Aethiopum*, qui *Homeritis* opem ferentes *Dunaan* [*l*] regem vicerunt, confestim dissipata, imperium ad regem quemdam *CHRISTI* nomine gloriantem rediit, cuius temporibus *Gregentius Tephræ* ciuiciuitatis regiæ archiepiscopus, celebratissimam illam disputationem cum *Herbano iudæo* habuisse, dicitur, qua factum est, vt incredibilis *iudæorum* in ista regione multitudo ad christianam religionem perduceretur. Nos heic illud cum primis animaduertimus, *Gregentium* archiepiscopum *Tephræ* appellari, quod episcopos suffraganeos sub se habuisse ipsum innuit. Et in narratione de ipsius obitu sub finem [*m*] disputationis additur,

---

ba; cuius loci regina olim ad Salomonem visendum profecta est. Præterea origine sunt Iudæi, orti ex Chettura Abrahæ. Postea vero ad superstitionem gentilium desciuerunt, vt docet Philostorgius lib. III. histor. ecclesiasticæ.

(*k*) Bochart. geogr. sacr. lib. II. c. XV. (p. 111. c. d. e. p. 112. a. b. c. d. ed. Francof. ad Mœnum MDCLXXXI. 4to.

(*kk*) Baron. ad an. CCCLIV. n. XIV. (p. 683. tom. III. edit. Antuerp. MDCXXIV.) Homeritæ, ad quos a Constantio legatum missum esse Theophilum ait, (Nicephorus) iam ante acceperant euangelium, nec non alii adiacentes Indorum populi, prædicatione primum apostolorum, Bartholomæi, Thomæ ac Matthæi, qui Aethiopibus prædicauit, deinde Pantheni, ac nouissime Frumentii & Aedesii, qui sub Constantino Indis euangelium adnuntiarunt.

(*l*) Acta martyr. Homeritar. ap. Baron. ad an. DXXII. p. 80. seqq. & an. DXXIII. p. 101. seqq.

(*m*) Gregent. disput. cum Herban. (bibl. patr. gr. lat. tom. I. p. 272. c.) Ἐτάφη δὲ ἐν τῷ κοιμητηρίῳ τῆς μεγάλης ἐκκλησίας, ἀθροισθέντων ἐκεῖσε ἐπισκόπων,

episcopos, sacerdotes & diaconos ad comitandum funus eius fuisse congregatos. Vnde ecclesiæ istius statum, quantum de eo nobis innotuit, aliarum ecclesiarum statui conformem fuisse, intelligimus.

## §. XIX.

### *De episcopis inter* Saracenos *in* Arabia.

Pavca quædam etiam de ecclesiis plantatis olim inter *Saracenos* in *Arabia*, qui imperio *Romano* numquam paruere, memoriæ prodita ad nos peruenerunt. *Hilarion* [*n*] prima fidei christianæ fundamenta in hoc populo iecisse, sed eorum conuersio non completa fuisse dicitur, vsque dum *Mauuia Saracenorum* regina pacem cum *Romanis* ea conditione faceret, vt *Moses* quidam nomine monachus celebris, gentis suæ mitteretur episcopus, qua petitione sine vlla mora impleri iussa, primus ille huius regionis *Saracenorum* episcopus factus est, quemadmodum RVFFINVS [*o*],

---

*ἱερέων, διακόνων, μοναζόντων μυριοπληθῶν ἐπὶ τῇ κηδείᾳ αὐτοῦ, πολλὰ θρηνούντων καὶ ἀποδυρομένων τὴν στέρησιν αὐτοῦ.* Sepultus fuit in cœmiterio magnæ ecclesiæ, *illuc congregatis episcopis*, sacerdotibus, diaconis & solitariam vitam agentibus innumerabilibus, ad eius funus, multum lamentantibus & deplorantibus ac lugentibus mortem & priuationem tanti viri

(*n*) Baron. ann. CCCLXXII. p. 344. ( p. m. 348. ) Iecerat iam ante fundamenta fidei apud *Saracenos* S. Hilarion abbas, qui (vt testatur S. Hieronymus) multos Saracenorum arreptos a dæmone frequenter liberauit, cultuique Veneris addictæ gentis illius sacerdotem conuertit ad fidem: qui quidem nec ipsum Hilarionem abire passi sunt ante, quam futuræ ecclesiæ lineam mitteret. Qui ergo adeo magna ab Hilarione sunt consequuti; eo defuncto illi parem quæsierunt dari sibi hominem episcopum orthodoxum. At quomodo res se habuerit, Ruffinum audiamus auctorem, *Dum*, inquit, *Lucius*, cetera. vid. sub litt. seq. (o).

(*o*) Ruffin. lib. II. c. VI. Dum Lucius omni arrogantia & sæuitia ageret, Mauuia, Saracenorum gentis regina, vehementi bello Palæstini & Arabici limitis oppida atque vrbes quatere, vicinasque simul vastare prouincias cœpit. Cumque frequentibus bellis Romanum attriuisset exercitum, & plurimis peremtis, reliquos vertisset in fugam, orata pace, non aliter se amplexuram promittit, nisi Moyses quidam nomine, monachus, gentis suæ ordinaretur episcopus. Qui in eremo partibus suis propinqua vitam solitariam ducens, meritis & virtutibus ac signis, quæ faciebat Deus per illum, magnifice innotuerat. Petitio eius principi indicata Romano, sine vlla dilatione iubetur impleri a ducibus nostris, qui ibi infeliciter pugnauerant. Captus Moyses ad sacerdotium suscipiendum, Alexandriam ex more, deducitur. Adest Lucius, cui ordinandi ferebatur officium. Quo viso, Moyses præsentibus ducibus, qui perurgebant, & populis, ait: Ego quidem me non

SOCRA-

SOCRATES [p] & alii hiſtorici fidem nobis faciunt. SOZOMENVS addit, quod *Zocomos*, alius quidam alius regionis *Saracenorum* regulus, a monacho quodam conuerſus, vniuerſum populum ſuum ad fidem chriſtianam perduxerit. THEODORVS LECTOR [q] ſimiliter cuiusdam *Saracenorum* principis, nomine *Alamundari*, mentionem facit, qui *Anaſtaſio* imperante an. DXIII. fidem chriſtianam amplexus ſit. Et CYRILLVS SCYTHOPOLITANVS, qui vitas *Euthymii* & *Sabæ* ſcripſit, coloniæ cuiusdam *Saracenorum* ſub imperio *Romano* in *Palæſtina* [r] iniicit mentionem, quibus *Petrus* quidam, *Saracenus* conuerſus, eorum antea dux, a *Iuuenale* epiſcopo *Hieroſolymitano* circa ſæculum quintum medium, primus epiſcopus conſecratus ſit. Iam vero obſeruandum nobis eſt, quod, quemadmodum hi *Sa-*

eſſe dignum tanto ſacerdotio iudico: verum tamen ſi aliqua in me, licet indigno, diuina diſpenſatio putatur explenda, Deum noſtrum, cæli ac terræ dominum teſtor, quod Lucius ſanctorum ſanguine pollutas & cruentas ſuper me non iniiciet manus. Quumque Lucius tam graui nota inuſtum ſe videret in oculis plurimorum: Quare, inquit, o Moyſes, tam facile condemnas eum, cuius fidem ignoras! Aut ſi tibi aliquis de me aliter indicavit, audi fidem meam & tibi ipſe magis quam aliis crede. Tunc ille: Deſine, inquit, o Luci, doloſis tui me quoque imaginibus adgredi. Bene mihi nota eſt fides tua, quam proteſtantur ſerui Dei per metalla damnati epiſcopi, in exilium truſi presbyteri, diaconi extra chriſtiani nominis habitacula relegati, beſtiis alii, alii etiam ignibus traditi. Numquid poteſt verior eſſe fides, quæ auribus capitur, quam quæ oculis peruidetur! Apud me certum eſt, quod qui Chriſto recte credunt, iſta non faciunt. Et ita maiore dedecore deformatus (quoniam perurgebat neceſſitas reipublicæ conſulendi) compulſus eſt acquieſcere, vt ab epiſcopis, quos in exilium truſerat, ſacerdotium ſumeret. Quo ſuſcepto, & gentis ferociſſimæ pacem tenuit, & fidei catholicæ cuſtodiuit intemerata conſortia.

(p) Socrat. lib. IV. c. XXXVI. tot. Theodoret. lib. IV. c. XXIII. tot. Sozomen. lib. VI. c. XXXVIII. ab initio ad medium vſque.

(q) Theodor. Lect. lib. II. p. 564. Ἀλαμουνδάρου τοῦ φυλάρχου Σαρακηνῶν χριστιανίζοντος κ. τ. λ. Quum Alamandarus Saracenorum phylarchus chriſtianam religionem amplexus eſſet, cetera.

(r) Cyrill. vit. Euthym. ap. Baron. an. CCCCXX. p. 481. (p. m. 487.) Quum vſque adeo multiplicarentur filii Agar, & ad veram traducerentur nobilitatem & in diuerſas excreſcerent copias: mittit diuinus Euthymius ad Iuuenalem patriarcham Hieroſolymitanum, poſtulans, vt eis ordinaretur epiſcopus. Ille vero mittit ad eum Petrum, patrem Terebonis, (olim Aſpebetum dictum vid. p. 486.) vt qui eſſet idoneus præeſſe animabus & deducere ad ſalutem. - - *Petrus* ergo ſic *primus ordinatur epiſcopus*, qui erat in Palæſtina.

 *raceni*

*raceni* (ex more *Arabum*) in paruas diuisi fuerunt nationes, quarum suum quæque habuerit regulum: ita etiam suum quæque episcopum, vnum quidem nec plures, habuisse videantur. Atque hinc ipsos a gente potius sua, quam aliunde titulum mutuatos conciliis nomine *episcoporum gentis Saracenorum* subscripsisse, legimus. Quod indicio esse arbitror, non omnes *Saracenos* in terrarum orbe vnum tantum episcopum habuisse, sed vnicuique paruæ nationi separatim suum fuisse episcopum; etsi sæpius difficile ad distinguendum est, quænam familia siue tribus eorum hac generali appellatione significetur. In concilio *Ephesino* secundo *Auxilaus* [s] quidam *Saracenorum fœderatorum* episcopus dicitur, inter episcopos *Palæstinæ*; vnde facile ad colligendum est, eosdem heic *Saracenos* intelligi, de quibus CYRILLVS loquitur, qui cum *Romanis* fœdere iuncti, vel sub imperio *Romano* constituti fuerunt. At vero in aliis locis hariolandi locus nobis relinquitur, quinam per *Saracenos* intelligi debeant, siquidem in diuersas minores nationes diuisi fuerunt, & plusquam vna natio, vti vidimus, christianam religionem amplexa est.

## §. XX.

### *De episcopis* Axumitarum *siue* Indorum *vltra* Aegyptum.

ADHVC alia quædam regio orientalis est, ob conuersionem sui ad fidem christianam, *Aedisii* ac *Frumentii* ministerio *Anastasii* tempore factam, celebrata, sed inter viros doctos non conuenit, vbi ea quærenda sit. Antiqui historici RVFFINVS [t], SOCRATES [u] & reliqui hanc historiam commemoran-

(s) Concil. Ephes. II. in act. I. concil. Chalced. (tom. IV. p. 118. c.) Αὐξιλάυ Σαρακηνῶν τῶν ὑποσπόνδων.

(t) Ruffin. lib. I. c. IX. Methrodorus quidam philosophus inspiciendorum locorum & orbis perscrutandi gratia *vlteriorem* dicitur *Indiam* penetrasse. Cuius exemplo etiam inuitatus Meropius quidam Tyrius philosophus simili ex caussa adire Indiam voluit, habens secum duos puerulos, quos liberalibus litteris vtpote propinquos instituebat. Quorum vnus, qui erat iunior, *Edesius*, alter *Frumentius* vocabatur. cetera.

(u) Socrat. lib. I. c. XIX. Αὖθις οὖν μνημονευτέον καὶ ὅπως ἐπὶ τῶν καιρῶν τοῦ βασιλέως ὁ χριστιανισμὸς ἐπλατύνετο· τηνικαῦτα γὰρ Ἰνδῶν τε τῶν ἐνδοτέρω καὶ Ἰβήρων τὰ ἔθνη, πρὸς τὸ χριστιανίζειν ἐλάμβανε τὴν ἀρχήν· τίνος δὲ ἕνεκεν τῇ προσθήκῃ τῶν ἐνδοτέρω ἐχρησάμην, διὰ βραχέων ἐρῶ· ἡνίκα οἱ ἀπόστολοι κλήρῳ τὴν εἰς τὰ

tes, communiter *Indiam vlteriorem* appellant. Vnde CAROLVS A SANCTO PAVLO [w], BARONIVS [x] & plures alii hoc in compertis habent, *Indiam* cis *Gangem* fluuium intelligi, quum altera pars trans *Gangem* iam ante (vti quidam exiſtimant) *Bartholomaei* apoſtoli opera ad nomen Chriſto dandum perducta fuerit. At enim HOLSTENIVS [y] & VALESIVS [z] hunc errorem caſtigant, & PEARSONIVS [a] fuſius demonſtrauit,

ἔθνη πορείαν ἐποιοῦντο, Θωμᾶς μὲν τὴν Πάρθων ἀποστολὴν ὑπεδέχετο· Ματθαῖος δὲ τὴν Αἰθιοπίαν· Βαρθολομαῖος δὲ ἐκληροῦτο τὴν συνημμένην ταύτῃ Ἰνδίαν· τὴν μέν τοι ἐνδοτέρω Ἰνδίαν, ᾗ προσοικεῖ βαρβάρων ἔθνη πολλὰ, διαφόροις χρώμενα γλώσσαις, οὐδέπω πρὸ τῶν Κωνσταντίνου χρόνων ὁ τοῦ χριστιανισμοῦ λόγος ἐφώτιζε. κ. τ. λ. Iam qualiter chriſtiana religio huius imperatoris (Conſtantini) temporibus latius propagata ſit, a nobis commemorandum eſt. *Interiorum* enim *Indorum* gentes & Iberi chriſtianam fidem tunc primum ſuſceperunt. Cur vero *interiores* dixerim, breuiter explicabo. Quum apoſtoli praedicationis cauſſa ad gentes profecturi eas inter ſe ſortito diuiderent, Thomas quidem Parthiae, Matthaeus vero Aethiopiae apoſtolatum ſortitus eſt. Bartholomaeo India, quae Aethiopia confinis eſt, obtigit. *Interior* autem *India*, quam gentes accolunt plurimae, diuerſis vtentes linguis, ante Conſtantini tempora nondum Chriſti fide fuerat illuſtrata.

(w) Carol. a S. Paulo Geogr. ſacr. p. 268. (p. 258. edit. Amſtelod. MDCCXI.) Quod ad *Indiam*, ſcilicet *interiorem*, pertinet, nam exteriorem Antiocheno paruiſſe, certum eſt, cetera.

(x) Baron. not. in martyrol. die XXVII. Octobr. ad verba: Apud Indos ſancti Frumentii epiſcopi ] Vixit iisdem temporibus *alius Frumentius*, epiſcopus Auxumeos in Aegypto, ordinatus a S. Athanaſio, confeſſione clarus: multa enim paſſus eſt ab Arianis ob tuendam catholicam fidem.

(y) Holſten. not. in Carol. a S. Paulo Geogr. p. 171. (p. m. 258.) Fallitur, fallitque in huius Indiae nomine & ſitu explicando, ſicuti etiam Baronius ad martyrologium Romanum die XXVII. Octobris. Nam India illa, in quam Frumentius miſſus fuit a S. Athanaſio, eſt Aethiopia ſub Aegypto, cuius metropolis celeberrima fuit Axumis, & ſic Indiam illam Aethiopiae finitimam vocat Socrates, quae toto caelo ab Aſiatica, ſiue Gangetica diſtat.

(z) Valeſ. not. in Socrat. lib. I. c. XIX. Baronius in adnotationibus ad martyrologium Romanum, Frumentium hunc Auxumis epiſcopum diſtinguendum eſſe ducit ab altero Frumentio Indorum epiſcopo. De quo Ruffinus & Socrates loquuntur. Ego vero vnum eumdemque Frumentium eſſe contendo, eum, qui Auxumis, & eum qui Indorum epiſcopus dicitur. Auxumis enim metropolis eſt Aethiopiae. Aethiopes autem ab antiquis confundi ſolent cum Indis. cetera.

(a) Pearſon. vindic. Ignat. part. II. c. XI. p. 332. Etſi Ruffinus ita hiſtoriam pertexat, quaſi in Indiam vlteriorem & orientalem Frumentius perrexiſſet; conſtat tamen, Indiam eam fuiſſe Aegypto proximiorem & Athiopiae partem. In-

*Indi-*

*Indiam*, de qua loquuntur, non esse *Indiam Orientalem*, sed Indiam sub *Aegypto*: quæ pars *Aethiopiæ* eiusque metropolis *Axumis* erat. Hæc non procul ab ore maris *Eythræi* sita erat, ex transuerso regionis *Homeritarum* in *Arabia*, vnde CONSTANTIVS lege [*b*] quadam hasce duas gentes coniungit. Ex qua aliisque pluribus documentis PEARSONIVS solide demonstrauit, hanc *Indiam* de nulla alia atque *Aethiopica India* intelligi posse, cuius *Axumis* metropolis fuit. Hanc regionem veteres non minus *Indiam* quam alteram, vocarunt. Nam VIRGILIVS poëta, *Nilum* amnem ab *Indis coloratis* [*c*] deuexum dicit, & PROCOPIVS GAZENSIS mare *Erythræum* vocat mare *Indicum*, eo quod huic *Indiæ* sub *Aegyptum* confine esset. Iam vero in hac regione *Frumentius* primus episcopus, de quo legimus, fuit, ordinatus ab *Anastasio* & episcoporum *Aegyptiorum* synodo, & missus eo ad regionem conuertendam ecclesiasque inter illas constituendas. Quas proinde eiusdem cum *Aegyptiis* & reliquis in mundo ecclesiis formæ fuisse, non est quod dubitemus. *Axumis* enim non vnus & solus locus fuit, qui habuit episcopum.

---

di enim Aethiopes antiquitus appellabantur, vt apud Virgilium de Nilo:

*Vsque coloratis amnis deuexus ab Indis.*

Ad hanc autem Indiam Frumentium primo perueniſſe constat: ex illa Alexandriam rediit, in eamdem rursus etiam missus est & ab Athanasio ordinatus episcopus Axumeos. Erat autem Axumis Aethiopum metropolis. Stephanus de vrbibus, Ἀξυμίτης, ἀρσενικῶς, μητρόπολις Αἰθιόπων. Apud Arrianum in Periplo maris Erythræi (quod Procopio Gazensi θάλασσα Ἰνδικὴ vocatur) ἀπὸ δὲ ταύτης εἰς αὐτὴν τὴν μητρόπολιν τὸν Αξωμίτην λεγόμενον ἄλλων ἡμερῶν πέντε. Nonnosus apud Photium, ἡ δὲ Ἄξυμα πόλις ἐστὶ μεγίστη, καὶ οἷον μητρόπολις τῆς ὅλης Αἰθιοπίας. Et clarius adhuc Procopius Persicorum lib. I. Ὁμηριτῶν δὲ καταντικρὺ μάλιστα ἐν τῇ ἀντιπέρας ἠπείρῳ Αἰθίοπες οἰκοῦσιν, οἳ Αυξωμῖται ἐπικαλοῦνται, ὅτι δὲ αὐτοῖς τὰ βασίλειά ἐστιν ἐν Αὐξώμιδι πόλει. Erat igitur Axumis metropolis Aethiopiæ & in ea Aethiopum regia posita fuit. Ad hanc igitur Auxumim & hanc Indiam, quæ pars est Aethiopiæ Aegypto proxima; non ad Indiam intra Gangem, aut ad Axumin illam, quam ad latus orientale Indi fluuii constituit Ptolemæus, Frumentium missum fuisse a S. Athanasio, credendum est. cetera.

(*b*) Nullus ad gentem Auxumitarum & Homeritas ire præceptus vltra annui temporis spatia debet Alexandriæ de cetero commorari.

(*c*) Virgil. Georg. lib. IV. v. 291. seq.

Et viridem Aegyptum nigra fœcundat arena,
Et diuersa ruens septem discurrit in ora,
*Vsque coloratis amnis deuexus ab Indis.*

Nam

Nam PALLADIVS *Moysis* [*d*] cuiusdam meminit episcopi *Adulis*, quæ itidem vrbs erat *Aethiopiæ*. Et in vita *Chrysostomi* [*e*] de quodam sui nominis *Palladio* loquitur episcopo *Blemmyum*, qui erant populi *Aethiopiæ Aegyptiis* finitimi, vti STRABO [*f*], PLINIVS [*g*] & alii geographi tradunt. PEARSONIVS alia quædam testimonia ex CEDRENO & canonibus *Arabicis* concilii *Nicæni* ipsorumque antiquis liturgiis adfert, quæ ipsos inde a primis ibi iactis religionis christianæ fundamentis episcopos semper habuisse probant. Sed quum plura de dioecesibus eorum, meliore historiæ lumine deficiente, non succurrant, in illis enarrandis longius progredi haud possumus. Et ex eadem ratione plures alias gentes orientales præterire nos oportet, vt *Parthos* & *Indos* circa *Gangem*, a *Thoma* apostolo lumine veritatis collustratos; & *Iberos* cum aliis populis, mari *Caspio* adiacentibus, quos tempore *Constantini* captiuæ mulieris ministerio conuersos esse, fidem nobis facit RVFFINVS [*h*]. Antiquæ historiæ non nisi pauca de harum ecclesiarum origine & pauciora adhuc de ministerii ecclesiastici in illis constitutione nobis tradunt. Itaque, relictis hisce remotissimis regionibus, ad partem mundi melius cognitam progrediemur, hoc est, ad patriarchatum *Constantinopolitanum*, sub quo priscis temporibus omnes *Thraciæ* &

(*d*) Pallad. de gentibus Indiæ. (cit. Pearsonio p. 332. c.) Ἐγὼ δὲ εἰς τὰ ἀκρωτήρια μόνον ἔφθασα τῆς Ἰνδικῆς πρὸ ἐτῶν ὀλίγων μετὰ τοῦ μακαρίου Μωϋσέως τοῦ ἐπισκόπου τῶν Ἀδουλημῶν. Ego ad prima tantum Indiæ oras paucos ante annos cum beato *Mose Adulenorum episcopo* penetraui.

(*e*) Pallad. vit. Chrysost. cap. XX. p. 194. Παλλάδιον δὲ Βλεμμύων, ἢ Αἰθιόπων ἐκ γειτόνων φρουρεῖσθαι Συήνη καλούμενον τὸ χωρίον.

(*f*) Strabo lib. XVII. p. 786. (p. 1134. c. edit. Amst lod. MDCCVII.) Τὰ δὲ κατωτέρω ἑκατέρωθεν Μερόης, παρὰ μὲν τὸν Νεῖλον πρὸς τὴν Ἐρυθρὰν, Μεγάβαροι, καὶ Βλέμμυες, Αἰθιόπων ὑπακούοντες, Αἰγυπτίοις δ' ὅμοροι. Quæ infra Meroën sunt, secus Nilum ex vtraque eius parte mare rubrum versus, Megabari & *Blemmyes* habitant, *Aethiopum subditi*, *Aegyptiis finitimi*.

(*g*) Plin. lib. V. c. VIII. Horum oppidum Mauin quidam solitudinibus imposuerunt, Atlantas iuxta eos, Aegipanas semiferos, & *Blemmyas*, cetera.

(*h*) Ruffin. lib. I. c. X. Per idem tempus Iberorum gens, quæ sub axe Pontico iacet, verbi Dei foedera, & fidem futuri susceperat regni. Sed huius tanti boni præstitit caussam *mulier quædam captiua*, quæ apud eos reperta, quum fidelem & sobriam satis ac pudicam duceret vitam, totisque diebus & noctibus obsecrationes Deo peruigiles exhiberet, in admiratione esse ipsa rei nouitas barbaris coepit, & quid hoc sibi velit, curiosius perquirebant. Illa, vt res erat, simpliciter Christum se deum hoc ritu colere fatebatur. cetera.

*Asiæ minoris* prouinciæ, si ab *Isauria* & *Cilicia*, patriarchæ *Antiocheno* numquam non subiectis, discesseris, fuerunt comprehensæ. De *Asia minore* primum loquemur, deinde ad prouincias *Europæas* pergemus, naturali suo regionem quamquam ordine contemplaturi.

# *LIBRI NONI*

## *CAPVT TERTIVM*

## DE ANTIQVIS ASIAE MINORIS DIOECESIBVS.

### §. I.

### *De* Asiæ minoris *magnitudine, deque diœcesium in ea repertarum numero.*

VT ecclesiarum, in certas diœceses diuisarum, statum in *Asia minore* intelligamus, consultum fuerit ante, quam ad singularia descendimus, regionis magnitudinem considerare, & dispicere, quot diœceses in vniuerso illo terræ tractu repertæ fuerint. Nam ex hoc illas generatim æstimare possumus, suam cuique diœcesi tribuentes proportionem, regione ipsa in tot partes, quot in ea fuerunt diœceses, distributa. Non quod diœceses re ipsa ita æqualiter diuisæ fuerint: (nam si summam singularum collegeris, heic diœceses amplissimas alias, alias angustissimas in mundo offendes) sed tantum illas tamquam æquales fingere nobis possumus, vt vniuersam simul regionem per eas æquabiliter dispertiamus. Iam vero HEYLINVS in *geographia* sua [a] longitudinem *Asiæ minoris* ab *Hellesponto* ad *Euphratem* fluuiū DCXXX. mill. pass. & latitudinem ab *Issico Ciliciæ sinu* ad *Trapezuntem Ponti* CCX. m.p. habere, iudicat. Antiqui geographi SRABO [b]

(a) Heylin. cosmograph. lib. III. p. 3.

(b) Strab. lib. XII. p. 547. & 548. *οἱ σύμπαντες ἀπὸ τῆ ἱερῆ μέχρι φάσιδος περὶ ὀκτακισχιλίες σαδίες εἰσὶν, ἢ μικρῷ πλείες ἢ ἐλάτlες.* Tota nauigatio a fano Chalcedonio vsque ad Phasidem IIX. milliorum stadia implet, non multis vel additis vel demtis.

Hæc IIX. millia stadiorum ita colliguntur ex Strabonis descriptione:

| | |
|---|---|
| A Fano Sinopen vsque stad. | 3500. |
| A Sinope Amisum, stad. | 900. |
| Inde Trapezuntem, stad. | 2200. |
| Trapezunte ad Phasin, stad. | 1400. |
| | Summa 8000. |

& PLI-


ANTIQUORUM ASIÆ MINORIS EPISCOPATUUM GEOGRAPHICA Descriptio.
PONTUS EUXINUS
PAPHLAGONIA
HONORIAS
PROPONTUS
HELLESPONTUS
PHRYGIA
GALATIA PRIMA
GALATIA SECUNDA
HELENOPONTUS
PONTUS POLEMONIACUS
PONTUS
ARMENIA PRIMA
ARMENIA
CAPPADOCIA
CAPPADOCIA TERTIA
CAPPADOCIA PRIMA
CAPPADOCIA SECUNDA
PHRYGIA SALUTARIS
PHRYGIA PACATIANA PRIMA
PHRYGIA PACATIANA SECUNDA
LYDIA
ASIA
LYCAONIA
PISIDIA
PAMPHYLIA PRIMA
PAMPHYLIA SECUNDA
CARIA
LYCIA
PATRIARCHATUS ANTIOCHENI PARS
SECUNDA
LESBOS IN.
Chios In.&V.
Samus In.&V.
CYCLADES INSULÆ
Leria In.
Co. In.&V.
Astypalæa In.
Carpatus In.
Carpathus
RHODUS IN.&V.
MARE RHODIUM
MARE PAMPHYLIUM
MARE CILICIUM
CYPRUS IN.
Salamis
Constantinopolis
Chalcedon
Heraclea
Nicomedia
Nicæa
Cyzicus
Smyrna
Ephesus
Sardis
Aphrodisias
Hierapolis
Laodicea
Synnada
Ancyra
Pessinus
Gangra
Amastris
Sinope
Amasia
Neocæsarea
Trapezus
Sebaste
Cæsarea
Tyana
Iconium
Antiochia
Perga
Side
Tarsus
Myra
Patara
Melitene
Mare Cilicium
no:12



[illegible] 1400.

Summa 8000.

& PLU-

& PLINIVS [c] longitudini CC. fere milliaria amplius adſignant. Tunc vero illorum computatio de antiquo quodam periplo, hoc eſt itinere maritimo, intelligenda eſt, quod numquam recta procedit, ſed per varios maris circuitus conficitur, atque ita DC. milliaria facile in DCCC. dilatauerit: Vt adeo, ſi de poſteriore menſurationis modo tantum deducatur, quantum ex nauigationis obliquitate abundat, computationes fere eædem futuræ ſint. Latitudo ex PLINII computatione minor eſt: nam CC. tantum millia [d] paſſuum a *Sinu Iſſico* ad *Pontum Euxinum* ſtatuit. Sed tum hanc anguſtiſſimam *Aſiæ* partem eſſe dicit, vbi duo maria ipſam pene inſulam faciunt. Et certum eſt, in aliis partibus multo fuiſſe latiorem. Nam STRABONI [e] ſolius *Cappadociæ* magnitudo in latum a *Ponto* ad *Taurum* montem MDCCC. circiter ſtadia, hoc eſt ſupra CC. millia paſſuum, habere dicitur. Et nihilominus tamen CASAVBONVS [f] exiſtimat, per *Pontum* heic non mare *Euxinum*, ſed ipſam regionem *Pontum* intelligendam eſſe, quæ latitudini *Aſiæ* ab vna parte *Cappadociæ* addenda ſit, vti *Cilicia* ab altera parte: Vt adeo latitudo *Aſiæ*, partibus ſimul ſumtis, minus CCC. mill. paſſ. vix ſtatui poſſit. Iam vero hæc in duas magnas dioeceſes ciuiles, *Aſiaticam* videlicet & *Ponticam*, a *Romanis* diuiſa erat, quarum vtraque decem vel vndecim prouincias, & prouincia quæque diuerſas ciuitates &

(c) Plin. lib. VI. c. II. Mons Cytorus a Tio LXIV. mill. paſſuum. - - Promontorium Carambis vaſto excurſu abeſt a Ponti oſtio CCCXV. mill. paſſ. vel, vt aliis placuit, CCCL. mill. Tantumdem a Cimmerio, aut vt aliqui maluere, CCCXII. M. D. Fuit & oppidum eodem nomine, & aliud inde Armine: nunc eſt colonia Sinope, a Cytoro CLXIV. mill. - - Amiſum liberum a Sinope CXXX. mill. paſſuum.

(d) Plin. ibid. Eiusdemque nominis ſinus tanti receſſus, vt Aſiam pene inſulam faciat, CC. mill. paſſuum haud amplius per continentem ad Iſſicum Ciliciæ ſinum.

(e) Strab. lib. XII. p. 539. (p. 813. d.) Μέγεθος δὲ τῆς χώρας κατὰ πλάτος μὲν, τὸ ἀπὸ τοῦ Πόντου πρὸς τὸν ταῦρον ὅσον χίλιοι καὶ ὀκτακόσιοι σάδιοι.

(f) Caſaub. in h. l. Falſum hoc. Nam libro II. p. 73. docuit nos, Bagadoniam partem Cappadociæ inter Argæum & Taurum diſtare a Ponto ſtadia MMM. Putabam legendum, ὅσον διχίλιοι καὶ ὀκτ. σαδ. Verum auctor epitomes retinet vulgatam lectionem: quam ſi probamus, non erunt illa verba ἀπὸ Πόντου, de ipſo Ponto & mari Euxino intelligenda, ſed de regione Ponto, quam ſeparant a reliqua Cappadocia montes Tauro paralleli. Sic non erit diſcedendum a vulgata lectione.

dioeceses episcopales, continebat, præter eas, quæ in *Isauria* erant & *Cilicia*, ad dioecesin spectantes orientalem & patriarchæ *Antiocheno* subiectæ. CHRISTOPHORSONIVS in versione sua THEODORETI grandem horum episcopatuum intuitu admisit errorem. Quando enim THEODORETVS *Asiam* siue dioecesim *Asiaticam* ὑπὸ ἕνδεκα ἀρχόντων, *ab vndecim præsidibus* [g] regi dicit, ille *ab vndecim antistitibus* transtulit, quasi vndecim duntaxat episcopi in omni dioecesi *Asiatica* fuissent, & totidem tantum in dioecesi *Pontica*, quod THEODORETVS eam ἰσαρίθμους ἡγουμένους, totidem rectores habere, dicat: quum tamen THEODORETVS non de ecclesiasticis sed ciuilibus prouinciarum rectoribus loquatur, quorum heic numerus erat in vtraque harum dioecesium, de qua THEODORETO sermo est; episcopatus autem multo plures erant. Nam in singularibus aliquibus prouinciis amplius quadraginta numerabantur, & vniuersorum numerus ex CAROLI A SANCTO PAVLO computatione complectebatur CCCLXXXVIII. Nempe *Asia* habebat XLII. *Hellespontus* XIX. *Phrygia Pacatiana prima* XXIX. *Pacatiana altera* V. *Phrygia salutaris* XX. *Lydia* XXIV. *Caria* XXV. *Pisidia* XXVIII. *Pamphylia prima* XII. *Pamphylia secunda* XXIV. *Pisidia* XIX. *Lycaonia* XIX. *Cappadocia prima* VI. *Cappadocia secunda* VI. *Cappadocia tertia*. V. *Armenia prima* V. *Armenia secunda* X. *Galatia prima* VII. *Galatia secunda* IV. *Pontus Polemoniacus* VI. *Helenopontus* VI. *Paphlagonia* V. *Honorias* V. *Bithynia prima* XIV. *Bithynia secunda* IV. *Cilicia prima* VII. *Cilicia secunda* IX. *Isauria* XXIII. In recentiore notitia, quam lector sub finem huius libri inueniet, numerus aliquantum adauctus est ad CCCCIII. Tametsi enim aliæ prouinciæ imminutæ fuerunt, aliæ tamen numero ita sunt auctæ, vt sæculo octauo dioeceses XV. amplius, quam prioribus sæculis inueniamus, quæ in tanta multitudine

(g) Theod. lib. V. c. XXIIX. Καὶ ταύτην ἐποιεῖτο τὴν προμήθειαν, οὐ μόνην ἐκείνης τῆς πόλεως, ἀλλὰ καὶ τῆς Θρᾴκης ἁπάσης· εἰς ἓξ δὲ αὕτη ἡγεμονίας διῄρηται· καὶ τῆς Ἀσίας ὅλης, ὑπὸ ἕνδεκα δὲ καὶ αὕτη ἀρχόντων ἰθύνεται, καὶ μὲν τοι καὶ τὴν Ποντικὴν τούτοις κατεκόσμει τοῖς νόμοις· ἰσαρίθμους δὲ καὶ αὕτη ἔχει τῆς Ἀσίας τοὺς ἡγουμένους. Neque vero vrbem duntaxat regiam huiusmodi cura ac sollicitudine gubernabat, sed & vniuersam Thraciam, quæ in sex prouincias diuisa est, & Asiam totam, qui *ab vndecim præsidibus* regitur; Ponticam præterea iisdem exornauit legibus; quæ totidem rectores habet, quot Asia.

dine

dine non adeo magna mutatio est, si consideres, quantæ mutationes in aliis quibusdam regionibus, si cum hac comparentur, intercesserint. Iam autem fac, in regione DC. mill. passuum longa & CCC. mill. pass. lata dioeceses fuisse CCCC; examinabimus, quantus terræ tractus secundum æquabilem partitionem singulis dioecesibus attribuendus sit. Atqui accurate facta computatione apparet, quod, si heic CCCCL. dioeceses fuisse fingamus, XX. mill. passuum dioecesis quæque habitura sit: & consequenter, quum heic, (demtis etiam istis quinquaginta) tot non fuerint, singulas dioeceses tanto maius spatium secundum æquabilem partitionem habuisse, oporteat. Fatendum autem est, distributionem in hac regione generatim fuisse inæquabilem. Episcopatus enim *Ponticarum* prouinciarum maximam partem admodum magni erant, & prouinciarum *Asiaticarum* consequenter tanto minores & numerosiores. Vt adeo lector heic amplissimas simul & angustissimas dioeceses, quales in mundo fuerunt, & nihilo tamen minus eamdem episcopatuum formam, in omnibus sine vlla distinctione seruatam, possit contueri.

## §. II.
## *De* Cappadocia *&* Armenia minore.

Vt a *Ponticis* ordiamur prouinciis, *Cappadocia* magna erat regio, & non nisi paucos habens episcopatus. STRABO (*b*) ad tria stadiorum millia, hoc est, CCCLXXV. milliaria, longam statuit. Verum sic latiore, quam nos quidem nunc facimus, sensu eam accipit, tamquam includentem omnia a prouinciis *Lycaonia* & *Phrygia* ad *Euphratem* vsque, qui *Armeniam minorem* æque ac *Cappadociam* occupat. Antiquis enim temporibus omnes illæ regiones vnum regnum erant, postea licet in quinque prouincias, tres videlicet *Cappadocias* & *Armeniam primam* & *secundam* diuisæ. Iam vero in vniuersis quinque illis

(*b*) Strabo lib. XII. p. 539. edit. Par. MDCXX. (p. 819. d. edit. Amstel. MDCCVII) Μέγεθος δὲ τῆς χώρας (Καππαδοκίας) κατὰ πλάτος μὲν, τὸ ἀπὸ τοῦ Πόντου πρὸς τὸν Ταῦρον, ὅσον χίλιοι καὶ ὀκτακόσιοι στάδιοι· μῆκος δὲ ἀπὸ τῆς Λυκαονίας, καὶ Φρυγίας, μέχρι Εὐφράτου πρὸς τὴν ἕω, καὶ τὴν Ἀρμενίαν, περὶ τρισχιλίους. Magnitudo Cappadociæ in latum ab Euxino ad Taurum MDCCC. circiter stadia, longitudo a Lycaonia & Phrygia vsque ad Euphratem ortum versus & Armeniam, ad tria stadiorum millia.

prouinciis haud triginta diœceſes initio fuerunt, & harum aliquæ ſæculo quarto noue erectæ, vt *Saſima*, cuius vrbis primus epiſcopus GREGORIVS NAZIANZENVS fuit, quæ antea vel ad *Cæſaream*, *Cappadociæ primæ* metropolim, a qua C. millibus paſſuum, vel ad *Tyanam Cappadociæ ſecundæ*, a qua XXXII. mill. paſſ. ex computatione FERRARII [*i*] diſtabat, pertinuit. Hoc ipſum diœceſes late patuiſſe oſtendit. Sed adhuc certiora huius rei documenta habemus. GREGORIVS enim NAZIANZENVS [*k*], *Baſilium* epiſcopum *Cæſareenſem* quinquaginta chorepiſcopos ſub ſe habuiſſe, dicit; & BASILIVS ipſe frequenter de chorepiſcopis ſuis [*l*], de presbyteris ac diaconis [*m*] per vicos, qui illis ſubfuerint, loquitur. Quod diœceſin illius val-

(*i*) Ferrar. lexic. geogr. voce *Saſima*. Saſima, *Saſiim*, teſte Leunclauio, vrbs Cappadociæ epiſcopalis ſub archiepiſcopo Cæſarienſi, inter Cæſaream ad arctos & Tyana ad meridiem XXXII. mill. paſſ. vltra Ancyram in ortum ſupra CC. Cuius vrbis diuus Gregorius Nazianzenus epiſcopus fuit.

(*k*) Nazianz. carm. de vita ſua p. 8. n. 32.

Αὕτη Σασίμων τῶν ἐμῶν ἐκκλησία.
Τούτοις μ' ὁ πεντήκοντα χωρεπισκόποις
Στενούμενος δίδωσι τῆς εὐψυχίας.
Καὶ ταῦτ' ἵν' ἀρπάζοντες ἄλλου πρὸς βίαν,
Περικρατήσῃ τὴν καθέδραν καινίσας.
Erat hæc meorum Saſimorum eccleſia.
His, liberalis ſcilicet vir, me dedit,
*Denos haberet quinquies quum antiſtites*
*Sub ſe*: & quidem, vi vendicante vt altero
Victor maneret, erigens ſedem hanc noue.

(*l*) Baſil. epiſt. CLXXXI. inſcriptio ſic habet: Χωρεπισκόποις, ὥστε μὴ γίνεσθαι χωρὶς αὐτοῦ ὑπηρέτας παρὰ τοὺς κανόνας. *Chorepiſcopis*: Ne ſine ipſo fiant miniſtri præter canones. In epiſtola ipſa ita de ipſis queritur: Πρῶτον μὲν ἡμᾶς παρωσάμενοι καὶ μηδὲ ἐπαναφέρειν ἡμῖν καταδεχόμενοι, εἰς ἑαυτοὺς τὴν ὅλην περιεστήσατε αὐθεντίαν· ἔπειτα καταῤῥαθυμοῦντες τοῦ πράγματος, πρεσβυτέροις καὶ διακόνοις ἐπετρέψατε, οὓς ἂν ἐθέλωσιν, ἀπὸ ἀνεξετάστου βίου, κατὰ προσπάθειαν, ἢ τὴν ἀπὸ συγγενείας, ἢ τὴν ἐξ ἄλλης τινὸς φιλίας, ἐπεισάγειν τῇ ἐκκλησίᾳ τοὺς ἀναξίους. Nobis primum extruſis, nec ad nos referre in animum inducentes, omnem in vosmet ipſos auctoritatem tranſtuliſtis: Deinde re per ſummam ſocordiam tractata, presbyteris & diaconis permiſiſtis, quos voluerint, vita eorum non examinata, ex affectione vel cognationis, vel alicuius alius amicitiæ, indignos in eccleſiam introducere.

(*m*) Baſil. epiſt. CCCCXII. Οὗτος ὁ νῦν σοβαρὸς καὶ σεμνὸς ὑμῖν Γλυκέριος, ἐχειροτονήθη μὲν παρ' ἡμῶν τῆς κατὰ Οὐήνεσαν ἐκκλησίας διάκονος, ὡς καὶ τῷ πρεσβυτέρῳ διακονῆσαι, καὶ τοῦ ἔργου τῆς ἐκκλησίας ἐπιμελησόμενος. Iſte igitur tanta gra-

de

de amplam fuisse, argumento est, quantumuis limites eius exacte figere haud possimus. Paucitas quoque dioecesium in hac prouincia idem indicat. Nam ex CAROLI A SANCTO PAVLO recensione, præter *Cæsaream*, *Cappadociæ primæ* metropolim, non nisi quinque episcopatus in hac prouincia fuerunt, *Nyssa*, vbi *Gregorius Nyssenus* fuit episcopus, *Thermæ regiæ*, *Camuliana*, siue *Iustinianopolis noua*, *Ciscissa* & *Theodosiopolis* concilii sexti generalis tempore; qui iidem sunt, qui in recentioribus *notitiis* memorantur, tantum *Methodiopolis* pro *Theodosiopoli Armeniæ* ponitur, cui prouincia a synodo *Chalcedonensi* adscribitur. Vt adeo in hac prouincia numquam supra quinque dioeceses re ipsa fuerint, & harum duæ, *Camuliana* & *Ciscissa*, post concilium *Chalcedonense* constitutæ sint. Nam in synodica huius prouinciæ epistola ad *Leonem* imperatorem, quæ sub finem istius concilii exstat, duo duntaxat episcopi reperiuntur, qui præter metropolitanum *Cæsareensem* nomina sua subscripserunt, nimirum *Nyssenus* & [*] *Thermitanus*. SOZOMENVS [n] de *Prapidio* quodam præposito *Basiliadis*, ptochotrophei a *Basilio* constructi ab eoque cognominati, loquitur, qui itidem episcopi munere multis in vicis functus sit. An vero dioecesis ipsius in hac *Cappadocia* fuerit, id quidem incertum est.

IN *Cappadocia secunda*, ex diuisione quadam huius prouin-

vitate & fastu conspicuus Glycerius vester Venensis ecclesiæ diaconus a me ordinatus in eum finem fuerit, vt cum presbytero inseruiret & ad curandam rem ecclesiasticam admoueretur.

(*) Tom. IV. conc. p. 952 - 954. Nota: In edit. Labb. hæc quidem legitur epistola, sed tantum ab Alypio metropolitano Cæsareensi & Vuio, episcopo Nyzeno subscripta.

(n) Sozom. lib. VI. c. XXXIV. Εὐδοκιμώτατοι ὧν ἐπυθόμην ἐγένοντο ἐνθάδε μοναχοί, Λεόντιος, ὁ τὴν ἐν Ἀγκύρᾳ ἐκκλησίαν ὕστερον ἐπιτροπεύσας· Καὶ Πραπίδιος ἐς ἤδη γηραλέος ὤν, πολλὰς ἐπεσκόπει κώμας· προέστη δὲ καὶ Βασιλειάδος, ὃ πτωχῶν ἐστὶ ἐπισημότατον καταγώγιον, ὑπὸ Βασιλείου τοῦ Καισαρείας ἐπισκόπου κατασκευασθέν, ἀφ' οὗ τὴν προσηγορίαν τὴν ἀρχὴν ἔλαβε, καὶ εἰς ἔτι νῦν ἔχει. Eorum porro, quos illic vixisse comperi, monachorum, clarissimi fuere Leontius, qui postea ecclesiam Ancyræ administrauit: & *Prapidius*, *qui* iam prouecta ætate *multis in vicis episcopi munere fungebatur.* Præpositus etiam fuit Basiliadis, quod est celeberrimum ptochotropheum, a Basilio Cæsareensi episcopo constructum: a quo cognomentum initio cepit & hactenus retinet.

ciæ tempore *Basilii* facta, CAROLO A SANCTO PAVLO recensente, sex fuerunt diœceses, *Tyana* metropolis, *Sasima*, *Iustinianopolis*, *Asuna*, *Faustinopolis* & *Cybistra*. Sed, vt HOLSTENIVS [o] obseruauit, duæ harum falso positæ. Nam nulla vmquam ciuitas *Asuna* dicta fuit, sed tantum corrupta lectio est in *latinis* editionibus conciliorum pro *Sasima*; quando in *græco* fuit ἐπίσκοπος Σασίμων, *episcopus Sasimorum*. Et *Iustinianopolis* alio nomine *Mocissus* dicitur, quam quum *Iustinianus* metropolim *Cappadociæ tertiæ* fecisset, nomine suo *Iustinianopolim* appellauit. Vt adeo re ipsa non plures, quam quatuor diœceses in hac prouincia fuerint, & vna illarum *Sasima* posterioribus tantum temporibus facta. Erat hæc *Sasimorum* vrbs στενὸν κωμύδριον, *arctum admodum oppidum*, vt ipse NAZIANZENVS [p] eam vocat. Vt ita istas tres antiquas diœceses late patuisse oporteat, tametsi plura de illis cognita nobis non sint, nisi quod *Pasa* prædium XII. mill. pass. a *Tyana* distans, sub hac diœcesi [q] esse, ab *Euphranta* quodam in concilio generali quinto dicatur: Et *Sasima* ab initio eiusdem diœcesis pars erant, XXXII. licet mill. passuum a metropoli disiuncta. Id quod late patentem diœcesium in hac prouincia magnitudinem satis demonstrat.

*Cappadocia tertia* numquam plures quinque episcopatus habuit, *Mocissum*, *Nazianzum*, *Coloniam*, *Parnassum* & *Doaram*. Harum *Mocissus* fuit metropolis, quæ honorem suum *Iustiniano* imperatori debebat, vtpote qui titulo metropolis eam dignatus suo ipsius nomine, vt PROCOPIVS [r] auctor est, *Iustiniano-*

(o) Holst n. Annotat. geograph. p. 157. (in Car. a S. Paulo geograph. p. 246. edit. MDCCXI.) *Asuna*] Nulla hoc nomine ciuitas vmquam fuit. In græco fuit ἐπίσκοπος Σασίμων, inde olim episcopus Sasimæ: vnde rei facta prima littera *Asima* & tandem confusis litterarum cruribus *Asuna*, ita error errorem trahit.

(p) Gregor. Nazianz. carm. de vita sua p. 7. lin. vltim. Δεινῶς ἄπευκτον καὶ στενὸν κωμύδριον.

(q) Conc. gen. V. collat. V. (tom. V. p. 478. c.) Prædium quod dicitur *Pasa* - - duodecim milliariis Tyanensis distat metropoleos & sub eadem ciuitate est vsque hodie.

(r) Procop. de ædific. Iustin. lib. V. p. 48. Nota: Nihil ibi, quod huc spectet, inuenitur, Pag. 100. autem hæc leguntur, in quibus vero de appellatione *Iustinianopolis* nihil habetur. Ἦν δέ τι φρούριον ἐν Καππαδόκαις Μωκησὸς ὄνομα, ἐν μὲν τῷ ὁμαλεῖ κείμενον· σαθρὸν δὲ οὕτω γεγενημένον, ὥστε δὴ αὐτοῦ τὰ μὲν κατα-

*polim*

*polim* appellarat, quo titulo *Petrus* iſtius loci epiſcopus in concilio ſub *Menna* ipſe ſe ſubſcripſit [*s*]. *Doara* vicus erat, vt HOLSTENIVS [*t*] ex BASILIO obſeruat, cui *κώμη Δώαρα* [*u*] vocatur. *Nazianzus* itidem exigua erat ciuitas, quemadmodum GREGORIO NAZIANZENO [*w*] dicitur. Sed amplas diœceſes habuerint, neceſſe eſt, aut reliquas tres tanto ampliores fuiſſe oportet. Nam geographi non mediocri interuallo aliam ab alia disiungunt. *Nazianzus* ſuos habebat chorepiſcopos, in epiſtolis GREGORII NAZIANZENI [*x*] aliquoties memoratos; quod ei amplum territorium fuiſſe indicat.

IN *Armenia prima* a CAROLO A SANCTO PAVLO non niſi quinque epiſcopatus reperti, *Sebaſtea* metropolis, *Sebaſtopolis*, *Nicopolis*, *Satala*, & *Beriſſe*. Et recentiores *notitiæ* vnam dunta-

*πεπλώκει, τὰ δὲ ἔμελλεν· ὅπερ Ἰουστινιανὸς βασιλεὺς καθελὼν, τεῖχος ᾠκοδομήσατο κομιδῇ μέγα ἐς τὰ πρὸς ἑσπέραν τοῦ πάλαι φρουρίου ἐν χωρίῳ ἀνάντει τε καὶ λίαν ὀρθίῳ, καὶ ἀμηχάνῳ προσελθεῖν, εἴ τις προσίοι· ἔνθα δὴ καὶ ἱερὰ τεμένη πολλὰ, καὶ ξενῶνας, καὶ λουτρῶνας ἐν δημοσίῳ ἐδείματο, καὶ ὅσα ἄλλα ἐνδείκνυται τὴν πόλιν εὐδαίμονα· ἐξ οὗ δὴ καὶ εἰς μητροπόλεως ἀξίωμα ἦλθεν.* Erat Moceſus Cappadociæ caſtellum, in plano ſitum, adeo debile corruptumque, vt ruinam pars iam feciſſet, pars minaretur. Eo Iuſtinianus Aug. diruto, in loco accliui atque arduo, vt nemo infeſtus ſubire queat, qua vetus caſtellum illud occidentem ſpectauerat, murum ingentem exſtruxit. Multa ibi templa, xenodochia, balneas publicas ædificauit, nihil eorum deeſſe paſſus, quæ ad felicitatem vrbis probandam valent. Hinc factum, vt *illa ad dignitatem peruenerit metropoleos.*

(*s*) Conc. Conſtantinop. ſub Menna p. 52. b. *Πέτρου τῆς μητροπόλεως Ἰουστινιανουπόλεως*, Petro Iuſtinianopolitano metropolita.

(*t*) Holſten. adnot. geogr. p. 159. (p. 247. in geogr. Car. a S. Paulo) *Doara*] Vicum vocat Baſilius Magnus epiſt. X. vbi Georgii eius epiſcopi meminit.

(*u*) Baſil. ep. X. *Δοάροις δὲ τῇ κώμῃ φθόρον ἄνθρωπον - ἔπεμψαν.* Ad *Doara vicum* peſtilentem hominem --- miſerunt.

(*w*) Naz. orat. XIX. de laud. patr. (tom. I. p. 310.) *τοῦτο τοῦ μικροπολίτου τὸ ἔργον, καὶ τῆς καθέδρας τὰ δεύτερα ἔχοντος.* Hoc *exiguæ vrbis epiſcopi* opus & cathedræ ſecundas tenentis.

(*x*) Naz. ep. LXXXVIII. *ἵνα γὰρ τ' ἄλλα ἐάσω, οἷα νῦν ἐπιστάντες οἱ Ἀπολιναριανοὶ, τὰ μὲν πεποιήκασι, τὰ δὲ ἀπειλοῦσι, παρὰ τῶν κυρίων μου τῶν συμπρεσβυτέρων μαθήσῃ, Εὐλαλίου τοῦ χωρεπισκόπου, καὶ Κελευσίου, οὓς ἐξ ἔργου πρὸς τὴν σὴν εὐλάβειαν ἀπεστάλκαμεν.* Vt cetera miſſa faciam, quæ Apollinariſtæ nunc impetu facto, partim fecerunt, partim minitantur, ex dominis meis compresbyteris, Eulalio *chorepiſcopo* & Celeuſio, quos dedita opera ad pietatem tuam miſimus, intelligis.

xat addunt, *Coloniam*, quæ etiam ad *Cappadociam tertiam* refertur, nisi duæ eiusdem nominis in his prouinciis fuerunt. In *Armenia secunda* numerus ab ipſo ad decem augetur: *Melitene* metropolis, *Arca*, *Comana*, *Arabyſſus*, *Cocuſus*, *Ariarathia*, *Amaſa*, *Zelona*, *Sophene*, *Dioſpontum*. Sed HOLSTENIVS in notis ſuis in hunc locum [y] quatuor ex iſto catalogo expungi debere obſeruat. Nam *Amaſam*, ſiue *Amaſeam*, ad *Hellenopontum* ſpectaſſe; *Zelonam* eamdem fuiſſe cum *Zela* in eadem prouincia; *Sophenem* ad *Armeniam maiorem* pertinuiſſe; & *Dioſpontum* non epiſcopatus nomen, ſed antiquam tantum prouinciæ *Hellenoponti* appellationem fuiſſe, dicit. Quæ ipſius coniectura e recentioribus *notitiis* confirmatur, quæ ſex priores harum dioeceſium, nullam vero ex hiſce quatuor ſub *Armeniæ minoris* titulo, nominant. Vt adeo in hiſce quinque prouinciis vniuerſis ſecundum exactam computationem non pluſquam viginti quatuor dioeceſes in vniverſum fuerint. Quocirca nonnullas valde amplas in regione CCC. mill. paſſuum fuiſſe, neceſſe eſt.

## §. III.
## *De* Ponto Polemoniaco.

PROXIMA huic prouincia ad *Pontum Euxinum* erat *Pontus Polemoniacus*, ita dictus a *Polemonio* primaria quadam huius prouinciæ ciuitate; præter quam & *Neocæſaream* metropolim tres tantum epiſcopatus heic fuerunt, *Trapezus*, *Ceraſus* & *Comana*: magno omnes interuallo ab ſe inuicem diſtantes. *Polemonium*, *Ceraſus* & *Trapezus* recto ſitu ad oram maritimam poſitæ: & ſupputante PLINIO [z] *Polemonium* a *Trapezunte* CC. mill. paſſuum afuit,

(y) Holſten. adnot. geogr. p. 161. (p. 248. apud Carol. a Sancto Paulo) *Amaſa*] Hic quoque epiſcopatus vitio creatus ex Amaſia Dioſponti, ſiue Hellenoponti ciuitate primaria. *Zelona*] Eadem quæ Zela: vnde Heraclius ille Zelon epiſcopus genitiuo plurali vocatur, quem MS. antiquiſſimus Dioſponto, ſive Hellenoponto recte tribuit. *Sophene*] Arſophius Sophenenſis inter epiſcopos Armeniæ maioris. *Dioſpontum*] Epiſcopatus ſuppoſititius ex codicum vulgarium confuſione natus. Manuſcriptus antiquiſſimus Dioſponti hic ſeorſim ponit, vt prouinciæ nomen, cui deinde ſubiicitur Eutychianus Amaſiæ epiſcopus. Vnde certum eſt, Dioſpontum antea fuiſſe, qui poſtea Hellenopontus appellatus fuit. Ita quoque Ortelius Diſpontum a veteri medico appellatum obſeruauit.

Id. adnotat. in Ortelium p. 172. ex itinerario Antonini obſeruat, quod inter Sebaſteam & Sebaſtopolim XXXVI. millia paſſuum fuerint.

(z) Plin. lib. VI. c. IV. In faucibus a Trapezunte CL. mill. paſſuum.

Cera-

*Cerasunte* vtrique interiacente. *Neocæsarea* centum mill. passuum intus in regione sita & *Comana* inde LX. mill. passuum disiuncta. Harum quinque ciuitatum in *nouella* quadam sua mentionem facit IVSTINIANVS [*], nec plures in hac prouincia recenset. Nam *Pityuntem* & *Sebastopolim* inter castra potius quam vrbes numerandas esse, dicit. Et, vti HOLSTENIVS [†] obseruat, de hac prouincia proprie non fuerunt, sed in solo barbarico sitæ, nec vllam per se constituentes prouinciam ad hanc *Ponti* præfecturam, tantum veluti quædam appendices, spectaverunt. Vt adeo, licet CAROLVS A SANCTO PAVLO *Pityuntem* sextum huius prouinciæ episcopatum faciat, recentiores tamen *notitiæ* hunc omittant, quinque prioribus tantummodo retentis. Quod ipsum ostendit, per annos octingentos nullam heic mutationem intercessisse, nec plures dioeceses episcopales fuisse constitutas, quam essent ciuitates imperiales, tanto licet interuallo ab se inuicem distarent.

## §. IV.

## *De* Hellenoponto.

PROXIMA huic prouincia ad oram maritimam *Hellenopontus* fuit, sex duntaxat tempore concilii *Chalcedonensis* episcopatus habens, *Amasiam*, metropolim, *Amisum*, *Sinopen Iboream*, *Zela* & *Andrapa*, quem admodum ex epistola synodica

(*) Iustin. nouel. XXVIII. in præfat. Πέντε δὲ ἄλλαι τὸν πολεμωνιακὸν συνέχουσι Πόντον, Νεοκαισάρειά τε καὶ Κώμανα καὶ Τραπεζοῦς καὶ Κερασοῦς καὶ Πολεμώνιον, (Πιτυοῦντα γὰρ δὴ καὶ Σεβαστόπολιν ἐν φρουρίοις μᾶλλον ἀριθμητέον ἢ πόλεσιν) ὥστε μέχρι τούτων ἑκάτερον εἶναι τῶν Πόντων. Aliæ quinque Polemoniacum Pontum continent, *Neocæsarea* & *Comana*, *Trapezus*, & *Cerasus* & *Polemonium*: *Pityus* enim & *Sebastopolis* inter castra potius quam vrbes numerandæ sunt: vt inter hosce terminos vterque Pontus consistat.

(†) Holsten. adnotat. geogr. p. 164. ( in geogr. Car. a S. Paulo p. 250. ) Quamvis trans Pontum in solo Barbarico ipsa Pityus sita esset, vt & Sebastopolis, quam Iustinianus Pityusæ coniunxit. Iustinianus nouella XXVIII. Ponto Polemoniaco, præter quinque superiores, duas alias accenset ciuitates, Pityunta & Sebastopolin, quæ trans Pontum in solo Barbarico sitæ nullam per se constituebant prouinciam. Eas ergo ad Ponti præfecturam spectare voluerunt imperatores antiqui ante Iustinianum. Hinc Stratophilus Pityusius, siue Pityuntos episcopus in subscriptionibus concil. Nicæni legitur; nam Pityusa illa Ptolemæi, si modo vera lectio est, episcopum numquam habuit.

episcoporum huius prouinciæ [a] ad *Leonem* imperatorem apparet. Quibus vna tantum sequentibus sæculis addita fuit. Ex hisce *Amisus* & *Sinope* iuxta littus sitæ fuerunt & magno interuallo disiunctæ. *Amisus*, auctore PLINIO, inter *Polemonium* & *Sinopen* posita a *Polemonio* [b] CXX. mill. passuum, & CXXX. mill. pass. a *Sinope* [c] afuit. Quod prope ad STRABONIS accedit computationem, DCCCC. stadia seu CXII. mill. passuum *Amisum* inter [d] & *Sinopen* ponentis. Loquitur etiam hic de *Armena* [e] pago *Sinopensium*, ab ipsa vrbe *Sinope* L. stadia distante. Et *Amaseam* patriam suam pluribus describit, ab vna parte amplam ei planitiem fuisse, dicens, quæ a numero pagorum χιλιόκωμον πεδίον [f], quasi *Millepagorum* appellata fuerit. Hæc mediterranea fuit ciuitas a nonnullis C. mill. passuum a mari disiuncta credita. Ab *Amasea* ad *Zela* tantumdem viæ fuit. Vt adeo sine vlla controuersia hæ diœceses quam latissime patuerint, quandoquidem vrbes tanto interuallo aliæ ab aliis disiunctæ fuerunt.

---

(a) Append. concil. Chalced. c. LIII. (tom. IV. conc. p. 9'3. e.) Seleucus gratia Dei episcopus Amasiæ metropolis sanctæ Christi ecclesiæ, manu mea subscripsi - - Vranius episcopus Iboreæ, similiter. Erythrius episcopus Amisi, similiter. Aelianus episcopus Sinopensis similiter. Hypetitius episcopus Tii (pro Zeli) similiter. Paulus episcopus Adratas similiter.

(b) Plin. lib. VI. c. IV. Flumen Sidenum, quo alluditur oppidum Polemonium ab Amiso CXX. mill. passuum.

(c) Plin. lib. IV. c. II. Amisum liberum a Sinope CXXX. mill. passuum.

(d) Strab. lib. XII. p. 547. (p. 823. b.) Μετὰ δὲ τὴν Γαδιλῶνα, ἡ Σαραμηνὴ καὶ Ἄμισος πόλις ἀξιόλογος, διέχουσα τῆς Σινώπης περὶ ἐνναχοσίους σαδίους. Post Gadilonem est Saramena & vrbs *Amisus* illustris a *Sinopa distans stadia circiter* IↃCCCC.

(e) Strab. ibid. p. 54'. Μετὰ δὲ Κάραμβιν -- Αρμένη -- ἔσι δὲ κώμη τῶν Σινωπέων ἔχουσα λιμένα· Εἶτ' αὐτὴ Σινώπη, σαδίους πεντήκοντα τῆς Αρμένης διέχουσα, ἀξιολογωτάτη τῶν ταύτῃ πόλεων. Post Carambin sequitur - - - Armene Sinopensium pagus portu præditus. -- Sequitur L. post hanc stadiis ipsa Sinope, omnium, quæ isthic sunt, vrbium præstantissima.

(f) Strab. ibid. p. 561. Αυλὼν δ' ἐσὶν ἀπὸ τοῦ ποταμοῦ διήκων, οὐ πλατὺς τὸ πρῶτον τελέως, ἔπειτα πλατύνεται, καὶ ποιεῖ τὸ χιλιόκωμον καλούμενον πεδίον. A fluuio conuallis porrigitur ab initio non lata, sed deinde in latum deducitur, planitiemque efficit *Chiliocomon*, quasi *Millepagorum*.

§. V.

## §. V.
## *De* Paphlagonia *&* Galatia.

*Hellenoponto* in ora maritima proxime adiacuit *Paphlagonia*, in qua CAROLVS A SANCTO PAVLO quinque episcopatus recenset, *Gangram* metropolim, *Soram*, *Iunopolim*, *Pompeiopolim* & *Amastrim*. Quibus HOLSTENIVS *Dadibram* addit, cuius pro episcopo *Polychronio Petrus* episcopus metropolis *Gangrenorum* in concilio *Chalcedonensi* [g] subscripsit. Sequentibus seculis numerus imminutus est: nam in recentioribus *notitiis* nulla *Pompeiopolis* & *Amastris* mentio habetur. Inter hasce *Gangra* BASILIO [h], tamquam locus diuersas habens ecclesias & altaria, memoratur. *Amastris* ampla fuit ciuitas, quæ ex quatuor aliis vrbibus proximis, *Sesamo*, *Cytoro*, *Cromna* & *Teio* in magnam vrbem creuerat, quemadmodum FERRARIVS animaduertit, qui [i] eam ab *Heraclea Ponti* ad LXVIII. mill. pass. in ortum distare scribit. Et reliquæ omnes pari fere interuallo aliæ ab aliis separatæ fuisse, videntur.

AD latus meridianum *Paphlagoniæ Galatia* fuit, regio mediterranea, *Cappadociam* ab ortu & *Phrygiam* ab occasu habens. Hæc a *Romanis* in duas prouincias, *Galatiam primam* & *secundam* siue *salutarem* diuisa. In *prima* septem vrbes episcopales fuere, *Ancyra* metropolis, *Tabia*, *Heliopolis* seu *Iuliopolis*, *Aspona*, *Berinopolis*, *Cinna* & *Anastasiopolis*. Quarum postrema exeunte

(g) Concil. Chalced. act. VI. (tom. IV. conc. p. 591. c.) Πέτρος ἐπίσκοπος τῆς μητροπόλεως Γαγγρῶν ὁρίσας ὑπέγραψα ὑπὲρ Πολοχρονίου ἐπισκόπου Δαδύρων.

(h) Basil. ep. LXXIII. Εἰ ὀρθόδοξος νῦν Βασιλείδης ὁ κοινωνικὸς Εκδίκου; διὰ τί ἀπὸ Δαρδανίας ἐπανιόντες τὰ θυσιαστήρια ἐκείνου ἐν τῇ χώρᾳ τῶν Γαγγρηνῶν κατέστρεφον, καὶ ἑαυτῶν τραπέζας ἐπέθεσαν; διὰ τί μέχρι καὶ νῦν ἐπέρχονται ταῖς ἐκκλησίαις τῆς Αμασείας καὶ Ζήλων, καὶ παρ᾽ ἑαυτῶν καθιστῶσι πρεσβυτέρους καὶ διακόνους. Si iam orthodoxus est Basilides illius ecclesiæ conscius, quamobrem quum e Dardania redirent, altaria ipsius in agro Gangrenorum subuerterint, mensasque suas substituerint: quorsum etiamnum ecclesias Amaseæ & Zelorum inuadant, suaque ipsorum auctoritate constituant presbyteros ac diaconos.

(i) Ferrar. lexic. voce *Amastris*. Amastris, vrbs Paphlagoniæ in ora mari Euxini, metrop. quæ & Amastrum. Ex quatuor vrbibus seu pagis proximis, Sesamo, Cytoro, Cromna, & Teio, magnam creuit in vrbem; media fere inter Teium & Cytorum, Cromnæ propior, ab Heraclea Ponti ad LXVIII. mill. pass. in ortum distans.

ſæculo ſeptimo demum conſtituta videtur; nulla enim eius ante concilium generale ſextum, *Conſtantinopoli* an. DCLXXXI. celebratum, mentio exſtat. *Notitiæ græcæ* vnam duntaxat addunt, *Mizzi*, reliquis antiquis nominibus omnibus retentis. Quod exiguam mutationem per octingentorum annorum decurſum in huius prouinciæ eccleſia factam eſſe, oſtendit. *Galatiæ ſecundæ* quatuor tantum initio diœceſes fuerunt, *Piſſinus*, *Orciſtus*, *Peteneſſus* & *Trochmada* ſiue *Trochmi*: Sed ſæculis poſterioribus numerus duplicatus fuit, vti ex *notitia*, quæ ſub finem huius libri habetur, videre eſt, vtpote in qua additæ leguntur *Eudoxias*, *Mericium*, *Therma* alias *Germocolonia* & *Iuſtinianopolis*, aliis dicta *Spalea*. Iam vero *Galatia* magna erat regio, & diœceſes (etiamſi quatuor iſtas modo memoratas addideris) late admodum patebant. Nam, obſeruante BAVDRANDO [*k*], *Peſſinus* L. mill. paſſuum ab *Ancyra*, & XXX. a *Therma* diſtabat, ex quo reliquorum locorum diſtantiam æſtimare poſſumus. CAROLVS A SANCTO PAVLO *Cinnam Ancyræ* proximam ſtatuit; BAVDRANDVS vero in partes *Galatiæ* meridionales remouet, & *Synnadæ* in *Phrygia* [*l*] propiorem facit. FERRARIO *Aſpona* LXIV. mill. paſſuum ab *Ancyra*, in ortum diſtare dicitur. *Berinopolis* & *Iuliopolis* tantumdem itineris in occaſum videntur habuiſſe. Vnde ſatis amplum ſpatium territorio *Ancyræ* relinquitur, etiamſi neque de hoc, neque de aliis quibusdam harum duarum prouinciarum *Galatiæ* locis, accuratius relata inveniantur.

## §. VI.
## *De* Honoriade.

PROXIMA *Paphlagoniæ* ad oram maris *Euxini* fuit prouincia *Honoriadis*, ſeu *Pontus Honorii*, a *Theodoſio* in honorem filii ſui *Honorii* ſic cognominatus. Hanc prouinciam a *Bithynia Sangarius* fluuius, a *Paphlagonia Parthenius* fluuius diſterminabat. Heic olim quinque epiſcopatus fuerunt, & in recentioribus *notitiis* recenſentur ſex, *Claudiopolis*, *Heraclea*, *Pruſias*, *Tium*, *Cra-*

(*k*) Baudrandi lexic. voce *Peſſinus*. Peſſinus vrbs erat Galatiæ, ad adfluentes Galli fluuii in Sangarium, vix L. mill. paſſ. ab Ancyra in meridiem diſtans, vti XXX. a Therma, teſte Philippo *de la Rüe*.

(*l*) Baudr. voce *Cinna*. Cinna vrbs Galatiæ meridionalis, prope Aſcanium lacum & in limite Phrygiæ, longe ab Ancyra in auſtrum, Synnadæ propior, in Aſia minori.

*tea*,

*tea*, *Adrianopolis*, quarum vltima in nullius antiqui concilii subſcriptionibus reperitur. Ex hiſce *Tium* & *Heraclea* ſuper *Ponto Euxino* poſitæ XXXVIII. mill. paſſuum altera ab altera diſtabant, vti fidem nobis facit PLINIVS [*m*]. *Claudiopolis* itidem magnæ erat diſtantiæ ciuitas in media prouincia, BAVDRANDO [*n*] teſte, amplius XXX. mill. paſſuum ab *Heraclea* ſeparata. Omnes iſtæ ciuitates aliquando ad *Bithyniam* ſpectauerunt, eo quod *Honorias* ipſa pars *Bithyniæ* fuit, vſque dum *Theodoſius* imperator illam per ſe prouinciam ſeparatim eſſe iuſſit.

## §. VII.

### *De* Bithynia prima *&* ſecunda.

POST factam vero iſtam ſeparationem *Bithynia* rurſus in duas prouincias diuiſa fuit. Quarum in prima quatuordecim a CAROLO A SANCTO PAVLO diœceſes recenſentur. 1. *Nicomedia*, metropolis. 2. *Chalcedon*. 3. *Pruſa* ad *Olympum* montem. 4. *Prænetum*. 5. *Helenopolis*. 6. *Baſilinopolis*. 7. *Apollonias*. 8. *Hadriana*. 9. *Cæſarea*. 10. *Ariſta*. 11. *Patauium*. 12. *Dablis*. 13. *Neocæſarea*. 14. *Cius*. In *Bithynia altera* tantum quatuor: 1. *Nicæa*, in qua celebratiſſimum concilium *Nicænum* habitum, metropolis prouinciæ. 2. *Apamea*. 3. *Linoë*. 4. *Gordus*. Et recentior LEONIS SAPIENTIS *notitia* vnam tantum in vtraque prouincia addit, etſi noua quædam locorum nomina inſerantur. Has inter ciuitatem *Nicænam* magnam diœceſin habuiſſe, obſeruamus. Nam diuerſæ regiones ad eam ſpectantes in concilio *Chalcedonenſi* memorantur, in peruulgata diſputatione inter metropolitanos *Nicomedienſem* & *Nicænum*, qui ambo diœceſin *Baſilinopolitanam*, tamquam iurisdictioni ſuæ ſubiectam, vindicare ſibi ſtudebant. *Anaſtaſius* epiſcopus *Nicænus* vrgebat, quod *Baſilinopolis* [*o*] antea regio fuerit ſub *Nicæa*, perinde ac *Tacteus* & *Doris*, vſquedum

(*m*) Plin. lib. VI. c. I. Oppidum Tium ab Heraclea triginta octo mill. paſſuum.

(*n*) Baudrand. lexic. voce *Claudiopolis*. Claudiopolis vrbs fuit Ponti, ad Elatam fluuium. --- Longe diſtat a Sangario fluuio in ort. XXX. autem milliaribus ab ora Ponti Euxini & *paullo amplius ab Heraclea* Ponti in auſtrum.

(*o*) Conc. Chalced. act. XIII. ap. Crabium p. 918. (apud Labb. tom. IV. p. 700. e.) Ὥσπερ Τατλάιος καὶ Δωρὶς ῥεγεῶνές εἰσιν ὑπὸ τὴν Νίκαιαν, οὕτως ἦν πρὸ τούτου καὶ Βασιλινούπολις ὑπὸ τὴν Νίκαιαν· βασιλεύς τις Ἰουλιανὸς, ἢ οὐκ οἶδα τίς πρὸ αὐτοῦ, ἐποίησεν αὐτὴν πόλιν· καὶ λαβὼν ἀπὸ Νικαίας πραγματευομένους κατίστησιν ἐκεῖ· καὶ τὸ ἔθος ἀπὸ τότε ἕως νῦν τοῦτο κρατεῖ· ἐὰν λείψῃ ἐν Βασιλικουπόλει πραγματευόμενος, ἀπὸ Νικαίας πέμπεται ἐκεῖ· καὶ πάλιν ἀπὸ Βασιλινουπόλεως μεθίσταται ἐν Νι-

*Iulia-*

*Iulianus* vel alius aliquis imperator ciuitatis priuilegiis ipſam donarit, curialibus ſeu ciuilibus magiſtratibus illic conſtitutis, quo facto etiam ſedes epiſcopalis, ſecundum vſitatam eccleſiæ regulam & conſuetudinem, euaſerit. Vt adeo dioeceſis *Nicæna* olim tam ampla fuerit, vt quantumuis alia diœceſis ex ea formaretur, nihilo tamen ſecius diuerſas regiones reliquas haberet. Idem ex diſtantia illius ab aliis locis colligas. PLINIVS [p] a *Pruſa* XXV. mill. paſſuum abeſſe dicit, & FERRARIVS XLIV. mill. a *Nicomedia*, ſed *Helenopolim*, alias *Drepanum* dictam, inter illas fere mediam [q] ſtatuit. *Baſilinopoli* CAROLVS A SANCTO PAVLO longiorem ab ea diſtantiam ex errore tribuit inter *Nicodemiam* & *Chalcedonem*; ſed propius ab ea afuerit, neceſſe eſt, quod olim diœceſis *Nicænæ*, vti obſeruatum eſt antea, pars exſtitit. De reliquis locis non habeo, quæ commemorem ſigillatim, niſi quod STRABO CCC. ſtadia ſeu XXXVII. mill. paſſ. a *Nicomedia* ad oſtia *Sangarii* fluuii, vbi *Cius* vrbs ſita fuit, computet, & FERRARIVS LX. mill. paſſ. inter *Nicomediam* & *Chalcedonem* ſtatuat, in quo vniuerſo terræ tractu hæ tres tantum diœceſes fuerunt, & vna amplius, *Pranetum* dicta, vt adeo, ſi de *Nicomedia* & *Chalcedone* ſpecialiora nobis documenta ſuppeterent, illic fortaſſis tantæ magnitudinis diœceſes, quantæ in

χώρα· καὶ ἡ πρότερον οὖσα γειτὼν πάλιν μετὰ ταῦτα ἐγένετο πόλις· ἐξ ἐκείνου φαίνεται ὁ Νικαίας ἐπίσκοπος χειροτονῆσαι ἐκεῖ καὶ ἅπαξ καὶ δεύτερον. Sicut Tacteus & Doris regiones ſunt ſub Nicæa, ſic fuit ante hoc Baſilinopolis ſub Nicæa. Imperator quidam Iulianus, (aut neſcio quis ante eum) fecit eam ciuitatem, & ſumens ex Nicæa curiales, ibi conſtituit; & conſuetudo ex tunc hactenus obſeruatur. Et ſi forte defuerit in Baſilinopoli curialis, de Nicæa mittitur illi, & rurſus de Baſilinopoli transfertur in Nicæam. Quæ quum prius fuiſſet regio, poſtea ciuitas effecta eſt; ex illo perſpicuum eſt, ab epiſcopo Nicæno ibidem epiſcopum fuiſſe ordinatum & ſemel & ſecundo.

(p) Plin. lib. V. c. XXXII. Nunc reliqua in ora, a Cio intus in Bithynia *Pruſa*, ab Annibale ſub Olympa condita: *inde Nicæam XXV. mill. paſſ.* interueniente Aſcanio lacu.

(q) Ferrar. lexic. voce *Nicæa*. Nicæa -- inter Nicomediam ad boream XLIV. & Pruſam in eurum XXV. mill. paſſ. diſſita.
It. voce *Drepanum*. Drepanum, vrbs in Bithynia, ad ſinum Aſtacenum, poſtea Helenopolis in honorem Helenæ Conſtantini magni matris appellata, epiſc. ſub archiepiſcopo Nicomedienſi, *media fere inter Nicomediam ad boream & Nicænam ad meridiem.*

vlla

vlla alia prouincia exstitisse intellecturi essemus. *Apameam* autem a *Prusa* nouem tantum mill. passuum dissitam fuisse, BAVDRANDVS [r] auctor est. Nam illæ in australibus *Bithyniæ* partibus sedebant, & de minimis *Ponticarum* dioecesium ciuilium erant, *Asiaticam* dioecesin versus, in qua, vti antea obseruauimus, ciuitates numerosiores & densius positæ, adeoque dioeceses episcopales generatim minores, quam in aliis prouinciis fuerunt, id quod patebit, si illas eo ordine, quo sitæ fuerunt, distinctius considerauerimus.

§. VIII.

*De prouinciis in dioecesi* Asiatica. *De* Hellesponto.

In dioecesi *Asiatica* prima prouincia *Bithyniæ* contigua, *Hellespontus* fuit, a freto *Hellesponti*, occidentali suo limite, nomen sibi impositum habens. Fuit olim pars *Mysiæ* & *Phrygiæ minoris*, *Phrygiæ maiori* in ortum & *Asiæ* in meridiem contermina. In hac prouincia CAROLO A SANCTO PAVLO vndeuiginti dioeceses ex antiquis conciliis obseruatæ sunt. *1. Cyzicus* metropolis. *2. Germa. 3. Pœmanium. 4. Occa. 5. Bares* al. *Barea. 6. Adrianothere. 7. Lampsacus. 8. Abydus. 9. Dardanum. 10. Ilium. 11. Troas. 12. Melitopolis. 13. Adriana. 14 Scepsis. 15. Pionia. 16. Præconnesus. 17. Ceramus. 18. Parium. 19. Thermæ regiæ.* Sed harum ciuitatum vltima HOLSTENIO ex corrupta antiquarum subscriptionum lectione pro *Germa* posita videtur. *Notitia* LEONIS SAPIENTIS tredecim tantum ex hisce habet, vt adeo quinque de illis sæculo octauo perditæ & reliquis coniunctæ sint. Maxima, quam ego quidem potui inuenire, distantia harum ciuitatum alius ab alia non amplius XX. mill. passuum fuit. Tantum interuallum inter *Cyzicum* & *Parium* & *Lampsacum* & *Abydum* intercedebat. Sed *Dardanum* non nisi LXX. stadiis, siue VIII. mill. passuum, ab *Abydo* aberat; *Ilium* tantum XIII. mill. passuum a *Dardano*; *Troas* duntaxat XXVII. mill. passuum ab *Abydo*; *Pionia* illis, *Ilio*, *Barea* & *Dardano* quantumuis interiacentibus. Ita *Præconnesus* parua duntaxat insula fuit, & *Pœmanium* castrum territorii olim *Cyziceni*, quemadmodum e STRABONE, STEPHANO aliisque vetustis scriptoribus FERRARIVS adnotauit.

(r) Baudrand. lexic. voce *Apamea*. Apamea Bithyniæ sedet prope Cianum sinum, IX. mill. pass. a Prusa in Africum & L. a Cyzico in ortum.

## §. IX.

## *De* Aſia Lydiana *ſiue* proconſulari.

Dvas proximas prouincias coniungimus, quod eas heic illic ſub communi *Aſiæ Lydianæ* ſiue *Proconſularis* nomine inuenimus, ſub qua inſcriptione VSSERIVS [s] epiſcopus elaboratiſſimam diſquiſitionem de illis edidit, in qua diuerſas nominis *Aſiæ* acceptationes diſtinguit, quando nimirum vel pro *Aſia maiore*, vel pro *Aſia minore*, vel pro *Aſia proprie dicta*, quæ prima a *Romanis* occupata regio erat in *Aſia*, *Phrygiam*, *Myſiam*, *Cariam* & *Lydiam* ambitu ſuo complexa; vel denique pro *Aſia Lydiana*, ſive *Proconſulari* ſumitur, quæ hæ duæ prouinciæ erant in *Conſtantini* diuiſione diſtincte appellatæ *Aſia* & *Lydia*, quemadmodum nos heic eas iam accipimus. Hoc ſenſu priorem iſtam vocare nobis licebit *Aſiam* maxime proprie dictam, quæ ad boream *Helleſponto* prouincia, ad eurum *Phrygia* & *Lydia*, ad auſtrum *Meandro* fluuio, qui eam a *Caria* ſeparat, & ad occaſum mari *Aegeo* terminatur. In illa, ex CAROLI A SANCTO PAVLO obſeruatione, quadraginta duæ antiquæ diœceſes fuerunt. 1. *Epheſus*, metropolis. 2. *Hypæpa*. 3. *Trallis*. 4. *Magneſia* ad *Mæandrum* fluvium. 5. *Elæa*. 6. *Adramytium*. 7. *Aſſus*. 8. *Gargara*. 9. *Maſtaura*. 10. *Brullena*. 11. *Pitane*. 12. *Myrrhina*. 13. *Aureliopolis*. 14. *Nyſſa*. 15. *Metropolis*. 16. *Valentinianopolis*. 17. *Aninetum*. 18. *Pergamus*. 19. *Anæa*. 20. *Priene*. 21. *Arcadiopolis*. 22. *Noua Aula*. 23. *Aegea*. 24 *Andera*. 25. *Sion*. 26. *Fanum Iouis*. 27. *Colophon*. 28. *Lebedus*. 29. *Teos*. 30. *Erythræ*. 31. *Antandrus*. 32. *Pepere* vel *Perpere*. 33. *Cuma* vel *Cyme*. 34. *Aulium*, al. *Aulii Came* vel *Vicus*. 35. *Naulochus*. 36. *Palæopolis*. 37. *Phocæa*. 38. *Bargaza*, aliis *Baretta*. 39. *Thymbria*. 40. *Clazomenæ*. 41. *Magneſia*. 42. *Smyrna*. Hiſce quatuor ſubiunguntur ab HOLSTENIO, *Euaza*, *Areopolis*, *Temnus* & *Argiza*. Et triginta octo ex his in notitia LEONIS

(s) Vſſerii diſquiſitio geographica de Aſia Lydiana ſiue Proconſulari, ſub initium: Vt Aſia minor (nunc Natolia, ſeu Anatolia dicta) pars maioris erat & Aſia proprie ſic dicta pars illius minoris; ſic Lydiana, ſiue Proconſularis Aſia, pars erat Aſiæ proprie ſic dictæ. Vt autem res plenius intelligatur, in memoriam reuocandum eſt, quod Romani, quum poſſeſſionem caperent earum regionum, quæ prius ad Pergamenos reges pertinebant, eas in prouinciæ formam redegerint; quam magnæ Continentis nomine vocabant Aſiam. Hæc diſtinguitur a Cicerone in regiones quatuor: Phrygiam, Myſiam, Cariam, Lydiam, cetera.

SAPI-

SAPIENTIS infra ſeptimo huius libri capite recenſentur. Iam vero hæc exigua tantum prouincia pro tot diœceſibus fuit, ſiue totum illius ambitum, ſiue quasdam in ea diœceſes ſpeciatim examines. Longitudo eius ab *Aſſo* propter *Troada* ad *Mæandrum* fluuium, ſiue ad *Bargaſa* & *Sionem* oppida, protendebatur. Quæ olim fuit *Ionia*, *Aeolis* & pars *Myſiæ* circiter CC. mill. paſſuum in longitudinem ad mare *Aegeum*. Latitudo autem longitudini non reſpondebat, vtpote quæ non ſupra L. mill. paſſuum, partibus adæquatis, erat. Quod ſpeciatim ad locorum attinet diſtantiam, a FERRARIO & BAVDRANDO quorumdam ſic notatam legimus. *Aſſus* in extremo ſuo limite *Septentrionem* verſus XV. mill. paſſuum a *Gargaris* & XXX. mill. ab *Antandro* diſſita erat; *Anæa* & *Andera* illis vel interiacentibus vel prope adiacentibus. Ab *Antandro* ad *Adramytium* itidem XXX mill. paſſuum computantur, ſed ita *Tromenothyra* in *Phrygia* & *Noua Aula* in hac prouincia illis interueniunt. In eodem littore *Naulochus* & *Pitane* & porro *Elea*, *Myrina* & *Cyme* reperiuntur, ex quibus *Myrina* VII. tantum vel VIII. mill. paſſuum ab *Elea*, & *Cyme* tantumdem interualli, LX. videlicet ſtadia, a *Myrina* diſtabat. Inter *Pergamum* & *Cymen* XXVI. mill. paſſuum ſtatuuntur, ſed modo memoratæ ciuitates *Myrina* & *Elea* cum *Amineto*, & *Hierocæſarea* interiacebant. Ad auſtrum *Cymes Phocæa* X mill. paſſuum ab oſtiis *Hermi* amnis ſita, eiusdem fere a *Cyme* diſtantiæ. A *Phocæa* ad *Smyrnam* XXV. mill. paſſuum & a *Smyrna* ad *Colophonem* XX. mill. ſtatuuntur, *Lebedo* illis media interiacente. *Colophon* & *Metropolis* ad *Cayſtrum* amnem ab *Epheſo* ambæ diſtabant XX. mill. paſſ. neque *Epheſus* propiorem ſibi ciuitatem videtur habuiſſe, niſi forte *Priene* fuerit *Mæandrum* fluuium verſus, vnde colligere nobis licebit, *Epheſum* in vniuerſa hac prouincia ampliſſimam fuiſſe diœceſin. Atque ex his paucis, quæ ſuggeſſimus, exemplis de generali earum magnitudine iudicare poterimus.

IN altera prouincia *Lydia*, CAROLO A SANCTO PAVLO ſupputante, XXVI. diœceſes fuerunt. *1. Sardis*, metropolis. *2. Philadelphia. 3. Tripolis. 4. Thyatira. 5. Septe. 6. Gordus. 7. Trallus. 8. Silandus. 9. Mœonia. 10. Fanum Apollinis. 11. Moſtena. 12. Apollonia. 13. Attalia. 14. Bana. 15. Balandus. 16. Hierocæſarea. 17. Acraſſus. 18. Daldus. 19. Stratonicia. 20. Satala. 21. Gabala. 22. Heraclea. 23. Areopolis. 24.*

*Hellene* 25. *Sena*, aliis *Setta*. 26. ciuitas. *Standitana*. Quibus tres ab HOLSTENIO ſubiunguntur, *Maſtaura*, *Ceraſa* & *Orcanis* vel *Hircani*, quos TRISTANVS pariter & CAROLVS A SANCTO PAVLO pro ciuitate *Hircaniæ* falſo accipiunt; HOLSTENIVS autem ad *Aſiam minorem* & hanc prouinciam *Lydiam* ſpectaſſe oſtendit. Non heic ſingularum diœceſium per hanc prouinciam limitibus & magnitudini examinandis immorabimur; quum id in genere obſeruaſſe ſufficiat, quod hæc vna cum *Aſia* haud amplior quam *Pontus Polemoniacus* & *Hellenopontus* fuerit; neque tamen plusquam decem vel vndecim diœceſes in hiſce duabus prouinciis fuerunt, quum tamen in iſtis ſupra ſeptuaginta quinque deteximus, quæ tanta fere inæqualitas eſt, quanta inter octo & vnum intercedit, adeoque id, quod initio de *Aſia minore* obſeruauimus, comprobat, aliquas videlicet maximas & aliquas minimas diœceſes eam habuiſſe, eadem regiminis forma quiete ſimul perfruentes.

§. X.
*De* Caria.

PROXIMA ad auſtrum *Aſiæ* & *Lydiæ* prouincia eſt *Caria*, ad ortum *Lyciæ* ad meridiem autem & occaſum mari *Aegæo* contermina, *Mæandrum* ac *Calbim* fluuios limites habens mediterraneos. Heic CAROLVS A SANCTO PAVLO viginti quinque invenit diœceſes. *1. Aphrodiſiadem*, metropolim. *2. Stauropolim. 3. Cybiram. 4. Heracleam Salbaci. 5. Apolloniam. 6. Heracleam Latmi. 7. Tabas. 8. Antiochiam* ad *Mæandrum. 9. Neapolim. 10. Orthoſiam. 11. Harpaſam. 12. Alabandam. 13. Stratonicem. 14. Alindam. 15. Amyzonem. 16. Iaſſum. 17. Bargylam. 18. Halicarnaſſum. 19. Lorymam. 20. Gnidum. 21. Myndum. 22. Ceramum. 23. Anaſtaſiopolim. 24. Erizam. 25. Miletum. Notitia* LEONIS SAPIENTIS numerum ad XXXI. adauget. *Miletus* locus fuit, ad quem presbyteros *Epheſinos* euocauit *Paulus* apoſtolus, diſtans inde XL. circiter mill. paſſuum. Sed diuerſæ eis diœceſes interiacebant, vt *Heraclea* prope *Lathmum* montem, quam FERRARIVS XII. duntaxat mill. paſſuum a *Mileto* collocat, ita quoque *Briullium, Sion*, & *Arpaſa* in eadem ora *Epheſum* verſus. Ad auſtrum *Mileti* ab alia parte *Iaſſum* habemus XV. mill. paſſuum inde diſtantem, & *Tabas* illis interiacentes. A *Iaſſo* ad *Halicarnaſſum* LV. mill. paſſuum, *Bargyla* vero & *Myndus* intermediæ erant. Ab *Halicarnaſſo* ad *Gnidum* XXX. mill. paſſuum

ſuum, ſed *Ceramo* diœceſi interueniente. Atque ita lector omnes huius prouinciæ diœceſes vix X. vel XV. mill. paſſuum ambitum in vniuerſum excedere, obſeruabit. Sed ſatis hoc fuit territorium ad maiores eas, quam quidem ſingulares congregationes, efficiendas, neque dubium eſt, quin de omnibus verum fuerit, quod de *Mileto* ſpeciatim obſeruat SOZOMENVS, quod *Iuliani* imperatoris tempore quasdam eccleſias in vicinia habuerit. Narrat enim [t], *Iulianum*, quum accepiſſet, eccleſias quasdam in honorem martyrum exſtructas eſſe iuxta templum *Apollinis Didymæi*, quod ad vrbem *Miletum* ſitum fuerit, ſcripſiſſe ad præſidem *Cariæ*, vt eccleſiæ illæ, ſi quidem tectum & ſacram menſam haberent, incenderentur: ſi vero opera adhuc imperfecta eſſent, funditus deſtruerentur. Fuiſſe heic tum eccleſiæ in ſuburbanis vel vicis, ad vrbem *Miletum* pertinentibus, videntur, quas *Iulianus* recordatus, quod nuper templo *Apollinis* & *Daphnes* in ſuburbiis *Antiochiæ* acciderat, ita ſollicite deſtructas voluit, eo quod deo ſuo fraudi eſſent.

§. XI.

*De* Lycia.

CARIAE ad oram maritimam proxima fuit *Lycia*, in qua ex recenſione CAROLI A SANCTO PAVLO duodetriginta fuerunt diœceſes. 1. *Myra*, metropolis. 2. *Maſtaura*. 3. *Telmeſſus*. 4. *Limyra*. 5. *Araxa*. 6. *Podalæa*. 7. *Sidyma*, aliis *Diduma*. 8. *Olympus*. 9. *Zenopolis*. 10. *Tlos*. 11. *Corydalla*. 12. *Caunus*. al. *Acaleia*. 13. *Acaraſſus*. 14. *Xanthus*. 15. *Marciana*. 16. *Choma*. 17. *Phellus*. 18. *Antiphellus*. 19. *Phaſelis*. 20. *Aucanda*. 21. *Eudoxias*. 22. *Patara*. 23. *Neſus* vel *Nyſa*. 24. *Balbura*. 25. *Oeneanda*. 26. *Bubon*, al. *Bunum*. 27. *Calinda*. 28. *Rhodia*. *Notitia* LEONIS SAPIENTIS eadem fere nomina octo additis habet; nam vniuerſas diœceſes triginta ſex ſtatuit. Sed minor numerus in tam exigua prouincia ſatis eſt ad oſtendendum, quam anguſtos limites diœceſes illius habuerint, cum diœceſibus *Ponticis* comparatæ. Nam hæc prouincia non ſupra LXXX. vel C. mill. paſſuum in quadrum habuit, adeoque ciuitates aliam ab alia prope admodum afuiſſe, facile ad iudicandum eſt. *Phellus*

(t) Sozom. lib. V. c. XX. πυθόμενος ὁ βασιλεὺς, ἐπὶ τῇ τιμῇ μαρτύρων εὐκτηρίους οἴκους εἶναι πλησίον τοῦ ναοῦ Διδυμαίου Ἀπόλλωνος, ὃς πρὸ τῆς Μιλήτου ἐστὶν, ἔγραψε τῷ ἡγεμόνι Καρίας, εἰ μὲν ὄροφόν τε καὶ τράπεζαν ἱερὰν ἔχουσι, πυρὶ καταφλέξαι· εἰ δὲ ἡμίεργά ἐστι τὰ οἰκοδομήματα, ἐκ βάθρων ἀνασκάψαι.

tantum VI. mill. paſſuum ab *Antiphello* ab vna parte, & X. mill. a *Myra* metropoli ab altera parte disiuncta fuiſſe creditur. *Antiphellus* a *Patara* IX. mill. paſſuum & *Telmiſſus* ac *Patara* vix totidem a *Xantho*; BAVDRANDVS enim modo LXX. ſtadia computat. Vnde facile reliquas huius prouinciæ ciuitates æſtimare poterimus, quæ æquali fere interuallo ab ſe inuicem disiunctæ fuerunt.

## §. XII.

### *De* Pamphylia prima *&* ſecunda.

PROXIMA prouincia ad idem littus *Pamphylia* erat, a *Romanis* in duas, *Pamphyliam* videlicet *primam* & *ſecundam*, diuiſa. In *Pamphylia ſecunda Lyciæ* contermina XXVI. diœceſes a CAROLO A SANCTO PAVLO enumerantur. *1. Pergæ*, metropolis. *2. Termeſſus. 3. Eudoxias. 4. Maximianopolis. 5. Palæopolis. 6. Penteneſus. 7. Diciozanabrus. 8. Ariaſſus. 9. Pugla. 10. Adriana. 11. Attalia. 12. Magidis. 13. Olbia. 14. Corbaſa. 15. Lyſinia. 16. Cordylus. 17. Lagania. 18. Panemoticus. 19. Geone. 20. Commacum 21. Siluium. 22. Piſindus* aliis *Sinda* ſiue *Iſinda. 23. Talbonda. 24. Vnzela. 25. Gilſata. 26. Pella.* Quibus ex HOLSTENII obſeruatione quinque accedunt *Colibraſſus*, *Coraceſium*, *Senna*, *Primopolis*, & *Seleucia.* Sed ex iſtis tres a CAROLO A SANCTO PAVLO in altera *Pamphylia* cum nouem aliis collocantur, hoc quidem ordine. *1. Sida* metropolis. *2 Aſpendus. 3. Etene. 4. Erymne. 5. Caſſus. 6. Semneum*, quod idem eſt cum *Senna* ante memorata. *7. Carallus. 8. Camceſium* ante memoratum. *9. Syedra*, aliis *Syſdra. 10. Lyrbæ. 11. Colibraſſus. 12. Selga.* Quibus *Cotanam* addit HOLSTENIVS, vnde vniuerſus diœceſium numerus in hiſce duabus prouinciis XLI. conficitur. Qui numerus quodammodo innuit, quod cum aliis comparatæ exiguæ tantum fuerint. Aliquando, obſeruante HOLSTENIO, duæ coniunctæ fuerunt. Nam concilio *Conſtantinopolitano* ſub *Flauiano Sabinianus* quidam tamquam epiſcopus *Termiſſi*, & *Eudociadis* & *Iouiæ* ſubſcripſit; vt in actione I. concilii *Chalcedonenſis* [u] videre eſt. Et tempore LEONIS SAPIENTIS earum plures coniunctæ fuerunt; nam *notitia* illius tantum XXXVI. diœceſes in vtraque prouincia exhibet.

(u) Concil. Chalced. act. I. p. 231. b. *Σαβινιανὸς τῆς κατὰ Τερμισσὸν, καὶ Ἐυδοκιάδα, καὶ Ιωβίαν, ἁγίας τῆ Θεῦ ἐκκλησίας, ὁρίσας ὑπέγραψα.* Sabinianus epiſcopus Termiſſi & Eudociadis & Iouiæ ſanctæ Dei eccleſiæ iudicans ſubſcripſi.

Sed

Sed tamen singulæ aptæ & sufficientis erant amplitudinis, ad eorum confutandam opinionem, qui diœceses episcopales tantum ecclesias parœciales facere satagunt.

§. XIII.

*De* Lycaonia.

SEPTEMTRIONALI *Pamphyliæ* lateri in interiore terra *Lycaonia* adiacuit, in qua vndeuiginti nobis diœceses occurrunt. *1. Iconium*, metropolis, *2. Lystra. 3. Derbe*, omnes in actibus apostolicis memoratæ. *4. Onosada*, aliis *Vsada. 5. Amblada. 6. Honomada. 7. Lamnda. 8. Baratha. 9. Hyda. 10. Sabatra. 11. Canna. 12. Berinopolis. 13. Ilistrum*, al. *Elistra. 14. Perte. 15. Arana*, al. *Baratta. 16. Isaura. 17. Misthium. 18. Corna. 19. Pappa.* Quibus ab HOLSTENIO additur *Hydmautus* vel *Gadamautus* in actis concilii *Chalcedonensis*. Notitia autem LEONIS SAPIENTIS quindecim duntaxat habet.

§. XIV.

*De* Pisidia.

IN proxima sequente prouincia *Pisidia* CAROLO A SANCTO PAVLO recensente, diœceses viginti habentur. *1. Antiochia*, metropolis. *2. Sagalassus. 3. Sozopolis. 4. Apamea. 5. Tytiassus. 6. Baris. 7. Adrianopolis. 8. Limenopolis. 9. Laodicæa combusta. 10. Seleucia. 11. Adada. 12. Mallus. 13. Siniandus. 14. Metropolis. 15. Paralaus. 16. Bindeum. 17. Philomelium*, quibusdam in *Phrygia* est. *18. Prostama. 19. Gortenus. 20. Theodosiopolis.* LEONIS SAPIENTIS *notitia* numerum ad viginti tres auget. Nihil de hisce diœcesibus notabimus sigillatim, quod lectores quique, quibus hæ duæ prouinciæ cognitæ sunt, facile sibi persuadebunt, quod cum aliis diœcesibus in partibus *Ponti* borealibus comparari nequeant.

§. XV.

*De* Phrygia Pacatiana *&* salutari.

VLTIMAE prouinciæ in diœcesi *Asiatica* fuerunt eæ, quas *Græci* pariter & *Romani* communi nomine *Phrygiam maiorem* appellant, sed imperatores *Romani* eam primo in duas, postea in tres diuiserunt prouincias, quarum vna dicta fuit *Phrygia salutaris* a medicatis fontibus heic repertis, altera *Phrygia Pacatiana*, vel vt quidam libri corrupte legunt, *Capatiana*, & tertia quædam *Pacatiana secunda.* In *Phrygia salutari*, computante CAROLO A SANCTO PAVLO, viginti diœceses fuerunt: *1. Synnada*, metropo-

tropolis. *2. Dorylæum. 3. Polybotus. 4. Nacolia. 5. Midaium. 6. Hipsus. 7. Prymnesia. 8. Myrum* vel potius *Merum. 9. Eucarpia. 10. Lysias. 11. Augustopolis. 12. Brysum. 13. Otrum. 14. Stectorium. 15. Cinaborium. 16. Amadassa. 17. Cotyaium. 18. Prapenissus. 19. Docimæum. 20. Amorium.*

In *Phrygia Pacatiana prima* vndetriginta. *1. Laodicæa*, metropolis. *2. Tiberiopolis. 3. Azana. 4. Itoana*, al. *Bitoana. 5. Ancyra ferrea*, quam HOLSTENIVS *Lydiæ* interdum tribui, obseruat. *6. Cydissus 7. Egara. 8. Pelte. 9. Apira. 10. Cadi. 11. Tranopolis*, vel *Traianopolis. 12. Sebasta. 13. Eumenia. 14. Timenothyræ* vel *Tremenithyri. 15. Aliona. 16. Trapezopolis. 17. Silbium. 18. Ilusa. 19. Nea. 20. Chæretopa. 21. Colossa*, vulgo *Chome. 22. Sinaus. 23. Philippopolis. 24. Themisonium. 25. Sanis. 26. Acmonia. 27. Theodosiopolis. 28. Bleandrus. 29. Athanassus.* HOLSTENIVS vnam expungit, nam *Nea* quidem vulgo in *latina* versione dicit legi, sed male, nam *Antiochum* in *Græcis* *Σανάων* episcopum vocari, aliam autem inuenit, *Diocliam*, quæ huius locum suppleat.

In *Pacatiana secunda* quinque tantum diœceses obseruantur exstitisse, eo quod omnium prouinciarum maxime exigua esset. *1. Hierapolis* metropolis. *2. Dionysiopolis. 3. Anastasiopolis. 4. Mosynus. 5. Attudi.* Sed quum hæc prouincia recentius constituta fuerit, hæ diœceses plerumque *Phrygiæ Pacatianæ* indiscriminatim tribuuntur. Iam de *Phrygia* generatim obseruamus, quod quædam illius diœceses *Galatiæ* conterminæ diœcesibus *Galatiæ* aliarumque *Ponticarum* prouinciarum similes & ampliores fuerint, quam reliquæ circa *Hierapolim* & *Laodicæam*, quæ duæ sedes metropoliticæ non adeo magno interuallo altera ab altera fuerunt separatæ. FERRARIVS loco quodam tantum VI. millia passuum statuit; sed error typographicus subesse videtur, nam alibi *Colossas* [w] inter *Hierapolim* & *Laodicæam* ad *Lyci* & *Mæandri* confluentem collocat, & ab vtraque XX. mill. passuum abesse dicit. Vt adeo heic vel illic erratum esse oporteat. PLINIVS situm *Laodicææ* [x] curate describit, *Celeberrima vrbs Laodicæa*, inquiens, *imposita est, Lyco flumini, latera adfluentibus Asopo & Capro.*

(w) Ferrar. lexicon. voce *Colossæ*. Colossæ, *Chome*, teste Porphyrog. vrbs Phrygiæ magnæ olim episc. sub Sardibus, nunc metrop. ad Lycum fluu. vbi in Mæandrum influit, inter Laodicæam & Hierapolim XX. mill. pass. vltra Sardes CLX. stad. in ort. teste Xenoph. cis Celænas DCCCCLX.

(x) Plin. lib. V. c. XXIX.

Sed

Sed tamen non exponit, quantum horum fluminum confluens a confluente *Lyci* & *Meandri*, vbi *Colossa* sitæ, distent. Sed colligi potest, haud longius inde afuisse, ex eo quod omnes auctores consentiant, quod *Laodicea* prope *Mæandrum* posita fuerit; & hæ tres ciuitates, *Colossæ*, *Hierapolis* & *Laodicæa*, quas diuus *Paulus* coniungit, CHRYSOSTOMO, THEODORETO aliisque scriptoribus aliæ ab aliis prope afuisse, dicuntur. Quibus occasio consulendi *itinerarium* ANTONINI est, quæ in præsenti nobis deficit, forte illas exactius descriptas certioribusque limitibus, quam quidem nos eis adsignare possumus, distinctas inuenient. Quod si prior FERRARII opinio vera est, & cum ANTONINO concordans, quod tantum sex mill. passuum separatæ fuerint, tunc facile ad concludendum erit, dioeceses in hac *Phrygiæ* parte valde paruas fuisse, cum aliis comparatas; quandoquidem ex CAROLI A SANCTO PAVLO descriptione *Itoana*, *Trapezopolis*, *Attudi*, *Mosynus* & *Antiochia* ad *Mæandrum* amnem *Cariæ* haud maiori spatio aliæ ab aliis disiunctæ fuisse, videntur.

## §. XVI.
## *De* Isauria *&* Cilicia.

PRAETER hasce diuersas prouincias *Asiaticæ* & *Ponticæ* dioecesium in *Asia minore* tres in ea prouinciæ fuerunt, dioecesi patriarchæ *Antiocheni* orientali accensitæ, nempe *Isauria*, *Cilicia prima* & *Cilicia secunda*, de quibus hoc loco dicendum est. *Isauria* antiquis temporibus pars duntaxat *Ciliciæ* credita, sed a temporibus inde *Constantini* in ciuili & ecclesiastico censu distincta aliqua prouincia æstimata est. CAROLO A SANCTO PAVLO viginti duæ dioeceses memorantur. *1. Seleucia*, metropolis. *2. Celenderis. 3. Anemurium 4. Lamus. 5. Antiochia* ad *Tragum. 6. Selenus*, al. *Traianopolis. 7. Iotape. 8. Diocæsarea. 9. Philadelphia. 10. Domitiopolis. 11. Titiopolis. 12. Hierapolis. 13. Nephelis. 14. Dalisandus. 15. Claudiopolis. 16. Germanicopolis. 17. Sbide* al. *Isis. 18. Cestrus. 19 Olbus 20. Lybias. 21. Hermopolis. 22. Irenopolis.* Quibus duo iunguntur ab HOLSTENIO *Chamdra*, & *Lauzada*, interdum vitiose *Pasada* & *Nauzada* scripta.

IN *Cilicia prima* octo fuerunt dioeceses. *1. Tarsus*, metropolis. *2. Pompeiopolis. 3. Sebaste. 4. Coricus. 5. Adama. 6. Mallus. 7. Zephyrium* & *8. Augusta* ab HOLSTENIO addita, qui eam a *Sebaste* recte distingui dicit.

IN *Cilicia secunda* nouem recensentur. *1. Anazarbus*, metropolis.

lis. 2. *Mopsuestia.* 3. *Aegæ.* 4. *Epiphania.* 5. *Irenopolis.* 6. *Flauiopolis.* 7. *Castabala.* 8. *Alexandria*, hodie *Scanderona Turcis* dicta. 9. *Rossus* in *Syriæ* confinibus. Hæ maximam partem amplæ fuerunt dioeceses, vti quisque, qui interuallum inter *Epiphaniam*, *Alexandriam*, *Rossum* & ceteras computauerit, facile sibi persuadebit.

## §. XVII.

## *De* Lazica *seu* Colchide.

*Lazicam*, quæ olim *Colchis* dicta fuit, nonnulli *Asiæ minoris* appendicem faciunt, adeoque heic eius habenda mentio est. Hæc omnis regio est ad mare *Euxinum* inde a *Trapezunte* in *Ponto* ad *Phasim* vsque, quam STRABO pene CC. mill. passuum longam iudicat. Recentiores *notitiæ* de quinque tantum dioecesibus loquuntur, sed LEO SAPIENS apud LEVNCLAVIVM quindecim habet. Prouincia *Romana Iustiniani* demum temporibus facta est, qui ciuitates [y] in illa sitas memorat, *Petræonem* videlicet & *Iustinianam*; cum castellis quatuor, *Pityunte*, *Sebastopoli*, *Archæopoli* & *Rhodopoli*, quæ antiquitus in potestate fuerunt *Romanorum*; & quatuor aliis castellis, *Scandide*, *Samparide*, *Murisio* ac *Lusitide*, quæ nouissime *Persis* ademerat. Horum vnum æque antiquum est, atque concilium *Nicænum*. Nam STRATOPHILVS, *Ptyusii* seu *Pityuntis* episcopus inter *Ponti Polemoniaci* episcopos isti concilio subscripsit, cui prouinciæ oppidum illud tunc temporis iunctum erat, vtpote in solo *Barbarico* situm, nec vllam aliam prouinciam constituens. In concilio generali sexto *Petræ* & *Phasidis* metropolis mentio habetur. Et hæc sunt, quæcumque in antiquis conciliis de illis leguntur.

---

(y) Iustin. nouell. XXVIII. præfat. Πιτυοῦντα δὴ καὶ Σεβαστόπολιν ἐν φρουρίοις μᾶλλον ἀριθμέον ἢ πόλεσιν· - - Μεθ' οὓς ἤτε ἡμετέρα καθέστηκε Λαζικὴ, ἐν ᾗ καὶ ἡ Πετραίων ἐστὶ πόλις, (ὑφ' ἡμῶν τε πόλις εἶναί τε καὶ ὀνομάζεσθαι προσλαβοῦσα, κεχρημένη τὲ τῷ τῆς ἡμετέρας εὐσεβείας ὀνόματι, καὶ Ιουστινιανὴ καλουμένη) Ἀρχαιόπολίς τε καὶ Ροδόπολις, φρούριά τε μέγιστα καὶ ἀρχαῖα· ἐν οἷς δὴ καὶ τὰ παρ' ἡμῶν ἐστιν ἐκ Περσῶν ἀναληφθέντα φρούρια, Σκάνδις τὲ καὶ Σαραπανὶς καὶ Μουρίσιός τε καὶ Λύσιρις, καὶ εἰ τι ἕτερον ἡμῖν ἐν Λαζοῖς ἐκπεπόνηται. *Pityus* & *Sebastopolis* inter castra potius quam vrbes numerandæ sunt. - - Post quos tam nostra constituta est *Lazica*, in qua vrbs *Petræon* est, quæ nostro beneficio & esse & nominari vrbs cœpit, quam quæ nostræ pietatis nomine vtitur & Iustiniana appellatur. *Archæopolis* quoque & *Rhodopolis* maxima & antiqua castra: in quibus plane etiam ea castra sunt, quæ nos a Persis accepimus: *Scandis* & *Sarapanis* & *Murisius* ac *Lusiris*, & siquid aliud præterea a nobis in Lazis elaboratum est.

§. XVIII.

## §. XVIII.

## *De* Lesbo *&* Cycladibus *insulis.*

Alia appendix *minoris Asiae* sunt minores maris *Aegaei* insulae, per se ipsas prouinciam constituentes. CAROLVS A SANCTO PAVLO quatuor dioeceses in ipsa *Lesbo* recenset, *Mitylenem*, *Methymnam*, *Tenedum* & *Prosolenem*. At vero *Prosolene* & *Tenedos* per se distinctae insulae fuerunt, episcopos interdum separatim habentes, & aliquando *Lesbo* coniunctae. Concilio *Sardicensi Dioscorus* subscribens separatim insulae *Tenedi* episcopum se nominauit. Sed concilio *Ephesino* secundo & concilio *Chalcedonensi Florentius* tamquam episcopus *Lesbi* ac *Tenedi* simul subscripsit. Iam vero vti *Tenedum* per se exiguam dioecesim fuisse fatendum est, nam ex FERRARII sententia circuitu X. tantum mill. passuum patuit; Sic *Lesbo* vnita amplior quaedam dioecesis exstitit. *Lesbos* enim sola, auctore PLINIO [z], nouem clara oppida habuit, & STRABONI [*] ambitus illius MC. stadia, seu CXL. mill. passuum, impleuisse dicitur.

In reliquis insulis, quas dixerunt *Cyclades*, vndecim distinctae dioeceses fuerunt, *1. Rhodus* metropolis. *2. Samos. 3. Chios. 4. Coos 5. Naxus. 6. Paros. 7. Thera. 8. Delos. 9. Tenus. 10. Melos. 11. Carpathus.* Iam vero amplissimae harum *Rhodus*, *Samos* & *Chios* circiter XXX. mill. passuum circuitu collegerunt, vti PLINIVS [†] fidem nobis facit. Sed minores *Tenos* & *Thera* non amplius XIV. vel XV. mill. passuum longae vel XL. circuitu. Vt adeo inter hasce diuersae magnitudinis dioeceses inueniamus, vt inter reliquas *Asiae*, sed omnes in eadem regiminis episcopalis forma con-

(z) Plin. lib. V. c. XXXI. Clarissima Lesbos, a Chio LXV. mill. passuum. Hemerte & Lasia, Pelasgia, Aegira, Aethiope, Macaria appellata fuit, octo (al. nouem) oppidis clara.

(*) Strab. lib. XIII. p. 616. (p. 916. c. edit. Amstelod.) *ὥστε τῆς περιμέτρου σταδίων χιλίων ἑκατὸν κ. τ. λ.* Quum ambitus totius insulae impleat stadia MC.

(†) Plin. lib. V. c. XXXI. Pulcherrima & libera Rhodus, circuitu CXXX. mill. pass. aut si potius Isidoro credimus, CIII. ---- Samon liberam, circuitu mill. LXXXVII. mill. passuum: aut, vt Isidorus, centum. --- Par claritate ab ea distat --- cum oppido *Chios* libera, quam Aethaliam Ephorus prisco nomine appellat: Methrodorus & Cleobulus *Chiam*, a Chione nympha; aliqui a niue, & Macrin & Pityusam. Montem habet Pellenaeum, marmor Chium. Circuitu CXXV. mill. pass. colligit, vt veteres tradidere, Isidorus IX. millia adiicit.

cordantes; nonnullas quoque, vt *Lesbum*, ſuos habentes chorepiſcopos, nullam vero tam exiguam, vt ſingulari quadam congregatione fuerit terminata.

Atqve ita omnes Orientis prouincias, ſub præfecto prætorio Orientis conſtitutas, percurrimus, ſi a ſex prouinciis diœceſis *Thraciæ* diſceſſeris, quas vtpote prouincias *Europæas*, vt tales inter prouincias *Europæ* conſiderabimus, primum eis locum in ſequenti capite daturi.

# *LIBRI NONI*

## *CAPVT QVARTVM.*

## DE ANTIQVIS EVROPAE DIOECESIBVS.

### §. I.

### *De ſex prouinciis* Thraciæ, *& primum quidem de* Scythia.

Coeptam diſquiſitionem perſequentes ex *Aſia minore* in prouincias *Europæas* deducimur, vbi ſex diœceſis *Threiciæ* provinciæ, *Europa*, *Thracia*, *Hæmimons*, *Rhodope*, *Mæſia ſecunda* & *Scythia* primum nobis conſiderandæ veniunt. Hæc fuit omnis regio a *Macedonia* & *Strymone* fluuio ad *Danubium* vſque, quæ nunc *Romania* & *Bulgaria* vocitatur. Regio a *Conſtantinopoli* ad *Sardicam* ſupra CCC mill. paſſuum ab vna parte, & a mari *Aegeo* ad *Danubium* tantumdem fere viæ ab altera parte, patens. In hiſce prouinciis omnibus diœceſes admodum magnæ fuerunt. Nam in *Scythia*, ad vltimum ſeptemtrionem ſita prouincia, vnus tantum epiſcopus fuit, licet multæ illic eſſent ciuitates. Nam epiſcopus *Tomitarum* vnus totius huius regionis epiſcopus fuit, vti Sozomenvs [a], Theodoretvs [b] & alii vetuſti ſcripto-

(a) Sozom. lib. VI. c. XXI. Μητρόπολις δὲ ἐςὶ Τόμις, πόλις μεγάλη καὶ εὐδαίμων παράλιος, ἐξ εὐωνύμων εἰσπλέοντι τὸν Εὔξεινον καλούμενον Πόντον· εἰσέτι δὲ καὶ νῦν ἔθος παλαιὸν ἐνθάδε κρατεῖ, τοῦ παντὸς ἔθνους ἕνα τὰς ἐκκλησίας ἐπισκοπεῖν. Metropolim habet *Tomes* (Scythia) vrbem magnam & opulentam ad mare ſitam, in ſiniſtro latere Ponti Euxini. Porro vetus illic conſuetudo etiam num manet, *ut totius prouinciæ eccleſias vnus tantum regat epiſcopus.*

Id. lib. VII. c. XIX. Ἀμέλει Σκύθαι πολλαὶ πόλεις ὄντες ἕνα πάντες ἐπίσκοπον ἔχουσιν. In prouincia *Scythia*, quamuis multæ vrbes ſint, *vnus eſt omnium epiſcopus.*

(b) Theodoret. lib. IV. c. XXXV. Καὶ Βρετανίων παντοδαπῇ μὲν λαμπρυνόμενος

res


pag 482
ANTIQUORUM ILLYRICI Orientalis & THRACIÆ Episcopatuum Geographica Descriptio.
DACIA ANTIQUA
SCYTHIÆ MAIOR PARS
SCYTHIA
PONTUS EUXINUS
MŒSIA PRIMA SIVE SUPERIOR
MŒSIA 2a sive INFERIOR
DACIA RIPENSIS
DACIA MEDIT
DARDANIA
PREUALIS
ILLYRI
HÆMI MONS
THRACIA
RHODOPE
EUROPA
PROPONTIS
HELLES PONTUS
EPIRUS NOVA
MACEDONIA
THESSALIA
EPIRUS VETUS
ACHAIA
Thermaicus Sinus
Strimoni ais Sinus
Singiticus Sinus
Toronaicus Sinus
Maliacus Sinus
Sinus Corinthiacus
Lemnos In.
LESBOS INSU
MARE ÆGEUM
CYCLADES IN
SPORADES INSU.
MARE IONIUM
Cephalenia
Ithaca I.
Corcyra
Thessalonica
Philippi
Athenæ
Corinthus
Argos
Lacedæmon
Megalopolis
Tegea
Patræ
Larissa
Constantinopolis
Heraclea
Lysimachia
Andros I&V.
Tenos I&V
Paros I&V.
Chios I&V.
Melos I&V.
Therasia
CRETA IN.
Gortyna
n. 11



res obseruarunt, a quibus modo episcopus *Tomi* modo *Scythiae* episcopus nuncupatur, vt qui solus omnium ecclesiarum in *Scythia*, quae prouincia imperii *Romani* facta erat, pontificatum gerebat.

## §. II.
## *De* Europa.

PROVINCIA *Europa* amplas itidem dioeceses habuit. Plures enim ciuitates vni episcopo subiectae fuerunt. In actis concilii *Ephesini* [c] ab episcopis huius prouinciae concilio libellum supplicem offerri legimus, in quo rogant, vt vetus consuetudo conseruetur, secundum quam episcopus *Heracleae* sub se habeat *Heracleam* & *Panion*, episcopus *Byzes* sub se habeat & *Byzen* & *Arcadiopolim*, *Caelensis* vero similiter habeat *Caelam* & *Calliopolin*, & episcopus *Sabsadiae* sub se habeat *Sabsadiam* & *Aphrodisiadem:* cui petitioni annuens synodus statuit, nihil innouandum in *Europae* ciuitatibus, sed iuxta veterem consuetudinem gubernandas eas esse ab episcopis, a quibus & olim. Neque vlla mutatio tempore concilii *Chalcedonensis* obseruatur. Nam heic *Lucianum* [d] quemdam inuenimus, qui episcopus *Byzes* & *Arcadiopolis* simul adhuc dicitur. Sed in concilio *Constantinopolitano* sub *Menna* [e] mutationes quasdam offendimus. Heic enim *Panium* distinctum ab *Heracleensi* [e] habuit episcopum, & *Callipolis* a *Caelensi*. Et in notitia LEONIS SAPIENTIS apud LEVNCLAVIVM, *Bizya* seu *Byze* & *Arcadiopolis* non tantum distincti sunt episcopatus, sed vtriusque loci episcopi ad αὐτοκεφάλων, hoc est metropolitanorum titularium, in ecclesia dignitatem euecti. In hac prouincia *Byzantium* quoque positum erat, olim *Heracleae* metropoli subiectum, vsque dum reaedificatum a *Constantino* regiae ciuitatis nomine condecoraretur, ex quo tempore in tantam amplitudinem excreuit, tantaque incolarum multitudine abundare coepit, vt cum *Roma*

---

ἀρετῇ, πάσης δὲ τῆς Σκυθίας τὰς πόλεις ἀρχιερατικῶς ἰθύνειν πεπιστευμένος. κ. τ. λ. Vetranio, vir omnium virtutum genere exornatus, *qui totius Scythiae pontificatum gerebat.*

(c) Conc. Eph. part. II. act. VII. (tom. III. concil. p. 810. tot.)

(d) Concil. Chalced. act. XVI. (tom. IV. p. 800. b.) Λουκιανὸς ἐπίσκοπος Βύζης καὶ Ἀρκαδιουπόλεως ὁρίσας ὑπέγραψα, Lucianus episcopus Byziae & Arcadiopolis definiens subscripsi.

(e) Concil. sub Menna act. III. & IV. (tom. V. concil. p. 59. e. p. 74. b.)

antiqua æquari & conferri poſſet. *Conſtantinum* hanc ciuitatem plurimis & maximis eccleſiis exornaſſe, SOZOMENVS [*f*] auctor eſt, & ex IVSTINIANI quadam nouella [*g*] conſtat, ipſius ætate quatuor ex hiſce eccleſiis non minus quingentos omnium ordinum clericos habuiſſe. Ipſimet *Nouatiani*, obſeruante SOCRATE [*h*], tres eccleſias in ipſa ciuitate habebant: Et in ſuburbanis, ſiue regione ad ciuitatem ſpectante, catholici plures parœcias & eccleſias non mediocris diſtantiæ habebant, exempli gratia *Hebdomi*, *Sycis*, *Marianis*, *Hierone*, *Elea*, *Toerapea* & *Heſtiis*, qui locus alio nomine *Michaëlium* appellatus, ex computatione SOZOMENI [*i*], diſtabat ab vrbe nauigio quidem pergenti circiter triginta quinque ſtadiis: terreſtri vero itinere ſinum interiacentem circumeunti ſeptuaginta & amplius ſtadiis. Non neceſſe eſſe, exiſtimo, vt huic diœceſi deſcribendæ longius immorer, ſiquidem ea, quæ diximus, de illius magnitudine ſatis teſtantur. De hac prouincia *Europa* illud tantum adhuc monebimus, quod quamuis a CAROLO A SANCTO PAVLO tredecim diœceſes in illa numerentur. *1. Heraclea. 2. Panium. 3. Cœlos. 4. Callipolis. 5. Cyla. 6. Aphrodiſias. 7. Theodoſiopolis. 8. Cherſoneſus. 9. Druſipara. 10. Lyſimachia. 11. Bizya. 12. Selymbria. 13. Arcadiopolis*: re ipſa tamen non niſi nouem fuerint. Nam *Cœlos* & *Cyla*, vt HOLSTENIVS adnotauit [*k*], duo nomina eiusdem ciuitatis fuerunt, & *Callipolis* in

(*f*) Sozom. lib. II. c. III. ταύτην μὲν οὖν ὡσεί τινα νεοπαγῆ Χριστοῦ πόλιν καὶ ὁμώνυμον ἑαυτοῦ, γεραίρων Κωνσταντῖνος, πολλοῖς καὶ μεγίστοις ἐκόσμησεν εὐκτηρίοις. Hanc igitur vtpote nouellam Chriſti ciuitatem ſibique ipſi cognominem, Conſtantinus honore adficiens, *plurimis & maximis eccleſiis ornauit.*

(*g*) Iuſtin. nouell. III. εἶναι τὸν πάντα ἀριθμὸν τῶν εὐλαβεστάτων κληρικῶν τῆς μεγάλης ἐκκλησίας ἐν τετρακοσίοις εἰκοσιπέντε προσώποις· καὶ ἑκατὸν πρὸς τούτοις τῶν καλουμένων πυλωρῶν. Vt ſit omnis numerus reuerendiſſ. clericorum ſanctiſſimæ maioris eccleſiæ in quadringentis viginti quinque: & inſuper centum exiſtentibus iis, qui vocantur oſtiarii.

(*h*) Socrat. lib. II. c. XXXVIII. (p. 144. a. edit. Amſtelod. MDCXCV.) εἰς τὰς ἄλλας τρεῖς, τοσαύτας γὰρ ἐντὸς τῆς πόλεως ἔχουσι οἱ τῶν Ναυατιανῶν ἐκκλησίας, συνερχόμενοι ἀλλήλοις συνηύχοντο. In aliis *tribus eccleſiis*, *tot* enim *eccleſias in vrbe regia habent* Nouatiani, conuenientes catholici vna cum illis orationem celebrabant.

(*i*) Sozom. lib. II. c. III. ἐν ταῖς Ἑστίαις - - τόπος δὲ οὗτος, ὁ νῦν Μιχαήλιον ὀνομαζόμενος, - - διεστὼς αὐτῆς πλέοντι μὲν ἀμφὶ τριάκοντα καὶ πέντε στάδια· - ἑβδομήκοντα δὲ καὶ πρὸς κύκλῳ περιοδεύοντι τὸν διὰ μέσου πορθμόν.

(*k*) Holſten. adnotat. geogr. p. 131. (ap. Car. a S. Paul. p. 223.) *Cyla* ] hæc eſt Cœlos, quam modo recenſuimus.

eadem

eadem dioecesi ei fuit coniuncta, perinde vt *Panium* ad *Heracleam* & *Arcadiopolis* ad *Bizyam* spectauit. Atque adeo hæ dioeceses antiquis temporibus late patuerunt.

§. III.

*De* Thracia.

IN *Thracia*, proprie sic dicta, quatuor tantum dioeceses fuerunt. *1. Philippopolis. 2. Diocletianopolis. 3. Nicopolis.* & *4. Diospolis.* Et recentiores *notitiæ*, sola LEVNCLAVII excepta, tres duntaxat habent; *Nicopolis* enim in illis haud memoratur.

§. IV.

*De* Hæmimonte.

IN prouincia *Hæmimontis* olim sex fuerunt dioeceses. *1. Hadrianopolis. 2. Mesembria. 3. Sozopolis. 4. Plotinopolis. 5. Deueltus. 6. Anchialus.* Recentiores *notitiæ* priores quatuor duntaxat recensent, *Zoida* in duarum posteriorum locum substituta, quæ omissæ sunt, tamquam deperditæ vel aliis vnitæ.

§. V.

*De* Rhodope.

IN prouincia *Rhodopes* CAROLVS A SANCTO PAVLO sex inuenit dioeceses. *1. Traianopolim. 2. Maximianopolim. 3. Abderam. 4. Maroniam. 5. Aenum. 6. Cypselam.* Quibus HOLSTENIVS adiicit *Topirum*, quam alii per errorem in *Macedonia* ponunt. Sed hæ, tantum abest, vt posterioribus sæculis increuerint, vt in tres potius *Traianopolim*, *Anastasiopolim* & *Perum*, quæ in recentioribus notitiis solum memorantur, coaluerint.

§. VI.

*De* Mœsia secunda.

IN *Mœsia inferiore* siue *secunda*, sex *Thraciarum* prouinciarum vltima, quæ eadem cum *Bulgaria* est, a CAROLO A SANCTO PAVLO nouem dioeceses recensentur. *1. Martianopolis. 2. Nicopolis. 3. Nouæ. 4. Abritum. 5. Durostorum. 6. Dionysiopolis. 7. Odessus. 8. Apiaria. 9. Comæa.* Quibus HOLSTENIVS aliam addit *Tristam*, vel *Pristam*, quæ SOCRATI & NICEPHORO CALLISTO Σεξαντάπριστα dicitur. Vtrum vero auctæ fuerint an imminutæ, ignoramus, nam in recentioris æui notitiis haud recensentur. Nihil amplius de his dioecesibus adnotamus, nisi quod generatim amplæ fuerint, vt quilibet, qui chartam geographicam intueri

tueri vel ciuitatum quarumdam distantiam examinare velit, facile intelliget. Eamdem quoque obseruationem generatim facere possumus de plerisque prouinciarum *Europaearum* dioecesibus in *Macedonia*, *Dacia* & *Illyrico*, vsque dum in *Italiam* pervenerimus. Quam ab caussam suffecerit, lectori tantummodo catalogum exhibere nominum dioecesium, in qualibet harum regionum prouincia, secundum ordinem & diuisionem suam in ecclesia ad formam ciuilis imperii, quod hasce regiones in tres magnas dioeceses & septemdecim vel duodeuiginti provincias sub generali nomine *Illyrici orientalis* & *occidentalis* diuisit.

## §. VII.

### *Prouinciae in ciuili dioecesi* Macedonica. *Dioeceses episcopales in* Macedonia prima *&* secunda.

PRIMAE harum sunt prouinciae *Graecia*, a *Romanis* omnes sub communi nomine ciuilium dioecesium *Macedonicarum* comprehensae, quae cum dioecesi *Dacica* antiquis temporibus territorium erat praefecti praetorio *Illyrici* orientalis. In dioecesi *Macedoniae* olim sex fuerunt prouinciae, vel secundum HIEROCLIS recensionem septem. *Macedonia prima* & *secunda*, *Epirus vetus* & *Epirus noua*, *Thessalia*, *Achaia*, & *Creta* insula. CAROLVS A SANCTO PAVLO duas *Macedonias* confundit, & septemdecim dioeceses in vtraque recenset, quae sequuntur. *1. Thessalonica*, metropolis *Macedoniae primae*. *2. Philippi*, metropolis *Macedoniae secundae*. *3. Stobi*, vetus secundae prouinciae metropolis. *4. Berrhoea*. *5. Dium*. *6. Particopolis*. *7. Doberus*. *8. Cassandria*. *9. Neapolis*. *10. Heraclea Pelagoniae*. *11. Torone*. *12. Lete*. *13. Topiris*. *14. Serre*. *15. Heraclea Strymonis*. *16. Thassus* insula. *17. Hephaestia* in *Lemno* insula. Quibus HOLSTENIVS [*l*] adiungit *Primulam* & *Zaparam*, *Topirim* autem reiicit, vtpote ad *Rhodopen* prouinciam dioecesis *Threiciae* spectantem, & de *Serre* obseruat, quod sit aliud modo *Philipporum* nomen.

(*l*) Holsten. geogr. p. 114. (p. 197. in Caroli a S. Paul. geogr.) *Primula* Hierocli, in actis concil. Constantinopol. sub Flauio: Primopolis, cuius episcopus Timotheus ibidem subscripsit. Ibid. *Zopara* Hierocli, Macedoniae secundae ciuitas in concilio V. Constantinopol. col. 2. legitur, Sabinianus episcopus Zaparenae ciuitatis Illyricianae dioeceseos.

## §. VIII.
## *De* Theſſalia.

PROXIMA prouincia ad mare *Aegeum* eſt *Theſſalia*, in qua ſecundum CAROLVM A SANCTO PAVLO octo tantum diœceſes inuentæ. *1. Lariſſa*, metropolis. *2. Demetrias. 3. Echinus. 4. Cypera. 5. Metropolis. 6. Lamia. 7. Triccæ* & *8. Thebæ Phthioticæ.* Quibus, HOLSTENIO [m] auctore, tres aliæ accedunt, *Dicæſarea*, *Gomphi* & *Scarphia*, quarum vltimam CAROLVS A SANCTO PAVLO cum *Echino* confundit. In notitia LEVNCLAVII hæc prouincia *Hellas ſecunda* dicitur, & vndecim in ea recenſentur diœceſes, quarum quatuor antiqua nomina ſua retinent, ex quibus facilis coniectura eſt, *Helladem ſecundam* & *Theſſaliam* duo tantum vnius eiusdemque prouinciæ fuiſſe nomina. Et quum numerus diœceſium in vtraque recenſione exacte concordet, numquam plus quam vndecim in hac prouincia exſtitiſſe, inde licebit concludere.

## §. IX.
## *De* Achaia, Peloponneſo *&* Eubœa.

PROXIMA *Theſſaliæ* prouincia *Achaia* eſt, quæ bene magna fuit prouincia, non tantum, quidquid veteres *Atticam* & *Achaiam* nominauerunt, ſed omnem etiam *Peloponneſum* & *Eubœam* inſulam ambitu ſuo complexa. Heic, CAROLO A SANCTO PAVLO recenſente, XXVI. diœceſes reperiuntur, quarum quatuor in *Eubœa* inſula fuerunt. *1. Chalcis*, hodie *Negroponte. 2. Oreum. 3. Porthmus. 4. Caryſtus.* Nouem in *Peloponneſo. 1. Corinthus* totius prouinciæ metropolis. *2. Argos. 3. Tegea. 4. Megalopolis. 5. Lacedæmon. 6. Meſſene 7. Corone. 8. Petræ. 9. Helice.* Tredecim in altera parte *Achaiæ. 1. Athenæ. 2. Megara. 3. Theſpiæ. 4. Naupactus. 5. Secorus. 6. Elatia. 7. Opus. 8. Strategis. 9. Thebæ. 10. Plataæ. 11. Tanagra. 12. Marathon. 13 Carſia* aliis *Coriſſia.* HOLSTENIVS addit *Coro-*

(m) Holſten. p. 115. (p. 197.) *Cæſarea* vel *Dicæſarea* Hierocli. Timotheus epiſcopus Dicæſareenſis in concilio Romano Bonifacii papæ II. *Gomphi* Ptolem. Steph. & Hierocli. Euſtathius Gomphienſis epiſcopus legitur in concilio Bonifacii II. *Scaphia* Ptolem. ibid. Steph. & Hierocli. Cyriacus eius epiſcopus ſubſcripſit ſynodicæ Gennadii patriarchæ Conſtantinop. tom. I. Iuris Gr. Rom. Ea etiam nunc nomen retinet, teſte Sophiano: ſed noſter hic (Car. a S. Paulo) cum Echino confundere videtur, quamuis infra inter incertos poſuerit, vbi Stephanum eius epiſcopum habet.

*nem*, siue *Coroniam* in *Bœotia*, præter illam *Coronem*, quæ in *Peloponneso* fuit. In *notitia* LEONIS SAPIENTIS apud LEVNCLAVIVM, & capite septimo huius libri, tres ex hac constituuntur prouinciæ, *Hellas prima*, *Peloponnesus prima* & *secunda*, & numerus dioecesium idem fere est, vnde colligere pronum est, per plura sæcula non magnam in illis factam esse mutationem. Harum dioecesium ambitus ex plurium ciuitatum magnitudine earumque amplis territoriis colligi facile poterit; id quod lector iam a MAVRITIO [n] in dissertatione sua de *episcopatu dioecesano* demonstratum legere potest, quod ad *Thebas*, *Athenas*, *Lacedæmonem* & *Megalopolim* & alias huius prouinciæ ciuitates speciatim attinet.

§. X.

De Epiro vetere & Epiro noua.

PROXIMA regio *Epirus* est, ab *Achaia Acheloo* intercludente disterminata. Regnum priscis temporibus fuit, sed a *Romanis* in duas prouincias, *Epirum veterem* & *Epirum nouam* diuisum. In *Epiro veteri* secundum CAROLVM A SANCTO PAVLO decem dioeceses inueniuntur. *1. Nicopolis*, metropolis. *2. Anchiasmus. 3. Phœnica. 4. Dodone. 5. Adrianopolis. 6. Buthrotum. 7. Euria. 8. Photica. 9. Cephalenia* insula. *10. Corcyra* insula. In *Epiro noua* octo tantum *1. Dyrrachium*, siue *Doracium* metropolis. *2. Scampes 3. Apollonia. 4. Aulon. 5. Amantia. 6. Lychnidus. 7. Bullidum*, al. *Bulis. 8. Prina* vel *Prisna*. Quibus *Listram* siue *Helistram* addit HOLSTENIVS, addubitans, num ne potius ad *Lycaoniam* spectet. Magnæ hæ dioeceses fuerunt, plus XL. vel L. mill. passuum longæ. Quo non obstante duæ aliquando coniunctæ fuerunt. Nam in actis concilii *Ephesini*, obseruante HOLSTENIO, *Felix* aliquis episcopus *Bullidis* simul & *Apolloniæ* [nn] vocatur. In *Græca* LEONIS SAPIENTIS *notitia Epirus vetus Aetolia* dicitur, & eumdem numerum decem dioecesium, etsi non eadem nomina, habet. Altera *Epirus* habet sedecim, sed ita prouincia *Præualitana* ei vnita est, & pleræque eius dioeceses ad numerum faciendum adsumuntur. Vnde dioeceses in hisce prouinciis per omnia sæcula valde amplas fuisse concludimus, quum ipsa *Corcyra* insula a

(n) Maurice's *of Dioces. Episc.* p. 380.

(nn) Concil. Ephes. act. I. (tom. III. p. 447. c.) Φῆλιξ Ἀπολλωνίας καὶ Βυλλιάδος.

non-

nonnullis geographis pass. XLV. mill. & a PLINIO [o] non minus XCVII. mill. in longitudinem patere existimetur.

§. XI.

*De* Creta *insula.*

IN *Creta* insula, prouinciarum *Macedonicarum* vltima, a CAROLO A SANCTO PAVLO vndecim nominantur dioeceses. *1. Gortyna*, metropolis. *2. Gnossus. 3. Hierapetra. 4. Lappa. 5. Subrita. 6. Eleuthera. 7. Cherronesus. 8. Cydonia. 9. Cysamus. 10. Citæum* al. *Siteum. 11. Cantanum.* LEONIS SAPIENTIS *notitia* apud LEVNCLAVIVM duodecim facit, sed *Hieropetra* illic librariorum quorumdam errore in duas diuisa, quo correcto ad eumdem numerum reducuntur. Vnde hunc constantem numerum per plura sæcula fuisse colligimus. Iam vero *Creta* ab FERRARIO aliisque ex PLINIO & STRABONE CCLXX. vel CCC. mill. pass. in longitudinem & L. in latitudinem patere iudicatur. Quod ipsum duodecim dioeceses, reliquis prouinciarum *Macedonicarum* dioecesibus æquales efficit, & satis est testimonium, dioeceses haud mediocris fuisse magnitudinis, tametsi ad eas pluribus sigillatim enarrandas haud descendimus.

§. XII.

*De quinque prouinciis in diœcesi* Dacica. *De* Præualitana.

ALTERA ciuilis dioecesis *Illyrici orientalis*, vulgato nomine *Dacia* appellata, quinque habuit prouincias: *Præualitanam*, *Mæsiam superiorem*, *Daciam mediterraneam*, *Daciam ripensem* & *Dardaniam*. *Præualitana* ad boreale *Epiri* latus ad mare *Adriaticum* sita, & regionis illius, quæ nunc *Albania* dicitur, pars fuit. CAROLVS A SANCTO PAVLO duas duntaxat dioeceses in illa nominat, *Scodram*, veterem prouinciæ metropolim, & *Achidram*, quæ olim dicta fuit *Præualis*, postea autem *Iustinianus* suo ipsius eam honorans nomine *Iustinianam primam* appellauit, eique in dignitatem patriarchalem euectæ omnes quinque prouincias [p] dioecesis *Daciæ* & vtramque *Pannoniam Illyrici*

(o) Plin. lib. IV. c. XII. Corcyra - cum vrbe eiusdem nominis Corcyra, - - pass. nonaginta septem mill. in longitudinem patens.

(p) Iustin. nouel. CXXXI. c. III. Τὸν κατὰ καιρὸν μακαριώτατον ἀρχιεπίσκοπον τῆς πρώτης Ἰουστινιανῆς τῆς ἡμετέρας πατρίδος, ἔχειν ἀεὶ ὑπὸ τὴν οἰκείαν δικαιοδοσίαν τοὺς ἐπισκόπους τῶν ἐπαρχιῶν Δακίας μεδιτερρανέας καὶ Δακίας ῥιπενσίας, Τριβαλλίας, Δαρδανίας, καὶ Μυσίας τῆς ἀνωτέρας, καὶ Παννονίας, κ. τ. λ. Per tempus beatis-

*occidentalis* limites iurisdictionis suæ adsignauit. Præter hosce duo episcopatus HOLSTENIVS duo alios inuenit, *Rhizinium* & *Lissum*, hodie *Alessio* ad mare *Adriaticum*; CAROLVS A SANCTO PAVLO ex errore *Scodram* in *Dalmatia* locat, *Iustinianam primam* sedem metropoliticam, sine vllis ei subiectis suffraganeis, constituens.

§. XIII.

De Mœsia superiore.

AD latus *Præualitanæ* septemtrionale iuxta *Danubium Mœsia superior* inter *Pannoniam* ad occasum & *Daciam* ad ortum posita fuit. CAROLVS A SANCTO PAVLO diœceses episcopales huius prouinciæ & *Daciæ* confundit, *Sardicam* metropolim faciens omnium, easque inde vulgato nomine *Prouinciam Sardicensem* nuncupans; & præter *Sardicam* tres tantum alias diœceses in tribus istis prouinciis, *Remessianam*, *Aquas*, & *Castrum Martis* invenit. Sed HOLSTENIVS paullo accuratior est & de illis distincte agit; *Mœsiæ superiori Castrum Martis* ad *Margi* amnis & *Danubii* confluentem situm adsignat.

§. XIV.

De Dacia mediterranea & Dacia ripensi.

DACIAE *mediterraneæ* HOLSTENIVS attribuit *Sardicam* metropolim, *Romatianam* & *Naissum*, vbi ipse & PAGIVS *Constantinum Magnum* natum esse, dictitant. In altera *Dacia*, quam *ripensem* vocant, quod præter ripas *Danubii* inter *Mœsiam primam* & *secundam* protenditur, *Aquas* ponit, cuius ciuitatis in concilio *Sardicensi* in HILARII fragmentis mentio habetur, & *Iscum* seu *Iscopolim* aliam ciuitatem, cuius episcopus ex eadem prouincia concilio modo memorato subscripsit. In adnotationibus in ORTELII *thesaurum geographicum* [q] duas alias ciuitates episcopales in hac prouincia obseruat, quarum altera *Martis* ab HIEROCLE, vel *Stramartis* a PROCOPIO, vocatur, & altera *Budina*, hodie *Bodine* in *Bulgaria* ad *Danubium*. Sed forte ambæ recentiores sedes fuerunt, non enim vllum aliud testimonium præter

simum primæ Iustinianæ nostræ patriæ archiepiscopum habere semper sub sua iurisdictione episcopos prouinciarum Daciæ mediterraneæ, & Daciæ ripensis, & Trinalis & Dardaniæ & Mysiæ superioris, atque Pannoniæ. cetera.

(q) Holsten. adnotat. in Ortel. p. 116. *Martis*] fuit ciuitas episcopalis Daciæ ripensis: Hierocl. apud Procop. de ædificat. Iustin. corrupte *Stramartis*.

*notiti-*

*notitias* pro illis adlegat, & *Stramartis* pro *Castra Martis* corrupte legi videtur.

## §. XV.
## *De* Dardania *&* Gothia.

Ad latus *Daciæ* meridionale hanc inter & *Macedoniam* *Dardania* prouincia fuit, a *Macedonia* per *Scardum* montem & a *Thracia* per partem *Hæmimontis* disterminata. *Seruiæ* pars hodie est, olim pars *Mœsiæ* sicut *Dacia*, donec *Daci*, *Danubio* traiecto, in media *Mœsia* sedem figerent, quæ ex eodem tempore *Dacia noua*, vti altera trans *Danubium* *Dacia antiqua* & *Gothia*, vocata fuit. In hac prouincia *Dardaniæ* A CAROLO A SANCTO PAVLO quatuor diœceses obseruatæ. 1. *Scupi*, metropolis. 2. *Vlpianum* al. *Iustiniana secunda*. 3. *Diocletiana*, concilii *Sardicensis* tempore ciuitas *Macedoniæ* credita. 4. *Nessyna* al. *Nessus*. HOLSTENIVS aliam addit *Pautaliam*, quam *Daciæ mediteraneæ* ciuitatibus accenset HIEROCLES, PTOLEMAEVS vero & STEPHANVS *Thraciæ* tribuunt, vtpote in harum prouinciarum confinibus positam. Præter hasce quinque prouincias diœcesis *Daciæ* ad meridionale *Danubii* latus, alia ad septemtrionale extra *Romani* imperii limites fuit, vocitata *Dacia antiqua* & *Gothia* ab eo tempore, quo *Gothi* in ea consederunt. EPIPHANIVS [r] de *Syluano* quodam episcopo *Gothiæ* vltra *Scythiam* loquitur, *Scythiam* pro *Romana Scythia* cis *Danubium* accipiens, cuius metropolis *Tomis* erat. Vnde recte colligit HOLSTENIVS, *Gothiam* tunc fuisse, quæ nunc *Walachia* aut *Transiluania* dicitur. Quas vero sedes episcopales habuerint, aut num non nisi vnum episcopum in omni hac regione, quemadmodum *Scythæ* & *Saraceni* & aliæ quædam nationes barbaræ, habuerint, incertum est. *Zarmizegetusam* episcopi ipsorum sedem fuisse, CAROLVS A SANCTO PAVLO existimat, quod hæc a PTOLEMAEO regia dicatur & totius regionis metropolis. Et hanc eamdem esse putat cum illa vrbe, quæ in *notitia*, LEONI tributa, apud LEVNCLAVIVM *Gothia* dicitur, & inter archiepiscopatus seu sedes autocephalas

(r) Epiphan. hæres. LXX. Audian. n. XIII. p. 826. Μετὰ τὴν τῶν ἐπισκόπων αὐτῶν τούτων Οὐρανίου καὶ Σιλουανοῦ τοῦ ἐκ Γοτθίας τελευτὴν πολλοὶ διελύθησαν κ. τ. λ. Post Vranii ac *Syluani in Gothia episcoporum* mortem plerique ab ea factione abstracti, cetera.

recenſetur. Sed has res obſcuritate inuolutas aliis ſtudioſius diſquirendas relinquimus.

### §. XVI.

### *De ſex prouinciis in* Illyrico occidentali. *De* Dalmatia.

Ex *Illyrico orientali* pedem promouemus in ciuilem diœceſin, *Illyricum occidentale*, ſub præfecto prætorio *Italiæ* conſtitutam. In hac diœceſi ſex fuerunt prouinciæ, *Dalmatia*, *Sauia*, *Pannonia ſuperior*, *Pannonia inferior*, *Noricum mediterraneum* & *Noricum ripenſe*. In *Dalmatia*, CAROLO A SANCTO PAVLO recenſente, quatuor diœceſes epiſcopales fuerunt. *1. Salona*, metropolis. *2. Iadera*, hodie *Zara*. *3. Epidaurus*, nunc *Raguſa*. *4. Scodra* vel *Scutari*. *Scodra* autem male in *Dalmatia* ponitur, nam, vt antea notauimus, ea potius *Præualitanæ* fuit metropolis. Sed HOLSTENIVS illius in locum duas alias ſubſtituit, *Docleam* & *Seniam*, quæ hodie *Segna* dicitur, & ciuitas eſt in ora *Liburniæ* ſita.

### §. XVII.

### *De* Sauia.

Proxima huic prouincia *Sauia* eſt, quæ a *Sauo* fluuio, qui mediam eam ſecat, id nominis habere videtur. Interdum *Pannonia Saua* dicitur, quod eſſet pars *Pannoniæ* ad *Sauiam*, interdum quoque *Pannonia Sirmienſis* ac *Cibalienſis* a *Sirmio* & *Cibali* ciuitatibus, in hac eius parte iacentibus. Hoc autem loco nos eam conſideramus vt prouinciam, a *Pannonia* diſtinctam, a qua per *Drauum* fluuium ſeparatur, & regio illa eſt, quæ hodie dicitur *Slauonia*, & pars *Boſniæ* ac *Seruiæ*. In hac prouincia ſex diœceſes epiſcopales fuerunt: *1. Sirmium*, metropolis iuxta confluentem *Saui* ac *Danubii*. *2. Singidunum*. *3. Murſa*, hodie *Eſſek*. *4. Cibalis*. *5. Nouiodunum*. *6. Siſcia*.

### §. XVIII.

### *De* Pannonia ſuperiore *&* inferiore.

Inter *Dauum* fluuium & *Danubium* vtraque *Pannonia* ſuperior & inferior ſita, hodie pars auſtralis *Hungariæ*. In ſuperiore CAROLVS A SANCTO PAVLO EX LAZIO quatuor diœceſes recenſet: *1. Vindobonam*, ſeu *Viennam*. *2. Sabariam*. *3. Scarabantiam*. *4. Celiam*. Quibus HOLSTENIVS *Petauiam* addit, hodie *Petow* vocitatam, quam alii cum alia quadam ciuitate in *Norico*,

quæ

quæ olim *Petauia* vel *Bataua Castra* dicta fuit, hodie autem *Passauia Bauariæ* appellatur, confundunt. *Victorinus Martyr* huius ciuitatis episcopus fuit, licet BARONIVS & plures alii *Pictauiensem* illum vocitent, quasi *Pictauii* in *Gallia* fuisset, episcopus; quum tamen episcopus huius ciuitatis in *Pannonia* fuerit, vti SPONDANVS, PAGIVS & DV PINIVS in adnotationibus suis criticis in huius antiqui scriptoris vitam obseruarunt. In *Pannonia inferiore* tres tantum dioeceses fuerunt, *1. Curta. 2. Carpis* & *Stridonium*, HIERONYMI patria.

## §. XIX.

### *De* Norico mediterraneo *&* ripensi.

AD occasum magis a *Pannonia Noricum* prouincia, ad boream *Danubio*, ad meridiem & occasum *Venetiæ* & *Rhætiæ*, duabus prouinciis *Italicis*, contermina. Hæc a *Romanis* in duas diuisa erat prouincias, *Noricum mediterraneum* & *ripense*, in qua vtraque LAZIVS quatuor tantum dioeceses memorat, *1. Laureacum*, vulgo dictum *Lork. 2. Iuuauiam*, hodie *Salisburgum. 3. Ouilabim* & *4. Solvam.* CAROLVS A SANCTO PAVLO falso addit quintam *Petoviam*, vulgo *Petow*; hæc enim, vt supra diximus, ad aliam spectat prouinciam. Et reliquæ non fuerunt constitutæ ante sæculum VI. vbi ista *Germaniæ* pars primum ad christianam religionem perducta fuit, quæ hodie est *Carniola* & *Carinthia* cum parte *Bauariæ*, *Stiriæ*, *Tirolis* & *Austriæ*. Vnde facile ad iudicandum est, quam vastæ magnitudinis hæ dioeceses antiquis temporibus fuerint, vti in hunc vsque diem sunt; quum duæ ex illis, quemadmodum obseruatum nobis fuit, ampliorem circuitum, quam decem vel viginti in quibusdam aliis mundi partibus, speciatim in *Palæstina* & *Asia minore*, habuerint; id quod iam considerauimus; & obseruatio a nobis facta eo magis confirmabitur, si *Italiam* per singulas partes perlustrauerimus, cuius dioeceses episcopales proximo iam loco considerandæ veniunt.

*LIBRI*

# *LIBRI NONI*
## *CAPVT QVINTVM.*
## DE DIOECESIBVS ITALIAE.
### §. I.
### *Quam late patuerit episcopi* Romani *diœcesis.*

ITALIA, quo sensu de illa nos iam loquimur, quatenus pro omni territorio, quod præfecto vrbis & vicario *Italiæ* sub imperatoribus *Romanis* paruit, paullo amplioris, quam nunc quidem est, circuitus fuit. Nam non tantum *Sicilia*, *Sardinia* & *Corsica* insulæ sub hac appellatione comprehensæ, sed *Rhætia* etiam *secunda*, hoc est, ea pars *Germaniæ*, quæ ab *Alpibus* ad *Danubium* vsque iacet. In hac amplitudine in duas magnas ciuiles diœceses fuit diuisa, continentes septemdecim imperii *Romani* prouincias, vt supra [a] ostendimus, & in hisce prouinciis plus minus trecentæ diœceses episcopales fuerunt, quarum nomina adhuc supersunt, locis ipsis magnam partem vastatis, vel in vicos mutatis, aliisque nouis episcopatibus in eorum locum constitutis. Non inquiremus heic studiosius in recentiorum diœcesium numerum & amplitudinem, eas duntaxat contemplaturi, quæ antiquæ sunt, & intra priora sex sæcula constitutæ, de quibus eadem obseruatio in genere facienda nobis est, quam de *Palæstinæ* & *Asiæ minoris* diœcesibus fecimus, nimirum heic de amplissimis alias, alias de angustissimis mundi christiani diœcesibus, fuisse, neque tamen minus eamdem episcopatus formam in omnibus ac singulis, sine vlla varietate ac discrimine, obtinuisse. Diœceses suburbicariarum prouinciarum, quæ *Romæ* proxime adiacebant, generatim exiguæ fuerunt, si cum eis, quæ vlterius ad septemtrionem & occasum in prouinciis *Italicis* sitæ erant, comparentur. Nam circa *Romam* regio incolarum longe fertilissima, & ciuitates densius positæ; quæ res tanto plures in his, quam in aliis, prouinciis sedes episcopales erigendi occasionem dedit. Hoc euidenter patebit, si prouincias sigillatim perlustrauerimus & diœceses alias cum aliis contulerimus. De quibus accuratius exponendi copia nobis erit, quod ab omnis æui viris eruditis, speciatim a CLVVERIO, HOLSTENIO, FERRARIO & BAVDRANDO in pluribus huius regionis locis particulatim

(a) Vid. huius libri cap. I. §. V. n. VIII. pag. 374. 375.

& ex-

ANTIQVORUM
ITALIÆ &
ILLYRICI

Scala Milliarium

MARE GALLICUM

MARE TUSCUM

MARE ADRIATICUM

MARE IONIUM

HETRUSCUM et TYRRHENUM et INFERUM

| | | |
|---|---|---|
| a Eugubium | w Ferentinum | 17 Velitræ |
| b Tadinum | x Falaris | 18 Albanum |
| c Septempeda | y Aqualtra | 19 Verulæ |
| d Assisium | z Forum Novum | 20 Aquinum |
| e Hispellum | 1 Balnei Regii | 21 Venafrum |
| f Fulginium | 2 Polimartium | 22 Fundi |
| g Nuceria | 3 Volsinium | 23 Minturnæ |
| h Camerinum | 4 Forum Cassii | 24 Suessa |
| i Faleronia | 5 Blera | 25 Teanū |
| k Mevania | 6 Nepe | 26 Calenum |
| l Vettona | 7 Sutrium | 27 Beneventum |
| m For. Flaminii | 8 For. Claudii | 28 Atella |
| n Trebia | Oriculum | 29 Cumæ |
| o Forum Novū | 10 Gabii | 30 Misenum |
| p Interamna | 11 Lanua | 31 Nola |
| q Pitinum | 12 Signia | 32 Abellinum |
| r Amiternum | 13 Anagnia | 33 Grumentum |
| s Narnia | 14 Ferentinum | 34 Fidenæ |
| t Corniculum | 15 Sublanquita | |
| u Hortanum | 16 Tusculum | |





& ex-

et exacte describendis, earumque distantia a *Roma* & ab se inuicem metienda magna opera nauata est.

Vt a *Roma* ipsa ordiamur, hæc respectu alio admodum larga, alio autem admodum exigua dioecesis fuit. Ipsius vrbis & numeri incolarum intuitu vna de maximis dioecesibus vniuersi terrarum orbis vocari potest. Nam PLINIVS [b] de ea, tamquam ciuitate *Vespasiani* temporibus omnium in toto orbe populosissima, loquitur, vbi moenia eius collegere ambitu XIII. mill. passuum. Sed LIPSIVS [c] in libro de *magnitudine Romana*, MEDVS [a] aliique, id tantum de vrbe intra moenia intelligendum esse putant; nam alias modo XLII. mill. passuum in circuitu habuit, quando apocalypsin tempore *Domitiani* imperatoris scripsit IOANNES euangelista. Postea autem magna ei facta est accessio; nam sub *Aureliano* imperatore historici [b] de illa loquuntur, tamquam non minus L. mill. passuum ambitu suo complectente. Et ante hoc tempus non mediocris christianorum multitudo illic fuit. *Cornelius* enim, qui sæculo tertio medio vixit, de quadraginta sex presbyteris [c] loquitur, qui præter diaconos, hypodiaconos & alios inferiorum ordinum clericos, ad eccle-

(b) Plin. lib. III. c. V. Moenia eius (Romæ) collegere ambitu imperatoribus censoribusque Vespasianis anno conditæ DCCCXXVIII. *pass. XIII* M. CC. complexa montes septem, ipsa diuiditur in regiones quatuordecim, compita earum CCLXV. Eiusdem spatii mensura currente a milliario in capite Rom. fori statuto ad singulas portas, quæ sunt hodie numero triginta septem, ita vt duodecim portæ semel numerentur, prætereanturque ex veteribus septem, quæ esse desierunt, efficit passuum per directum XXX. M. DCCLXV. Ad extrema vero tectorum cum castris prætoriis ab eodem milliario per vicos omnium viarum mensura colligit paullo amplius LXX. mill. passuum. Quo si quis altitudinem tectorum addat, dignam profecto æstimationem concipiat, fateaturque *nullius vrbis magnitudinem in toto orbe potuisse ei comparari.*

(c) Lipsius de magnitud. Roman. lib. III. p. 421. 422. 423. edit. Antu. MDCXXXVII. folio.

(a) Med. in apocalyps. p. 488.

(b) Vopisc. vit. Aurel. p. 645. (p. 222. b. Par. MDCXX.) Muros vrbis Romæ sic ampliauit, (Aurelianus) vt quinquaginta prope millia murorum eius ambitus teneant.

(c) Cornel. ep. ad Fab. ap. Euseb. lib. VII. c. XLIII. p. 198. d. *Ὁ ἐκδικητὴς οὖν τοῦ εὐαγγελίου οὐκ ἠπίστατο ἕνα ἐπίσκοπον δεῖν εἶναι ἐν καθολικῇ ἐκκλησίᾳ· ἐν ᾗ οὐκ ἠγνόει· πῶς γάρ; πρεσβυτέρους εἶναι τεσσαράκοντα ἕξ· διακόνους ἑπτά· ὑποδιακόνους ἑπτά, ἀκολούθους δύο καὶ τεσσαράκοντα· ἐξορκιστὰς δὲ καὶ ἀναγνώστας ἅμα πυλωροῖς δύο*

ſiam ſuam tunc temporis ſpectauerint. Et poſt dimidium circiter ſæculum plus quam quadraginta eccleſias in vrbe iſta invenimus. Tot enim illic fuiſſe, quum *Victor Garbienſis*, *Donatiſtarum* epiſcopus, ex *Africa* eo mitteretur, vt eſſet ibi antiepiſcopus, OPTATVS [*d*] auctor eſt; quando, *Miſſus eſt Victor*, inquit, *erat ibi filius ſine patre, tiro ſine principe, diſcipulus ſine magiſtro, ſequens ſine antecedente, inquilinus ſine domo, hoſpes ſine hoſpitio, paſtor ſine grege, epiſcopus ſine populo. Non enim grex aut populus appellandi fuerunt pauci, qui inter QVADRAGINTA & QVOD EXCVRRIT, BASILICAS, locum, vbi colligerent, non habebant.* Hæc, BARONIO & VALESIO recte obſeruantibus, ab OPTATO dicta ſunt non de ſuis ipſius temporibus, ſed de tempore, quum *Victor Garbienſis Romam* venit, quod ineunte perſequutione *Diocletianea* factum eſt. Vnde cum ratione inferri licebit, quod ſi plus quadraginta eccleſias ante vltimam perſequutionem *Roma* habuit, multo plures ſæculis inſequutis eam habuiſſe oporteat, vbi tota vrbs chriſtiana facta fuit. Sed vt in tam vaſtis huius ciuitatis incrementis diœceſes valde amplæ intus fuerunt, ita ex eadem ratione paruæ admodum extus factæ ſunt. Nam quod initio territorium *Romæ* fuit, id poſtea in vrbem ipſam ex incredibili illius incremento abſorptum videtur. Ita quidem, vt nonnulli diœceſin *Romanam Innocentii* primi tempore nullas parochias in vicis ſibi ſubiectas habuiſſe, ſed vniuerſas intus in vrbe fuiſſe exiſtiment: quia in epiſtola ſua ad *Decentium* epiſcopum *Eugubinum* [*e*] hanc differentiam inter diœceſes alias & *Romanam* facere videatur, quod in diœceſi *Romana* ſacramenta de eccleſia primaria ad presbyteros, in aliis eccleſiis miniſtrantes, transmitti ſoleant, quum

καὶ πεντήκοντα κ. τ. λ. Ergo ille euangelii vindex ignorabat, vnum epiſcopum eſſe oportere in eccleſia catholica. In qua tamen ſciebat, (quomodo enim illud neſcire potuiſſet?) *presbyteros* quidem eſſe *ſex quadraginta*: ſeptem autem diaconos totidemque ſubdiaconos: acoluthos duos & quadraginta: exorciſtas & lectores cum oſtiariis quinquaginta duos. cetera.

(*d*) Optat. lib. II. p. 49. (p. 39. edit. Par. MDCLXXIX.)

(*e*) Innocent. epiſt. I. ad Decent. c. V. (tom. II. concil. p. 1247.) De fermento, quod die dominica per titulos mittimus, ſuperflue nos conſulere voluiſti, *quum omnes eccleſiæ noſtræ intra ciuitatem ſint conſtitutæ.* Quarum presbyteri, quia die ipſa propter plebem ſibi creditam nobiſcum conuenire non poſſunt, idcirco fermentum a nobis confectum per acolythos accipiunt, vt ſe a noſtra communione, maxime illa die, non iudicent ſeparatos.

omnes

omnes ecclesiæ intra ciuitatem ſint conſtitutæ; quod hoc autem in aliis locis, parochias rurales [f] habentibus, fieri non poſſit, quia ſacramenta ad loca longe diſtantia portari non conveniat. Sed vtcumque res ſe habet (neque enim viri docti de ea conſentiunt, & ego quidem errorem ſubeſſe puto) hoc certum eſt, diœceſim *Romanam* a nulla parte longius per vicos extendi potuiſſe; quod ea vſquequaque vicinis oppidis circumiacentibus eſſet cincta. A latere ſeptemtrionali hiſce temporibus epiſcopalem vrbem *Fidenas* habebat, etſi, quemadmodum CLVVERIVS [g] & FERRARIVS [h] e DIONYSIO HALICARNASSEO oſtendunt, XL. tantum ſtadiis ſeu V. mill. paſſuum ab ea diſtantes. Ad latus occidentale diœceſi *Gabienſi* terminata erat, quam nonnulli paſſuum LXX. mill. a *Roma* ponunt, ſed falſo, HOLSTENIO [i] & CLVVERIO, qui ſitum deſcribunt curatius, inter *Romam* & *Præneſte* XII. vel XIII. mill. paſſuum ab vtroque loco iacuiſſe, adſerentibus. In eadem ora *Tuſculum* erat XII. mill. paſſuum a *Roma*. Paullo inferius ad auſtrum diœceſis *Subauguſta* proxime ad *Romam* ſita. Heic *Helena* mater *Conſtantini* ſepulta iacebat, vnde vrbs dicta *Subauguſta Helena*. HOLSTENIVS [k] veſtigia eius adhuc exſtare dicit ad *Turrim*, *Pignataram* vulgo di-

(f) Ibid. Quod per parochias fieri debere non puto, quia nec longe portanda ſunt ſacramenta: nec nos per cœmeteria diuerſa conſtitutis presbyteris deſtinamus, & presbyteri eorum conficiendorum ius habeant atque licentiam.

(g) Cluuer. ital. lib. II. p. 654. lin. 39. ſeqq. Situm vrbis (Fidenarum) maxime indicauit Dionyſius Halicarnaſſeus, de Romulo loquens lib. II. ἐπὶ τὴν Φιδηναίων, inquit, ἐστράτευσε πόλιν, ἀπὸ τετταράκοντα σταδίων τῆς Ῥώμης κειμένην, μεγάλην τε καὶ πολυάνθρωπον οὖσαν τότε. Exercitum contra *Fidenas* duxit, vrbem *XL ſtadia ab Roma diſſitam*; magnam tunc & populoſam. Lib. III. Τετταράκοντα δ' ὄντων σταδίων τῶν μεταξὺ Φιδήνης τε καὶ Ῥώμης, ἐλάσας ὁ Τύλλος τὸν ἵππον ἀνὰ κράτος, παρῆν ἐπὶ τὸν χάρακα. Quum XL. ſtadia inter Fidenas Romamque intereſſent; Tullus, ſumma vi concitato equo, in caſtra reuertit.

(h) Ferrar. lexic. geogr. voce *Fidenæ*. Fidenæ, Fidenæ Iuuenali, Fidene Liuio - - a Marco Aemilio, quod a Romanis rebellaſſet, funditus euerſa, nunc exiguum caſtrum, *ab vrbe XL. ſtadiis, teſte Halicarnaſſeo, diſtans*.

(i) Holſten. adnotat. in Ortel. p. 85. *Gauis*] ſunt *Gabii* [*XIII. ab vrbe milliario*] optime, ſed via Præneſtina, non Salaria.
Cluuer. Ital. p. 955. In via Præneſtina inter Romam & Præneſte fuit ipſum oppidum *Gabii*. cetera.

(k) Holſten. adnotat. in geogr. Car. a S. Paulo p. 11. *Subauguſta* &c. *Auguſta*



ctam.

ctam. Adeo propinqua *Romæ* fuit, vt scriptores, qui de sepultura *Helenæ* loquuntur, eam *Romæ* in ecclesia *S. Marcellini* in via *Lauicana* sepultam esse, plerumque dicant; quod de ecclesia *S. Marcellini* in ciuitate *Subaugusta* intelligendum est, quæ in via inter *Romam* & *Lauicos* sita fuit, vnde viam istam viam *Lauicanam* appellarunt. Si oculos ad meridionale *Romæ* latus iuxta *Tiberim* fluuium mare versus conuertimus, tres diœceses in tribus ciuitatibus offendimus, quarum nulla vltra XV. mill. passuum a *Roma* afuit. Erant hæ *Ostia*, *Portus Augusti* & *Sylua candida*. Quarum duæ priores inter duo mill. passuum altera ab altera distabant, *Ostia* ad latus orientale & *Portus* ad latus occidentale *Tiberis*; & *Sylua candida* paullo vlterius ad occasum a *Portu*. Situm & distantiam *Ostiæ* & *Portus* a *Roma* ab antiquis pariter & recentioribus geographis exacte descriptam habemus. In ANTONINI *itinerario* XIX. mill. pass. abesse dicitur, HOLSTENIVS [*l*] autem antiqua milliaria recentioribus breuiora fuisse, ostendit, adeoque ipse & FERRARIVS aliique accurate XVI. milliaria inter hæc loca & *Romam* computant. Quæ quidem loca quando fuerunt portus, probabiliter diœceses suas præcipue protenderunt *Romam* versus, quæ priorum istorum amplitudinem imminuit, Ad occasum limitem habuit diœcesin *Lorensem* in *Tuscia*, in via *Aurelia* inter *Romam* & *Turres*, quem HOLSTENIVS [*m*] passuum XII tantum mill. a *Roma* & X. mill. a *Turribus* dissitam fuisse, dicit. Et plures diœceses aliæ in eodem ambitu circa *Romam* positæ nec longius multo dissitæ fuerunt. *Nepe* enim in *Tuscia* pass. mill. XX. tantum a *Roma* & *Sutrium* IV. tantum mill. a *Nepe* distabat. *Nomentum* inter *Sabinos* in *Valeria* XII. mill. passuum a *Roma*, & *Tibur* in eodem tractu circiter XVI. mill. dissitum. *Lauici* in *Campania* seu *Latio* modo XV. mill. pass. & *Tres Tabernæ* secundum easdem rationes XXI. mill. pass. & *Velitræ* ab his tam prope afuerunt, vt *Gregorius Magnus* eas coniunxerit. Sed de his plura vi-

*Helena dicebatur* ] Vestigia exstant ad turrim Pignataram vulgo dictam, vbi ecclesia fuit Sanctorum Petri & Marcellini. Ibidemque condita fuit Helena Augusta, mater Constantini magni.

(*l*) Holsten. in Cluuer. Ital. p. 79. A Roma in portum m. p. XVIIII. (Nota. Nihil heic de antiquis milliaribus obseruatum lego.)

(*m*) Holsten. in Cluuer. Ital. p. 43. (Nota. Heic quidem de Lorio loquitur, sed nihil de eius distantia ab vrbe Roma dicit.)

debi-

debimus, quando cuiusque prouinciæ particularis diœceses enarrabimus, limitesque earum constituemus, quæ de mutua propinquitate fuerunt illustriores.

§. II.

De Tuscia & Vmbria.

INITIVM ab istis prouinciis faciemus, quæ proprie *Romanæ*, in oppositione reliquarum *Italicarum* diœcesium, dicuntur; & in qualibet nomina & numerum antiquarum diœcesium episcopalium indicabimus, vt lector huius rei studiosus cognitionem suam geographicam, statum earum curatius perquirendo, exercere possit. Harum prima ordine est *Tuscia* & *Vmbria*, quas ciuiles pariter & ecclesiasticæ *notitiæ* semper coniungunt tamquam vnam prouinciam, etsi distinctos alioquin habentem terminos. *Tuscia* eadem fuit, quæ olim *Etruria*, *Tiberi* fluuio ad ortum, *Martha* amni ad occasum, *Apennino* monte ad septemtrionem & ad meridiem mari *Tusco* terminata; hodie in parte orientali *Patrimonium S. Petri*, & in occidentali ducatum *Florentinum* seu *Tuscaniensem*, includens. In hac prouincia CAROLO A SANCTO PAVLO triginta quinque antiquæ diœceses obseruantur. *1. Portus Augusti*, vulgo *Porto*. *2 Sylua candida*, vulgo *Sancta Ruffina*. *3. Nepe*, vulgo *Nepi*. *4. Aqua Viua*, al. *Carpenatum vrbs*. *5. Phalaris*, al. *Falerium*, hodie *Citta Castellana*. *6. Ferentium*, alias *Ferentinum*, vulgo *Ferento*. *7. Polymartium*, vulgo *Bomarzo*. *8. Hortanum*, vulgo *Horti*. *9. Blera*, hodie *Bieda*. *10. Sutrium*, hodie *Sutri* *11. Tarquinia*, aliis *Tarquinii*, vulgo *Tarquene*. *12. Salpis*. HOLSTENIVS autem, hanc pro *Sapino* in *Samnio* prouincia perperam positam, existimat. *13. Tuscania*, vulgo *Toscanello*. *14 Balneum Regis*, hodie *Bagnarea*. *15. Perusia*, vulgo *Perugia*. *16. Vrbs vetus*, hodie *Orvieto*. *17. Clusium*, vulgo *Chiusa*. *18. Cortona*, hodie nomen retinet. *19. Aretium*, nunc *Arezzo*. *20 Volsinium*, hodie *Bolsena*. *21. Centumcellæ*, nunc *Ciuita Vecchia*. *22. Grauisca*, vulgo *Mont'alto*. *23. Cornetum*, al. *Cornuetum*, vulgo *Corneto*. *24. Forum Claudii*, vulgo *Oriolo*. *26. Luca*, hodie nomen retinet. *27. Luna*, vulgo *Luni*. *28. Sena*, hodie *Siena*. *29. Florentia*, hodie *Fiorenza*. *30. Fæsulæ*, hodie *Fiezoli*. *31. Suana*, hodie *Soana*. *32. Manturanum* *33. Rusella*, vulgo *Rossello* *34. Populonia*, vulgo *Porto Baratto*. *35. Volaterra*. Quibus, HOLSTENIO obseruante, accedunt *Volscæ* vel *Ciuitas Bulcentina*, *Castrum Valentini* & *Lorium*. Iam vero ex hisce nonnullæ, vti iam obseruatum nobis est, *Romæ* valde propinquæ, sed tamen inter

se aliæ aliis adhuc propinquiores, fuerunt. *Nepe* quatuor duntaxat mill. passuum a *Sutrio* dissidebat, vti quidem FERRARIVS [n] computat, atque ita duo episcopatus postea iuncti fuerunt, vt idem auctor tradit. *Portus Augusti* ab vno latere *Ostia*, duobus tantum mill. passuum inde distante, vti FERRARIVS [o] & CLVVERIVS statuunt; & ab altero latere *Sylua candida*, cui CAROLVS A SANCTO PAVLO eamdem inde distantiam tribuit, terminabatur. *Falerium* seu *Phalaris* V. circiter vel VI. mill. passuum a *Nepe* CLVVERIO [p], & IV. mill. passuum ab *Hortano* afuisse FERRARIO [q] dicitur, qui *Hortanum* apud *Tiberim* fluuium ex aduerso *Ocriculi* in *Vmbria* situm esse, & ab eo IV. mill. passuum in occasum distare, ait. HOLSTENIVS [r] ex *itinerario Hierosolymitano*, *Aquam Viuam* XII. duntaxat mill passuum ab *Ocriculo* disiunctam, & *Phalerim* illis interpositam fuisse, ostendit. *Polymartium* computante FERRARIO [s], modo V. mill. passuum in occasum ab *Hortano*, & *Ferentium* eodem fere interuallo a *Polymartio* disseparatum fuit; qui duo posteriores episcopatus iam ante concilium,

(n) Ferrar. lexic. geogr. voce *Nepe*. Nepe - - Hetruriæ vrbs episcopalis, inter vrbem Romam & Viterbium ad XX. mill. pass. Sutrio proxima ad IV. mill. passus dissidens. Quarum vrbium episcopatus hodie iuncti sunt.
It. voce *Sutrium*. Sutrium vrbs episcopalis -- proxima Nepitæ ad IV. mill. pass. ab vrbe Roma XXV.

(o) Ibid. voc. *Ostia*. Ostia colonia & vrbs Latii, episcopalis, ad ostia Tiberis, e regione Portus vrbis.
It. voce *Portus*. Portus Augusti, qui & Romanus, vulgo *Porto*, vrbs Hetruriæ prorsus excisa, apud ostia Tiberis, contra Ostiam vrbem etiam exstinctam duobus mill. pass. distantem, ab vrbe Roma XVI. mill. pass. in meridiem.

(p) Cluuer. Ital. lib. II. p. 537. Reliquum iter a Nepete oppido ad Ameriam oppidum Vmbriæ, ita in supra dicta tabula itineraria consignatum est:
*Nepe*
*Faleros* V.
Castello Amerino XII.
Ameria VIIII.

(q) Ferrar. lexic. voce *Hortanum*. Hortanum - vrbs Hetruriæ, in Faliscis, apud Tiberim fluuium ex aduerso Ocriculi, ab eo IV. mill. pass. distans in occasum.

(r) Holsten. adnot. in Cluuer. p. 80. Aquauiua mutatio m. p. XII. Vt icolo ciuitas m. p. XII.

(s) Ferrar. voce *Polymartium*. Polymartium, vrbs olim Hetruriæ episcopalis, nunc paruum castrum, inter Hortanum V. & Viterbium X. mill. pass. *Bomarzo* hodie.

*Romæ*

*Romae* sub *Martino* ad an. DCXCIX. habitum, coniuncti fuere, quemadmodum e subscriptionibus istius concilii CAROLVS A SANCTO PAVLO colligit. *Bleram* inter & *Forum Claudii* non amplius IX. mill. passuum, vt ex antiquis itinerariis demonstrat HOLSTENIVS [*t*]; & inter *Forum Claudii* & *Sutrium* tantummodo V. mill. passuum secundum computationem *Cluuerianam*. *Lorium* XII. duntaxat mill. pass. ab vrbe *Roma* in via ad *Centumcellas*; vti ante ostendimus. *Tarquinia*, secundum FERRARIVM [*u*], V. circiter mill. passuum a *Corneto* & totidem fere a *Grauisca*, secundum tabulas CLVVERII, disiuncta fuit. Quod tanto verisimilius videtur, quod HOLSTENIVS [*x*] has tres dioeceses tandem in vnam coaluisse, obseruat. *Centumcellae* ad mare XII. mill. passuum a *Grauisca* dissitae, vti ex *itinerario Hierosolymitano* apud HOLSTENIVM [*y*] videre est. *Tuscania* & *Volsinium*, & *Vrbs Vetus*, hodie *Orvieto* dicta, & *Balneum Regis* eamdem fere distantiam aliae ab aliis habuerunt. Atqui hae vrbes vniuersae in isto exiguo terrae tractu iacebant, qui hodie *Patrimonium S. Petri* audit, & in ortum ac septemtrionem *Tiberi* fluuio, ad occasum *Martha* fluvio, & ad meridiem mari *Tusco* circumdatur. Regio non amplius L. mill. passuum in quadratum habens, vt recte eam describit CLVVERIVS. Nam a *Roma Centumcellas* vsque, X. mill. passuum a *Martha* fluuio, qui hodie *Patrimonium S. Petri* a ducatu *Castrensi* diuidit, distantes, CLVVERIVS & HOLSTENIVS [*z*] ex *itinerario* ANTONINI recta via *Aurelia* XLVII. tantum mill.

(*t*) Holsten. in Cluuer. p. 47. A Nouis Sabaten III. plus minus sunt m. p. Inde II. sunt milliaria Oriolum siue *Forum Claudii*. *Vnde porro Bleram sunt m. p. IX. vel X.*

(*u*) Ferrar. lexic. voce *Tarquinia*. Tarquinia -- colonia & vrbs Etruriae, olim episcopalis, nunc prorsus iacens, *inter* Bracianum X. & *Cornetum*, (quod illi in dignitate episcopali successit) V. mill. passuum.

(*x*) Holsten. adnotat. in Carol. a S. Paulo p. 8. *Cornetum*] Haec ciuitas conflata est ex Tarquiniis & Grauisca.

(*y*) Holsten. in Cluuer. p. 80.
Centum cellas (posit. m. p. V.)
Algas positio m. p. III.
Rapinium posit. m. p. III.
Grauiscas posit. m. p. VI.

(*z*) Holsten. in Cluuer. p. 78.
Via Aurelia per Tusciam:
Lorium m. p. XII.

passuum

passuum computant, quod interuallum ex hodierna æstimatione XL. milliaria haud excedit. Vt adeo, quum in hoc terræ tractu viginti episcopi fuerint, *Roma* numero inclusa, si omnes diœceses æquales statuerimus, vnaquæque diœcesis X. circiter vel XII. mill. passuum in quadrum habitura sit, quod ipsum obseruationem, de mutua diuersarum ciuitatum distantia a nobis datam, confirmat. Atque hinc apparet, quod, sicut in quibusdam regni *Neapolitani* partibus diœceses magis multiplicatæ, quam quidem priscis sæculis, fuerint, ita quoque in his & aliis ditionis pontificiæ partibus mirifice imminutæ sint. Nam hodie vix dimidius earum numerus reliquus est, quia duæ, tres quatuorue sæpenumero in vnam coaluerunt. FERRARIVS enim *Viterbium* e trium vetustarum ciuitatum, *Ferenti* [zz], *Tuscaniæ* & *Polymartii* ruinis an. MLXXIV. ortum esse dicit. Ita *Ciuitas Castellana* ex *Falerii* & *Hortani* casu exstitit. *Sutrium Nepe*; *Cornueto Tarquinia* & *Grauisca* iunctæ fuerunt; vt plures huiusmodi non memorem, quæ ad hanc nostram non spectant disquisitionem. Quod ad diœceses attinet, quæ in occidentalibus *Tusciæ*, hodie ducatus *Tuscaniensis* dictæ, partibus sitæ fuerunt, multo ampliores fuerunt, facta cum prioribus comparatione: nam si a *Fesulis*, III. tantum mill. passuum a *Florentia* [a] distantibus, discesse-

Ad Turres m. p. X.
Pyrgos m. p. XII.
Castrum nouum m. p. VIII.
Centumcellas m. p. V.

Procopius de bello Gothico lib. II. p. 405. CCLXXX. stadia, siue XXXV. mill. pass. computat. Sic enim ibi habet: Πόλιν ἐπιθαλασσίαν, λόγου πολλοῦ ἀξίαν, Κεντουκέλλας ὄνομα, τῶν ἐπιτηδείων σπανίζοντες, ὑπὸ τὸν αὐτὸν χρόνον ἐξέλιπον· ἔστι δὲ ἡ πόλις μεγάλη καὶ πολυάνθρωπος, ἐς τὰ Ῥώμης πρὸς ἑσπέραν ἐν Τούσκοις κειμένη, σταδίοις αὐτῆς, ὀγδοήκοντα καὶ διακοσίοις ἀπέχουσα. *Centum cellas*, vrbem maritimam ac nobilissimam sub idem tempus Gotthi deseruerunt, compellente cibi inopia. Ampla est illa vrbs atque incolis frequens in Tuscia, ob occidentali *Romæ* latere: *vnde stadiis abest CCLXXX.*

(zz) Ferrar. lexic. voce *Ferentia*. Ferentia, Ferentium Plinio & aliis - vrbs Hetruriæ olim episcopalis, excisa, cui Viterbium ad V. mill. pass. distans successit in episcopali cathedra, a Viterbiensibus anno salutis MLXXIV. ob hæresim euersa.

(a) Cluuer. Ital. lib. II. p. 452. Apud *Fæsulas* fuisse, quod oppidum, *III. millia a Florentia dissitum*, vulgo etiamnunc *Fiesole*, infra in huius descriptione patebit.

ris,

ris, omnes reliquæ diœceses latius patebant. Cuius rei hoc tantum documentum dare me debere, existimo, quod hæc pars *Tusciæ* [*b*] plus quam CC. mill. passuum longa & prope C. mill. passuum lata habeatur, pontificis *Romani* ditione exclusa. Quem terræ tractum si inter XV vel XVI diœceses distribueris, satis amplum singulis territorium adsignabitur. Vt adeo ad vberiorem earum enarrationem descendere necesse non sit.

QVOD si autem rursus in *Vmbriam Romam* propius descenderimus, eiusdem ibi magnitudinis diœceses & æque frequentes atque in *S. Petri Patrimonio* offendemus. Nam exiguus tantum terræ tractus erat, *Nare* & *Tiberi* fluuiis & *Apennino* monte terminatus, & pars duntaxat veteris *Vmbriæ*, vltra *Apenninum* ad mare *Adriaticum* pertingens. In præsenti *Vmbria* CAROLO A SANCTO PAVLO duodeuiginti diœceses memorantur. *1. Ocriculum*, aliis *Vtriculum* & *Otriculum*, vulgo *Otriculi*. *2. Narnia*, vulgo *Narni*. *3. Tudes*, vulgo *Todi*. *4. Meuania*, vulgo *Beuagna*. *5. Tifernum Tiberinum*, hodie *Citta di Castello*. *6. Interamnia*, vulgo *Terni*. *7. Ameria*, vulgo *Amelia*. *8 Trebia*, vulgo *Treui*. *9. Spoletum*, hodie *Spoleto*. *10 Fulginum*, hodie *Fuligno*. *11. Camerinum*, vulgo *Camerino*. *12. Hispellum*, hodie *Spello*. *13. Assisium*, vulgo *Assisi*. *14. Forum Nouum*, hodie *Vescouio*. *15. Forum Flaminii*, vulgo *For Flammo*. *16. Vettonium*, vulgo *Bittona*. *17. Nuceria*, hodie *Nocera*. *18. Eugubium*, vulgo *Gubbio*. Quibus HOLSTENIVS *Tadinum* [*c*] addit & *Martulam*. Iam vero quinque ex hisce oppida *Fulginum*, *Hispellum*, *Assisium*, *Forum Flaminii* & *Meuania* ita erant posita, vt eorum nullum ab alio vltra X. mill. passuum distaret. *Fulginum* ad boream *Nuceriam*

(*b*) Ferrar. lexic. geogr. voce *Tuscia*. Tuscia siue Thuscia (vtroque enim modo scribitur) quæ & Etruria, siue Hetruria, *la Toscana*, prouinciæ Italiæ nobilissima, & antiquissima, peramplaque, inter Liguriam ad occasum Macra fluuio diuisa & Latium Vmbriamque ad ortum Tiberi discreta, ad Arctos monte Apennino a Gallia Togata separata, ad meridiem pelago Thyrreno definita, *longa CCLXXXII. mill. pass. lata nullibi C.*

(*c*) Holsten. adnot. in Carol. a S. Paulo p. 9. *Tadinum*. Laurentius Tadinatis ecclesiæ episcopus subscripsit synodo Romanæ Symmachi papæ & apud Gregor. M. lib. VII. indict. II. epist. LXXXIX. & XC. Tadinatis ecclesiæ vacantis visitatio committitur episcopo Eugubino.
Id. in Cluuer. p. 98. *Fanum Martis* ] Oppidum episcopale deinceps fuisse, existimant, cui S. Brictius episcopus Martanus præfuerit: Vide Donnolæ apol. c. XXXIX. & XXXVII. Martyrologium Rom. IX. Iulii S. Brictii episcopi memoriam ponit *Martulæ*, cetera.

versus pro limite habebat *Forum Flaminii*, quod, FERRARIO [d] auctore, III. tantum mill. passuum inde distabat. *Hispellum* totidem pass. in via *Assisium* versus. *Trebia* ad eurum non nisi VI. mill. passuum a *Fulgino*, & IX. mill. passuum a *Spoletio*, vt idem FERRARIVS [e] auctor est, qui quoque XV. tantum mill. passuum *Fulginum* inter & *Spoletum* statuit; adeo vt *Trebia* recta via inter ista duo oppida posita fuerit, necesse sit. Ad austrum *Fulginum* rursus *Meuania* claudebatur, VI. duntaxat mill. passuum [f] inde dissita. Ad occasum *Assisium* erat, oppidum in recentioribus historiis *Francisci*, patris *Franciscanorum*, natalibus clarum; & hoc tantummodo X. mill. passuum a *Fulgino*, & XII. circiter mill. passuum a *Perusia* in *Tuscia* afuisse, BAVDRANDVS [g] iudicat. Si paullo vlterius ad septemtrionem oculos conuertimus, a *Foro Flaminii* ad *Nuceriam* IX. mill. passuum a FERRARIO [h] computantur. *Nuceriam* inter & *Tadinum* (cuius vestigia, obseruante HOLSTENIO [i], in via *Flaminia* prope *Gualdum* in summo *Apennino* visuntur) HOLSTENIO [k] & BAVDRANDO computantibus, non amplius VIII. mill. passuum. Et inter *Tadinum* & *Eugubium* fere XIII. mill. passuum. Heic vero dioeceses ampliores sese offerebant iuxta occidentales huius prouinciæ partes, quemadmodum antea de *Tuscia* obseruatum no-

(d) Ferrar. lexic. voce *Forum Flaminii*. Forum Flaminii -- a Fulgino, quod illi in episcopali honore successit III. mill. pass. Nuceriam versus.

(e) Ibid. voce *Trebia*. Trebia vrbs Vmbriæ, episcopalis olim, nunc oppidum, *Trevi*, in colle, inter Fulginum VI. Spoletium IX. mill. passuum.
It. voce *Fulginum*. Fullinium, Fulginia Silio, *Foligno* vel *Fuligno*, vrbs Vmbriæ episcopalis ad Tiniam fluuium intermeantem, inter Perusiam ad occasum XVIII. & Spoletium in eurum XV. mill. pass.
It. voce *Hispellum*. Hispellum - vrbs Vmbriæ olim episcopalis, nunc oppidum amplum in colle, apud Fulginium, inde III. mill. pass. in occasum Perusiam versus.

(f) Ferrar. lexic. voce *Meuania*. Meuania, *Bevagna*, vrbs olim episcopalis Vmbriæ, ad Clitumnum fluuium -- VI. mill. pass. distans, a Perusia XII.

(g) Baudrand. voce *Fulginum*. Fulginum vrbs est parua Vmbriæ, sed culta in valle, ad radices montis Apennini, XX. milliaribus distat a Perusia, & X. ab Assisio.
It. voce *Perusia*. Perusia vrbs est Italiæ - - XII milliaribus distat ab Assisio in occasum.

(h) Ferrar. voce *Nuceria*. †

(i) Holsten. adnotat. in Car. a S. Paulo p. 9.

(k) Holsten. adnot. in Ital. Cluuer. p. 86. †

bis

bis fuit. Nam ad occidentale *Eugubii* latus nulla fuit ciuitas inter hoc & *Tifernum Tiberinum*, quod XX. mill. passſ. inde diſtabat. Neque *Tifernum Tiberinum* propinquius ſibi oppidum quam *Aretium* habuit, quod ab eo XVIII. mill. paſſ. & *Callium* XXII. mill. paſſ. & *Perusia* XXIV. mill. paſſuum BAVDVRANDVS [*l*] & FERRARIVS æſtimant. Quod ſi vero *Romam* verſus denuo reſpexerimus, & a monte *Apennino* ad auſtrales huius prouinciæ partes, iuxta *Narem* & *Tiberim* fluuios, deſcenderimus, primum heic offendemus *Martulam* ad *Narem* fluuium, quam non amplius VI. mill. paſſuum a *Spoletio* in ortum abfuiſſe, fidem nobis facit HOLSTENIVS [*m*]. Deorſum eumdem fluuium verſus *Interamna* eiusdem ferme diſtantiæ a *Martula*. Et infra hanc *Narnia*, quam CLVVERIVS [*n*] ex *itinerario Hieroſolymitano* ab *Interamnio* IX. tantum milliaria computat; HOLSTENIVS [*o*] autem, qui diſtantiam dimenſus eſt & paſſus dinumerauit, modo V. milliaria & partes duas tertias a *Narnienſi* porta ad portam *Interamnii* eſſe dicit. Paullulum ad occaſum *Narniæ*, *Ameria* iacebat, ab ea vix VI. mill. paſſ. diſtans, vt FERRARIVS [*p*] auctor eſt. Et ad meridionale *Narniæ* latus paullo inferius ad *Narem*

(*l*) Ferrar. lexic. voce *Tifernum*. Tifernum Tiberinum cognomine - vrbs epiſcopalis in planitie, non procul a Tiberi fluuio, a quo denominatur, vulgo *Citta di Castello*, a Peruſia fere XXIV. mil. paſſ. in boream & Cæciam ab Eugubio XX. in occaſum Aretium verſus.
Baudrand. lexic. voce *Tifernum*. Tifernum Tiberinum, vrbs eſt ditionis pontificiæ regiunculæ cognominis caput, ad Tiberim fluuium, & in limite Etruriæ, vti ducatus Vrbini. Diſtat X. mill. paſſ. a Burgo S. Sepulchi in meridiem & XVIII. ab Aretio in ortum Calium verſus XXII. eſtque ſatis munita.

(*m*) Holſten. adnot. in Ital. Cluuer. p. 98. *Fanum Martis* ] Oppidum epiſcopale deinceps fuiſſe exiſtimant, cui S. Brictius epiſcopus Martanus præfuerit: - - Locus autem, vbi S. Brictius oratorium habebat, vocabatur Salluſtianus in iisdem actis (Brictii) quæ *VI. milliariis Spoleto eum abfuiſſe* ſcribunt, cet.

(*n*) Cluuer. Ital. p. 526.

Vrbe Roma
|
Vtriculo XII.
Narnia XII.
Interamna IX.

(*o*) Holſten. adnotat. in Cluuer. p. 95. Sunt a Narnienſi porta ad portam Interamnii cannæ Romanæ 3760, quæ ſunt 5. m. p. $\frac{2}{3}$.

(*p*) Ferrar. voce *Ameria*. Ameria, *Amelia*, vrbs epiſc. Vmbriæ antiquiſſima, ab ea vix VI. mill. paſſ. Hortam verſus diſtans.

fluuium *Romam* versus *Ocriculum* positum, quod *itinerarium Hierosolymitanum* apud CLVVERIVM [q] XII. mill. passuum a *Narnia* locat, FERRARIVS autem ex recentioribus computationibus VIII. tantum mill. & ab *Hortano* in *Vmbria* IV. mill. passuum statuit, quomodo antea notauimus, quando de *Hortano* sumus loquuti. In media hac prouincia ad *Tiniæ* & *Asii* fluuiorum confluentes inter *Meuaniam* & *Perusiam Vettonium* erat, quod VI. mill. passuum a *Meuania* & VIII. a *Perusia* in *Tuscia* FERRARIVS [r] statuit. Vt adeo omnes huius prouinciæ diœceses, duabus vel tribus exceptis, admodum paruæ fuerint, nec, si omnes æquales statuas, plus VIII. vel X. mill. passuum in longitudinem habuisse, censendæ sint, siquidem vix tanto interuallo ciuitas alia ab alia separata fuit. Quam ab caussam diuersis ciuitatibus collapsis plures harum diœcesium sæculis subsequutis vnitæ fuerunt. Nam *Tadinum Naceriæ* iunctum, vti HOLSTENIVS [s] tradit. *Hispellum* & *Forum Flaminii* in *Fulginum* coaluerunt. Ita *Meuania* & *Trebia* & *Martula* collapsæ & aliis diœcesibus iunctæ fuerunt, in omni hac prouincia, quantum quidem ego cognoscere potui, nulla noua diœcesi constituta.

## §. III.
## *De* Valeria.

Ex *Vmbria* primum gressum ortum versus in *Valeriam* dirigimus, quæ HOLSTENIO ita vocitata videtur a via *Valeria*, quæ recta per illam ducebat. In boream *Apennino* monte, in occasum *Nare* flumine, *Vmbriam* ab ea disterminante, in austrum *Tiberi* & *Aniene* fluuiis, a *Latio*, seu ea regione, quæ hodie *Campagna di Roma* dicitur, illam separantibus, terminabatur. In eurum *Samnio* finitima erat, a quo per fossam, ab *Aterno* fluuio ad ostia *Anienis* deductam, discernebatur. *Sabinorum* olim & *Marsorum* ea regio fuit & pars *Latii* veteris, & hodie *Sabina* in ea parte dicitur, quæ *Romam* versus deflectit, & quod reliquum est, pars hodierni ducatus *Spoleto* & *Abruzzo* est. In hac prouincia, CAROLO A SANCTO PAVLO recensente, vndecim diœ-

(q) Cluuer. Ital. p. 526. vid. sub litt. anteced. (n) p. 515.

(r) Ferrar. lex. voc. *Vettionenses*. Vettionenses & Vettonenses populi Vmbriæ, quorum oppidum *Bittona*, quasi Vettonium, apud Tiniæ & Asii fluuiorum confluentiam, inter Meuaniam VI. & Perusiam VIII. mill. passuum, olim vrbs episcopalis.

(s) Holsten. in Ital. Cluuer. p. 86. †

ce-

cefes fuerunt. *1. Fidenæ*, vulgo *Castel Iubileo*. *2. Nomentum*, vulgo *Lamentana*. *3. Tibur*, hodie *Tivoli*. *4 Nursia*, nunc *Norza*. *5. Marsi*, al. *Marruuium* & *Valeria*. *6. Præneste*, hodie *Palestrina*. *7. Furconium*, nunc *Forconio*. *8 Amiternum*, hodie *S. Vittorino*. *9. Reate*, vulgo *Rieti*. *10. Cures*, vulgo *Curese*. *11 Lista*. Sed HOLSTENIVS [*t*] earum vltimam pro *Lisso*, siue, vt hodie dicitur, *Alessio*, in *Præualitana* ad alteram maris *Adriatici* oram positam esse, & *Præneste* ad *Latium* pertinere, obseruat. Quarum in locum duas alias substituit, *Pitinum* & *Forum Nouum*, siue *Sabinum*, hodie *Vescovio*, olim primariam *Sabinorum* ciuitatem. Iam vero ex hisce *Fidenæ* a portis *Romæ* V. duntaxat mill. passuum aberant, vti supra adnotavimus. *Nomentum* a *Fidenis* circiter VIII. mill. passuum & XII. mill. a *Roma*, quemadmodum ex SANSONE & BRIETIO demonstrat BAVDRANDVS [*u*]; licet alii supra *Tibur* X. mill. pass. & XXVI. a *Roma* id statuant. *Tibur* ipsum a *Roma* XVI. mill. [*w*] passuum distabat. Sed hæc ampla dioecesis præ istis omnibus fuit. Nam HOLSTENIVS [*x*] *Sublaqueum* episcopo *Tiburtino* paruisse obseruat, vsque dum monasterium euasisset, omni iurisdictioni episcopali exemtum; & BAVDRANDVS [*y*] hanc abbatiam quatuordecim vicos sub se habere auctor est.

(*t*) Holsten. adnotat. in Carol. a S. Paulo p. 16. (p. 56. in geogr. Caroli a S. P.) *Lista*] Lista etiam nunc nomen retinet *Monte di Lista* III. mill. pass. Reate distans. Certissimum vero est, eum locum numquam habuisse episcopum, cuius nulla, nisi apud vnum Dionysium mentio exstat, qui inter vetustissima Aboriginum oppida commemorat. Ea autem Dionysii tempore fere omnia interierant. Lissitana autem ecclesia, cui Ioannes præfuerat, in Lisso, in ora maris Adriatici oppido fuit.

(*u*) Baudr. voce *Nomentum*. Nomentum vrbs olim episcopalis excisa nunc & in pagum redacta, in Sabinis, ad Amienem fluuium, apud Vicum Varronis, supra Tibur X. mill. pass. ab vrbe Roma XXVI.

(*w*) Ferrar. voce *Tibur*. Tibur, Tybur Ouidio & aliis - vrbs Latii episcopalis, ad Amienem fluuium, in Sabinorum confinio, a Catillo Arcade classis Euandri præfecto ante Romam condita, a qua XVI. mill. pass. in boream versus Marsos distat.

(*x*) Holsten. in Ital. Cluuer. p. 147. Sublaqueum Tiburtino episcopo parebat, antequam vicinum monasterium ita excreuisset, vt episcopi iurisdictioni eximeretur.

(*y*) Baudr. voce *Sublaqueum*. Sublaqueum, seu melius Sublacum, oppidum Aequorum in Latio. Hodie dicitur vulgo *Subiaco*, cuius abbatia, quæ nullius est dioecesis, quatuordecim vicos sub se habet, in confinio regni Neapolitani.

*Præneste* XIII. mill. passuum a *Gabiis* & XIV. mill. passuum ab *Agnania*, nec tantum a *Nomento* abfuit. *Cures*, hodie *S. Anthimo*, secundum *Ferrarium* [z] tantummodo X. mill. passuum a *Reate*, & probabiliter paullo propius a *Nomento* dissitæ, quia CAROLVS A SANCTO PAVLO [a] ex epistola GREGORII MAGNI [b] obseruat, hanc sedem *Nomentanæ* suo tempore fuisse coniunctam. Nonnulli *Cures* cum *Sabino*, siue *Foro Nouo* confundunt; sed HOLSTENIVS [c] *Sabinum* distinctum oppidum, & in eo loco, qui nunc dicitur *Vescovio*, vbi oppido deleto ecclesiæ cathedralis rudera adhuc supersunt, situm fuisse, ostendit. Hæc vrbs, BAVDRANDO [d] auctore, III. tantum mill. passuum a *Reate* & XI. mill. ab *Interamnia* abfuit; sed huius loci natura, vt aliquantum incerta, prætereunda est. Ruinæ *Amiterni*, CLVVERIO [e] teste, hodieque prope *Aquilam* vrbem visuntur. FERRARIVS [f] modo V. mill. passuum ab ea distare existimat. *Pitinum* duobus

(z) Ferrar. voce *Cures*. Cures, vrbs Sabinorum, Numæ Pompilii patria, a Medio Fidio Sabinorum Deo condita, nunc pagus *Torre* vel *Turre*, teste Leandro dictus, ad Himellam fluuium a Reate X. mill. pass. in occasum a Tybure supra XX. in arctos, Interamnam versus supra XVI.

(a) Carol. a S. Paulo geogr. sacr. p. 58. (p. 16.) Cures - hanc sedem probabile est eamdem fuisse cum ea, quæ dicitur Sancti Anthimii, cuius meminit diuus Gregorius epist. II. (leg. XX.) lib. II. indict. XI. & quam vniit Nomentanæ.

(b) Gregor. lib. II. epist. XX. ad Gratiosum episcopum Numentanum: (tom. V. concil. Labb. p. 1109.) Ideoque fraternitati tuæ curam gubernationemque sancti Anthemii ecclesiæ, in Curium Sabinorum territorio constitutæ, præcepimus committendam, quam tuæ ecclesiæ adgregari vnirique necesse est: quatenus vtrarumque ecclesiarum sacerdos recte Christo adiuuante possis exsistere.

(c) Holsten. adnotat. in Carol. a S. Paulo p. 9. *Forum nouum &c. inter Forum Flaminii & Spoletum* ] Hoc falsissimum est: nam sita est in Sabinis eodem loco, vbi nunc oppido deleto ecclesia episcopalis superest, vulgo *Vescovio* dicta.

(d) Baudr. voce *Cures*. Cures aliis est *Vescovio*, vrbs primaria Sabinæ antea, nunc oppidum, vbi etiam fuit episcopatus Sabinensis Manleanum translatus. Sita est prope Himellam amnem tribus milliaribus a Reate in occasum & XI. ab Interamnia in austrum in ditione pontificia.

(e) Cluuer. Ital. lib. II. p. 686. lin. 11. Fuit Amiternum haud procul Fonte Aterni: - - Visuntur hodieque ruinæ eius haud procul sinistra amnis ripa, inter fontes eius & Aquilam vrbem, cetera.

(f) Ferrar. voce *Amiternum*. Amiternum, *S. Vittorino*, vrbs olim episcopalis - - ad Aternum fluuium *ab Aquila* - - V. mill. pass. distans.

bus mill. passuum ab *Aquila*, adeoque, vt HOLSTENIVS obseruat [g], non longe ab *Amiterno* fuit. *Furconium* alia sedes in isthac vicinia VIII. tantum mill. passuum ab *Aquila*, vt FERRARIVS [h] tradit. Vt adeo hæ tres diœceses, in angusto terræ tractu sitæ, nunc in nouam diœcesim *Aquilam*, quæ ex illarum ruinis surrexit, coaluerint. Amplissimæ harum diœcesium in hac regione fuerunt *Reate*, *Narsia* & *Marruuium*, siue *Marsi*. Nam a *Reate* ad *Nursiam* BAVDRANDO [i] sunt passuum millia XIII. FERRARIO XX; ad *Aquilam* XXV. & totidem ad *Narniam*. At *Interamnia* & *Furconium* a *Reate* abfuerunt aliquanto propius. *Marruuium* ad lacum *Fucinum* a *Furconio* ac *Sulmone*, proximis ei ciuitatibus, non mediocri spatio disiunctum. Sed exactam istorum locorum distantiam non adeo certo nouimus, quia inter geographos non conuenit, ad quam lacus *Fucini* oram positum fuerit *Marruuium*.

§. IV.

*De* Piceno suburbicario.

E *Valeria* & *Vmbria* aduersus *Apenninum* montem in *Picenum suburbicarium* deuenimus, quæ prouincia sic dicitur, vt a *Piceno annonario*, ad *Italicam* spectante diœcesim, distinguatur. Hanc inter *Apenninum* montem in austrum, & mare *Adriaticum* in boream, positam a *Piceno annonario Aesis* fluuius ad occasum, & a *Samnio Aternus* fluuius, nunc *Pescara* vocitatus, in eurum disterminabat; hodie prouincia ista vocatur *Marchia Anconitana*, vulgo *Marca di Ancona*, & *Aprutium*, vulgo *Abruzzo Vltra*. In hac prouincia ex CAROLI A SANCTO PAVLO recensione quatuordecim fuerunt diœceses. *1. Pinna*, hodie *Penna*. *2. Interamnia*, al. *Interamnium*, hodie *Teramo*. *3. Asculum*, vulgo *Ascoli*. *4. Firmum*, hodie *Fermo*. *5. Tolentinum*, nunc *Tolentino*. *6. Septempeda*, hodie *S. Seuerino*.

(g) Holsten. adnot. in Car. a S. Paulo p. 16. Pitinum non longe fuit ab Amiterno, duobus mill. pass. ab Aquila.

(h) Ferrar. voce *Furconium* Furconium, *Forcone*, vrbs Vestinorum olim episcopalis, excisa, ex cuius ruinis & Amiterni coaluit Aquila vrbs, inde VIII. mill. pass. distaus.

(i) Baudrand. voce *Nursia*. Nursia vrbs parua Italiæ - intra montes sedet & ad radices Apennini VI. milliaribus a confinio Marchiæ Anconitanæ distat XIII. a Reate.

Ferrar. ibid. Nursia, vrbs olim episcopalis Vmbriæ -- a Reate XX. mill. pass. in boream, ab Aquila XXX. in occasum.

7. *Ma-*

7. *Matelica.* 8. *Cingulum*, hodie *Cingulo.* 9. *Auximum*, nunc *Osmo.* 10. *Potentia.* 11. *Numana*, vulgo *Humana.* 12. *Ancona*, hodie nomen retinet. 13. *Halria*, vulgo *Adri.* 14. *Aternum*, nunc *Pescara.* Quibus, HOLSTENIO [*k*] auctore, quinque accedunt, *Truentum*, *Ausinia*, *Faleronia*, *Vrbs Saluia*, & *Pausola*, siue *Pausulæ*, vt FERRARIVS vocat, hodie *Monte del Olmo.* Ciuitas ad septemtrionem extrema huius prouinciæ fuit *Aternum*, in *Aterni* seu *Pescaræ* fluuii ostio, ex FERRARII [*l*] & BAVDRANDI sententia VIII. tantum mill. passuum a *Theatea*, & XI. mill. passuum ab *Ortone*, duobus oppidis *Samnii*, nec plus XI. ab *Adria* & XII. mill. passuum a *Pinna* distans. *Pinna* tantumdem itineris a *Theatea* & *Adria*. *Interamnium* XX. mill. passuum ab *Asculo* FERRARIO; BAVDRANDO autem tantum XIII. mill. passuum abesse dicitur. In occidentalibus huius prouinciæ partibus *Matelica* IX. duntaxat mill. passuum a *Septempeda*, & *Septempeda* VI. mill. passuum a *Tolentino*, & X. a *Camerino* & a *Cingulo* XII. mill. pass. computantur; a *Cingulo* ad *Aesium* in *Piceno annonario* VIII. & ad *Auximum* XII. mill. passuum; ab *Auximo* ad *Aesium* XII. & ad *Anconam* totidem mill. passuum; Ab *Ancona* ad *Numanam* XII; a *Numana* ad *Potentiam* XII. mill. passuum; cuius vltima vestigia haud procul a portu *Ricaretico* & *Laureto* se vidisse, HOLSTENIVS [*m*] adserit. *Vrbs Saluia* secundum FERRARIVM X. tantum, & secundum BAVDRANDVM modo VI. mill pass a *Tolentino* dissita Inter *Firmum*, *Truentum* & *Asculum* maior distantia: FERRARIVS enim ferme XX. mill. passuum aliud ab alio statuit. Sed tunc *Pausulas* in comitatu *Firmano* adeoque non longe a *Firmo* collocat, & si *Faleronia* ac *Ausinia* (quarum situs incertus est) in his partibus quoque positæ fuerunt, diœceses *Asculum* & *Trumentum* ad eamdem cum reliquis huius prouinciæ magnitudinem reducere potuerint. Atque ita paucæ diœceses in hac prouincia vltra X. mill. passuum,

(*k*) Holsten. adnot. geogr. in Carol. a S. Paulo p. 14.

(*l*) Ferrar. lexic. voce *Aternum.* Aternum -- a Teatea VIII. mill. pass. quot ab Angulo inter Hadriam (cui cessit episcopatus Aternensis) & *Ortonem* ad ortum ad XI. mill. pass.
Baudrand. ibid. Aternum -- XVI. milliaribus distat ab Auxano, & XII. a Pinna in ortum.

(*m*) Holsten. in Car. a S. Paulo p. 15. Vestigia eius vidi haud procul a Portu Ricanatio.

& am-

et amplissima non vltra XX. mill. pass. patere potuerunt, quemadmodum ex FERRAII aliorumque geographorum computatione apparet.

§. V.

*De* Latio *&* Campania.

A mari *Adriatico* iterum per transuersum *Apenninum* eundum nobis est, vt *Latium* & *Campaniam*, antiquam *Italiæ* gloriam, iuxta mare *Tuscum* ortum versus ad *Silarum* amnem a *Tiberi* & portis *Romæ* contemplemur. Hæ regiones in ciuili & ecclesiastica notitia pro vna duntaxat prouincia habentur. Sed quum *Latium* a *Campania* plerumque distinguatur, primum de dioecesibus in eo obuiis, tamquam proximis vicinis *Romæ*, verba faciemus. Hæc regio antiquis temporibus *Tiberi*, *Aniene*, & *Lyri* amnibus clausa, quorum vltimus a *Campania* proprie sic dicta eam separabat. Hodie *Campaniam Romanam*, vulgo *Campagna di Roma*, & partem *Terræ Laboris*, vulgo *Terra di Lavoro*, in regno *Neapolitano* continet. Fuerunt olim in ea viginti tres dioeceses, vt CAROLVS A SANCTO PAVLO & HOLSTENIVS computarunt. *1. Subaugusta. 2. Ostia, 3. Gabii. 4. Albanum. 5. Alba. 6. Antium. 7. Tres Tabernæ. 8. Velitræ. 9 Tusculum. 10. Lauici. 11. Præneste. 12. Signia. 13. Anagnia. 14. Ferentinum. 15. Aletrium. 16. Verulæ. 17. Tarracina. 18. Fundi. 19. Formiæ. 20. Aquinum. 21. Cassinum. 22. Atina. 23. Sora.* Ex hisce, vt iam ante obseruauimus, *Subaugusta* prope *Romam* sita, *Ostia* XVI. mill. passuum a *Roma* & duabus a *Portu*; *Gabiis Romam* XIII. mill. pass. & totidem ad *Præneste*. *Tusculum*, quod nonnulli pro *Tusculano*, vbi CICERO quæstiones *Tusculanas* scripsit, falso accipiunt, vrbs fuit, hodie dicta *Frescati*, secundum FERRARIVM XII. tantummodo mill. pass. a *Roma* distidens. *Signia*, vulgo *Segni*, inter *Tusculum* & *Anagniam*, hinc & inde VI. mill. passuum, a *Præneste* IX. & a *Roma* XXX. mill. pass. separata, vti ex HOLSTENIO fidem nobis facit BAVDRANDVS [*n*]. Idem auctor [*o*] *Ferentinum* modo V. mill. pass. ab *Anagnia*,

(*n*) Baudrand. lexic. voce *Signia*. Signia, *Segni*, vrbs alias Volscorum in Latio nunc Campaniæ Romanæ, in ditione pontificia, ducali titulo insignita. Ibi organa inuenta fuere & modulationes, quibus vtitur Romana ecclesia, inquit Petrarcha, XXX. milliaribus distat ab vrbe Roma in ortum & IX. a Præneste in meridiem; estque in summo iugo Lepini montis, teste Luca Holstenio.

(*o*) Baudr. voce *Ferentinum*. Ferentinum, *Ferentino*, vrbs est parua in colle

et IV ab *Aletrio* abesse dicit; & FERRARIVS [p] *Verulas* medias fere inter *Anagniam* & *Soram* IX. vel X. mill. pass. statuit. *Lavici*, teste HOLSTENIO [q], XV. mill. pass. a *Roma*, interueniente nihilominus illis *Subaugusta*; Hæc enim in via *Lauicana*, *Roma Lauicos* recta ducente, posita. *Albanum* & *Alba* ab auctoribus quibusdam confunduntur, HOLSTENIVS [r] autem pro distinctis vrbibus habet, & FERRARIVS [s] illud XVI. mill. passuum, hanc BAVDRANDVS XIV. mill. passuum a *Roma* computant. Sed forte alterutrum oppidum ex alterius tantummodo ruinis, ortum fuit, quia non plus II. mill. pass. ab se inuicem fuerunt disiuncta. A *Velitris* ad *Albam* IV. tantum mill. pass. & XX. ad *Romam* [t]; Ab *Antio* in ora maris *Tusci* ad *Velitras* XIV. ad *Ostiam* XX. mill. passuum, vt BAVDRANDVS docet [u]. Inter *Antium* & *Velitras Tres Tabernæ*, locus vbi christiani ex vrbe *Roma Paulo* apostolo in occursum prodierunt. CAROLVS A SANCTO PAVLO, eamdem ciuitatem esse, putat, quæ hodie dicitur *Cisterna*, sed HOLSTENIVS [w] inde paullo in via *Appia* remo-

tribus milliaribus ab Anagnia in ortum Verulum versus & VI. a Frusinone in boream, IV. autem ab Alatro in occasum, sub dominio summi pontificis & VIII. milliaribus a confinio regni Neapolitani.

(p) Ferrar. voce *Verulæ*. Verulum, Verulæ Frontino, *Veruli* vulgo, colonia & vrbs Latii episcopalis in Hernicis, apud Cosam fluuium, media fere inter Anagniam ad occasum & Soram ad ortum X. seu IX. mill. passuum.

(q) Holsten. in Ital. Cluuer. p. 194. *Procedit ad CXX. stadia*] mill. pass. XV.

(r) Holsten. ibid. p. 193. *Albanum*] Immo iam ante hæc tempora Gregorii M. epist. XI. lib. III. exstat ordini & plebi consistenti in *Albano* scripta, cetera. *Petauii errorem*] Leuissimus sane error: nam prædia illa & villæ proxima erant ipsi *Albæ*.

(s) Ferrar. voce *Alba longa*. Alba longa, vrbs Latii excisa, antiquior Roma, ab Ascanio an. XXXII. post excidium Troiæ condita anno mundi M.M.M.LXVI. manet episcopatus cardinalibus tribui solitus, ab vrbe Roma XVI. mill. passuum. Illam circumstant castra *Albanum*, Sauellum & Gandulphi, ex ruinis eius, vt ferunt, constructa.
Baudr. lexic. ibid. Alba in ruinis iacet. - - Distat ab vrbe Roma XIV. mill. passuum.

(t) Ferrar. voce *Velitræ*. Velitræ - colonia & vrbs Latii episcopalis in via Appia, *a Roma XX. mill. pass.* in eurum Priuernum versus distans, *Albæ* & Ariciæ vicina ad *III & IV. pass.*

(u) Baudr. lexic. voce *Antium*. Antium -- in ruinis iacet *ab Ostia XX. mill. pass.* in eurum *a Velitris XIV.* in meridiem.

(w) Holsten. adnot. in Carol. a S. Paulo p. 9. *Tres Tabernæ* &c. *vulgo Cisterna*)

tam

tam fuisse existimat prope *Velitras*, ita quidem, vt *Gregorius Magnus* has duas dioeceses coniunxerit. FERRARIVS [x] V. duntaxat passuum millibus a *Velitris*, & XXVI. (vel secundum BAVDRANDVM XXI.) a *Roma*, V ab *Aricia* & XXII. ab *Appii Foro*, altero loco, vbi fratres *S. Paulo* obuiam facti, abfuisse iudicat. Equidem nec *Aricia* nec *Appii Forum* tanquam sedes episcopales vlli veterum scriptorum memorantur. At FERRARIVS [y] vtrique loco hanc dignitatem adsignare videtur. Nam *Ariciam* vrbem & coloniam claram *Latii* fuisse, dicit, quæ secundum communem ecclesiæ regulam hoc ipso titulum sedis episcopalis habuit. Neque obiici potest, quod tantum XVI. mill. passuum a *Roma* & IV. vel V. ab *Alba*, *Tribus Tabernis & Velitris* abfuerit; iam enim vidimus, plures alias ciuitates in hoc tractu haud maiori interuallo alias ab aliis dissedisse. De *Appii Foro* confidentius loquitur, dicitque, vrbem olim episcopalem [z] fuisse, etiamsi nullum huius rei testimonium adferat. Sed ratio quædam subest, vt dictis eius fidem habeamus, quia vrbs erat mediocri interuallo a quauis alia separata. Nam *Tarricina* in eurum ferme XII. mill. passuum inde recedebat, & *Tres Tabernæ* in occasum supra XX; vt adeo aut *Tres Tabernæ* & *Tarracina* ampliores dioeceses, quam quidem in hisce partibus esse consueuerunt, habuerint, aut *Appii Forum* illis interuenerit, oporteat. Sed missum hoc facimus, quod in rebus dubiis, vbi antiqua documenta desunt, aliquid certi definiri nequit. Igitur ad ea, quæ certiora sunt, progredimur. A *Terracina* ad *Fundos* secundum recentiores geographos [a] X. tantum mill. passuum

Hoc falsum: Nam Trium Tabernarum vestigia haud procul inde in ipsa via Appia conspiciuntur. Gregorius Magnus hanc ecclesiam desolatam Velitrensi coniunxit.

(x) Ferrar. voce *Tres Tabernæ*. Tres Tabernæ vrbs olim Latii episcopalis --- inter vrbem Romam XXVI. & Forum Appii XXII. mill. pass. *vltra Velitras VI.* Baudrand. ibid. Tres Tabernæ vrbs fuit --- Distabat *V. milliaribus ab Aricia & XXI. ab vrbe Roma* in ortum.

(y) Ferrar. voce *Aricia*. Aricia vrbs & colonia olim clara Latii, nunc oppidulum, *ab vrbe Roma XVI mill pass.* haud procul *a Velitris*, inde *IV. mill. recedens*, Albæ quoque finitima.

(z) Ferrar. voce *Forum Appii*. Forum Appii, vrbs Latii, *olim episcopalis*.

(a) Ferrar. voce *Fundi*. Fundi, *Fundi*. colonia & vrbs episcopalis Latii in regni Neapolitani initio, primum ex vrbe Roma Neapolim proficiscentibus occurrens, *post Tarracinam X. mill. pass.* media inter illam & Formias.

fuerunt, tametsi in *itinerario Hierosolymitano* [b] XIII. & in *itinerario* ANTONINI XVI. habeantur. *Fundis Formias* eadem itineraria XII. & XIII. mill. pass. computant, quam distantiam FERRARIVS ex recentioribus geographis X. duntaxat mill. passuum æstimat; lectorem suum aduersus grandem errorem heic [c] præmuniens STRABONIS, *Formias* a *Tarracina* CCCC. stadiis, hoc est L. milliaribus, distare scribentis, quum ne CC. quidem stadiis distent. Si a mari aliquantum sursum versus ad eam *Latii* partem, quæ inter eurum & aquilonem iacet, oculos conuertimus, *Aquinum* illic & *Cassinum* conspicimus, V. tantum mill. pass. alterum ab altero separatum, & *Atinam* eiusdem distantiæ a *Cassino*, & *Soram* XII. mill. pass. ab *Atina*, XII. a *Ferentino*, XVI. a *Cassino* & LX. a *Roma* dissitam. Vt adeo in terræ tractu LXX. veterum *Italicorum* milliarium, quæ non prorsus LX. ex recentioribus conficiunt, viginti circiter vel triginta episcopatus, pro numero vrbium *Latii*, florentissimis imperii *Romani* temporibus, fuerint.

E *Latio* in *Campaniam* progrediendum nobis est, vbi primum *Minturnas* inuenimus, locum hodie *Scaffa del Garigliano* vocitatum, non procul ab ostiis *Liris* fluuii, IX. mill. passuum a *Formiis* & totidem a *Sinuessa*, vt FERRARIVS [d] computat.

(b) Apud Holsten. adnot. in Ital. Cluuer. p. 218. Viæ Appiæ loca & interualla nostro tempore sic computantur:

| | |
|---|---|
| *Roma Ariciam m. p.* | *XIII.* |
| *Genzano* | *I.* |
| *Torre S. Inelo sub Lanubio* | *II.* |
| *Cisternam* | *IX.* |
| *Torre mercata* | *V.* |
| *Casarillo di S. Maria* | *III. vel 3 ½.* |
| *Tarracinam* | *XVIII.* |

Ex Hierosolymitano itinerario Viæ Appiæ.

| | |
|---|---|
| *Roma Ariciam* | *XVI.* |
| *Tres Tabernas* | *V.* |
| *Spontas* | *XIV.* |
| *Appii forum* | *VII.* |
| *Medias* | *IX.* |
| *Tarracinam* | *X.* |

(c) Ferrar. voce *Formiæ*. Cauendus est error heic Strabonis, Formias a Tarracina CCCC. stadiis distare scribentis; quum neque CC. distent. *Nota:* De distantia a Fundis nihil lego.

(d) Ferrar. voce *Minturnæ*. Minturnæ, colonia Latii noui, in Campaniæ confi-

Paullo

Paullo superius *Teanum*, nunc *Tiano* dictum, VIII. mill. passuum a *Suessa*, a *Capua* XII; & *Calenum* totidem a *Capua Suessæ* vrbi propinqua ad VI. mill. pass. totidem fere a *Sinuessa*, secundum computationem FERRARII [*e*]. CAROLVS A SANCTO PAVLO *Calenum* pro eo loco, qui hodie *Cagli* dicitur, accipit, & alii pro *Calibus*; sed HOLSTENIVS [*f*] hoc oppidum idem cum *Carinola* esse ostendit, quæ nunc sedes episcopalis est, ex BAVDRANDI sententia IV. tantum mill. passuum a *Suessa* & totidem ab ora maris *Tusci* distans. Proxime vltra hasce diœceses *Vulturnum*, hodie *Castel di Bitorro* ad ostia *Vulturni* fluuii VIII. mill. passuum a *Sinuessa*, IX. a *Linterno*, & X. a *Capua*. Quinque mill. passuum vltra *Linternum* in eadem ora *Cumæ* & III. mill. passuum infra hasce *Misenum*, vnde *Puteoli* similiter III. mill. passuum & *Puteolis* ad *Neapolim* VI. secundum FERRARII computationem. Duodeuiginti circiter mill. passuum vltra *Neapolim Stabiæ* erant, & ab his VI. mill. passuum *Surrentum* ad eamdem oram, vltra quod *Amalphia* & *Salernum*, quorum hoc posterius a *Neapoli* XXIV.

nio, ad ostia Liris fluuii, olim vrbs episcopalis, nunc prorsus exstincta. Locus *la Scaffa del Garigliano*, teste Sanfelicio, nominatur, inter Formias ad occasum, & Sinuessam ad ortum, vrbes etiam excisas, IX. mill. passuum, a Fragellis.

(*e*) Ferrar. voce *Teanum*. Teanum, cognomento Sidicinum Plinio & aliis, *Tiano*, colonia & vrbs Campaniæ episcopalis sub archiepiscopo *Capuano*, inde XII. mill. pass. Casinum versus XX. in colle, inter Cales IV, & Suessam VIII.

Ibid. voce *Calenum*. Calenum, *Carinola*, vrbs Campaniæ, in regno Neapolitano, in agro Stellate, apud montem Massicum, Suessæ propinqua ad *VI*. mill. pass. totidem fere a Sinuessa vrbe excisa, episc. sub archiepiscopo Capuano, inde XII. mill. Sinuessam versus.

(*f*) Holsten. adnotat. in Cluuer. p. 268. Ipsam Carinolam olim Celenam vel Celennam dictam coniicio primum ex versu Virgilii lib. VII.

*Quique Rufas Batuiumque colunt, atque arua Celennæ.*

Quum enim Rufæ - - fuerit, vbi nunc Presenzanum, Theanensis diœcesis oppidum exstat, Celennam quoque in hac Campaniæ parte ponendam existimo, cui planitiem magnam subiectam Virgilius ostendit. Deinde quia Iulianus Pelagianus episcopus Campanus, Celanensis episcopus a Beda vocatur, quod ad Virgilii Celennam non male trahit Rosweidus in notis ad Paulinum. Nam Celanensis ciuitas, vt apud Prosperum in chronicis legitur, extra Campaniam in Hirpinis [illegible]it. Iulianum vero alicubi in Campania episcopum fuisse testatur idem Prosper in epigrammate, quo eumdem Iulianum perstringit.

duntaxat mill. passuum distare FERRARIVS auctor est. Ad latus *Neapolis* septemtrionale & orientale *Nola* erat, quæ non amplius XII. mill. passuum ab ea distare potuit. Nam HOLSTENIVS [g] obseruat, *Octauianum*, villam sub *Vesuuio* monte, vbi *Octauius Augustus* mortuus est, in via ad vtramque istam vrbem fuisse, V. mill. pass. a *Neapoli* & VII. a *Nola*. Inter *Nolam* & *Capuam Acerra* sita, VI. mill. passuum a *Nola*, VIII. a *Neapoli* & a *Capua* X. Nam *Nolam* inter & *Capuam* XX. duntaxat antiqua milliaria *Italica* fuerunt, vti e PAVLINO episcopo *Nolano* [h] condiscimus, qui hac in re falli non potuit. *Neapolis* & *Capua* XVI. tantum mill. passuum separatæ, & tamen *Atella*, hodie *S. Arpino*, vel *S. Elpidio* illis fuit intermedia. FERRARIVS [i] enim vtrimque VIII. mill. passuum afuisse, dicit, *Calatia* tantumdem viæ in boream a *Capua*; *Venafrum* non nisi X. mill. passuum a *Cassino*; *Abellinum* maxima diœcesis in omni *Campania*, XVI. mill. pass. a *Beneuento*, & totidem a *Nola*, *Salerno* & *Frequento* in prouincia *Samnii*, cui postea, vt BAVDRANDVS [k] perhibet, coniunctum fuit. Quod si igitur omnes hasce *Italicas* diœceses, quas hactenus enumerauimus, coniungamus, vltra centum & decem adscendunt, ex quibus XX. in exigua ista parte *Tusciæ*, quæ *Patrimonium S. Petri* hodie dicitur, XX. in *Vmbria*, XI. in *Valeria*, XIX. in *Piceno suburbicario*, & XLIII. in *Latio & Campania* fuerunt. Et tamen omnis hæc regio simul sumta in longissima sua parte non amplius CC. mill. pass. ad oram maris *Tusci* extensa. Nam a *Martha* amne, ad quem *Tarquina* & *Grauisca* sitæ erant, ad vrbem *Romam* L. recentiora milliaria habentur, a *Roma* ad *Neapolim* CXXV; a *Neapoli* ad *Salernum* extimam diœcesim in *Campania* XXIV, secundum FERRARII computationem. Ad oram maris *Adriatici* longitudo tantummodo fuit *Piceni suburbicarii* inter *Aesim* & *Alternum* fluuios, quæ non habuit supra CXX. mill.

(g) Holsten. in Ortel. p. 133. Octauianum, villa Octauii imperatoris sub Vesuuio monte V. m. p. a Neapoli & VII. ab vrbe Nola, vbi etiam mortuus est.

(h) Paulin. ad Cyther. carm. XIII. p. 492. edit. Antwerp. MDCXXII. 8uo.
Ab vrbe Capua, quæ loco sedis meæ
Bis dena distat millia, &c.

(i) Ferrar. voce *Atella*. Atella vrbs Campaniæ episcopalis -- media inter Capuam & Neapolim, VIII. mill. pass. vtrimque.

(k) Baudrand. voce *Abellinum*. Abellinum vrbs, principatus titulo clara, sedet in regno Neapol. -- eius episcopus vnitus est cum Frequentino.

passu-

passuum. Latitudo in amplissima parte illius ab *Ancona* in ora maris *Adriatici* ad *Ostiam* iuxta mare *Tuscum* CLXIV. tantum mill. passuum, & in angustioribus partibus ab ostio *Aterni* fluuii ad ostium *Liris* non amplius CXX. mill. passuum. Quod spatium lector curiosus inter CX. dioeceses dispertire, si lubet, potest, atque sic examinare, num mensuram, quam illis supra adsignauimus, excedant.

## §. VI.
## *De* Samnio.

Non immorabimur tam accurate examinandis reliquis dioecesibus *Italicis*, sed numerum duntaxat earum in qualibet prouincia inibimus, paucas quasdam obseruationes in earum maximas, vti hactenus in minimas, facturi, vt lector hanc disquisitionem pro lubitu persequi possit & videre, quod magnitudo vel exiguitas alicuius dioecesis nullam diuisionem vel perturbationem in ecclesia catholica produxerit. Proxima igitur prouincia, de qua agendum nunc nobis est, *Samnium* est, sedens in ora maris *Adriatici*, inter *Picenum suburbicarium* in occasum, a quo per *Aternum* seu *Pescaram* amnem; & inter *Apuliam* in ortum, a qua per *Frentam* fluuium, separabatur. In hac prouincia CAROLO A SANCTO PAVLO non nisi decem memorantur dioeceses. *1. Beneuentum. 2. Sæpinum. 3. Sulmo*, nunc *Sermona. 4. Bouianum*, vulgo *Bojano. 5. Theatea*, hodie *Ciuita di Chieti. 6. Ortona. 7. Frequentum*, vulgo *Fricenti. 8. Alipha. 9. Samnium. 10. Corfinium*, vel *Valua.* Quibus HOLSTENIVS *Istonium* addit & *Aeclanum*, BAVDRANDVS autem *Aeclanum* idem cum *Frequento* fuisse, autumat. Quomodocumque autem res se habet, HOLSTENIVS [*l*], illam ciuitatem *Decimum Quintum* appellatam fuisse, obseruat, quod XV. mill. passuum a *Beneuento* distaret. *Corfinium* & *Sulmo* propius a se inuicem dissita & postea vnita. *Ortona*, *Theatea*, *Sæpinum*, *Bouianum*, & *Issonium* alia X. alia XII. mill. passuum ab aliis separata. Adeoque tres dioeceses neque ita exiguas, vt circa *Romam*, neque ita magnas, vt in occidentalibus dioecesis *Italicæ* prouinciis, fuisse, in propatulo est.

(*l*) Holsten. adnot. in Car. a S. Paulo p. 18. Aeclanum Samnii, vel potius Campaniæ ciuitas, cuius vestigia exstant prope Mirabellam XV. mill. pass. a Beneuento, vnde postea Decimum Quintum appellata fuit, vt in monumentis Beneuentanæ ecclesiæ legi, cui postea suffraganea fuit.

## §. VII.

## *De* Apulia *&* Calabria.

PROXIME ad *Samnium Apulia* sita, & post hanc *Calabria* in extimo *Italiæ* angulo ad mare *Adriaticum.* Hæ duæ regiones vnam tantum prouinciam in ciuili pariter & ecclesiastica recensione constituunt, ideoque eas heic coniungimus. In *Apulia* secundum computationem CAROLI A SANCTO PAVLO duodecim exstant diœceses. *1. Ignatia*, hodie *Ignazzo.* *2. Barium*, hodie *Barri.* *3. Tranum*, vulgo *Trani.* *4. Cupersanum*, vulgo *Conuersano.* *5. Canusium*, vulgo *Canosa.* *6. Sipontum*, nunc *Siponto.* *7. Arpi*, hodie *Sarpi.* *8. Melphia*, vulgo *Melfi.* *9. Venusia*, hodie *Venosa.* *10. Acherontia*, vulgo *Acerenza.* *11. Vigiliæ*, vulgo *Bisegli.* *12. Cannæ.* Quibus ab HOLSTENIO quinque aliæ adiiciuntur, *13. Biuinum*, hodie *Bovino.* *14. Herdonia*, nunc vulgo *Ardona.* *15. Rubi*, nunc *Ruvo.* *16. Salapiæ*, vulgo *Salpe.* *17. Aecæ* siue *Acana*, postea *Troia* dicta. In *Calabria* CAROLO A SANCTO PAVLO septem diœceses memorantur, HOLSTENIO autem decem. *1. Brundusium*, vulgo *Brindisi.* *2. Aletium*, hodie *Lecci.* *3. Hydruntum*, vulgo *Otranto.* *4. Callipolis*, nunc *Gallipoli.* *5. Tarentum*, hodie *Taranto.* *6. Vria*, vulgo *Oira.* *7. Lypia* siue *Lupia.* *8. Neritum*, vulgo *Nardo.* *9. Vxentum*, hodie *Vgento.* *10. Alexanum*, olim *Leuce*, hodie *Alessano.*

## §. VIII.

## *De* Lucania *&* Brutia.

PROXIME istis mare *inferum* versus regiones *Lucania* & *Brutia* adiacent, quæ itidem coniunctim pro vna prouincia sumuntur. In *Lucania* CAROLVS A SANCTO PAVLO quinque tantum episcopatus reperire potuit, HOLSTENIVS autem numerum ad octo auget, quæ sequentes sunt. *1. Potentia*, vulgo *Potenza* *2. Buxentum*, quod CAROLVS A SANCTO PAVLO, hodiernum *Pisciota* esse, putat, HOLSTENIVS autem & alii *Polycastro.* *3. Pæstum*, vulgo *Pesto.* *4. Acropolis*, vulgo *Agropoli.* *5. Blanda*, quam nonnulli hodiernum *Beluerede* esse putant, HOLSTENIVS autem *Porto di Sapri* vocat. *6. Grumentum*, vulgo *Agrimonte.* *7. Velia.* *8. Cosilianum*, cuius episcopus interdum quoque *Marcilianensis* dictus, a *Marciano*, *Cosiliani* suburbio, quemadmodum HOLSTENIO [*m*] obseruatur. In *Brutia* ex CAROLI A SANCTO PAVLO

(*m*) Holsten. not. in Carol. a S. Paulo p. 23. Cosilianum antiquissima Lucaniæ ci-

obser-

obseruatione sedecim fuerunt dioeceses. *1. Rhegium*, hodie *Rezo*. *2. Taurianum*, vulgo *Seminara*. *3. Vibo-Valentia*, hodie *Bivona*. Ex his duabus dioecesibus, obseruante HOLSTENIO [*n*], *Rogerius*, comes *Calabriae* & *Siciliae*, nouam dioecesim constituit, an. MLXXXVII. *4. Tropia*, al. *Tropea*, vulgo etiam *Tropia*. *5. Nicotera*, nunc *Nicodro*. *6. Tempsa*, nunc *S. Marco*. *7. Thurium*, nunc *Terra nova* BARRIO, aliis *Buffalora*. *8. Cerillus*, vulgo *Cerilla*. *9. Consentia* vel *Cosentia*, hodie *Cosenza*. *10. Crotona*, adhuc *Crotone*. *11. Scyllatium*, vulgo *Squillaci*. *12. Locri*, vulgo *Gieraci*. *13. Muranum*, vulgo *Morano*. *14. Portus Orestis*, hodie *Porto Rauagliosa*. *15. Carina*, *Rhegio* vnita a GREGORIO MAGNO. *16. Boua*, vulgo etiam *Bova* dicta. Hisce HOLSTENIVS duas alias subiungit, *Paternum* & *Turres*, quarum priorem sedem *Vmbriaticum* translatam, & posteriorem *Tauriano* coniunctam esse, dicit [*o*]. Vt adeo noua dioecesis *Miletensis*, ex *Tauriana* & *Vibonensi* constituta, ad minimum tres antiquae dioeceses in vnam coniunctae fuerint. Vnde inferri licebit, quod, etsi quaedam dioeceses in hac parte *Italiae* minores sunt, quam fuerunt olim, aliae tamen maiores sint, ex duabus tribusue in vnam redactae. Idem quoque de *Campania* obseruari potest, in qua dioeceses hodie multo numerosiores inueniuntur quam in vlla alia *Italiae* parte; tametsi earum nonnullae

vitas Cassiodor. var. lib. VIII. epist. XXXIII. suburbium habuit Marcilianum, siue Marcellianum, vnde Marcellianensis episcopus & Cosilinas promiscue dicebatur.

(*n*) Holsten. not. in Ital. Cluuer. p. 299. 300. In diplomate Rogerii comitis Calabriae & Siciliae, quo continetur fundatio ecclesiae Miletensis, dato anno orbis conditi *S φ G E*. Ind. X. tempore Gregorii VII. sic legitur: *Quoniam ecclesiae episcopales Bibonae & Taurianae ab hominibus desertae atque deperditae sunt, Ego Rogerius &c. volui duas has cathedras in vnam ecclesiam Miletensem redigere, & hanc vnam, nec Bibonae, nec Taurianae nomine sed Miletensem vocari*, cetera.
Cui deinde vtriusque ecclesiae bona attribuit. Fundata fuit haec ecclesia anno Christi MLXXXVII.

(*o*) Holsten. adnot. in Cluuer. Ital. p. 294. *Vocabula &c. praeter Turreis*] Locus ille ad Turres fuit circa Amatum fl. vbi nunc Maida. Nam interuallum exacte quadrat. Videtur fuisse episcopale oppidum. Nam D. Gregor. M. lib. II. epist. XXXVIII. Turritanam ecclesiam episcopo suo destitutam Scyllatino commendat, vtpote viciniori.
Id. ibid. p. 306. Barrius Paternensem episcopatum Vmbriaticum translatum fuisse, adfirmat, certe illo tractu hoc oppidum fuit, & notandum Paternum heic eodem interuallo a Turiis poni, quo Petelia in tabula itineraria.

ita paruæ sint, vt non vltra vrbium suarum moenia protendantur, aliæ tamen maiores sunt, quam antea, ex memorata ratione, quod ex duabus tribusue dioecesibus antiquis coniunctis erectæ fuerunt, vt loco suo notauimus.

## §. IX.

## *De* Sicilia, Melita *&* Lipara *insulis.*

SEPTEM hisce prouinciis in *Italia* sitis, *Sicilia*, *Sardinia*, *& Corsica* insulæ, vna cum minoribus circumiacentibus insulis addendæ sunt, quæ decem prouincias dioecesis *Romanæ*, seu præfecturæ vrbicæ, constituunt. In *Sicilia*, CAROLO A SANCTO PAVLO recensente, tredecim sunt dioeceses. *1. Syracusæ*, vulgo *Syragusa. 2. Tindarium*, vulgo *Tindaro. 3. Leontini*, vulgo *Lentini. 4. Lilybæum*, hodie *Marsala. 5. Tauromenium*, vulgo *Taormina. 6. Messana*, nunc *Messina. 7. Thermæ*, vulgo *Thermine. 8. Catana*, hodie *Catania. 4. Triocala*, vulgo *S. Giorgio Triocale. 10. Agrigentum*, vulgo *Grigenti. 11. Panormus*, hodie *Palermo. 12. Alæsa*, hodie *Caronia. 13. Camarina*, vulgo *Camarana.* Quibus duæ subiiciuntur insulæ *Lipara* & *Melita*, tempore *Gregorii Magni* suos separatim habentes episcopos. *Notitiæ* recentiores de septem aliis in *Sicilia* loquuntur, & BAVDRANDVS adhuc alias vrbes memorat, quæ antiquis temporibus sedes episcopales fuisse dicantur, *Charinum*, *Drepanum*, *Gela noua*, *Myle*, hodie *Melazzo*, *&* *Troianopolis*, vulgo *Troyna*; sed vbi hæc nomina inuenerit, non indicat. Vtcumque vero res se habet, hæ dioeceses magnæ fuerint, oportet; hæc enim insula in toto *mari mediterraneo* omnium maxima est. BAVDRANDVS [*p*] insulæ circuitum esse dicit DC. mill. passuum, teste CLVVERIO, qui totam insulam dimensus sit. Quod spatium in tredecim vel duodeuiginti episcopatus dispertitum, illas dioeceses amplas esse, facile probabit, vt singulorum locorum distantiæ examinandæ immorari haud necesse sit. *Melitam* insulam longam esse XX. latam XI. mill. passuum, FER-

(*p*) Baudr. lexic. geogr. voce *Sicilia.* Sicilia insula est ampla -- Separatur ab Italia angusto freto MD. pass. eiusque circuitus est DC. mill. pass. teste Cluuerio. Ipsius enim latus boreale a Lilybæo promontorio ad Pelorum est CCL. mill. pass. latus australe a Lilybæo promontorio ad Pachynum est CLXXXX. mill. pass. & latus orientale a Pachyno ad Pelorum est CLV. mill. pass. vt pluribus refert Cluuerius, qui totam insulam dimensus est.

RARI-

RARIVS [q] auctor eſt, BAVDRANDVS autem longitudinem illius XXV. mill. paſſ. & latitudinem XV. ſtatuit. Vtram harum dimenſionum admittas, ampliorem illam diœceſim, quam quatuor vel quinque diœceſes *Italicas* fuiſſe, intelliges. *Lipara*, in ſeptem inſulis *Vulcaniis* ſiue *Aeoliis* præcipua, non ita ampla fuit, vtpote XVIII. tantum mill. paſſuum in circuitu habens. Habuit tamen vrbem cum aliquot villis, quæ vna cum minoribus inſulis ad mediocrem quamdam diœceſim & maiorem quidem, quam multæ circa *Romam* fuerunt, conſtituendam ſuffecit.

§. X.

*De* Sardinia *&* Corſica.

SARDINIA interdum *Africanæ*, interdum *Romanæ* diœceſi accenſetur. In *notitia* eccleſiæ *Africanæ*, a SIRMONDO publicata, heic quinque diœceſes fuiſſe dicuntur, & a CAROLO A SANCTO PAVLO recenſentur ſex. *1. Carallis*, vulgo *Cagliari*. *2. Sulchi*, nunc *Solo*. *3. Tegula*. *4. Turris Libiſſonis*, hodie *Porto di torre*. *5. Forum Traiani*. *6. Phauſania*, aliis *Fauſania*, vulgo *Terra noua*. *Sanafer* an in *Sardinia*, non ita certum eſſe, dicit. BAVDRANDVS [r] olim XVIII vrbes *Sardiniæ* epiſcopali ſede decoratas fuiſſe, nunc VII. eſſe, adfirmat. Sed quomodocumque res ſe habet, regionem pro duodeuiginti diœceſibus ſatis amplam eſſe conſtat. Nam FERRARIVS [r] illam longam CC. & latam CLXX. mill. paſſuum ſtatuit; BAVDRANDVS paullo anguſtiores ei limites circumſcribit, eius longitudinem CLXX. tantum mill. paſſuum, latitudinem maiorem LXXX, circuitum autem CCCCL. complecti adfirmans. Qui terræ tractus quinque vel ſex magnas diœceſes, & duodeuiginti maiores, quam quæ in vicinia *Romæ* fuerunt, conficere poterit.

IN *Corſica* a CAROLO A SANCTO PAVLO quatuor antiquæ

(q) Ferrar. voce *Melita*. Melita -- inter Siciliam & Africam, a Pachyno promontorio LXX. mill. paſſ. a Camarina LXXXIIII. ipſa longa XX. lata XI. circuitu LX.
Baudrand. ibid. Eius longitudo eſt XXV. milliarium, latitudo XV.

(r) Baudr. voce *Sardinia*. Vrbes Sardiniæ hac tempeſtate: quæ XVIII. olim epiſcapali ſede decoratæ, nunc VII. ſunt.

(s) Ferrar. voce *Sardinia*. Sardinia -- inſula ingens Italiæ, inter mare Tyrrhenum & Balearicum -- longa CC. lata vbi plurimum CLXX.
Baudrand. ibid. Eius longitudo eſt CLXX. mill. paſſ. latitudo maior. LXXX. circuitus autem CCCCL.

dioeceses repertæ, ab HOLSTENIO quinque. *1. Aleria*, sic vulgo quoque dicta. *2. Vrcinium*, aliis *Adiacium*, vulgo *Adiazzo. 3. Nebium*, vulgo *Nebio. 4. Tamita 5. Mariana.* Iam vero hæc insula BAVDRANDO longa dicitur CVI. mill. passuum, lata L & eius ambitus CCC. milliarium, quod ipsum singulis dioecesibus XL. mill. passuum tribuet. Vt adeo hæ dioeceses amplissimæ in vniversis decem prouinciis, præfecturæ vrbis *Romæ* subiectis, fuisse intelligantur.

## §. XI.
## *De* Piceno annonario & Flaminia.

IN *Italiam* nunc regredimur, septem prouincias, quæ proprie sic dictam dioecesim *Italicam*, a *Romana* distinctam, constituunt, paucis spectaturi. Quarum prima, *Romæ* proxima, fuit *Picenum annonarium*, a *Piceno suburbicario* per *Aesim* fluuium separatum. CAROLVS A SANCTO PAVLO per errorem *Romanæ* dioecesis prouinciam facit, sed in antiqua imperii notitia *Flaminiæ* iungitur, & cum hac vnam duntaxat prouinciam dioecesis *Italicæ* constituit. In hoc *Piceno* olim nouem solum dioeceses fuerunt. *1. Aesis*, hodie *Giesi. 2. Senogallia*, vulgo *Senigaglia. 3. Fanum Fortunæ*, hodie *Fano. 4. Pisaurum*, hodie *Pesaro. 5. Ariminum*, vulgo *Rimini. 6. Vrbinum*, hodie *Vrbino. 7 Tifernum Metaurense*, ita dictum, vt ab altero *Tiferno* ad *Tiberim* fluuium sito, distinguatur, vnde XVI mill. passuum distabat. Hodie vocatur *S. Angelo in Vado*, & alius dioecesis, quæ a fundatore suo *Vrbano* VIII. summo pontifice *Vrbanea* dicitur, pars duntaxat est. *8. Forum Sempronii*, vulgo *Fossumbrono. 9. Callium*, vulgo *Cagli.* In *Flaminia*, quæ *Piceno* in occasum adiacebat, inter *Rubiconem* & *Padum* ex CAROLI A SANCTO PAVLO recensione vndecim exstant dioeceses. *1. Rauenna. 2. Sarsina. 3. Cæsena. 4. Forum Populi*, seu *Forum Popilii. 5. Ficoclæ*, hodie *Cervia. 6. Forum Liuii*, vulgo *Forli. 7. Fauentia*, hodie *Faenza. 8. Forum Cornelii*, hodie *Imola. 9. Vicohabentia*, vulgo *Vicovenza. 10. Hadria*, vulgo *Adri. 11. Comacula*, hodie *Comacchio.* De quibus dioecesibus vniuersis nihil obseruamus amplius, quam quod maiores fuerint illis, quæ vrbi *Romæ* circumiectæ, & minores multis aliis, quæ in occidentalibus prouinciis, maiori interuallo inde disiunctis, sitæ fuerunt. *Ferraria* nondum sedes episcopalis per se ipsa erat, sed sub finem sæculi septimi

ptimi hac dignitate a *Vitaliano* pontifice maximo exornata, vti fidem nobis facit FERRARIVS [*t*].

## §. XII.
## *De* Aemilia.

SECVNDA ex hisce septem prouinciis, *Aemilia* in ortum a *Flaminia Idice* amne, in septemtrionem a *Liguria Pado* fluuio, in occasum ab *Alpibus Cottiis Trebia* fluuio, & in meridiem a *Tuscia Apennino* monte disterminabatur. Secundum CAROLVM A SANCTO PAVLO sex dioeceses heic numerantur. *1. Bononia*, vulgo *Bologna. 2. Mutina*, hodie *Modena. 3. Brixellum*, vulgo *Bressello. 4. Regium Lepidi*, vulgo *Reggio. 5. Placentia*, hodie *Piacenza.* Istae omnes amplae dioeceses fuerunt. *Bononia* enim in occasum extima situ XX. mill. passuum a *Mutina* distare credita, & totidem a *Foro Cornelii* in *Flaminia*, XXVIII. a *Ferraria*, quae in proxima dioecesi in boream erat, & in austrum haud habebat viciniorem *Fesulis* vltra *Apenninum* III. mill. passuum a *Florentia.* A *Mutina* ad *Regium Lepidi* XV mill. passuum, & *Regio* ad *Parmam* tantundem itineris, & *Parma Placentiam* XXXV. secundum computationem *Ferrarii. Brixellum* ad *Padum* fluuium VIII. mill. passuum a *Parma*, sed ab aliis partibus forte ampliorem habuit dioecesim. FERRARIVS enim XXIV mill. passuum a *Regio Lepidi* & XXX. a *Cremona* abesse dicit. Vt adeo istae sex dioeceses maiores fuerint, quam viginti dioeceses, vrbi *Romae* circumiectae.

## §. XIII.
## *De* Alpibus Cottiis.

EX *Aemilia*, traiecto *Trebia* fluuio, in prouinciam quamdam *Alpinam*, *Alpes Cottias* dictam, transimus, quae etiam a *Liguria Pado* fluuio separabatur, a quo ad mare *Tuscum* vsque protenta partem *Pedemontii* & *Montis ferrati* & vniuersam rempublicam *Genuensem*, nec non partem ducatus *Mediolanensis* cis *Padum* includebat. In hac prouincia a CAROLO A SANCTO PAVLO decem dioeceses notatae. *1. Augusta Taurinorum*, vulgo *Turino. 2. Asta*, hodie *Asti. 3. Dertona*, vulgo *Tortona. 4. Alba Pompeia*, hodie *Alba. 5 Aquae Statiellae*, vulgo *Acqui. 6. Albigaunum*, vulgo *Albenga.*

(*t*) Ferrar. voce *Ferraria*. Ferraria -- vrbs Aemilia, ad Padum, -- ampla probeque munita & episcopalis -- episcopali sede a Vitaliano pontifice maximo exornata.

7. *Vigintimilium*, vulgo *Vintimiglia*. 8. *Bobium*, vulgo *Bobio*. 9. *Genua*, vulgo *Genoua*. 10. *Sauona*, etiam vulgo *Sauona*. Quibus HOLSTENIVS [u] *Nicaeam*, vulgo *Nizza*, addit. Hae amplae fuerunt dioeceses, nam *Bobium* viciniorem sibi quam *Placentiam* non habuit, quae, FERRARIO [x] computante, XXV. mill. passuum inde afuit, *Genua* autem & *Dertona* XXXV. *Sauonam* inter & *Genuam*, secundam accuratissimam HOLSTENII [y] computationem, XXVI. mill. passuum. FERRARIVS [z] *Sauonam* inter *Genuam* & *Albingaunum* XXX. mill. passuum sitam, dicit. *Aquae Statiellae* itidem XXII. mill. passuum a *Sauona*, vti BAVDRANDVS computat; sed non adeo procul ab *Asta* & *Alba Pompeia*. Nam *Alba* VIII. tantum mill. pass. in septemtrionem ab *Aquis*, & *Asta* XII. pluribus vltra; sed in ortum & occasum hae dioeceses latius forte patuerunt; nam *Augusta Taurinorum* proxima vicina occasum versus XX. mill. pass. ab *Asta*, & XXVIII. ab *Alba*, & *Dertona* totidem in ortum, secundum computationem FERRARII, abfuit. *Vigintimilium* XX. mill. pass. a. *Nicaea* & *Albingaunum* XL. mill. pass. a *Vigintimilio*, & *Sauona* XX. circiter & XXX. ab *Albingauno*. Totius prouinciae longitudo CL. mill. pass. & latitudo LXXV; qui ambitus hasce vndecim dioeceses quinquaginta dioecesibus, *Romae* & *Neapoli* circumiacentibus, aequales facit.

## §. XIV.

## *De* Liguria.

Ex hac prouincia traiecto *Vado* in *Liguriam* deferimur, cuius metropolis *Mediolanum*; quamquam lector monendus est,

(u) Holsten. adnot. in Cluuer. Ital. p. 4. *Nicia* ] In subscriptionibus concilii I. Arelatensis sub Constantino imperatore, Innocentius diaconus ex portu Nicaensi. Et in epistola Hilarii papae tom. I. conciliorum Galliae p. 136. Nicaense castellum, quod Cemelensi episcopo subiicitur: *Habuit* enim *ante proprium episcopum*. Vnde Amantius *episcopus Nicensis* in eodem tomo I. p. 21. legitur: & concilio Aurelianensi V. subscripsit Aëtius presbyter directus a Magno *episcopo ecclesiae* Cemelensis & *Nicaensis*.

(x) Ferrar. voce *Bobium*. Bobium vrbs episc. Liguriae sub archiep. Genuensi ad Trebiam fluuium intra montes -- inter Placentiam XXV. & Dertonam totidem mill. pass. a Genua supra XXXV. quot a Ticino.

(y) Holsten. in Cluuer. Ital. p. 9. Optima itineraria & tabulae exactiores tantum XXVI. m. p. ponunt inter Genuam & Sauonam.

(z) Ferrar. voce *Sauona*. Sauo, *Sauona*, vrbs Liguriae episcopalis sub archiepiscopo Mediolanensi, in ora occidua, inter Genuam & Albingaunum XXX. mill. passuum.

vltimo

vltimo loco memoratam prouinciam in historicis *Romanis*, vt plurimum *Liguriæ*, hanc autem *Insubriæ*, nomine venire. Nos autem nunc de illis loquimur, quemadmodum sub imperatoribus christianis fuerunt diuisæ. Hæc ampla fuit prouincia, omnia inter *Adduam* & *Padum* fluuios, *Alpes* montes, ac *Athesim* amnem, a *Venetia* eam disterminantem, complexu suo continens. Verumtamen heic decem duntaxat diœceses a CAROLO A SANCTO PAVLO & magna HOLSTENII industria post illum detectæ. *1. Mediolanum*, vulgo *Milano*. *2. Eporedia*, vulgo *Ivrea* seu *Hivrea*. *3. Vercellæ*, vulgo *Vercelli*, *4. Nouaria*, vulgo *Novara*. *5. Ticinum*, hodie *Pavia*. *6. Laus Pompeia*, vulgo *Lodi*, *7. Cremona*. *8. Brixia*, vulgo *Brescia*. *9. Bergomum*, vulgo *Bergamo*. *10. Comum*, vulgo *Como*. Ex hisce *Mediolanum* amplissima diœcesis *Italiæ* post *Romam* credita. FERRARIVS, ad trecenta millia hominum in ista vrbe censeri, dicit. Sed hic numerus minor est, quam vt antiquæ eius magnitudini respondeat. PROCOPIVS [*a*] enim *Iustiniani* imperatoris temporibus, quando a *Gotthis* occupata fuit, trecenta minimum hominum millia gladio peremta, dicit. Quando AMBROSIVS heic episcopatum gessit, ciuitas complures habuit basilicas christianas, quarum nonnullæ in epistolis suis ipsi memorantur, exempli gratia *basilica Portiana* [*b*] extra mœnia, & *basilica maior* seu *noua* intra ciuitatem, *basilica Faustæ* [*c*] & *basilica Ambrosiana*. Posteaquam autem ciuitas vniuersa *CHRISTO* nomen dedit, multo plures ecclesias vni episcopo subfuisse, par est, credamus; numquam enim duos habuit, nisi persequutionis *Arianæ* temporibus. Ex-

(*a*) Procop. de bello Gotth. lib. II. c. XXI. p. 439. c. (Par. MDCLXII. fol.) Τὴν δὲ πόλιν ἐς ἔδαφος καθεῖλον· ἄνδρας μὲν κτείναντες ἡβηδὸν ἅπαντας, οὐχ ἧσσον ἢ μυριάδας τριάκοντα κ. τ. λ. Vrbem (*Mediolanum*) solo æquarunt, viris omnibus, sine vllo ætatis discrimine, ad *trecenta minimum millia* peremtis, cetera.

(*b*) Ambros. epist. XXXIII. ad Marcelli sororem. (lib. II. ep. XIV. tom. V. opp. p. 20. d. edit. Paris. MDCXLII.) Nec iam *Portiana*, hoc est extramurana *basilica* petebatur, sed *basilica noua*, hoc est intramurana, quæ *maior* est. - Præfectus eo venit, cœpit suadere, vt *basilica Portiana* cederemus.

(*c*) Idem epist. LXXXV. ad soror. (lib. VII. epist. LIV. tom. V. opp. p. 315. m. edit. Par. MDCXLII.) Vespere iam incumbente ad *basilicam Faustæ* venimus: ibi vigiliæ tota nocte, manus impositio. Sequenti die transtulimus ea in *basilicam*, quam vocant, *Ambrosianam*.

tra

tra muros fortaſſis amplam etiam diœceſim habuit: Nulla enim ex antememoratis vrbibus minus XX. mill. paſſuum inde fuit ſeparata, aliis XXX. aliis XL. mill. paſſ. inter ſe diſſidentibus; Modo *Nouaria* & *Vercellæ* X. duntaxat mill. paſſ. altera ab altera diſtabant, vtpote ſibi inuicem, quam vllæ aliæ in hac prouincia, viciniores. *Cremona* a *Placentia* XVIII. a *Brixia* XXX. a *Ticino* XL. mill. paſſuum, nec, ſi recte computat FERRARIVS, paucioribus a *Mantua* aberat; & nihilominus ager *Cremonenſis* & *Mantuanus* coniuncti fuerunt, quemadmodum ex querimonia VIRGILII coniicere nobis licet ita canentis:

*Mantua væ miſeræ nimium vicina Cremonæ;*

Quia quum *Octauius Auguſtus* militibus ſuis veteranis agrum *Cremonenſium*, qui aduerſis partibus ſtuduerant, adſignaſſet, neque vero illum in diuiſionem ſatis eſſe, percepiſſet, *Mantuani* quoque agri partem XV. mill. paſſuum illis diſpertiri iuſſerat. Vnde huius prouinciæ diœceſes longe maximas fuiſſe, facile ad colligendum eſt, quandoquidem ciuitates aliæ ab aliis tanto interuallo fuerunt ſeparatæ.

## §. XV.

## *De* Rhætia prima *&* ſecunda.

IN duabus proximis prouinciis *Rhætia prima* & *ſecunda* diœceſes adhuc ampliores fuerunt. In *prima* enim, *Liguriæ* in mediis *Alpibus* proxime adiacente, quæ nunc *Griſonum* regio eſt, CAROLVS A SANCTO PAVLO non niſi vnam diœceſim inuenire potuit, *Curiam*, vulgo *Chur* vocitatam. Et in *ſecunda* non niſi tres, quæ ſunt: *1. Auguſta Vindelicorum*, vulgo *Augſpurg*. *2. Quintanæ*, ſeu *Colonia Auguſta Quintanorum*, vulgo *Kyntzen* in *Bauaria* ad *Danubium* fluuium *3. Ratiſpona*, aliis *Regium* al. *Caſtra Regina*, vulgo *Regenſpurg*. Quibus HOLSTENIVS *Auguſtam Prætoriam* addit, vulgo *Aoſta*, quæ *Pedemontio* accenſetur, & *Brixinum*, hodie *Brixen*, in regione *Tirolenſi*. Nam, vt ſupra obſeruauimus, omnis iſta *Germaniæ* pars, quæ ab *Alpibus* ad *Danubium* fluuium vſque protenditur, olim *Rhætia* dicta, & prouinciis *Italiæ* accenſita fuit, & diœceſes in iſta ſitæ adeo amplæ fuerunt, vt quinque vel ſex illæ, ſi territorii magnitudinem non populi frequentiam ſpectes, triginta vel quadraginta diœceſibus vrbi *Romæ* propinquis, æquiparari poſſint.

§.XVI.

## §. XVI.
## *De* Venetia *&* Hiſtria.

VLTIMAE harum *Italicarum* diœceſium *Venetia* & *Hiſtria* erant, ſemper tamquam vna duntaxat prouincia coniunctæ. *Venetiam* a *Rhætia* & *Liguria Athesis* fluuius diuidebat, ab *Aemilia* & *Flaminia Padus*, a *Norico mediterraneo* foſſa quædam, inde a ſcaturigine *Atheſis* ad initia vſque *Saui* fluuii deducta, vbi *Hiſtria* erat contermina, ſedens inter ſinum *Tergeſtinum* in occaſum, & ſinum *Flanaticum* in ortum, qui extimus partis euroaquilonalis *Italiæ* limes eſt. In *Hiſtria*, obſeruante CAROLO A SANCTO PAVLO, quinque tantum diœceſes ſunt. 1. *Forum Iulii*, vulgo *Friuli*. 2. *Tergeſtum*, vulgo *Trieſto*. 3. *Parentium*, vulgo *Parenzo*. 5. *Pola*, hodie etiam *Pola*. 6. *Emona*, aliis *Aemonia*, quam eamdem cum ea eſſe putat, quæ hodie dicitur *Citta nova*; HOLSTENIVS autem falſum hoc eſſe dicit: Ex *itinerariis* enim antiquis conſtare, *Aemonam* nunc eſſe *Lubianam* ad *Sauum* fluuium, vulgo *Labach*. In *Venetia* duodeuiginti ipſi obſeruatæ diœceſes. 1. *Aquileia*. 2. *Patauium*, vulgo *Padoua*. 3. *Torcellum*. 4. *Altinum*, vulgo *Altino*. 5. *Acelum*, vulgo *Aſolo*. 6. *Taruiſium*, hodie *Treviſo*. 7. *Marianum*. 8. *Verona*. 9. *Gradus*, vulgo *Grado*. 10. *Noua*, nunc euerſa. 11. *Caprula*, vulgo *Caborla*. 12. *Ceneta*, vulgo *Ceneda*. 13. *Tridentum*, vulgo *Trento*. 14. *Feltria*, hodie *Feltri*. 15. *Bellunum*, vulgo *Belluno*. 16. *Sabiona*, vulgo *Siben*. 17. *Opitergium*, vulgo *Oderzo*. 18. *Celina*, vulgo *Celine*. Nonnullæ ex hiſce peramplæ fuerunt diœceſes. *Tridentum* plus XXX. mill. paſſuum a *Verona*: Et *Sabiona*, *Forum Iulii*, *Aemonia*, *Tergeſtum*, *Parentium* & *Pola* non minori interuallo aliæ ab aliis diſtabant. Reliquæ X. vel XX. mill. paſſ. a vicina quauis vrbe remotæ erant; modo *Altinum* & *Torcellum* V. tantum mill. paſſ. disiuncta ab ſe inuicem fuiſſe, FERRARIVS [*d*] auctor eſt; dubitat tamen, an eodem ſimul tempore ſedes epiſcopales exſtiterint, ſed potius *Torcellum Altino*, quando ſæculo quinto medio ab *Hunnis* exciſum fuit, ſucceſſiſſe, autumat. Sed vtcumque res ſe ha-

(*d*) Ferrar. voce *Altinum*. Altinum vrbs olim præclara Venetiæ epiſcopalis ſub archiep. Aquileienſi, ab *Hunnis* euerſa, apud Silis flum. oſtium, quando Aquileia & Concordia ab Attila exciſæ fuerunt, media ferme inter Petauium & Concordiam paullo ſupra XXX. mill. paſſuum. *Illi Torcellum ſucceſſit*, epiſc. ſub archiep. Veneto, medium inter Venetias & Altinum V. mill. paſſ. vtrimque.

bet, iſtæ diœceſes pleræque ab hac vel illa parte latiſſime patebant, vti pleræque ex dioeceſibus aquilonalibus *Italiæ*, ſi cum illis, quæ in vicinia vrbis *Romæ* ſedebant, comparentur. Iam igitur obſeruationem, quam ineunte hoc capite feci, ſatis probatam dediſſe mihi videor, nimirum in *Italia* priſcis temporibus aliquas diœceſes de anguſtiſſimis, aliquas autem de ampliſſimis orbis terrarum exſtitiſſe; manente nihilominus eadem epiſcopatus forma in omnibus: Siquidem epiſcopus *Eugubinus*, vt HIERONYMVS loquitur, eiusdem meriti, & eiusdem ſacerdotii cum epiſcopo *Romano* habitus fuit. Siue igitur ampla eſſet diœceſis aliqua, ſiue anguſta, hoc eccleſiæ catholicæ vnitati non derogabat.

# *LIBRI NONI*

## *CAPVT SEXTVM*

## DE DIOECESIBVS GALLIAE, HISPANIAE ET INSVLARVM BRITANNICARVM.

### §. I.

### *De antiquis limitibus & diſtributione* Galliæ *in ſeptemdecim prouincias.*

IAM vniuerſas orbis chriſtiani partes percurrimus, exceptis *Gallia*, *Hiſpania* & *Britannia*, quæ tres ciuiles diœceſes, & vndetriginta vel triginta prouincias imperii *Romani* conſtituerunt. Verum in examinandis limitibus & ambitu diœceſium epiſcopalium in hiſce regionibus omnia accurate & ſigillatim perſequenda eſſe, haud exiſtimamus. Quum enim earum numerus, pro ratione amplitudinis regionum, exiguus tantum ſit, fore confidimus, vt nullus non haſce diœceſes magnas fuiſſe intelligat, quemadmodum etiam nunc ſunt, tametſi mutationes quædam, ex quo primum conſtitutæ fuerunt, in limitibus earum interceſſerunt. *Gallia*, vt nunc eſt, pars duntaxat veteris *Galliæ* eſt, *Belgicas*, *Helueticas* & *Germanicas* quasdam prouincias complexæ. Primum ab *Auguſto* in quatuor partes, *Narbonenſem*, *Aquitanicam*, *Lugdunenſem* & *Belgicam* fuit diuiſa. Poſtea ſub *Adriano* vel *Antonino*, vti PETRVS DE MARCA exiſtimat, ex his quatuor quatuordecim factæ. *Narbonenſis* in quatuor diuiſa; *Narbonenſem*, *Viennenſem*, *Alpes maritimas*, & *Alpes Graias* ſeu *Penni-*

# Antiquorum Galliæ Episcopatuum Geographica Descriptio

Scala Milliarium

BRITANICUS OCEANUS

GALLICUS OCEANUS

AQUITANICUS OCEANUS

MARE GALLICUM

MARIS MEDITERRANEI PARS

PYRENEI MONTES

ITALIÆ PARS

ALPES

N. 9.

*nas. Aquitanica* in tres, *Aquitanicas* duas & *Nouempopulaniam. Lugdunensis* similiter in tres, *Lugdunensem primam* & *secundam*, & *Maximam Sequanorum.* Et *Belgica* in quatuor, *Belgicam primam* & *secundam*, & *Germaniam primam* & *secundam.* Denique circa tempora *Gratiani* imperatoris numerus adhuc tribus auctus fuit. Nam *Lugdunensis tertia*, aliis *Turonia* vocitata, e *Lugdunensi secunda*; & *Lugdunensis quarta*, siue *Senonia* e *Lugdunensi prima*; & noua prouincia *Narbonensis secunda* e prouincia *Viennensi* conditæ. Et circa hanc tempestatem vel post paullo *Viennensis secunda*, alias dicta *Arelatensis*, itidem prouincia facta est. Sunt, qui *Galliam* olim *Septem prouincias* quoque appellatam esse, putant, quod vniuersum corpus *Galliarum* olim in tot partes tributum fuerit. Sed MARCA [*a*] vulgatum errorem esse, ostendit; certum enim esse dicit, „nullam exstitisse *Galliarum* omnium „in septem prouincias diuisionem, quum aut quatuor, aut „postea quatuordecim ex instituto *Hadriani* vel *Aurelii Antonini* „exstiterint, vel saltem maior numerus quam septem; fru„stra igitur laborari in firmanda sententia, quæ nulla ve„tustatis diserto testimonio nitatur. Consequentiam vero, „quæ trahatur ex notitia imperii, vbi vicarius præfecti præto„rio dicatur vicarius per *septem prouincias*, nullam esse: Locum e„nim esse aperte mendosum, & rescribendum *septemdecim.* Quip„pe in notitia, vt reddatur ratio septem prouinciarum, statim „numerari septemdecim.„ Nonnumquam *Galliæ* & *quinque prouinciarum* mentionem fieri, legimus. Iam vero quinque prouinciæ aut nihil aliud nisi tot partes solidæ *Galliæ Narbonensis* antiquæ fuerunt, nempe *Narbonensis prima* & *secunda*, *Viennensis*, *Alpes maritimæ*, & *Alpes Graiæ*: vti BERTERIVS, MARCA & QVESNELLVS eas numerant; aut priores quatuor ex hisce memoratis cum *Nouempopulania*, vel *Aquitanica prima*, loco *Alpium Graiarum*; quam probabiliorem sententiam esse, ostendit PAGIVS [*b*]. Vt adeo, quando concilium *Valentinum* an. CCCLXXIV. epistolam suam synodicam inscripsit, *Episcopis per Gallias & quinque prouincias*, has quinque prouincias intelligi oporteat. Ita quoque apud PHILASTRIVM [*c*], vbi de *Priscillianistis*, *Manichæorum* reliquiis lo-

(*a*) Marca de Primatu Lugdun. n. LXVI. LXVII. LXVIII.

(*b*) Pag. critic. in Baron. an. CCCLXXIIII. n. XVIII - XX.

(*c*) Philaster. hæres. LXII. Vt latrones iam sub figura confessionis christianæ,

quens, in *Hispania* & *quinque prouinciis* eos latere dicit. Similis distinctio in epistola MAXIMI imperatoris ad *Siricium* papam & quibusdam SYMMACHI epistolis, quas MARCA nominat, occurrit. Postea etiam ostendimus distinctionem septem prouinciarum a *Galliis*, quæ in epistolis ZOSIMI & BONIFACII pontificum *Romanorum* occurrit, & ab *Honorii* imperatoris æuo esse creditur, qui septem prouincias ad conuentionem *Arelatensem* coire iusserat, nimirum *Narbonensem primam* & *secundam*, *Viennensem*, *Alpes maritimas*, *Aquitanicam primam* & *secundam* & *Nouempopulaniam*. Hæ ipsæ nonnumquam a *Galliis* septem prouinciarum nomine distinguuntur, quæ distinctio errorem peperit eorum, qui *Gallias* in maxima sua amplitudine & septem prouincias pro vnis iisdemque habent; quum tamen non septem duntaxat sed septemdecim vel duodeviginti prouincias illic fuisse, constet. Nomina episcopatuum in qualibet prouincia, quum in nulla recentiore *notitia* occurrant, heic subiungemus ex CAROLO A SANCTO PAVLO, qui ex antiquorum conciliorum actis ea conlegit.

## §. II.

## *De diœcesibus in* Alpibus maritimis.

PRIMA harum prouinciarum *Alpes maritimæ* erant, *Italiæ* proximæ, vbi septem recensentur diœceses. 1. *Ebredunum*, vulgo *Ambrun*, a sæculo V. metropolis huius prouinciæ; antea enim non fuit, quando *Armentarius* huius sedis episcopus accusabatur, quod, neglecta metropolitani voluntate [*d*], episcopus factus esset: quæ absurda & friuola fuisset incusatio, si ipsemet metropolitani in ista prouincia munus gessisset. 2. *Dinia*, vulgo *Digne*. 3. *Nicæa*, vulgo *Nice*. 4. *Cemelene*, vulgo *Cimies*, quæ sedes postea vnita est cum *Nicaënsi*. Nam *Magnus* vtriusque episcopus vocatur in subscriptionibus concilii *Aurelianensis* quinti. Aliis VI. duntaxat, aliis XXX. mill. pass a *Nicæa* dicitur. 5. *Sanicium*, vulgo *Se-*

multas animas mendacio ac peculiari turpitudine non desinunt captiuare, qui & in Hispania & *quinque prouinciis* latere dicuntur, multosque hac quotidie fallacia captiuare.

(*d*) Concil. Reiens. c. II. (tom. III. concil. p. 1286.) Ebrodunensi ecclesiæ ante omnia mature visum est consulendum - - - Ordinationem, quam canones irritam definiunt, nos quoque euacuandam esse censuimus, in qua prætermissa trium præsentia, nec expetitis comprouincialium litteris, *metropolitani* quoque voluntate neglecta, prorsus nihil, quod episcopum faceret, ostensum est.

*nez.*

*nez.* 6. *Glandata*, vulgo *Glandeve*; cuius ſedem BAVDRANDVS *Interuallium*, vulgo *Entrevaux*, translatam eſſe, dicit. 7. *Ventio*, vulgo *Vence.*

### §. III.
### *De* Alpibus Graiis *ſeu* Penninis.

In ſecunda prouincia, quam *Alpes Graias* ſeu *Penninas* vocant, tres ſolum epiſcopatus fuere. 1. *Darantaſia*, vulgo *la Tarantaiſe*, metropolis, cuius ſedes poſtea *Monaſterium*, vulgo *Moutiers en Tarantaiſe*, translata eſt. 2. *Octodurum*, vulgo *Martenach.* 3. *Sedunum*, vulgo *Syon* vel *Sitten en Valez*, cuius loci epiſcopus, BAVDRANDO teſte, iam dominus ciuitatis eſt.

### §. IV.
### *De* Viennenſi prima *&* ſecunda.

Proxima prouincia occaſum verſus *Viennenſis*, in *primam* & *ſecundam* diuiſa. In prima ſex fuerunt diœceſes. 1. *Vienna*, vulgo *Vienne*, metropolis. 2. *Geneua*, vulgo *Geneve.* 3. *Gratianopolis*, vulgo *Grenoble.* 4. *Ciuitas Albenſium*, aliis *Viuaria* & *Alba Auguſta*, vulgo *Viviers.* 5. *Mauriana*, vulgo *S. Jean de Maurienne.* 6. *Valentia*, hodie *Valence.* In ſecunda prouincia, quæ etiam *prouincia Arelatenſis* dicitur, decem fuere diœceſes. 1 *Arelatum*, vulgo *Arles*, metropolis. 2. *Maſſilia*, vulgo *Marſeilles.* 3. *Auenio*, vulgo *Avignon.* 4. *Cabellio*, hodie *Cavaillon.* 5 *Carpentoracte*, vulgo *Carpentras.* 6. *Tolonium*, aliis *Telonium*, vulgo *Toulon.* 7. *Arauſio*, vulgo *Orange*, 8. *Vaſio*, vulgo *Vaiſon.* 9. *Dia*, vel *Dea Vocontiorum*, vulgo *Die.* 10 *Tricaſtinorum ciuitas*, hodie *S. Paul des troix Chaſteaux*, quam BAVDRANDVS [e] III. leucis ab *Arauſione*, & IV a *Vaſione* diſtare dicit.

### §. V.
### *De* Narbonenſi prima *&* ſecunda.

Ex prouincia *Viennenſi* Orientem verſus alia quoque prouincia erecta fuit, *Narbonenſis ſecunda* ſiue *Aquenſis*, ab *Aquis Sextiis*, metropoli vocitata; præter quam ſex aliæ diœceſes fuerunt in hac prouincia. 2 *Apta Iulia*, vulgo *Apt.* 3. *Reii*, vulgo *Riez.* 4. *Forum Iulii*, vulgo *Frejuz.* 5. *Vapincum*, vulgo *Gap.* 6. *Segeſtero*, vulgo

(e) Baudrand. lexic. voce *Tricaſtini.* Tricaſtini populi fuere Galliæ Narbonenſis - - - Eorum vrbs Auguſti Tricaſtinorum vulgo *S. Paul* dicitur, in colle vna leuca a Rhodano diſſita & media fere inter montem Aemarorum ad boream & *Arauſionem* ad meridiem, *III. leucis vtrimque, vti IV. a Vaſione in Circuitu.*

*Cisteron.* 7. *Antipolis*, vulgo *Antibe*; quæ ſedes poſtea *Graſſam*, *Prouinciæ* (*Provence*) vrbem vicinam, translata eſt. In occaſum *Viennenſis ſecundæ Narbonenſis* prima ſita, in qua decem diœceſes. 1. *Narbo*, vulgo *Narbone*. 2. *Toloſa*, vulgo *Toloſe*. 3. *Betira*, vulgo *Beziers*. 4. *Nemauſum*, vulgo *Niſmes*. 5. *Luteua*, ſeu *Ciuitas Luteuenſium*, vulgo *Lodéve*. 6. *Vcetia*, hodie *Uzes*. 7. *Carcaſo*, vulgo *Carcaſſone*. 8. *Agatha*, vulgo *Adge*. 9. *Helena*, vulgo *Elna*. 10. *Magalona*, vulgo *Magalone*, inſula & ciuitas maris mediterranei, tribus millibus diſtans a *Monte Peſſulo*, vulgo *Montp llier*, præclara *Volcarum* vrbe, ad quam poſtea e *Magalona* ſedes epiſcopalis translata eſt.

## §. VI.

## *De* Nouempopulania.

In occaſum *Narbonenſis primæ* prouincia *Nouempopulania* dicta, iuxta montes *Pyrenæos* ad oceanum *Aquitanicum* ſedit, in qua vndecim fuerunt diœceſes. 1. *Eluſa*, vulgo *Eauſe*, metropolis, vnde prouincia *Eluſana* vocitata. Sedes hæc poſtea *Auguſtæ Auſciorum* coniuncta eſt. 2. *Auguſta*, ſeu *Ciuitas Auſciorum*, hodie dicta *Aux*. 3. *Lactoratium*, vulgo *Lectoure*. 4. *Conuenæ*, vulgo *Cominges*. 4. *Conſoranni*, vulgo *Conſerans*. 6. *Vaſatæ*, vulgo *Baſas*. 7. *Tarba*, vulgo *Tarbes*. 8. *Aturum*, aliis *Vico-Iulia*, vulgo *Aire*. 9. *Laſcara*, vulgo *Leſcar*. 10. *Olero*, vulgo *Oleron*. 11 *Aquæ*, vulgo *Acs*.

## §. VII.

## *De* Aquitanica prima *&* ſecunda.

Ad latus harum prouinciarum ſeptemtrionale a *Garumna ad Ligerim*, duæ prouinciæ *Aquitanica prima* & *ſecunda* poſitæ, quarum in poſteriore oceano *Aquitanico* contermina, ſex amplæ diœceſes fuerunt. 1. *Burdigala*, vulgo *Bourdeaux*. 2. *Aginnum*, vulgo *Agen*. 3. *Engoliſmenſium Ciuitas*, vulgo *Angouleſme*. 4. *Santonum ciuitas*, aliis *Mediolanum Santonum*, vulgo *Saintes*. 5. *Pictaui*, vulgo *Poictiers*, quorum *Hilarius* fuit epiſcopus. 6. *Petrocorium*, hodie *Perigueux*. In priore prouincia in ortum huic contermina, nouem itidem amplæ diœceſes fuerunt. 1. *Biturigæ* metropolis, vulgo *Bourges*. 2. *Aruernorum ciuitas*, vulgo *Clairmont*. 3. *Rutena*, vulgo *Rodez*. 4. *Ariſita*. 5. *Cadurci*, vulgo *Cahors*. 6. *Lemouica*, vulgo *Limoges*. 7. *Gabalum*, aliis *Mimate*, vulgo *Mande*. 8. *Vellaua*, aliis *Anicium*, hodie *le Puy en Vellay*. 9. *Albiga*, ſeu *Alba Heluiorum*, vulgo *Alby*, vnde *Albigenſes*, qui in hiſce oris floruerunt, nomen ſortiti.

§. VIII.

## §. VIII.
## *De* Lugdunenſi prima, ſecunda, tertia, quarta, & Maxima Sequanorum.

Lateri ſeptemtrionali & occidentali *Aquitaniæ Gallia Lugdunenſis* adiacuit, in quinque diuiſa prouincias, quarum in prima quinque diœceſes recenſentur. *1. Lugdunum*, vulgo *Lyon*, metropolis. *2. Matiſco*, vulgo *Maſcon*. *3. Cabillonum*, vulgo *Chalons ſur Saone*. *4. Lingonum ciuitas*, vulgo *Langres*. *5. Auguſtodunum*, vulgo *Autun*.

In *Lugdunenſi ſecunda* octo diœceſes. *1. Rothomagum*, vulgo *Rouen* in *Normandia*. *2. Ebroica*, vulgo *Eureux*. *3. Lexouium*, vulgo *Liſieux*. *4. Baioca*, vulgo *Bayeux*. *5. Conſtantia*, vulgo *Coutance*. *6. Abrinca*, vulgo *Auranches*. *7. Sagium*, vulgo *Séez*. *8. Oximum*, vulgo *Hieſmes*, cuius ſedes poſtea ſedi *Sagiorum*, vnde IV. leucis diſtabat, vnita.

In *Lugdunenſi tertia*, aliis *Turonenſi*, ſeptem fere diœceſes. *1. Turonorum ciuitas*, vulgo *Tours*. *2. Andegauum*, vulgo *Angers*. *3. Cenomanum*, vulgo *Le Mans*. *4. Redones*, vulgo *Rénes*. *5. Namnetes*, vulgo *Nantes*. *6. Venetia*, vulgo *Vennes*. *7. Aletum*, vulgo *Alet*, cuius ſedes poſtea an. MCXL. *Maclouium* translata eſt. Quinque aliæ a ſcriptoribus quibusdam *Gallicanis* adiiciuntur, *Briocum*, *Dola*, *Trecora*, *Oſſiſma* & *Coriſopitum*. Sed CAROLVS A SANCTO PAVLO earum antiquitatem vocat in dubium, quod regnante *Carolo Caluo* in *Britannia* quatuor adhuc tantum epiſcopatus fuiſſe, legantur.

*Lugdunenſis quarta* ea pars *Galliæ* erat, in qua *Lutetia Pariſiorum* ſita, cuius metropolis *1. Senones*, vulgo *Sens*. *2. Carnutum*, vulgo *Chartres*. *3. Antiſſiodorum*, vulgo *Auxerre*. *4. Trecæ*, vulgo *Troyes*. *5. Aurelia*, vulgo *Orleans*. *6. Pariſii*, vulgo *Paris*. *7. Melda*, vulgo *Meaux*. *8. Niuernum*, vulgo *Nevers*.

*Lugdunenſis quinta*, aliis *Maxima Sequanorum* dicta, non a *Maximo*, qui *Gallias* temporibus *Gratiani* inuaſit, vt CAROLVS A SANCTO PAVLO & alii plures opinantur; nam pridem ante ſub *Diocletiano* imperatore ita fuit vocitata, quemadmodum MARCA [*f*]

(*f*) Marc. de primatu Lugdun. num. LXIV. Maxima Sequanorum auulſa erat a Lugdunenſi Diocletiani principatu; vt oſtendit inſcriptio tunc poſita apud Gruterum pag. CLXVI. num. VII. *Aurelio Procmo V. C. prou. Max. Seq.* vbi aperte Maxima Sequanorum prouinciæ nomine inſignitur. Vnde patet eruditorum error, qui *Maximam* dictam volunt a nomine *Maximi*, qui Gallias inuaſit temporibus Gratiani circiter annum trecenteſimum octuageſimum.

ex vetusta inscriptione apud GRVTERVM demonstrat. Antiqua eius metropolis fuit *Vesontium*, aliis *Bisuntio*, vulgo *Bezanzon.* 2. *Auenticum*, vulgo *Avenche*, cuius sedes *Lausannam* translata fuit. 3. *Augusta Rauracorum*, vulgo *Augst*: sed hæc sedes episcopalis *Basileam*, non longe distantem, translata est. 4. *Vindonissa*, vulgo *Winich*, cuius sedes episcopalis *Constantiam ad Rhenum* postea translata est, circa annum Christi, vt ferunt DXCVII. 5. *Belica*, vulgo *Belley*, quam sedem MARCA deleto *Noioduno*, quod vulgo *Nion*, olim *Colonia equestris* vocatum, huc translatam esse, dicit.

## §. IX.

## *De* Belgica prima *&* secunda.

EXTIMAE in aquilonem prouinciæ *Galliarum* fuerunt *Belgica prima* & *secunda* nec non *Germanica prima* & *secunda*, omnis regio ad oram *Matronæ* fluuii septemtrionalem, haud procul a *Parisiis* & *Melda* ad *Rhenum* fluuium vsque; In *Belgica prima* quatuor duntaxat dioeceses exstitere. 1. *Augusta Treuirorum*, vulgo *Trier*, & *Gallis Treves*, metropolis. 2. *Mediomatricum*, vulgo *Metz*. 3. *Tullum*, vulgo *Toul*. 4. *Verodunum*, vulgo *Verdun* in *Lotharingia*.

In altera *Belgica* decem fuere dioeceses, 1. *Remi*, vulgo *Reims*. 2. *Augusta Suessonum*, vulgo *Soissons*. 3. *Catalaunum*, vulgo *Chalons en Champagne*. 4. *Laudunum*, vulgo *Laon*. 5. *Augusta Veromanduorum*, vulgo *Vermand*. Qua ab *Hunnis* euersa, sedes episcopalis *Nouiodunum* seu *Neomagum*, vulgo *Noyon*, translata est. 6. *Cameracum*, vulgo *Cambray*. 7. *Tornacum*, vulgo *Tournay*. 8. *Siluanectum*, vulgo *Senlis*. 9. *Bellouacum*, vulgo *Beauvais*. 10. *Ambianum*, vulgo *Amiens*. Quidam addunt duas, *Taruannam*, vulgo *Therouënne*, & *Bononiam*, vulgo *Boulogne*. Sed CAROLVS A SANCTO PAVLO, has sedes non adeo antiquas esse statuit; nam *Taruanensem* episcopum dicit se non legisse in libris certioris fidei ante *Aetherium*, cuius mentio fiat in epistola *Zachariæ* papæ an. DCCL. nec vsquam apud priscos episcopi *Bononiensis* memoriam se vidisse, sed tantum a *Caroli V.* temporibus, quo imperante, *Taruannensis* sedes translata sit *Bononiam*, pro ea parte dioecesis, quæ est in *Francia*, nec non *Audonaropolim* pro ea, quæ est in *Artesia*, & *Iprum* pro tertia seu vltima parte, quæ est in *Flandria*.

## §. X.

## *De* Germanica prima *&* secunda.

IN *Germanica prima* quatuor duntaxat recensentur dioeceses.

1. *Mo-*



P. 545
CANTABRICUS OCEANUS
GALLIÆ
PARS
ATLANTICUS OCEANUS
PROVINCIA LUCENSIS
GALLÆCIA
PROVINCIA TARRACONENSIS
TARRACONENSIS
CARTAGINENSIS
BÆTICA PROVINCIA
HISPALIENSIS
LUSITANIA
TOLETA
BALEARICUM MARE
SUCRONENSIS SINUS
ILLICITANUS SINUS
URSITANUS SINUS
MARE MEDITERRA
MARE HIBERICUM
MARE GADITANUM
Fretum Herculeum
AFRICÆ PARS
BALLARIDES INSULÆ
Balearis Minor
Balearis Major
Ebusus I
Ophiusa I
Aginnum
Rutena
Lactora
Elusa
Tarba
Albiga
Tolosa
Biterre
Agatha
Naibona
Convenæ
Olero
Pampilona
Lucus
Iria
Flavia
Legio
Pallentia
Auca
Calagurri
Asturica
Auria
Tude
Bracçara
Dumium
Portucella
Osca
Orgelli
Emporiæ
Gerunda
Ausona
Egara
Barcino
Tarracona
Dertosa
Ilerda
Tirasone
Cæsaraugusta
Salmantica
Secobia
Abula
Arcabrica
Segontia
Complutum
Caurium
Coimbrica
Emininum
Toletum
Valeria
Segobrina
Valentia
Bigastrum
Olisippo
Augusta Emerita
Oretum
Ebora
Pax Iulia
Mentesa
Castulo
Setabis
Dianium
Illicis
Dianium Prom.
Corduba
Ilipa
Egabro
Salaria
Basti
Eliocrota
Acci
Carthago
Italica
Hispalis
Astigis
Eliberi
Saturni Prom.
Ossonaba
Lacobriga
Tucci
Asindum
Malaca
Abdarra
Charidemum prom
Scala Milliarium
20 40 60 80 100 120
ANTIQUORUM HISPANIÆ EPISCOPATUUM GEOGRAPHICA DESCRIPTIO NOVA



1. *Moguntia*, *Mayence Gallis* dicitur, incolis *Maynz*. 2. *Argentoratum*, vulgo *Strasſburg*. 3. *Spira Nemetum*, vulgo *Speyer*, *Gallis Spire*. 4. *Wormacia Vangionum*, vulgo *Worms*.

In *Germanica ſecunda* duæ tantum. 1. *Colonia Agrippina*, vulgo *Cœln*. 2. *Tungri*, aliis *Aduatica Tungrorum*, *Gallis Tongres*, vulgo incolis *Tongeren*, in *Brabantia*. Hinc ſedes primum translata ad *Traiectum Moſæ*, hodie *Maſtricht*, & tandem e *Traiecto Leodium*, vulgo *Lüttich*, vbi adhuc eſt, & epiſcopus ſæcularem iurisdictionem eccleſiaſticæ coniunctam, atque viginti quatuor oppida ſibi ſubiecta, habet. Iam vero quisquis harum regionum ſtatum aliquo modo agnoſcit, eum facile hinc collecturum confido, pleraſque harum diœceſium late patuiſſe, vti in hanc diem multo maximæ ſunt: quum vniuerſæ modo CXXII. fuerint numero, quando *Galliarum* limites multo longius, quam nunc quidem, fuerunt porrecti, & partes quasdam *Heluetiæ*, *Germaniæ* & *Belgii*, quæ nunc diſtinctæ per ſe regiones ſunt, complexi.

## §. XI.

### *De antiqua prouinciarum* Hiſpanicarum *diuiſione.*

Ex *Gallia* tranſcendentes montes *Pyrenæos* in *Hiſpaniam* progredimur, quæ vna cum prouincia *Tingitana* in *Africa* & inſulis *Balearibus* aliam magnam diœceſin ciuilem imperii *Romani* ſub præfecto-prætorio *Galliarum* conſtituit. *Hiſpania* tunc temporis fuit omnis diuiſa in quinque prouincias, *Tarraconenſem*, *Carthaginenſem*, *Bæticam*, *Luſitaniam* & *Gallæciam*, & in his prouinciis numquam ſupra ſeptuaginta quatuor vel ſeptuaginta ſex diœceſes epiſcopales fuerunt, quando numeroſiſſimæ fuere, & fere totidem in hunc diem reperiuntur.

## §. XII.

### *De* Tarraconenſi.

In ampla prouincia *Tarraconenſi*, *Galliæ* proxima, ſedecim tantummodo diœceſes fuerunt. 1. *Tarracona*, vulgo *Tarragona*, metropolis. 2. *Dertoſa*, vulgo *Tortoſa*. 3. *Cæſarauguſta*, vulgo *Saragoſſa*. 4. *Tyraſſona*, aliis *Turiaſſo*, vulgo *Tarazona*. 5. *Calagurris*, vulgo *Calahorra*. 6. *Auca*, vulgo *Oca* 7. *Oſca*, vulgo *Hueſca*. 8. *Pampilona* ſeu *Pampelon*, vulgo *Pamplona*. 9 *Ilerda*, vulgo *Lerida*. 10. *Barcino*, vulgo *Barcelona*. 11. *Egara*, vulgo *Taraſſa*, non longe a *Barcinone*, cui ſedes vnita creditur. 12 *Auſona*, aliis *Auſa*, vulgo *Vique*. 13. *Gerunda*, vulgo

*Girona.* 14. *Emporiæ*, vulgo *Ampurias.* 15. *Orgellum*, aliis *Vrgella*, vel *Orgia*, vulgo *Urgel.* 16. *Velia*, hodie *Veleja.*

## §. XIII.
## De Carthaginenſi.

HVIC proxima ad oram maris mediterranei prouincia *Carthaginenſis* fuit, a primaria ciuitate *Carthagine*, vulgo *Carthagena*, antiqua huius prouinciæ metropoli, ſic vocitata, quamquam poſtea *Toletum* nouæ metropolis priuilegium ſortitum eſt, & tandem totius prouinciæ dignitati ſucceſſit. Præter has duas diœceſes, CAROLO A SANCTO PAVLO recenſente, viginti duæ aliæ fuerunt in hac prouincia. 1. *Complutum*, vulgo *Alcala de Henares.* 2. *Oxoma*, aliis *Vxama*, vulgo *Oſma.* 3. *Pallentia*, vulgo *Palentia.* 4. *Valeria*, vulgo *Valera de Vieja.* 5. *Saguntum*, aliis *Segontia*, vulgo *Siguenza.* 6. *Secobia*, vulgo *Segovia.* 7. *Arcabrica*, vulgo *Arcas.* 8. *Oretum*, vulgo *Oreto.* 9. *Valentia*, vulgo *Valencia.* 10. *Dianium*, vulgo *Denia.* 11. *Sætabis*, ſeu *Setabis*, hodie *Xativa* 12. *Baſti*, hodie *Baza.* 13. *Menteſa*, vulgo *Mentexa.* 14. *Salaria.* 15. *Acci*, vulgo *Guadix.* 16. *Segobrica*, hodie *Segorbe.* 17. *Caſtulo*, hodie *Gazlona.* 18. *Bigaſtrum.* 19. *Illici*, vulgo quibusdam *Alicante*, aliis *Elche* vel *Origuela.* 20. *Ergauica*, vulgo *Alcaniz*, aliis non longe a *Toleto*, aliis *Penna eſcritta*, vel *Santaver.* 21. *Eliocrota*, nunc *Lorca.* 22. *Vrci*, aliis *Vrce*, hodie *Orce.*

## §. XIV.
## De Bætica.

PROXIMAE prouinciæ *Bæticæ* vndecim tantum tribuuntur diœceſes. 1. *Hiſpalis*, vulgo *Sevilla.* 2. *Italica*, nunc *Sevilla la Vieja.* 3. *Ilipla*, ſiue *Elipla*, nunc vulgo *Niebla.* 4. *Aſtygis*, vulgo *Ecija.* 5. *Corduba*, hodie *Cordoüa.* 6. *Egabro*, vulgo *Cabra.* 7. *Eliberis* ſeu *Illiberis*, vulgo *Elvira.* 8. *Malaca*, vulgo *Malaga.* 9. *Aſindum*, ſeu *Aſinda* & poſtea *Aſſidonia*, vulgo *Medina Sidonia.* 10. *Tucci*, hodie *Martos.* 11. *Abdara*, vulgo *Adra.*

## §. XV.
## De Luſitania.

IN prouincia *Luſitania* nouem tantummodo diœceſes recenſentur. 1. *Emerita*, vulgo *Merida*, metropolis. 2. *Abula*, vulgo *Avila.* 3. *Salmantica*, vulgo *Salamanca.* 4. *Ebora*, al. *Elbora*, vulgo *Evora.* 5. *Cauria*, vulgo *Coria.* 6. *Pax Iulia*, vulgo *Beja*, quam nonnulli cum *Pace Auguſta*, hodie dicta *Badaios* confundunt, quæ recentior tantum

tum dioecesis est. 7. *Ossonaba*, vulgo *Estoy*. 8. *Olysippo*, vulgo *Lisbona*. 9. *Egita*, nunc vicus obscurus *Eidania* dictus.

§. XVI.

*De* Gallaecia.

GALLAECIA ampla fuit prouincia, neque tamen plus tredecim vel quatuordecim habuit dioeceses episcopales. In concilio apud *Lucum Augusti*, sub *Theodimiro* rege ann. DLXIX. celebrato, proponebatur, quod in tota *Gallaecia* regione spatiosae satis dioeceses a paucis episcopis tenerentur, ita vt aliquantae ecclesiae per singulos annos vix possent a suo episcopo visitari. Quo facto patres istius concilii, constitutis diuersis nouis episcopatibus, elegerunt, vt sedes *Lucensis* esset metropolitana, quemadmodum in actis [g] concilii declaratum legimus. *Bracara*, hodie *Braga*, antiqua fuit metropolis, cui post factam diuisionem non amplius sex dioeceses fuerunt reliquae. 1. *Dumium*. 2. *Portucale*, vel *Portus Calensis*, hodie *El Puerto*. 3. *Conimbrica*, vulgo *Coymbra*. 4. *Viseum*, vulgo *Viseo*. 5. *Lamecum*, vulgo *Lamego*. 6. *Valentia* ad *Minium* fluuium, hodie *Valenzia al Menno*. 7. *Legio*, vulgo *Leon*. Ad alteram metropolim *Lucum Augusti* quinque tantum pertinuerunt. 1. *Iria Flauia*, vulgo *El Padron*. 2. *Auria*, vulgo *Orense*. 3. *Tude*, vulgo *Tuy*. 4. *Asturica*, vulgo *Astorga*. 5. *Britonia*, nunc pagus *Bretagna* dictus. Ex hisce *Legio* & *Asturica* CYPRIANI memoria vna duntaxat dioecesis fuisse, a viris quibusdam doctis creditur, quod CYPRIANVS eas in epistola ad ecclesiam vtriusque loci scripta [h] coniungat. Sed hoc argumentum paullo violentius mihi videtur, quia *Emeritam* in eadem inscriptione eis iungit. Alius quidam locus est, quem alii non dioecesim sed monasterium habuisse dicunt, *Dumium* videlicet non procul a *Bracara*. Insigniter autem falluntur. Quamquam enim vnum vel duo exempla in antiquae historiae monimentis [i] occurrunt, quod episcopi in monasteriis sine vlla omnino dioecesi ordinati fuerint; neque ipsorum monasterium dioecesim eorum fuisse, legimus: in praesenti tamen casu res aliter se habuit. Nam, quomodo

(g) Concil. Lucens. (tom. V. p. 874. c. d.)

(h) Cyprian. epist. LXVIII. al. LXVII. Cyprianus, Caecilius, Primus - - Felici presbytero & plebibus consistentibus ad *Legionem* & *Asturicae*; item Laelio diacono, & plebi *Emeritae* consistentibus, fratribus in domino salutem.

(i) Vid. lib. IV. cap. VI. §. III. volum. II. p. 171-173.

modo vir quidam doctus [*k*] demonſtrauit, *Dumio* præter monaſterium alia adhuc diœceſis fuit. In actis concilii *Lucenſis* [*l*] familia regia ad ſedem *Dumienſem* pertinere dicitur. Nam *Martinus Bracarenſis*, vulgo *Galleciæ* apoſtolus vocitatus, poſteaquam *Theodomirum* regem *Sueuorum* ab hæreſi *Ariana* ad fidem catholicam perduxiſſet, epiſcopus in monaſterio *Dumienſi* (quod conſtruxerat) non pro ipſo monaſterio, ſed pro familia regia, creatus eſt, donec ad *Bracaram*, prouinciæ metropolim, transferretur. Et poſtea in diſtributione diœceſium a rege *Wamba* facta limites huius diœceſis conſtituti ſunt a *Duma* ad *Albiam*, & a *Riantica* ad *Adaſam*. Quæ loca etſi adeo obſcura ſunt, vt apud geographos nulla eorum habeatur mentio, diœceſim tamen ampliorem fuiſſe, quam monaſterium; aut certe hoc monaſterium, perinde ac *Sublaquenſe* in diœceſi *Tiburti Italiæ* diuerſas villas iurisdictioni ſuæ ſubiectas habuiſſe, euincunt. Atque ita ſufficientem diœceſim habere potuit, etſi non ita amplam, vt reliqui prouinciæ *Galleciæ* epiſcopatus, qui adeo vaſti ambitus fuerunt, vt ſynodus pro ſua prudentia illos ſtatuerit contrahendos.

## §.XVII.

### *De* Maiorica, Minorica *& ceteris inſulis.*

PROVINCIIS *Hiſpanicis* inſulæ *Hiſpanicæ*, *Maiorica*, *Minorica* & *Ebuſus* ſubiungendæ ſunt, quas CAROLVS A SANCTO PAVLO errore ductus ad *Sardiniam* refert, tamquam diœceſi *Romanæ* ſubiectas. *Maiorica* omnium *Balearium* maximæ circuitus fuit fere mill. paſſ. CX. neque tamen ipſa plus vnam diœceſim epiſcopalem habuit, cuius vrbs primaria *Palma*, hodie *Mallorca*, quo nomine ab incolis tota inſula appellatur, aliis dicta *Maiorca*. *Minorica*, incolis *Menorca*, LX. mill. paſſ. in circuitu habens, olim proprio gauiſa eſt epiſcopo, cuius ſedes *Iamna* fuit, hodie *Citadella* vocitata, vrbs inſulæ primaria. *Ebuſus* hodie *Yvica* iſta quidem inſula fuit minor, ſed tamen ad diſtinctam aliquam diœceſim faciendam ſufficiens, circuitu XLII. mill. paſſuum, vrbem eiusdem nominis habens cum pluribus villis ſibi ſubiectis. Vt adeo in omnibus prouinciis *Hiſpanicis* diœceſes generatim ſatis

(*k*) Maurice, *Defence of Dioceſ. Epiſc. p. 149.*

(*l*) Concil. Luc. (tom. V. conc. p. 875. a.) Ad Damio familia ſeruorum. Nota: In margine ſic legitur: *Ad ſedem Dumienſem familia regia.*

ſpatio-

ſpatioſæ fuerint, nec vlla inter eas reperta ſit, cuius fines ſingularis alicuius congregationis limites non longe excesserint.

§. XVIII.

*Status eccleſiæ* Hiſpanicæ *ex quibusdam illius conciliis antiquis declaratus.*

Hunc verum eccleſiæ *Hiſpanicæ* ſtatum priſcis temporibus fuiſſe, ex quibusdam illius antiquioribus conciliis apparet. Concilium *Illiberritanum*, an. reparatæ ſalutis CCCV. ineunte perſecutione *Diocletianea* celebratum, canonem habet, qui diœceſes parochias in agris habuiſſe ſatis clare indicat, quando ait [m]: *Si quis diaconus regens plebem ſine epiſcopo vel presbytero aliquos baptizauerit, epiſcopus eos per benedictionem perficere debebit.* Idem adhuc clarius concilii *Toletani* primi an. CCCC. habiti canon aliquis ſignificat, *Placuit*, inquiens [n], *ex hac die nullum alium niſi epiſcopum chriſma conficere & per diœceſim deſtinare, ita vt de ſingulis eccleſiis ad epiſcopum ante diem paſchæ diaconi deſtinentur, aut ſubdiaconi, vt confectum chriſma ab epiſcopo deſtinatum, ad diem paſchæ poſſint ad tempus deferre.* Hoc ipſum manifeſto argumento eſt, diœceſibus *Hiſpanicis* parochias fuiſſe rurales, in quibus presbyteri & diaconi degerint ſine epiſcopo, & hoc ad confirmationem facit eorum, quæ de priſco harum eccleſiarum ſtatu & diuiſione diximus.

§. XIX.

*De* Hibernia *&* Scotia.

Ex *Hiſpania* tandem in inſulas *Britannicas* deuenimus, quarum aliqua duntaxat pars *Romano* imperio ſubiecta & diœceſis *Britannica* dicta fuit; *Hibernia* enim & maxima pars *Scotiæ* numquam huic dominio paruit. Non tamen abs re fuerit hoc loco de vtraque, æque ac *Anglia*, non nihil dicere, quaſi non aliam ob cauſſam, niſi vt fabuloſas quasdam de illis narrationes remoueamus atque caſtigemus. Quando & a quonam *Hibernia* primum ad religionem *chriſtianam* conuerſa ſit, non eſt noſtri iam inſtituti diſquirere, ſiquidem ante tempora *S. Patricii* an. CCCXXXIII. de epiſcopis, ſiue diœceſibus epiſcopalibus in hoc regno parum legimus, & poſt ipſum relationes de illis adeo incertæ ſunt atque obſcuræ, vt CAROLVS A SANCTO PAVLO

(m) Concil. Illiberrit. c. LXXVII. (tom. I. concil. p. 978.)
(n) Concil. Toletan. I. c. XX. (tom. II. p. 1226.)

haud alium earum catalogum sistere sustineat, nisi quem e CAMBDENO & *prouinciali Romano* accepit, quæ relationes ambæ recentioris æui sunt. Nam diœcesis *Waterfordiensis* mentionem faciunt, quæ, vt CAVEVS [*o*] & alii viri docti ex EADMERO [*p*] obseruarunt, non erecta fuit ante an. MXCVII. quando *Murchertacus* rex eiusque clerus & populus ab *Anselmo* archiepiscopo *Cantuariensi*, istius partis *Hiberniæ* tunc temporis primate, petierunt, vt oppidum *Waterfordiense* in episcopalem sedem erigeretur; cui petito ille locum relinquens *Malchum* quemdam

(*o*) Cau. histor. litterar. volum. II. p. 373. (p. 217. edit. Geneu. MDCXCIX.) Hibernicum (concilium) anno MXCVII. loco incerto habitum: In quo Murchertacus rex, eiusque clerus & populus ab Anselmo Cantuariensi, tanquam primate suo, petunt, vt oppidum Waterfordiense in episcopalem sedem erigatur. cetera, vid. sub littera seq. (*p*).

(*p*) Eadmer. histor. lib. II. p. 36. Rex Hiberniæ Murchertachus nomine & Dosnaldus episcopus cum ceteris episcopis, & quique nobiles cum clero & populo ipsius insulæ miserunt nuntios ac litteras ad Anshelmum, innotescentes ei, ciuitatem quamdam Watafordiam nomine, in vna suarum prouinciarum esse, cui ob numerosam ciuium multitudinem expediret, episcopum institui, simulque petentes; ipse quatenus primatus, quem super eos gerebat, potestate, & qua fungebatur vicis apostolicæ auctoritate, sanctæ christianitati ac necessariæ plebium vtilitati instituendo eis pontificem subueniret. Iam enim sæcula multa transierant, in quibus eadem ciuitas absque prouidentia & cura pontificali consistens, per diuersa tentationum pericula iactabatur. Elegerant autem iidem ipsi in hoc officium quemdam gentis suæ virum vocabulo Malchum, eumque sacrandum cum communi decreto ad Anselmum transmiserunt. Decretum autem hoc est. *Anshelmo, Dei gratia Anglorum archiepiscopo, clerus & populus Waterfordiæ cum rege Murchertacho & episcopo Dosnaldo, salutem in domino. Pater sancte, cæcitas ignorantiæ nos diu detrimenta salutis nostræ sustinere coëgit, quod magis eligimus seruiliter dominico iugo colla subtrahere, quam liberaliter pastorali obedientiæ subesse. Nunc autem quantum proficiat pastorum caussa agnouimus, cum aliarum rerum similitudines ad mentem reuocamus, quia sine regimine, nec exercitus bellum, nec nauis marinum audet attemptare periculum. Nauicula ergo nostra mundanis dedita fluctibus sine pastore contra callidum hostem qua ratione pugnabit? Propterea nos & rex noster Murchertachus, & episcopus Dosnaldus & Dermeth dux noster frater regis eligimus hunc presbyterum Malchum, Walkelini Wintonensis episcopi monachum nobis sufficientissime cognitum, natalibus & moribus nobilem, apostolica, & ecclesiæ disciplina inbutum, fide catholica prudentem, moribus temperatum, vita castum, sobrium, humilem, affabilem, misericordem, liberalem, hospitalem, suæ domui bene præpositum, non neophytum, habentem testimonium bonum in gradibus singulis. Hunc nobis petimus a vestra paterni-*

gentis ſuæ virum, quem elegerant, primum iſtius loci epiſcopum ordinauit. Immo vero vterque hic catalogus quatuor etiam archiepiſcopatuum in *Hibernia* facit mentionem, qui numerus metropolitanorum ab *Eugenio* pontifice *Romano* demum an. DCLII. introductus fuit, vti ex ROGERIO HOVEDENO obſeruauit BARONIVS; atque idem a MATTHAEO *Pariſienſi*, SIMEONE *Dunelmenſi*, GERVASIO in *chronico* aliisque *Anglicanis* ſcriptoribus adnotatum eſt. Quum vero catalogos diœceſium *Hibernicarum* hiſce antiquiores vel digniores fide habeamus nullos, non inconſultum fuerit, eos hoc loco interponere. In eo, quem CAMBDENVS exhibet, quatuor archiepiſcopi cum epiſcopis ſuis ſuffraganeis hoc recenſentur ordine:

Archiepiſcopo *Armachano* totius *Hiberniæ* primati ſubſunt:

*1. Midenſis*, vel *Elnamirand. 2. Dunenſis*, alias *Dundaletbglas. 3. Clochorenſis*, alias *Lugundunenſis. 4. Connerenſis. 5. Ardachadenſis. 6. Rathbotenſis. 7. Rathlucenſis. 8. Daln-liguirenſis. 9. Dearribenſis.*

Archiepiſcopo *Dublinenſi* parent:

*1. Glendelacenſis. 2. Fernenſis. 3. Oſſerienſis*, alias *De Canic. 4. Leclinenſis. 5. Kil-darenſis*, alias *Darenſis.*

Archiepiſcopo *Caſſilienſi* ſubſunt:

*1. Laonienſis de Kendalnam. 2. Limricenſis. 3.* De inſula *Gathay. 4.* De *Cellumabrath. 5. Melicenſis*, vel de *Emileth. 6. Roſſienſis*, alias *Roſcreenſis. 7. Waterfordienſis*, alias de *Batlfordian. 8. Liſmorenſis. 9. Clonenſis*,

*tate ordinari pontificem, quatenus regulariter nobis præeſſe valeat & prodeſſe, & nos ſub eius regimine ſalubriter domino militare poſſimus. Vt autem omnium noſtrorum vota in hanc electionem conuenire noſcatis, huic decreto canonico promtiſſima voluntate ſinguli manibus propriis roborantes ſubſcripſimus. Ego Murchertachus rex Hiberniæ ſubſcripſi. Ego Dermeth dux frater regis ſubſcripſi. Ego Dofnaldus, epiſcopus S. S. Ego Idunan epiſcopus Midiæ S. S. Ego Samuel Dunelmenſis epiſcopus S. S. Ego Ferdomnachus Laginienſium epiſcopus S. S.* Subſcripſerunt his multo plures quos nos breuitati ſtudentes notare non neceſſarium duximus.

Igitur Anſelmus conſiderans & intelligens, eos iuſta & vtilia petere, petitioni eorum libens annuit. Electum ergo pontificem diligenter in his quæ ſacra iubet auctoritas, examinatum, ac multorum cum vitæ ſuæ teſtimonio, dignum epiſcopatu comprobatum, ſumta ab eo ex more de ſubiectionis ſuæ obedientia profeſſione, ſacrauit eum Cantuariæ quinto Kl. Ianuarii, aſſiſtentibus & cooperantibus ſibi in hoc miniſterio ſuo, duobus epiſcopis ſuis Radulfo ſcilicet Ciceſtrenſi, & Gundulfo Roffenſi.

*ſis*, alias de *Cluanania.* 10. *Corcagienſis.* 11. De *Roſalither.* 12. *Ardeſertenſis.*

Archiepiſcopo *Tuamenſi* ſubiiciuntur:

1. *Duatenſis*, alias *Killmacduoc.* 2 De *Mageo.* 3. *Enachdunenſis.* 4. De *Cellaiaro.* 5. De *Roſcomon.* 6. *Clonfertenſis.* 7. *Achadenſis.* 8. *Ladenſis*, alias *Killaleth.* 9. De *Conany.* 10. De *Killmunduach.* 11. *Elphinenſis.*

Alter catalogus in *prouinciali Romano*, a CAROLO A SANCTO PAVLO in geographiæ ſuæ appendice publicatus, numerum ſuffraganeorum ad quinquaginta tres adauctum hoc ordine exhibet:

Archiepiſcopus *Armachiæ* primas totius *Hiberniæ* hos habet ſuffraganeos:

1. *Connerinenſem.* 2. *Deconnannas.* 3. *Dedamlialiagg.* 4. *Dedundaleglas.* 5. *Deardarchad.* 6. *Dedarrich.* 7. *Ingundunum.* 8 *Derathboth.* 9 *Dunenſem*, alias *Drumorenſem.* 10. *Elualnirand*, ſiue *Midenſem.* 11. *Derathluring.* 12. *Renenſem*, vel *Reuelenſem*, vel *Crocorenſem.* 13. *Cluanenſem*, alias *Cluanerdenſem.* 14. *Rochinoſenſem* vel *Rothbotenſem.* 15. *Artagadonenſem* vel *Ardocadenſem.* 16. *Conerenſem.* 17. *Heugamenſem.*

Archiepiſcopus *Dublinenſis* hos habet ſuffraganeos:

1. *Glandelacenſem.* 2. *Caldetenſem*, alias *Kiſcarenſem.* 3. *Feruenſem.* 4. *Gleuſem* vel *Gluiſonenſem.* 5. *Oſſinenſem.* 6. *Darenſem.* 7. *Gainінch.* 8. *Licelinenſem.*

Archiepiſcopus *Caſſellenſis* hos habet ſuffraganeos:

1. *Decendalnenſem* vel *Laonenſem.* 2. *Deroſtreenſem*, vel *Wldifordianum.* 3. *Deartefertenſem* 4. *Lunech.* 5. *Liſmorenſem.* 6 *Firmaberenſem*, vel *Fymbarrenſem.* 7. De *Inſula.* 8. *Deduanamenſem*, alias *Cluanenſem.* 9. *Laudenſem.* 10 *Carthax.* 11. *Tubricenſem.* 12. *Decelleninabrach* 13. *Deconeagia*, vel *Corcayenſem.* 14. *Artfertelenſem.* 15. *Denulech*, alias *Vmblicenſem.* 16. *Deroſailitchir.* 17. *Waterfordienſem.*

Archiepiſcopus *Tuanenſis* hos habet ſuffraganeos:

1. *Demazeonenſem.* 2. *Achadenſem.* 3. *Nelfinenſem.* 4. *Decellaid.* 5. *Deconairi.* 6. *Eacdunenſem.* 7. *Roſcomon.* 8 *Decelmundaiach.* 9. *Cluartifertenſem.* 10. *Deculuanferd.* 11. *Duacenſem.* 12. *Bladenſem.*

Hic maximus epiſcoporum numerus videtur fuiſſe, quem *Hibernia*, ex quo tempore chriſtianam amplexa eſt religionem, vmquam habuit. Nam recentiorum quorumdam ſcriptorum opinio

nio, quod aliquando non minus CCCLXV. episcopi a *S. Patricio* ordinato heic fuerint, ſolide a MAVRITIO confutata eſt, qui narrationem iſtam non de tot eiusdem temporis epiſcopis, ſed de numero ſub quatuor regibus per centum annorum ſeriem intelligendam eſſe, ſatis clare [q] demonſtrauit. Id quod vnusquiſque, qui antiquitates VSSERII [r], vnde fundamentum fabulæ iſtius arceſſitur, legerit, facile poterit diiudicare. Neque enim ſic res difficilis ad intelligendum eſt, quomodo heic trecenti & quinquaginta, vel vt NENNIVS rem narrat, trecenti quinquaginta quinque epiſcopi per integri ſæculi decurſum eſſe potuerint, etiamſi non amplius quinquaginta vel ſexaginta eodem ſimul tempore vixerint. Alius error, a CAROLO A SANCTO PAVLO de epiſcopis huius nationis commiſſus, qui eos vniuerſos vni abbati ſubiectos ſtatuit, iam caſtigatus a nobis eſt, quando de aſcetis ſumus loquuti, vbi oſtendimus [s], *Hiberniam* pro *Huya*, parua *Scotiæ* ſeptemtrionalis inſula, perperam ab eo accipi, in qua monaſterium a *Columbano* exſtructum erat, cuius abbatibus omnis prouincia *Pictorum* ſeptemtrionalium & ipſi etiam epiſcopi ordine inuſitato, vt BEDA loquitur, debuerunt eſſe ſubiecti; ſed hoc nec ad *Hiberniam*, nec ad vllas alias *Scotiæ* partes, præter eam, quam modo memorauimus, quidquam attinet.

DE primitiuo diœceſium epiſcopalium ſtatu in *Scotia* CAROLVS A SANCTO PAVLO, luce deſtitutus hiſtorica, narrare nihil potuit, ideoque recentiora duntaxat nomina conſignauit, vti ſequuntur.

Sub archiepiſcopo *S. Andreæ* octo ſunt epiſcopatus, videlicet

*1. Dunkeldenſis. 2. Brechinenſis. 3. Aberdonenſis. 4. Roſſenſis. 5. Morauienſis. 6. Cathanenſis. 7. Dumblanenſis. 8. Orchadenſis.*

Sub archiepiſcopo *Glaſcuenſi* tres.

*1. Candidæ Caſæ. 2. Liſmonenſis. 3. Inſularum*, hoc eſt, *Hebridum* ſeu occidentalium, quarum e præcipuis *Iona* fuit. *Sodora*, primaria huius inſulæ ciuitas, a *Gregorio* IV. anno DCCCXL. in ſedem epiſcopalem euecta eſt, vnde epiſcopus harum quadraginta quatuor inſularum omnium vna cum *Mannia* inſula, quæ

(q) Maurice, *Defence of Dioeceſ. Epiſc.* p. 155.
(r) Vſſer. antiquit. eccleſ. Britan. p. 490. ſeq.
(s) Vid. lib. VII. c. III. §. XIV. pag. 69.

tunc temporis pars duntaxat huius dioecesis fuit, nomen episcopi *Sodorensis* habuit. Quando autem *Mannia* insula in potestatem venit gentis *Anglorum*, insulæ occidentales veteri suo episcopo, qui in hac insula viuere solebat, amplius parere recusantes ipsæ sibi episcopum constituerunt separatim, qui diu titulum episcopi *Sodorensis* retinuit, tandem vero episcopo *Manniæ* insulæ illum reliquit, adsumto titulo *Insulani*, quem etiam nunc retinet. *Prouinciale Romanum* nec huius dioecesis in hisce insulis, nec illius, quæ in *Orchadibus* fuit, meminit; sed de aliqua loquitur, quam *Dearegarchel* vocitari & ad papam spectare dicit, & *Glascuensem* episcopum suffraganeum duntaxat episcopi *S. Andreæ* facit. Vnde non multum temporis præterlapsum esse, intelligimus, postquam *Glasquum* sedis archiepiscopalis priuilegio fuit exornatum, episcopo *S. Andreæ* vno solo metropolitani inter omnes dignitatem obtinente. Sed de antiquis dioecesibus non adeo sollicitos nos esse oportet. Nam quidquid scriptores fabulosi dictitent, ex BEDA certum est, nullam huius nationis partem a *Pictis* possessam religionem christianam accepisse, nisi sæculo demum quinto, quando *Arcadio* & *Honorio* imperantibus australes *Picti CHRISTO* nomen dederunt, prædicante eis verbum *Nynia* quodam *Britone*, qui ecclesiam ad *Candidam Casam* ædificauit, quæ prima cathedralis in isthac parte *Scotiæ* fuit, & loco isti nomen *Whitherne* a candido colore tribuit, eo quod ecclesia, vt BEDA [t] obseruat, de lapide, insolito *Britonibus* more, facta esset. Septemtrionales *Picti* non nisi centum & quinquaginta annis post ad fidem *CHRISTI* perducti sunt. Nam apostolus eorum *Columba* fuit, insignis nominis monachus, qui imperante *Iustino Iuniore* an. DLXV. de *Hibernia* eo venerat, euangelium *CHRISTI* genti illi prædicaturus, vt eo-

(t) Bed. lib. III. c. IV. Anno incarnationis dominicæ quingentesimo sexagesimo quinto, (quo tempore gubernaculum imperii Romani post Iustinianum, Iustinus minor accepit) venit de Hibernia presbyter & abbas, habitu & vita monachi, insignis nominis, nomine Columba, Britanniam; prædicaturus verbum Dei prouinciis septemtrionalium Pictorum, hoc est, eis, quæ arduis atque horrentibus montium iugis ab australibus eorum sunt regionibus sequestratæ. Nam ipsi australes Picti, qui intra eosdem montes sedes habent, multo ante tempore (vt perhibent) relicto errore idololatriæ, fidem veritatis acceperant, prædicante eis verbum Nynia episcopo reuerendissimo & sandem

dem loco BEDA docet. Vt adeo in cassum laboraturi essemus, si in dioeceses episcopales inquireremus ante, quam de vllis doctrinæ christianæ inter ipsos iactis fundamentis nobis certo constaret. In sequentibus sæculis de nulla alia dioecesi præter hanc ad *Candidam Casam* in BEDA vel alio quodam fide digno scriptore quidquam speciatim relatum legimus. Quamuis enim de episcopis inter australes & septemtrionales *Pictos* loquantur, nullam tamen sedium eorum mentionem faciunt. Vnde nonnulli episcopos *Scoticos* non proprias sibi sedes habuisse, sed pro vniuersa regione absolute fuisse ordinatos, collegerunt. Alii vero vnum duntaxat episcopum vniuersam regionem rexisse, sentiunt. Quarum opinionum prior incredibilis est, quia cum nota ecclesiæ catholicæ regula pugnat, quæ vllum episcopum absolute ordinari vetabat: Et posterior diserte a BEDA [u] confutatur, qui de pluribus episcopis in prouincia septemtrionalium *Pictorum* loquitur; nec non a scriptore vitæ *Nyniæ* in *antiquitatibus Vsserii*, qui *Ordinauit*, inquit [x] *Nynias presbyteros, EPISCOPOS consecrauit, & totam terram per certas parochias diuisit: confirmatisque in fide omnibus ad ecclesiam suam (Casam Candidam* ante memoratam intelligit) *est regressus.* Vnde inter septemtrionales pariter & australes *Pictos* episcopos fuisse, euidenter liquet, etiamsi dioecesium nomina non memorentur. Quod ad dioecesim *Candidæ Casæ* attinet, recte obseruat VSSERIVS, non fuisse eam in vlla parte, *Pictorum* dominio subiecta, sed in ea parte seu prouincia *Britanniæ Romanæ*, quæ *Valentia*, & postea, quum sub *Saxonum* esset ditione, *Bernicia* a BEDA dicta fuit. VSSERIVS [y] putat, aliquando etiam regnum *Cambrense* voca-

ctissimo viro, de natione Britonum, qui erat Romæ regulariter fidem & mysteria veritatis edoctus; cuius sedem episcopatus, sancti Martini episcopi nomine, & ecclesia insignem (vbi ipse etiam corpore vna cum pluribus sanctis requiescit) iam nunc Anglorum gens obtinet. Qui locus ad prouinciam Berniciorum pertinens, vulgo vocatur *Ad candidam casam*, eo quod ibi ecclesiam de lapide, insolito Britonibus more, fecerit.

(u) Bed. lib. III. c. IV. Habere solet ipsa insula rectorem semper abbatem presbyterum, cuius iuri & omnis prouincia & *ipsi* etiam *episcopi* ordine inusitato debeant esse subiecti.

(x) Vit. Nyniæ ap. Vsser. antiquit. pag. 350.

(y) Vsser. antiquit. p. 349. Certum est, inter Britannos suos sedem episcopalem constituisse Ninianum, in loco olim *Candida Casa*, hodie (a candido quo-

ri consueuisse; & diœcesim *Casæ Candidæ* eosdem cum regno

que colore appellatione retenta) *Whit-herne* nominato. Vnde ad ecclesiam Glascuensem in Glottæ siue Cluidæ fluuii, (qui ditionis Romanorum & relictorum ab eis Britonum extremus erat terminus) ripa sitam, a Kentigerno translata fuisse videtur. Glascuensem enim diœcesim eo tempore eosdem cum Cambrensi illo regno limites habuisse, & ad murum illum celebratissimum protensum fuisse (& quod hinc est consequens, *Candidam Casam* complexu suo continuisse) in Kentigerni vita pariter legimus. Vlterius etiam, *eius versus austrum episcopatus tunc temporis vltimum finem fuisse ad* Crucem Regiam *infra Stanemore*, in Scoti chronico traditum inuenimus. Quod autem Hector Boëthius *Candidam Casam* sub Mordaci Scotorum regis ditione fuisse vult, quem anno DCCXXXI. (in quo ecclesiasticam suam historiam terminauit Beda) defunctum fuisse notat; tam verum est, quam quod de Beda statim subdit: *Beda locum Pictiminiam* vocat, *Accamque antistitem, qui sub id tempus sacræ sedi Candida in Casa præfuit; eumque virum primum post D. Nimanum ibidem gessisse episcopatum:* Nam neque ita locum hunc vspiam vocauit Beda, neque illum loci eius nominauit antistitem: & in Anglorum non in Scotorum potestate Candidam Casam eo tempore fuisse, clarissime confirmat. Anno enim illo DCCXXXI. præsulatum tenuisse scribit *Accam in Hagustaldensi ecclesia, Pecthelmum in ea quæ Candida Casa vocatur; quæ nuper*, inquit, *multiplicatis fidelium plebibus, in sedem pontificatus addita, ipsum primum habet antistitem:* Hanc vero *iam tunc Anglorum gentem obtinuisse & ad prouinciam Berniciorum pertinuisse*, & ipse apertissimis verbis antea scripserat, & Ioannes Maior ingenue agnoscit; *pro tempore suo & non futuro Bedam scripsisse* simul admonens. Quo magis Thomæ Dempsteri confidentiam & temeritatem demirari liceat, tam audacter asseueranti, *hoc certe liquere; Candidæ Casæ episcopatum semper fuisse ditionis Scoticæ, nec vnquam Anglico iuri subiectum.* Vt igitur apud Britones primus Candidæ Casæ episcopus erat Ninianus, ita Anglorum primus in ea sede antistes erat Pecthelmus: ad quem popularis sui Bonifacii Moguntini archiepiscopi XI. data legitur epistola. Pecthelmo (vt in Florentii Wigorniensis habetur chronico) anno DCCXXXV. defuncto successit Frithwaldus; eique anno DCCLXIII. nonis Maii ex hac vita decedenti successor XVI. Kalend. Augusti datus est Pechtwinus; eo vero anno DCCLXXVII. mortuo, sequente anno Eboraci XVII. Kalend. Iulii episcopus ordinatus est Aethelbertus: cui anno DCCXCI. substitutus est Beaduulfus: *Nec præterea*, inquit Guilielmus Malmesburiensis, *plures alicubi reperio; quod cito defecerit, episcopatus, qui extrema Anglorum in ora est & Scotorum vel Pictorum depopulationi opportuna;* In antiquissimo tamen Anglo-Saxonicorum episcoporum indiculo huic etiam Heathoredum successisse inuenio: post cuius tempora regio illa a Scotis siue Hibernis occupata, Gallwalliæ & Gallouidiæ ab eis nomen accepit. Deinceps vero in Scotiis proditum habetur annalibus, *Gallouidiam ac vicinas regiones Sodorensi episcopo, cui in Mona insula sedes erat sacra, vsque ad Malcolmi tertii regis tempora in rebus paruisse diuinis:* a quo Gallouidiæ *Candida Casa*, vt hodie manet, episcopalis sedes est constituta.

illo


Antiquorum
BRITANNIAE
EPISCOPATUUM
GEOGRAPHICA
Descriptio.
Scala. Milliarium
20 40 60 80 100 120
OCEANUS
GERMA
NICUS
HIBERNIA
MARE HIBERNICUM
VALENTIA
MAXIMA CÆSARIENSIS
BRITANNIA SECUNDA
FLAVIA CÆSARIENSIS
BRITANNIA PRIMA
GALLIAE PARS
Clota Flu
Lindisfarna
Vallum Hadriani
Haguistade
Eboracum
Humb. Fl
Cestria
S. Asaph
Elvia
Holy Head
Bangor
Lichfelda
Legecestria
Wigornia
Helmham
Dunmok
Londinum
Thamesis Flu.
Sabrina fl.
Dorcinca
Venta
Rhofi
Dorovernum
Cicestra
Vecta I.
no. 7.

illo limites habuisse a *Glasquuo*, in *Glottæ* siue *Cluidæ* fluuii ripa sito, ad *Crucem Regiam* infra *Stanemoriam* in *Westmorlandia* protensam, tempore autem *Kentigerni* sedem episcopalem ad ecclesiam *Glascuensem* translatam fuisse. Sed regione illa a *Scotis* siue *Hibernis* occupata, atque *Galliwalliæ* & *Gallouidiæ* nomen sortita, hanc & vicinas regiones omnes *Sodorensi* episcopo, cui in *Mannia* insula sedes fuerit sacra, vsque ad *Malcolmi* tertii regis tempora, in rebus paruisse diuinis: a quo *Gallouidiæ Candida Casa*, vt hodie maneat, episcopalis sedes rursus fuerit constituta Non habeo, quæ de vlla alia regni *Scotiæ* diœcesi episcopali ita distincte & sigillatim referam, vtpote certis monumentis destitutus; hoc tamen certum est, inde a prima eius conuersione per *Nyniam* & postea per *Columbanum*, diuersos in *Pictis* episcopos fuisse. Cuius regionis pars quum æque ac *Valentia* regibus *Saxonibus Northumbriæ* tributaria facta esset, episcopi ipsorum consequenter metropolitano *Eboracensi* subesse cœperunt, cuius ex manibus aliquando nacti sunt ordinationem.

## §. XX.
## *De ecclesia* Britannica *in* Anglia *&* Wallia.

Vna duntaxat regio restat examinanda, quæ ipsa nostræ nationis *Britannicæ* ora est: regio, quæ christianam religionem æque mature atque vlla alia ex occidentalibus orbis terrarum partibus, amplexa; adeoque eamdem gubernationis formam, quam in reliquis ecclesiis omnibus reperimus, accepisse existimanda est. Iam ante notauimus, diœcesim *Britannicam* a *Romanis* primum in tres prouincias, & deinceps in quinque fuisse diuisam: sed, quæ temporis iniuria est, non perfecta habemus documenta, ex quibus perspicere nobis liceat, quinam episcopatus in vnaquaque prouincia erecti fuerint. Qui de certo quodam numero flaminum & summorum flaminum, qui in tot episcopos & archiepiscopos conuersi fuerint, loquuntur, opinationes suas potius quam veram historiam nobis commemorare videntur. Quod certum hac in re est, hoc est: Ineunte sæculo quarto ecclesiæ episcopales heic, vt in reliquis nationibus omnibus, fuerunt. Nam harum ecclesiarum antistites ad concilia non minus quam alii euocati esse leguntur. Fuerunt in

concilio *Arelatensi* episcopi *Britannici*, *Eborius* [*a*] de ciuitate *Eboracensi*, *Restitutus* de ciuitate *Londinensi*, *Adelphius* de ciuitate *Colonia Londinensium*. Pro qua vltima HOLSTENIVS [*b*] CAMBDENVM & SELDENVM in notis ad EVTYCHIVM sequens, potius *Colonia Camalodunensium* legendum esse, putat; quam alii pro *Colcestria*, pro *Maloduno* alii, alii denique pro *Waldeno* in *Essecia* accipiunt. Sed eruditus quidam antiquarius [*c*], in obseruationibus suis posthumis in ANTONINI *iter Britanniarum* feliciter detexit, quod vera lectio probabiliter esse debeat *Colonia Lindi*, quod nomen antiquum *Lincolniæ* est, vti non tantum ex ANTONINO & PTOLEMAEO, qui *Lindum* vocant, sed ex anonymi etiam *Rauennatis* chorographia ostendit, vbi expressis verbis *Lindum Colonia* dicitur; quod cum parua quadam variatione idem pene nomen est, quod a BEDA [*d*] ei tribuitur, qui *Lindocolinam*, & regionem circumiacentem *prouinciam Lindissi* vocat; vnde nomen *Lindsey-Coast*, quo vna istius prouinciæ pars in hunc vsque diem appellatur, ortum esse arbitror. Sed regredimur ad antiquos huius nationis episcopos. Sunt, qui episcopos ex *Britannia* con-

(*a*) Concil. Arelat. I. ann. CCCXIV. (tom. I. concil. p. 1430. b. c.)
Eborius episcopus, de ciuitate Eboracensi, prouincia Britannia.
Restitutus episcopus, de ciuitate Londinensi, prouincia supra scripta.
Adelphius episcopus, de ciuitate Colonia Londinensium, exinde sacerdos presbyter, Arminius diaconus.

(*b*) Holsten. adnotat. in Carol. a S. Paulo p. 108. *Ad pag. 165. Colonia Ant. Cambdeno Colchester*] Colonia Camalodunum vocabatur, vt erudite docet Cambdenus, qui eam non *Colchester*, sed *Maldon* nunc dici ostendit; vt & Seldenus in Notis ad Eutychium Alexandr. p. 119. vbi recte coniicit in subscript. Arelatensis concilii pro *Colonia Londinensium*, legendum *Colonia Camalodunensium*. Hoc enim verissimum est.

(*c*) Thom. Gale Not. in Antonin. itin. Britann. p. 96. LINDO. *Lincolne.* Anonymus Rauennas habet expresse Lindum Colonia, hoc vno vocabulo adiecto, quantum lucis affudit historiæ antiquæ? magnas profecto gratias ei debemus, quod tandem subscriptionem concilii Arelatensis intelligamus.
*Adelphius episcopus de ciuitate Colonia Londi*, haud dubie pro *Colonia Lindi*, hoc ipsum Beda pœne vidit, quum hanc vrbem Lindi-colina nominaret. Ptolemæus quoque Lindum dixit, Romana numismata in campis ad boream huius ciuitatis inueniri notat Lelandus.

(*d*) Bed. lib. II. c. XVI. Prædicabat autem Paulinus verbum etiam *prouinciæ Lindissi*, quæ est prima ad meridianam Humbræ fluminis ripam, pertingens vsque ad mare. Præfectumque *Lindocolinæ ciuitatis*, cui nomen erat Blecca, primum cum domo sua conuertit ad dominum.

cilio

cilio *Nicæno* interfuiſſe, adfirmant, ſed hoc non adeo perſpicue ex antiqua hiſtoria patet. Certius eſt, in ſynodo *Ariminenſi* tres adfuiſſe, vti fidem nobis facit SVLPICIVS SEVERVS [*e*]. ATHANASIVS [*f*] quoque epiſcoporum ex *Britannia* in ſynodo *Sardicenſi* ann. CCCXCVII. habita, mentionem iniicit. Et HILARIVS librum ſuum de *Synodis* inter alios complures epiſcopos prouinciarum quoque *Britannicarum* epiſcopis [*g*] inſcripſit. At vero nullus horum auctorum certum totius collegii numerum nobis exhibet, adeoque coniicere duntaxat poſſumus ex reliquiis horum epiſcoporum *Britonum*, qui in *Wallia* poſt *Saxonum* irruptionem manſerunt, ibique, aduentante in *Angliam Auguſtino* monacho, exſtiterunt. BEDA [*h*] ſeptem ex hiſce memorat, qui ad ſynodum *Vigoruiæ*, ſiue in loco hodie *Auſtins Oak* appellato, coactam conuenerint, cum *Auguſtino* de eccleſiæ ritibus ſermones collaturi. Hiſce metropolitanus quidam præſidebat, cui obedientiam ſe debere in concilio iſto profitebantur. Erat is archiepiſcopus *Meneuiæ*, ſeu *S. Dauidis*, ſiue, vt ipſi eum vocabant, archiepiſcopus *Caërlegionis* ſupra *Oſcam*, quod hæc eſſet antiqua ſedes metropolitica, antequam ad oppidum *S.*

(*e*) Sulpic. Seuer. lib. II. p. 109. (lib. II. c. XLI. p. 267. edit. Lipſ. MDCCIII. suo) Miſſis per Illyricum, Italiam, Africam, Hiſpanias Galliasque magiſtris officialibus, acciti numeratiue quadringenti & aliquanto amplius occidentales epiſcopi, Ariminum conuenere. - - *Tres* tantum *ex Britannia.*

(*f*) Athan. apol. contra Arianos p. 720. edit. Par. MDCXXVII. (p. 123. edit. Par. MDCXCVIII.) Ἐν τῇ μεγάλῃ συνόδῳ τῇ ἐν Σαρδικῇ συναχθείσῃ κατὰ πρόσταξιν τῶν θεοφιλεστάτων βασιλέων Κωνσταντίου καὶ Κώνσταντος· ἐν ᾗ καὶ οἱ καθ᾽ ἡμῶν γενόμενοι καθῃρέθησαν ὡς συκοφάνται τοῖς τε κριθεῖσιν ὑπὲρ ἡμῶν συνεψηφίσαντο μὲν ἐπίσκοποι πλείους τριακοσίων, ἐξ ἐπαρχιῶν Αἰγύπτου, Λιβύης - - Βρεττανιῶν. In magna ſynodo *Sardicæ* coacta, iuſſu religioſiſſimorum imperatorum Conſtantii & Conſtantis: vbi aduerſarii noſtri quaſi ſycophantæ damnati depoſitique ſunt. Iis vero, quæ noſtri gratia decreta fuerunt, ſuffragati ſunt plusquam trecenti epiſcopi, ex prouinciis Aegypti, Libyæ, - - *Britanniarum.*

(*g*) Hilar. de ſynodis, *Prouinciarum Britannicarum epiſcopis.*

(*h*) Bed. hiſtor. gent. Anglor. lib. II. c. II. Auguſtinus adiutorio vſus Ethelberti regis conuocauit ad ſuum colloquium epiſcopos ſiue doctores proximæ Britonum prouinciæ, in loco vbi vſque hodie [lingua Anglorum] *Auguſtines ac*, [id eſt, robur Auguſtini] in confinio Wicciorum & occidentalium Saxonum appellatur: - - - Venerunt, (vt perhibent) *ſeptem Britonum epiſcopi* & plures viri doctiſſimi, cetera.

*Daui-*

*Dauidis* transferretur. Reliqui suffraganei, vt a quibusdam historicis *Britannicis* [*i*] recensentur, tunc temporis fuerunt *Herefortensis*, *Tauensis*, *Paternensis*, *Banchorensis*, *Eluiensis*, *Vicciensis*, *Morganensis*. Iam si numerus episcoporum in aliis prouinciis huic respondit, plures episcopos ante inuasionem *Saxonum*, quam quidem sunt hodie, illic fuisse, colligas. Sed quando *Augustinus* in *Angliam* venit, præter antememoratos inuenit nullos: Tametsi *Gregorius Magnus* ipsi mandauisset, vt viginti sex episcopos, duodecim episcopos suffraganeos episcopo *Londinensi*, & totidem metropolitano *Eboracensi* subiectos constitueret, sibi ipsi vero primatum [*k*] in omnes gentis episcopos reseruaret. Verum fuit hæc potius leuis quædam adumbratio pro futuris temporibus, quum integra conuertenda esset natio, quam præsens constitutio ecclesiæ. Nam plus quinquaginta annis post non amplius septem episcopi in vniuersa heptarchia seu septem regnis *Saxonum* fuerunt, vti ex iis constat, quæ de concilio *Herudfordiensi* an. DCLXXIII. narrat BEDA, quippe in quo adfuerunt *Theodorus Darouernensis*, seu *Cantuariensis* ecclesiæ episcopus [*l*]

(*i*) Galfrid. monum. histor. lib. VIII. c. IV. Vid. Powel. not. in Girald. Cambrens. itinerar. Cambriæ lib. II. p. 170.

(*k*) Bed. lib. I. c. XXIX. Quia noua Anglorum ecclesia ad omnipotentis Dei gratiam, eodem domino largiente & te laborante perducta est, vsum tibi pallii in ea ad sola missarum solemnia agenda, concedimus, ita vt per loca singula duodecim episcopos ordines, qui tuæ subiaceant ditioni, quatenus Londoniensis ciuitatis episcopus semper in posterum a synodo propria debeat consecrari, atque honoris pallium ab hac sancta & apostolica (cui Deo auctore deseruio) sede percipiat. Ad Eboracum vero ciuitatem te volumus episcopum mittere, quem ipse iudicaueris ordinare, ita duntaxat, vt si eadem ciuitas cum finitimis locis verbum Dei receperit, ipse quoque duodecim episcopos ordinet & metropolitani honore perfruatur. - - Tua vero fraternitas non solum eos episcopos quos ordinauerit, neque hos tantummodo, qui per Eboraci episcopum fuerint ordinati, sed etiam omnes Britanniæ sacerdotes habeat, Deo domino nostro Iesu Christo auctore, subiectos.

(*l*) Bed. lib. IV. c. V. Conuenimus autem die XXIV. mensis Septembris, indictione prima, in loco, qui dicitur Heorutford (Hertford vel Hereford.) Ego quidem *Theodorus*, quamuis indignus, ab apostolica sede destinatus Dorouernensis ecclesiæ episcopus, & consacerdos ac frater noster reuerendissimus *Bisi*, orientalium Anglorum episcopus; quibus etiam frater & consacerdos noster *Wilfridus*, Northanhymbrorum gentis episcopus, per proprios legatarios adfuit. Adfuerunt & fratres ac consacerdotes nostri *Putta*, episcopus Castelli Cantuariorum, quod dicitur Rofecester; *Lutherius* episcopus occidentalium Saxonum, *Wynfrid* episcopus prouinciæ Merciorum.

*Bisi*,

*Bisi*, orientalium *Anglorum* episcopus, *Wilfridus Northanhymbrorum* gentis episcopus, *Putta* episcopus *Roffensis*, *Leutherius* episcopus occidentalium *Saxonum*, & *Winfridus* episcopus totius prouinciæ *Merciorum*. Quo in concilio [m] canon conditus est, vt plures episcopi, crescente numero fidelium, constituerentur. Sed isthoc tempore nihil eius in effectum deducebatur, nisi quod in *Bisi* occidentalium *Anglorum* episcopi, qui grauissima infirmitate ab administrando episcopatu prohibebatur, locum alii duo, *Ecca*, & *Badwinus*, electi episcopi consecrarentur. Ex quo tempore ad ætatem vsque BEDAE prouincia illa duos habere solita est episcopos, vti auctor noster eodem loco narrat. Hi fuerunt episcopi *Elmhami* & *Dunouici*, qui postea vniti fuerunt, sede hinc primum *Sitomagum*, vulgo *Thetford*, & deinde *Nordouicum* translata, qui episcopi toti *Anglorum* orientalium regno successerunt. Vt adeo isthac ætate diœcesis aliqua episcopalis tam late fere, quam ipsum aliquod regnum, patuerit. In regno *Northumbriæ* primum duo duntaxat fuerunt episcopi, alter in ciuitate *Eboracensi*, alter in *Lindisfarnensi* ecclesia cathedram habens episcopalem. Sed non multo post, an. DCLXXVIII. *Wilfridus* episcopus *Eboracensis*, sede sua ab *Egfrido*, rege *Northumbriæ*, pulsus est, eiusque in locum quatuor vel quinque episcopi fuerunt substituti, alius quidem in *Deirorum*; alius in *Berniciorum* prouincia; alius in *Hagustaldensi* ecclesia in *Northumbria*; alius in prouincia *Pictorum*, quæ tunc temporis *Anglorum* erat imperio subiecta; alius denique in prouincia *Lindissi*, vt BEDA [n] vocat,

(m) Concil. Herudford. c. IX. apud Bed. ibid. p. 274. Nonum capitulum in commune tractatum est, vt plures episcopi, crescente numero fidelium, augerentur: sed de hac re ad præsens siluimus.

(n) Bed. lib. IV. c. XII. Quo etiam anno (DCLXXVIII.) orta inter ipsum regem Ecgfridum & reuerendissimum antistitem Wilfridum dissensione, pulsus est idem antistes a sede sui episcopatus, & duo in locum eius substituti episcopi, qui Northanhymbrorum genti præessent. Bosa videlicet qui Deirorum, & Eata, qui Berniciorum prouinciam gubernaret. Hic in ciuitate Eboraci, ille in Hagustaldensi siue Lindisfarnensi ecclesia cathedram habens episcopalem: ambo de monachorum collegio in episcopatus gradum adsciti. Cum quibus & Edhedus in prouincia Lindisfarorum, quam nuperrime rex Ecgfridus superato in bello & fugato Vulfhere obtinuerat, ordinatur episcopus: & hunc proprium eadem prouincia accepit præsulem; secundum Aedilwinum; tertium Eadgarum; quartum Cymberchtum, quem in præsenti habet. Habebat enim ante Edhedum antistitem Sexuulfum, qui et-

qui nuper ex dioecesi & regno *Merciorum* adscitus erat, nec multo post eo rursus relegatus. Magnum regnum *Merciorum* (comprehendens comitatus *Glocestriensem*, *Herfordiensem*, *Vigorniensem*, *Varuicensem*, *Licestriensem*, *Cantabrigiensem*, *Rutlandiensem*, *Northamtoniensem*, *Lincolniensem*, *Nottinghamensem*, *Bedfordiensem*, *Buckinghamensem*, *Oxoniensem*, *Darbiensem*, *Staffordiensem*, *Salopiensem*, *Cestriensem*, & ex parte *Herefordiensem*) initio dioecesis fuit vnius tantum episcopi, quem BEDA plerumque *Anglorum* mediterraneorum siue *Merciorum* episcopum vocitat, cuius sedes *Lichtfeldia*, regia & metropolis regni *Merciæ*; vsque dum circa ann. DCLXXVIII. noua sedes episcopalis *Sidnacestriæ* in comitatu *Licolniensi*, & aliquando post alia *Dorcestriæ* in comitatu *Oxoniensi* erigeretur, quæ ambæ postea vnitæ & *Lincolniam* remotæ sunt: Vt ne *Cestriensem*, *Petroburgensem*, *Oxoniensem* & *Glocestriensem* dioeceses, originem suam tempore reformationis indidem sortitas, memorem. Dioecesis *Vintoniensis* primis temporibus admodum late quoque patuit, continens omnia *Saxonum* occidentalium regna, donec ab *Ina* rege in *Vintoniensem* & *Clarofontanam* (*Sherborn*) ann. DCCV. dispesceretur. Quarum posterior deinde subdiuisa fuit in dioeceses *Cornubiensem*, *Deuoniensem*, *Somersettensem*, *Viltoniensem* & *Dorcestriensem*, quarum quædam rursus vnitæ constituerunt dioeceses *Exoniensem*, *Wellensem*, *Salisburiensem*, & *Bristoliensem*, vt nunc in præsenti forma & constitutione ecclesiæ sedent. Haud vlterius hanc disquisitionem persequendam esse, existimo, quod, quæ in medium iam prolata sunt, satis demonstrant, dioeceses episcopales in *Anglia* olim multo maiores fuisse quam nunc sunt, ecclesiamque pro sapientia sua illas semper vel multiplicare vel contrahere consueuisse. Quamquam nonnullæ etiam nunc adeo spatiosæ sunt, vt, si cum quibusdam antiquis dioecesibus *Italicis* conferantur, illarum vna de-

iam Merciorum & mediterraneorum Anglorum simul episcopus fuit. Vnde & expulsus de Lindissi, in illarum prouinciarum regimine permansit. Ordinati sunt autem Edhedus, Bosa, & Eata Eboraci ab archiepiscopo Theodoro, qui etiam post annos tres abscessionis Wilfridi, horum numero duos addidit antistites; ad ecclesiam Hagustaldensem Trumberhtum, remanente Eata ad Lindisfarnensem, & Trumuini ad prouinciam Pictorum, quæ tunc temporis Anglorum erat imperio subiecta; Edhedum de Lindissi reuersum, eo quod Aethilred prouinciam recepisset, Rhipensi ecclesiæ præfecit.

cem

cem vel viginti ex hisce, quæ *Romæ* propinquiores erant, æqualis esse deprehendatur.

## §. XXI.

### *Huc vsque dicta ex antiquis aliquot canonibus ecclesiæ confirmantur.*

FINIEMVS hoc caput subiunctis paucis quibusdam antiquis canonibus, datam episcopalium per orbem terrarum diœcesium expositionem confirmantibus, quatenus illæ generatim regiones & parochias rurales sibi subiectas habuisse, existimantur. Concilium *Neocæsareense*, aliquot annis ante concilium *Nicænum* habitum, disertam πρεσβυτέρων ἐπιχωρίων, *presbyterorum ruralium* [o], facit mentionem, quibus in ecclesia oppidana, non nisi episcopo vel presbyteris vrbis absentibus, offerre permittebatur. Concilium *Antiochenum* duos canones habet eiusdem argumenti. Alter illorum diœcesim episcopi [p] describit, quod sit vrbs quædam & omnis regio vrbi subiecta, in qua episcopus presbyteros ordinare possit & diaconos, & administrare res quasuis pro sua opinione, sine metropolis episcopi consilio. Alter in instructionem factus erat chorepiscoporum [q], qui erant in vicis & pagis, vt suum modum scientes sibi sub-

(o) Concil. Neocæsar. c. XIII. (tom. I. concil. p. 1484.) Ἐπιχώριοι πρεσβύτεροι ἐν τῷ κυριακῷ τῆς πόλεως προσφέρειν οὐ δύνανται, παρόντος ἐπισκόπου ἢ πρεσβυτέρων πόλεως, οὔτε μὴν ἄρτον διδόναι ἐν εὐχῇ, οὐδὲ ποτήριον. Ἐὰν δὲ ἀπῶσι, καὶ εἰς εὐχὴν κληθῇ μόνος, δίδωσιν. Vicani presbyteri non possunt in dominico offerre præsente episcopo, vel vrbis presbyteris: neque panem dare precationis, neque calicem. Sin autem absint, & solus ad precationem vocatus fuerit, dat.

(p) Concil. Antioch. c. IX. (tom. II. conc. p. 565.) ἕκαστον ἐπίσκοπον ἐξουσίαν ἔχειν τῆς ἑαυτοῦ παροικίας, διοικεῖν τε κατὰ τὴν ἑκάστῳ ἐπιβάλλουσαν εὐλάβειαν, καὶ πρόνοιαν ποιεῖσθαι πάσης τῆς χώρας τῆς ὑπὸ τὴν ἑαυτοῦ πόλιν, ὡς καὶ χειροτονεῖν πρεσβυτέρους καὶ διακόνους καὶ μετὰ κρίσεως ἕκαστα διαλαμβάνειν. Vnumquemque episcopum habere suæ parochiæ potestatem & administrare pro vnicuique conueniente religione, & *totius regionis curam gerere, quæ suæ vrbi subest.* Vt etiam ordinent presbyteros & diaconos, & vnaquæque cum iudicio tractent.

(q) Ibid. can. X. Τοὺς ἐν ταῖς κώμαις, ἢ ταῖς χώραις, ἢ τοὺς καλουμένους χωρεπισκόπους, εἰ καὶ χειροθεσίαν εἶεν ἐπισκόπων εἰληφότες, ἔδοξε τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ εἰδέναι τὰ ἑαυτῶν μέτρα, καὶ διοικεῖν τὰς ὑποκειμένας αὐτοῖς ἐκκλησίας, καὶ τῇ τούτων ἀρκεῖσθαι φροντίδι καὶ κηδεμονίᾳ, καθιστᾶν δὲ ἀναγνώστας, καὶ ὑποδιακόνους, καὶ ἐφορκιστάς, καὶ τῇ τούτων ἀρκεῖσθαι προαγωγῇ· μήτε πρεσβύτερον, μήτε διάκονον χειροτο-

iectas ecclesias administrarent, earumque cura & sollicitudine contenti constituerent lectores, hypodiaconos & exorcistas; neque vero presbyterum vel diaconum ordinare auderent sine vrbis episcopo, cui subiiciantur ipsi & regio. Simile quid in concilio *Nicæno* [r] decretum legimus, vt si quis ex episcopis *Nouatianis* ad ecclesiam catholicam accederet, episcopus catholicus ei locum chorepiscopi in aliqua diœcesis suæ parte adsignaret, ne in ciuitate duo essent episcopi. Et certe omnes canones, qui chorepiscoporum faciunt mentionem, satis probant, diœcesim non fuisse duntaxat aliquam ciuitatem, sed regionem vicorum & pagorum, cui hi chorepiscopi præfuerint, inspectante vrbis episcopo, ad quem pertinerent. Canones synodi *Sardicensis* [s] & *Laodicenæ* [t] perspicue idem significant, quando episcopos in pagis & exiguis vrbibus ordinari vetant, ideo quod presbyter aliquis aut visitator eis sufficiat. Ita ex ecclesiæ *Africanæ* canonibus aliquis cum concilio *Toletano* pre-

---

γεῖν τολμᾶν, δίχα τοῦ ἐν τῇ πόλει ἐπισκόπου, ᾧ ὑπόκεινται αὐτός τε καὶ ἡ χώρα. Ii qui sunt in vicis vel pagis, qui dicuntur chorepiscopi, etiamsi episcopi ordinationem manuumque impositionem acceperint, visum est, vt suum modum sciant, & sibi subiectas ecclesias administrent, earumque cura & sollicitudine gerenda contenti sint; constituant autem lectores, hypodiaconos & exorcistas, & eorum promotionem sufficere existiment, nec presbyterum, nec diaconum ordinare audeant absque vrbis episcopo, cui subiicitur ipse & regio.

(r) Concil. Nic. can. VIII. (tom. II. conc. p. 33.) Ὁ δὲ ὀνομαζόμενος παρὰ τοῖς λεγομένοις Καθαροῖς ἐπίσκοπος, τὴν τοῦ πρεσβυτέρου τιμὴν ἕξει· πλὴν εἰ μὴ ἄρα δοκοίη τῷ ἐπισκόπῳ τῆς τιμῆς τοῦ ὀνόματος αὐτὸν μετέχειν· εἰ δὲ τοῦτο αὐτῷ μὴ ἀρέσκοι, ἐπινοήσει τόπον ἢ χωρεπισκόπου ἢ πρεσβυτέρου, ὑπὲρ τοῦ ἐν τῷ κλήρῳ ὅλως δοκεῖν εἶναι, ἵνα μὴ ἐν πόλει δύο ἐπίσκοποι ὦσι. Qui apud eos, qui Cathari dicuntur, nominatur episcopus, presbyteri honorem habebit: nisi vtique episcopo placeat ipsum nominis honorem impertire. Si autem hoc illi non placeat, vel chorepiscopi, vel presbyteri locum excogitabit, vt esse omnino in clero videatur, ne in ciuitate duo sint episcopi.

(s) Concil. Sardic. c. VI. (tom. II. concil. p. 632. c.) Μὴ ἐξεῖναι δὲ ἁπλῶς καθιστᾶν ἐπίσκοπον ἐν κώμῃ τινὶ ἢ βραχείᾳ πόλει, ᾗ τινι καὶ εἷς μόνος πρεσβύτερος ἐπαρκεῖ. Non licere simpliciter episcopum constituere in aliquo pago vel parua vrbe, cui vel vnus presbyter sufficit.

(t) Concil. Laodic. c. LVII. (tom. I. c. 1505.) Ὅτι οὐ δεῖ ἐν ταῖς κώμαις, καὶ ἐν ταῖς χώραις καθίστασθαι ἐπισκόπους, ἀλλὰ περιοδευτάς. Quod non oportet in vicis & pagis episcopos constitui, sed periodeutas, hoc est circumcursatores.

sbyte-

sbyteros [u], qui per diœceſes eccleſias regant, a ſuis epiſcopis chriſma ad paſchæ ſolemnitatem petere iubet. Et alius quidam [w] nulli epiſcopo licere dicit, relicta principali cathedra ad aliquam eccleſiam in diœceſi conſtitutam ſe conferre. Qui canones omnino abſurda loquuntur, niſi tunc temporis alias eccleſias in diœceſi, præter eccleſiam matricem, fuiſſe, ſtatuas.

## §. XXII.

*Nec non ex obligatione epiſcopi, qua diœceſim ſuam ſemel per annum viſitare tenebatur, & ex confirmationis exercitio.*

Episcopi ad viſitandam ſuam diœceſim obligatio aliud eiusdem rei teſtimonium eſt. Nam hinc neceſſario ſequebatur, vt aliquot alicuius diſtantiæ eccleſias iurisdictioni ſuæ ſubiectas haberet. Quarum ipſe per ſe curam gerere non poterat, eas viſitare debebat, & prouidere, vt ſuum quæque miniſtrum haberet, & omnia debito fierent ordine. AVGVSTINVS & BASILIVS [x], qui multo maximas habebant diœceſes, ſe hoc viſitationis negotio diſtineri, frequenter narrant. Et regula in quibusdam locis præſcripta erat, vt eccleſiæ quotannis ab epiſcopo viſitarentur, quemadmodum ex quodam concilii *Tarraconenſis* in *Hiſpania* canone liquet, in quo ſic decretum legimus: *Multorum [y] caſuum experientia magiſtrante, reperimus nonnullas diœceſanas eſſe eccleſias deſtitutas, ob quam rem id hac conſtitutione decreuimus, vt antiquæ conſuetudinis ordo ſeruetur, & annuis vicibus ab epiſcopo diœceſano viſitentur.* Si qua autem diœceſis adeo magna eſſet, vt epiſcopus hoc ſuum officium per ſingulos annos explere haud valeret, diœceſim iſtiusmodi diuidendi, & partem oneris nouo epiſcopo imponendi idonea cauſſa habebatur; quæ ratio erat, quam in concilio *Lucenſi* pro diuiſione ampliſſimæ diœ-

(u) Concil. Carth. IV. c. XXXVI. (tom. II. conc. p. 1203.) Presbyteri, qui per diœceſes eccleſias regunt non a quibu libet epiſcopis, ſed a ſuis; nec per iuniorem clericum, ſed aut per ipſos, aut per illum, qui ſacrarium tenet, ante paſchæ ſolemnitatem chriſma petant.

(w) Concil. Carth. V. c. V. (ibid. pag. 1216.) Placuit, vt nemini ſit facultas, relicta principali cathedra, ad aliquam eccleſiam in diœceſi conſtitutam ſe conferre.

(x) Baſil. ep. CCLXIV. Περιοδευόντων ἡμῶν τὴν παροικίαν, Dum ego vicina loca vrbis obirem.

(y) Concil. Tarracon. c. VIII. (tom. IV. concil. p. 1665.)

cesis *Gallæciæ* adlegabant, quemadmodum ſupra [z], de eccleſiis loquentes *Hiſpanicis*, adnotauimus. HIERONYMVS [zz] de confirmationis exercitio aliquam habet obſeruationem, quæ hanc antiquarum diœceſium epiſcopalium rationem notionemque itidem mirifice confirmat. Conſuetudinem eccleſiarum eſſe dicit, vt, ſi qui longe in minoribus vrbibus, villis, caſtellis, aliisque remotioribus locis per presbyteros baptizati ſint, epiſcopus ad inuocationem ſpiritus ſancti manum impoſiturus ad eos excurrat; multa autem loca tanto interuallo a ſedibus epiſcoporum diſtare, narrat, vt baptizati diem ſuum ante obeant, quam ab epiſcopis inuiſantur. Quæ plana & perſpicua talium diœceſium eſt deſcriptio, quales generatim in quauis eccleſiæ catholicæ parte reperimus, paucis quibusdam prouinciis exceptis, in quibus ciuitatum frequentia hominumque multitudo diœceſes numeroſiores & anguſtiores, quam alibi locorum, reddidit.

# *LIBRI NONI*

## *CAPVT SEPTIMVM.*

## NOTITIA EPISCOPATVVM ANTIQVAE ECCLESIAE, QVAE LEONIS SAPIENTIS IVSSV SAECVLO NONO FACTA EST, CVM ALIIS QVIBVSDAM COLLATA.

VT ea, quæ vltimis capitibus adſeruimus, vberius fuſiusque probemus, & lectori antiquæ eccleſiæ ſtatum clare proponamus ab oculos, vnam ex *notitiis* ſeu catalogis epiſcopatuum, quinque maiores patriarchatus, *Conſtantinopolitanum*, *Romanum*, *Antiochenum*, *Hieroſolymitanum* & *Alexandrinum* exhibentem, ſecundum deſcriptionem, iuſſu *Leonis Sapientis* imperatoris circa ann. DCCCXCI. factam, heic ſubiungemus. Quam-

(z) Vid. §. XVI. huius capitis pag. 547.

(zz) Hieron. dialog. contr. Lucifer. c.IV. (tom. II. p.424.ſ. edit.Par.MDCXLIII.) Non abnuo, hanc eſſe eccleſiarum conſuetudinem, vt ad eos, qui longe in minoribus vrbibus per presbyteros & diaconos baptizati ſunt, epiſcopus ad inuocationem ſancti Spiritus manum impoſiturus excurrat. *Et paullo poſt ſub lit. H.* Alioquin ſi epiſcopi tantum imprecatione Spiritus ſanctus defluit, lugendi ſunt, qui in villulis, aut in caſtellis, aut in remotioribus locis per presbyteros aut diaconos baptizati, ante dormierunt, quam ab epiſcopis inuiſerentur.

quam

quam enim ad aliorum istorum documentorum, quibus in hoc opere generatim vsi sumus, antiquitatem non accedit; tamen quum sit antiquissima & plenissima narratio, quam quidem in hoc genere habemus, & dissipatis huius generis antiquitatum reliquiis conueniat, vtile fuerit velut de transuerso testimonium ad confirmandum ea, quæ de diuisione & ambitu diœcesium in primitiua ecclesia diximus. Et eam quidem tanto lubentius heic interponere animum induximus, vt multorum lectorum curiositati gratificemur, quorum oculis hæc *notitia* aliter forte haud subiicietur, quum non nisi in libris rarioribus carioribusque, qui non in cuiusuis vulgaris lectoris manus incidunt, reperiantur. Prima huius generis notitia a LEVNCLAVIO in *iure* suo *Græco-Romano* [*a*] an. MDXCVI. *græce* & *latine* sub nomine LEONIS SAPIENTIS, qui auctor illius esse creditur, in lucem edita est. Postea aliæ quædam sed imperfectæ a CAROLO A SANCTO PAVLO [*b*] in *geographia sacra antiquæ ecclesiæ* publicatæ sunt. Quarum defectus IACOBVS GOAR suppleuit e MSto quodam in bibliotheca regum *Galliarum*, quod ad calcem CODINI [*c*] inter scriptores *Byzantinos* an. MDCXLVIII. euulgavit, nec non BEVEREGIVS episcopus e MSto quodam bibliothecæ *Bodleianæ* in notis suis [*d*] in *Pandectas* an. MDCLXXII. publicato. Quarum vltima quum pro perfectissima in hoc genere agnita sit, postea ab erudito SCHELSTRATO [*e*] cum notis quibusdam & obseruationibus in prætermissiones & variationes priorum omnium recusa est; quas recognitas & inter se collatas curioso lectori heic exhibebimus, vt omnes vno simul obtutu possit contueri.

---

(*a*) Leunclau. ius Græco-Rom. tom. II. p. 88.
(*b*) Carol. a S. Paulo append. ad geograph. sacr.
(*c*) Codin. de offic. Constant. in append. p. 337.
(*d*) Beuereg. not. in can. XXXVI. concil. Trull.
(*e*) Schelstrat. de concil. Antiochen. dissertat. IV. c. XIII. p. 425.

OR-

# ORDO

## PRAESIDENTIAE SANCTISSIMORVM PATRIARCHARVM.

1. Romanus. 2. Conſtantinopolitanus. 3. Alexandrinus. 4. Antiochenus. 5. Aelienſis, ſiue Hieroſolymitanus.

Ordo præſidentiæ metropolitanorum & autocephalorum, & epiſcoporum ſub apoſtolico throno a Deo cuſtoditæ huius & imperialis vrbis (Conſtantinopolis) agentium.

| | |
|---|---|
| 1. Prouinciæ Cappadociæ. | 1. Metropolitanus Cæſareæ. |
| 2. Prouinc. Aſiæ. | 2. Metr. Epheſi. |
| 3. Prouinc. Europæ. | 3. Metr. Heracleæ Thraciæ. |
| 4. Prouinc. Galatiæ. | 4. Metr. Ancyræ. |
| 5. Prouinc. Helleſponti. | 5. Metr. Cyzici. |
| 6. Prouinc. Lydiæ. | 6. Metr. Sardium. |
| 7. Prouinc. Bithyniæ. | 7. Metr. Nicomediæ. |
| 8. Prouinc. Eiusdem. | 8. Metr. Nicææ. |
| 9. Prouinc Eiusdem. | 9. Metr. Chalcedonis. |
| 10. Prouinc. Pamphyliæ. | 10. Metr. Sidæ. |
| 11. Prouinc. Armeniæ. | 11. Metr. Sebaſtææ. |
| 12. Prouinc. Elenoponti. | 12. Metr. Amaſææ. |
| 13. Prouinc. Armeniæ. | 13. Metr. Melitinæ. |
| 14. Prouinc. Cappadociæ. | 14. Metr. Tyanorum, ſiue Chriſtopolis. |
| 15. Prouinc. Paphlagoniæ. | 15. Metr. Gangrorum. |
| 16. Prouinc. Honoriadis. | 16. Metr. Claudiopolis. |
| 17. Prou. Ponti Polemoniaci. | 17. Metr. Neocæſareæ. |
| 18. Prouinc. Galatiæ. | 18. Metr. Piſſenuntis ſiue Iuſtinianopolis. |
| 19. Prouinc. Lyciæ. | 19. Metr. Myrorum. |
| 20. Prouinc. Cariæ. | 20. Metr. Stauropolis. |
| 21. Prou. Phrygiæ Pacatianæ. | 21. Metr. Laodicææ. |
| 22. Prouinc. Phrygiæ Salutaris. | 22. Metr. Synadorum. |
| 23. Prouinc. Lycaoniæ. | 23. Metr. Iconii. |
| 24. Prouinc. Piſidiæ. | 24. Metr. Antiochiæ. |
| 25. Prouinc. Pamphyliæ. | 25. Metr. Pergæ, ſiue Silei. |
| 26. Prouinc. Cappadociæ. | 26. Metr. Mocceſſi. |
| 27. Prouinc. Lazicæ. | 27. Metr. Phaſidis. |
| 28. Prouinc. Thraciæ. | 28. Metr. Philippopolis. |

29. Pro-

| | |
|---|---|
| 29. Prouinc. Rhodopes. | 29. Metr. Traianopolis. |
| 30. Prou. InſularumCycladum. | 30. Metr. Rhodi. |
| 31. Prouinc. Aemimonti. | 31. Metr. Adrianopolis. |
| 32. Prouinc. Aeminonti. | 32. Metr. Martianopolis. |
| 33. Prou. Phrygiæ Pacatianæ. | 33. Metr. Hierapolis. |

Heic finitur catalogus prouinciarum & metropolitanorum in *notitia* per BEVEREGIVM & GOAR edita, ſed apud LEVNCLAVIVM ſequentes metropolitani, ſine vlla prorſus mentione provinciarum, adduntur.

| | |
|---|---|
| 34. Metropolit. Theſſalonicæ. | 59. Metr. Coloniæ. |
| 35. Metr. Corinthi. | 60. Metr. Thebarum. |
| 36. Metr. Cretæ. | 61. Metr. Serrarum. |
| 37. Metr. Athenarum. | 62. Metr. Pompeiopolis. |
| 38. Metr. Seleuciæ. | 63. Metr. Roſſiæ. |
| 39. Metr. Patrarum. | 64. Metr. Alaniæ. |
| 40. Metr. Trapezuntis. | 65. Metr Aeni. |
| 41. Metr. Calabriæ. | 66. Metr. Tiberiopolis. |
| 42. Metr. Lariſſæ. | 67. Metr. Achaiæ. |
| 43. Metr. Naupacti. | 68. Metr. Ceraſuntis. |
| 44. Metr. Philipporum. | 69. Metr. Nacoliæ. |
| 45. Metr. Dyrrachii. | 70. Metr. Germaniæ. |
| 46. Metr. Smyrnæ. | 71. Metr. Madytorum. |
| 47. Metr. Catanæ. | 72. Metr. Apameæ. |
| 48. Metr. Ammorii. | 73. Metr. Baſilei. |
| 49. Metr. Camachi. | 74. Metr. Dryſtæ. |
| 50. Metr. Cotyaii. | 75. Metr. Nazianzi. |
| 51. Metr. Seuerianæ. | 76. Metr. Corcyræ. |
| 52. Metr. Mytilenes. | 77. Metr. Abydi. |
| 53. Metr. Nouarum Patrarum. | 78. Metr. Methymnæ. |
| 54. Metr. Euchaitæ. | 79. Metr. Chriſtianopolis. |
| 55. Metr. Amaſtridis. | 80 Metr. Ruſii. |
| 56. Metr. Chonarum. | 81. Metr. Lacedæmoniæ. |
| 57. Metr. Hydruntis. | 82. Metr. Naxiæ. |
| 58. Metr. Kelzenes. | 83. Metr. Attaliæ. |

Quibus ſcholiaſtes tres addit, Sebaſtopolis, Euripi, & Cybiſtæ quæ & Herculis.

Metropolitanos ſequuntur antocephali, quos *notitia* apud

apud LEVNCLAVIVM archiepiſcopos vocat. Autocephali erant, qui proprii erant iuris, nullos habentes metropolitanos, quibus parerent, nec ſuffrageneos, quibus præciperent, ſed ſoli patriarchæ proximo ſubiecti, vti *notitia* per GOAR edita tradit. Secundum *notitiam* BEVEREGII fuerunt ſequentes.

| | |
|---|---|
| 1. Prouinciæ Myſiæ. | 1. Autocephalus Odyſſi. |
| 2. Prouinc. Scythiæ. | 2. Autoc. Tomes. |
| 3. Prouinc. Europæ. | 3. Autoc. Bizyæ. |
| 4. Prouinc. Paphlagoniæ. | 4. Autoc. Pompeiopolis. |
| 5. Prouinc. Aſiæ. | 5. Autoc. Smyrnæ. |
| 6. Prouinc. Iſauriæ. | 6. Autoc. Leontopolis. |
| 7. Prouinc. Rhodopes. | 7. Autoc. Maronææ. |
| 8. Prouinc. Bithyniæ. | 8. Autoc. Apameæ. |
| 9. Prouinc. Rhodopes. | 9. Autoc. Maximianopolis. |
| 10. Prouinc. Galatiæ. | 10. Autoc. Germiorum. |
| 11. Prouinc. Europæ. | 11. Autoc. Arcadiopolis. |
| 12. Prouinc. Thraciæ. | 12. Autoc. Berææ. |
| 13. Prouinc. Inſulæ Lesbi. | 13. Autoc. Mytilenes. |
| 14. Prouinc. Helleſponti. | 14. Autoc. Parii. |
| 15. Prouinc. Cariæ. | 15. Autoc. Meliti. |
| 16. Prouinc. Thraciæ. | 16. Autoc. Nicopolis. |
| 17. Prouinc. Inſulæ. | 17. Autoc. Proconeſi. |
| 18. Prouinc. Rhodopes. | 18. Autoc. Anchiali. |
| 19. Prouinc. Europæ. | 19. Autoc. Selymbriæ. |
| 20. Prouinc. Lesbi. | 20. Autoc. Methymnes. |
| 21. Prouinc. Bithyniæ. | 21. Autoc. Cii. |
| 22. Prouinc. Europæ. | 22. Autoc. Apri. |
| 23. Prouinc. Rhodopes. | 23. Autoc. Cypſalorum. |
| 24. Prouinc. Zicchiæ. | 24. Autoc. Cherſonis. |
| 25 Prouinc. Eiusdem. | 25. Autoc. Boſpororum. |
| 26. Prouinc. Eiusdem. | 26. Autoc. Nicopſis. |
| 27. Prouinc. Iſauriæ. | 27. Autoc. Cotradorum. |
| 28. Prouinc. Clenoponti, aliis Helenoponti. | 28. Autoc. Euchetarum. |
| 29. Prouinc. Inſular. Cycladum. | 29. Autoc. Carpathi. |
| 30. Prouinc. Rhodopes. | 30. Autoc. Aeni. |

31. Pro-

| | |
|---|---|
| 31. Prouinciæ Europæ. | 31. Autocephalus Driziparorum, siue Mesenæ. |
| 32. Prouinc. Hemimontis. | 32. Autoc. Mesembriæ. |
| 33. Prouinciæ Armeniæ. | 33. Autoc. Heracliopolis al. Phylactoës. |
| 34. Prouinc. Abasgiæ. | 34. Autoc. Sebastopolis. |
| 35. Prou. Ponti Polemoniaci. | 35. Autoc. Trapezuntis. |
| 36. Prouinc. Paphlagoniæ. | 36. Autoc. Amastridis. |
| 37. Prouinc. Lycaoniæ. | 37. Autoc. Misthiorum. |
| 38. Prouinc. Pisidiæ. | 38. Autoc. Neapolis. |
| 39. Prouinc. Maris Aegei. | 39. Autoc. Aegenæ. |
| 40. Prouinc. Phrygiæ salutaris. | 40. Autoc. Cotyaii. |
| 41. Prouinc. Pamphyliæ. | 41 Autoc. Selgæ. |

Hisce in *notitia* apud IACOBVM GOAR duæ sedes subiiciuntur Delca siue Derce & Renium in Armenia. Sed quæ in LEVNCLAVIO exstat, vndequadraginta tantum habet, quarum sedecim diuersa sunt nomina, nimirum Nice, Messana, Garella, Brisis, Carabyzia, Lemnus, Leucas, Cudræ, Soteropolis, Pedachthoa, Eroina, Gotthia, Sugdaia, Phullæ, Pharsala & Metracha. Nonnullis etiam harum, quæ in *notitia Bodleiana* autocephali dicuntur, in LEVNCLAVIO metropolitanorum sedibus accensentur, vt Trapezus; Smyrna, Cotyaium, Mitylene, Amastris, Pompeiopolis, Aenus, & Apamea. Vnde facile ad colligendum est, archiepiscopos & autocephalos tunc temporis metropolitanos quosdam titulares fuisse, priuilegio iuris proprii gaudentes, tametsi nullum suffraganeum sibi subiectum habentes.

Sequuntur iam prouinciæ speciales cum numero episcopatuum, in vnaquaque comprehensorum.

PROVINCIA CAPPADOCIAE.

| Episcopus | Episcopus | Episcopus |
|---|---|---|
| 1. Cæsareæ, metropolis. | 2. Basilicarum Thermarum. | 3. Nysæ. |
| 4. Methodiopolis Armeniæ. | 5. Camelianorum. | 6. Ciscissi. |

Quibus in LEVNCLAVIO adduntur sequentes.

| | | |
|---|---|---|
| 7. Euaissorum. | 8. Seriadis. | 9. Arathiæ. |
| 10. Aepoliorum. | | |

PROVINCIA ASIAE.

| | | |
|---|---|---|
| 1. Ephesi metropol. | 2. Hypeporum. | 3. Trallium. |
| 4. Magnesiæ. | 5. Eleæ. | 6. Adramytii. |
| 7. Assi. | 8. Gargarorum | 9. Mastauorum |
| 10. Caloës. | 11. Bryullorum. | 12 Pittamnes. |
| 13. Myrines. | 14. Phociæ. | 15. Aurillopolis siue Aureliopolis. |
| 16. Nisæ, siue Nyssæ. | 17. Maschacomæ. | 18. Metropolis. |
| 19. Barettorum. | 20. Magnesiæ. | 21. Aninatum. |
| 22. Pergami. | 23. Aneorum. | 24. Prienes. |
| 25. Arcadiopolis. | 26. Nouæ Aulæ. | 27. Templi Iouis. |
| 28. Augazorum. | 29. Sion. | 30. Colophones. |
| 31. Leuedi, al. Lebedi. | 32. Tei. | 33. Erythrarum. |
| 34. Clazomenarum. | 35. Attadrorum. | 36. Theodosiopolis al. Peperines. |
| 37. Cymæ. | 38. Palæopolis. | |

Quibus in LEVNCLAVIO adduntur Thryærorum & Chliarorum, sed desunt Phociæ, Magnesiæ & Clazomenæ.

Hæc prouincia Thraciæ & Macedoniæ interponitur apud LEVNCLAVIVM.

| | | |
|---|---|---|
| 1. Heracleæ metropolis. | 2. Theodoropolitanus. | 3. Rhædesti. |
| 4. Paniensis. | 5. Hexamilii. | 6. Calliopolitanus. |
| 7. Peristasimus. | 8. Chariopolitanus. | 9. Chalcidensis. |
| 10. Daoniensis. | 11. Madytorum. | 12. Pamphili. |
| 13. Medeæ. | 14. Lizici. | 15. Sergentzæ. |
| 16. Metrorum. | 17. Tzurolloci. | 18. Athyrorum. |

In altera *notitia* prouincia vocatur prouincia Europæ; sed sex tantum episcopatus ei adsignantur.

| | | |
|---|---|---|
| 1. Heracleæ. | 2. Panii. | 3. Calliopolis. |
| 4. Cherronesi | 5. Cylæ | 6. Redesti. |

PROVINCIA GALATIAE.

| | | |
|---|---|---|
| 1. Ancyræ metrop. | 2. Tabiæ al. Attabiæ. | 3. Eliopolis. |
| 4. Asponæ. | 5. Perinopolis. | 6. Mizzi. |
| 7. Cinæ. | 8. Anastasiopolis. | |

PRO-

PROVINCIA HELLESPONTI.

| | | |
|---|---|---|
| 1. Cyzici, metrop. | 2. Germes. | 3. Pœmanii. |
| 4. Oces. | 5. Bareos. | 6. Adrionotherarũ. |
| 7. Lampſaci. | 8. Abydi. | 9. Dardani. |
| 10. Ilii. | 11. Troadis. | 12. Pæoniæ. |
| 13. Melitopolis. | | |

PROVINCIA LYDIAE.

| | | |
|---|---|---|
| 1. Sardium metrop. | 2. Philadelphiæ. | 3. Tripolis. |
| 4. Thyatirorum. | 5. Settorum. | 6. Arilliapolis. |
| 7. Gordorum. | 8. Troallorum. | 9. Salorum. |
| 10. Silandi. | 11. Mæoniæ. | 12. Fani Apollinis. |
| 13. Hyrcanidis. | 14. Muſtinæ. | 15. Arcaſti. |
| 16. Apolloniadis. | 17. Attaliæ. | 18. Bagæ. |
| 19. Balandi. | 20. Meſotymoli. | 21. Hierocæſareæ. |
| 22. Dallæ. | 23. Stratoniceæ. | 24. Ceraſeorum. |
| 25. Sattalorum. | 26. Gabalorum. | 27. Hermocapeliæ. |

PROVINCIA BITHYNIAE.

| | | |
|---|---|---|
| 1. Nicomediæ. | 2. Bruſæ ſiue Theopolis. | 3. Præneti. |
| 4. Elenopolis. | 5. Baſilinopolis. | 6. Daſcylii. |
| 7. Apolloniadis. | 8. Adrianorum. | 9. Cæſareæ. |
| 10. Galli ſiue Lophorum. | 11. Daphnuſiæ. | 12. Eriſtes. |

PROVINCIA EIVSDEM.

| | | |
|---|---|---|
| 1. Niceæ. | 2. Modrinæ, ſiue Melinorum. | 3. Linoës. |
| 4. Taii. | 5. Gerduſeruarum. | 6. Numericarum. |

7. Maximianarum. In LEVNCLAVIO additur, Chalcedoni nullum thronum ſubfuiſſe, vtpote quæ tantum αὐτοκέφαλος & honoraria fuerit metropolis.

PROVINCIA PAMPHYLIAE.

| | | |
|---|---|---|
| 1. Sidæ. | 2. Aſpendi. | 3. Ettenæ. |
| 4. Orumnæ. | 5. Caſſorum. | 6. Semneorum. |
| 7. Coralliorum. | 8. Coraciſſii. | 9. Syethrorum. |
| 10. Mylones, ſiue Iuſtinianopolis. | 11. Anamandorum. | 12. Daliſandi. |

 13. Isbo-

| | | |
|---|---|---|
| 13. Isborum. | 14. Lybræ. | 15. Cobybrassi. |
| 16. Manæorum. | | |

PROVINCIA ARMENIAE.

| | | |
|---|---|---|
| 1. Sebasteæ. | 2. Sebastopolis. | 3. Nicopolis. |
| 4. Satalorum. | 5. Coloniæ. | 6. Berisses. |

PROVINCIA ELENOPONTI.

| | | |
|---|---|---|
| 1. Amaseæ. | 2. Amissi. | 3. Sinopæ. |
| 4. Ibororum. | 5. Androporum. | 6. Zalichi; siue Leontopolis. |
| 7. Zelorum. | | |

PROVINCIAE ARMENIAE SECVNDAE.

| | | |
|---|---|---|
| 1. Melitinæ. | 2. Areæ. | 3. Cucusi. |
| 4. Arabissi. | 5. Ariarathes. | 6. Ceomanarum. |

PROVINCIAE CAPPADOCIAE SECVNDAE.

| | | |
|---|---|---|
| 1. Tyanorum, siue Christopolis. | 2. Cybistrorum. | 3. Faustinopolis. |
| | | 4. Sasimorum. |

PROVINCIA PAPHLAGONIAE.

| | | |
|---|---|---|
| 1. Gangrarum. | 2. Iunopolis. | 3. Dadybrorum. |

4. Sorarum. Heic apud LEVNCLAVIVM proxime sequitur PROVINCIA THESSALIAE, apud alios omissa.

| | | |
|---|---|---|
| 1. Thessalonicæ. | 2. Citriæ. | 3. Berrhœæ. |
| 4. Drugubitiæ. | 5. Seruiorum. | 6. Casandriæ. |
| 7. Campaniæ, siue Castrii. | 8. Petræ. | 9. Herculiorum siue Ardemerianus. |
| 10. Hierissi. | 11. Litæ ac Rentenæ. | 12. Bardariotarum, siue Turcorum. |

PROVINCIA HONORIADIS.

| | | |
|---|---|---|
| 1. Claudiopolis. | 2. Heracleæ Ponti. | 3. Prusiadis. |
| 4. Tii. | 5. Crateæ. | 6. Adrianopolis. |

PROVINCIA PONTI POLEMONIACI.

| | | |
|---|---|---|
| 1. Neocæsareæ. | 2. Trapezuntium. | 3. Cerosantium. |

4. Polemonii. 5. Comanorum. Hisce in LEVNCLAVIO subiunguntur 6. Halyæi. 7. Rhizæi. 8. Cocci. 9. Eunici. Et a scholiaste adhuc tres Aradases, Martyropolis & Hypselæ.

PROVINCIA GALATIAE SECVNDAE.

| | | |
|---|---|---|
| 1. Pisinuntium. | 2. Mericii. | 3. Eudoxiadis. |
| 4. Pitannissi. | 5. Trocuadorum. | 6. Germocoloniæ. |

7. Spaleæ, siue Iustianopolis. 8. Orcisti.

PRO-

PROVINCIA LYCIAE.

| | | |
|---|---|---|
| 1. Myrorum. | 2. Maſtærorum. | 3. Telmeſi. |
| 4. Limyrorum. | 5. Araxes. | 6. Aprillorum. |
| 7. Tatlorum. | 8. Arneorum. | 9. Sidymorum. |
| 10. Zenopolis. | 11. Olympi. | 12. Odorum. |
| 13. Corydalorum. | 14. Canni. | 15. Xanthi. |
| 16. Acraſſi. | 17. Marcianes. | 18. Bobi, ſiue Sophianopolis. |
| 19. Comatis. | 20. Onundorum. | 21. Phelli. |
| 22. Candanorum. | 23. Phaſilidis. | 24. Antiphelli. |
| 25. Acaliſſi. | 26. Rhodiopolis. | 27. Acandorum. |
| 28. Lebiſſi. | 29. Eudociadis. | 30. Paliotarum. |
| 31. Comborum. | 32. Patarorum. | 33. Barburorum. |
| 34. Neſſorum. | 35. Cianeorum. | 36. Melatorum. |

PROVINCIA CARIAE.

| | | |
|---|---|---|
| 1. Stauropolis. | 2. Cibyræ. | 3. Sizorum. |
| 4. Heracleæ Syalabicæ. | 5. Apolloniadis. | 6. Heracleæ. |
| 7. Lacymorum. | 8. Taborum. | 9. Larborum. |
| 10. Antiochiæ. Meandri. | 11. Tappaſſarum. | 12. Harpaſſarum. |
| 13. Neapolis. | 14. Orthyſiadis. | 15. Anotetartæ. |
| 16. Allabandorum. | 17. Stratoniceæ. | 18. Alindorum. |
| 19. Mylaſſarum. | 20. Mezo. | 21. Iaſſi. |
| 22. Barbillii. | 23. Alicarnaſſi. | 24. Hylarimorum. |
| 25. Cnidorum. | 26. Metaborum. | 27. Mindi. |
| 28. Hieri, ſeu templi. | 29. Cindramorum. | 30. Ceramorum. |
| 31. Promiſſi. | | |

PROVINCIA PHRYGIAE CAPPATIANAE.

| | | |
|---|---|---|
| 1. Laodicææ. | 2. Tiberiopolis. | 3. Azanorum. |
| 4. Ancyroſynai. | 5. Peltorum. | 6. Appiæ. |
| 7. Acadorum. | 8. Icriorum. | 9. Iluzorum. |
| 10. Tranopolis. | 11. Sebaſtæ. | 12. Eumeniæ. |
| 13 Timeni Therarum. | 14. Agathæ Comæ. | 15. Alinorum. |
| 16. Tripolis. | 17. Attanaſſi. | 18. Trapezopolis. |
| 19. Sibliæ. | | |

Nota,

Nota. In LEVNCLAVIO exſtant XXI. epiſcopatus, quorum multi diuerſo veniunnt nomine in hac prouincia, vt Aemoneæ, Charotopenſis, Forium Pœmæni, Cidiſſi, Lundenſis, Heiazæ, Synæi, Thampſiopolitanus, Iuſtinianopolitanus, Diocleæ & Ariſteæ.

PROVINCIA PHRYGIAE SALVTARIS.

| | | |
|---|---|---|
| 1. Synadorum. | 2. Doryllæi. | 3. Nacoleæ. |
| 4. Medæi. | 5. Hipſi. | 6. Promiſſi. |
| 7. Meri. | 8. Sibindi. | 9. Phytiæ. |
| 10. Hierapolis. | 11. Eucarpiæ. | 12. Lyſiadis. |
| 13. Auguſtopolis. | 14. Bryzi. | 15. Otri. |
| 16. Lycaonis. | 17. Stectorii. | 18. Cinaborii. |
| 19. Cone. | 20. Scordapiæ. | 21. Nicopolis. |
| 22. Aeroclorum. | | |

LEVNCLAVIVS heic tantum viginti habet epiſcopatus, & quosdam aliis nominibus vocatos, ſed in notitia IACOBI GOAR duo adduntur Alopes & Cadenna.

PROVINCIAE LYCAONIAE.

| | | |
|---|---|---|
| 1. Iconii. | 2. Lyſtrorum. | 3. Vaſadorum. |
| 4. Ambadorum aliis Ambladorum. | 5. Vomanodorum. | 6. Larandorum. |
| 7. Beretæ. | 8. Derbæ. | 9. Hydæ. |
| 10. Sauatrorum. | 11. Cani. | 12. Berinopolis. |
| 13. Galbanorum, ſiue Eudociadis. | 14. Iliſtrorum. | 15. Pertorum. |

LEVNCLAVIVS eumdem numerum habet, ſed nomina quædam ab his diuerſa.

PROVINCIA PISIDIAE.

| | | |
|---|---|---|
| 1. Antiochiæ. | 2. Sagalaſſi. | 3. Sozopolis. |
| 4. Apameæ. | 5. Cibi. | 6. Tyræni. |
| 7. Bareos. | 8. Adrianopolis. | 9. PortusLimemorũ. |
| 10. Laodiceæ Combuſtæ. | 11. Seleuciæ Ferreæ. | 12. Adadorum. |
| 13. Zarzelorum. | 14. Timbriadum. | 15. Tymandi. |
| 16. Conanes. | 17. Mali. | 18. Siniandi. |
| 19. Tytiaſſi. | 20. Metropolis. | 21. Papporum. |
| 22. Parallæ, ſiue Paralla. | 23. Mindeui, alias Bindei. | |

PROVIN-

PROVINCIA PAMPHYLIAE SECVNDAE.

1. Pergæ ſiue Sylei. 2. Attaliæ. 3. Magydi al. Mandi.
4. Eudociadis. 5. Telimiſi. 6. Iſindi.
7. Maximianopolis. 8. Laginorum. 9. Palæopolis.
10. Cremni. 11. Corydalorum. 12. Peltiniſſi.
13. Dicytanærorum. 14. Ariaſſi. 15. Puglorum.
16. Adrianes. 17. Sandidorum. 18. Barbæ.
19. Perbænorum. 20. Coi.

Nota. Quatuordecim ſequentes prouinciæ in LEVNCLAVIO, non autem in vlla alia notitia exſtant.

PROVINCIA PELOPONNESI.

1. Corinthi. 2. Damalæ. 3. Argiuus.
4. Monembaſiæ. 5. Cephaleniæ. 6. Zacynthi.
7. Zemenæ. 8. Mainæ.

PROVINCIA HELLADIS.

1. Athenarum. 2. Euripi. 3. Diauliæ.
4. Coroneæ. 5. Andri. 6. Orei.
7. Scyri. 8. Charyſti. 9. Porthmi.
10. Aulonis. 11. Syræ.

PROVINCIA CRETAE.

1. Gortynius. 2. Cnoſſius. 3. Arcadiæ.
4. Cherroneſi. 5. Aulopotami. 6. Agrii.
7. Lampenſis. 8. Cydoniæ. 9. Hieræ.
10. Petræ. 11. Siteæ. 12. Ciſſami.

PROVINCIA PELOPONNESI.

1. Patræ. 2. Lacedæmoniæ. 3. Methonenſis.
4. Coronenſis. 5. Helienſis. 6. Bolænæ.

PROVINCIA HELLADIS SECVNDAE.

1. Lariſſæ. 2. Demetriadis. 3. Pharſali.
4. Domoci. 5. Zetonii. 6. Ezeri.
7. Lædoricii. 8. Tricenſis. 9. Echini.
10. Colydri. 11. Stagorum.

PROVINCIA AETOLIAE.

1. Naupactus. 2. Bunditzæ. 3. Aquilæ.
4. Acheloi. 5. Rhegarum. 6. Ioanninæ.

7. Photicæ. 8. Hadrianopolis. 9. Buthroti.
10. Chimaræ.

PROVINCIA MACEDONIAE.

1. Philippensis. 2. Theorianus. 3. Polystylius.
4. Beliceæ. 5. Christopolitanus. 6. Smolænensis.
7. Cæsaropolitanus. 8. Alectryopolitanus.

PROVINCIA EVPIRI.

1. Dyrrachinus. 2. Stephaniacensis. 3. Chunobiæ.
4. Croiensis. 5. Elissi. 6. Docleæ.
7. Scodrensis. 8. Driuasti. 9. Polathensis.
10. Glabinitzæ siue Acroceauniæ. 11. Auloneæ. 12. Lycinidensis.
13. Antibarensis. 14. Tzerinici. 15. Polycherepolitanus.
16. Graditzii.

IN ASIA SVB SMYRNAEO METROPOLITANO.

1. Phocææ. 2. Magnesiæ. 3. Anelii.
4. Clazomenius. 5. Sosandrius. 6. Archangelinus.
7. Petræ.

IN ARMENIA SVB COMACHIO.

1. Keltzenensis. 2. Arabracensis. 3. Barzanissæ.
4. Meli. 5. Melialius. 6. Romanopolitanus
7. Tutilei.

IN PHRYGIA SVB COTYAIO.

1. Sporæ. 2. Cohensis. 3. Gaicomensis.

IN LESBO SVB MITYLENENSI.

1. Erissi. 2. Strongylæ. 3. Tenedi.
4. Berbinensis. 5. Perperinæ. 6. Marmaritzanorũ.

IN HELLADE SVB NEOPATRENSI.

1. Gazalorum. 2. Cutziagri. 3. Sibicti.
4. Barianæ.

SVB KELTZENENSI.

1. Tomensis. 2. Chatzetunensis. 3. Lycopotamiæ.
4. Cortzenensis. 5. Mastrabatzi. 6. Chuitensis.
7. Toparchius. 8. Ambræ. 9. Tutarenii.
10. Mar-

10. Marmentitzuris. 11. Matziertæ. 12. S. Nicolai.
13. Euæ Deiparæ. 14. Artesii siue S. Nicolai. 15. Artzicæ, siue Arcerati.
16. Amucii. 17. Percinensis. 18. S. Georgii.
19. Ostanis. 20. S. Elissæi. 21. Sedraci Deiparæ.

Istæ quatuordecim sedes metropoliticæ in solo LEVNCLAVIO reperiuntur. Iam altera *notitia* iterum pergit.

PROVINCIA CAPPADOCIAE.

1. Mocessi. 2. Nazianzi. 3. Coloniæ.
4. Parnassi. 5. Doarorum.

PROVINCIA LAZICAE.

1. Phasidis. 2. Rhodopolis. 3. Ecclesiæ Abissenorum.
4. Petrorum. 5. Ecclesiæ Ziganeorum. Apud LEVNCLAVIVM vero sedecim numerantur in hac prouincia.

1. Trapezuntius metropolit. 2. Cheriancnsis. 3. Chamuzuris.
4. Chachæi. 5. Paiperis. 6. Ceramianus.
7. Lerii. 8. Bizanensis. 9. Sacabensis.
10. Tochatzitzi. 11. Tochantiertzi. 12. Toulnuti.
13. Phasianæ. 14. Tolermazi. 15. Andactensis.
16. Zorinacensis.

PROVINCIA THRACIAE.

1. Philippopolis. 2. Diocletianopolis. 3. Diospolis.

LEVNCLAVIO memorantur vndecim:

1. Philippopolitanus. 2. Agathonicœnus. 3. Liotitzæ.
4. Scutarii. 5. Leucæ. 6. Blepti.
7. Dramitzæ. 8. Ioannitzorum. 9. Constantiæ.
10. Beliceæ. 11. Bucuborum.

PROVINCIA INSVLARVM CYCLADVM.

1. Rhodi, metropol. 2. Sami. 3. Chii.
4. Coi. 5. Naxiæ. 6. Theræ.
7. Pari. 8. Lethri. 9. Andri.
10. Teni. 11. Meli. 12. Pisynæ.

LEVNCLAVIVS addit: Icoriæ, Lernæ, Ostypaliæ, Tracheæ, & Nesuræ.

PROVINCIA AEMIMONTI.

1. Adrianopolis. 2. Meſembriæ. 3. Sozopolis.
4. Plutinopolis. 5. Zoidorum.

Quibus a LEVNCLAVIO adduntur.

6. Agathopolis. 7. Debelti. 8. Trabizyæ.
9. Carabi. 10. Bucelli. 11. Probati.
12. Scopeli. 13. Bryſenſis. 14. Bulgarophygenſis.

PROVINCIA EIVSDEM.

1. Marcianopolis. 2. Rhodoſtoli. 3. Tramaniſci.
4. Noborum. 5. Zecedoporum. 6. Sarcaræ.

PROVINCIA EIVSDEM; quæ alio nomine apud LEVNCLAVIVM RHODOPE appellatur.

1. Traianopolis. 2. Peri. 3. Anaſtaſiopolis.
Quibus a LEVNCLAVIO ſubiunguntur 4. Didymotichi.
5. Macræ. 6. Miſinopolis. 7. Porenſis.
8. Xanthæ. 9. Peritheorii. 10. Theodorii.

PROVINCIA PHRYGIAE CAPATIANAE.

1. Hieropolis. 2. Metellopolis. 3. Dionyſopolis.
4. Anaſtaſiopolis. 5. Antœdorum. 6. Moſynorum.
Cum ſex aliis, quæ heic per errorem interpoſitæ ſunt ex prouincia Aemimonti. Sed a LEVNCLAVIO ſubiiciuntur: Autudenſis, Phobenſis, Ancyranus, Synaenſis, Tiberiopolitanus, Canenſis & Zanenſis.

PROVINCIA GALATIAE SECVNDAE.

1. Amorii. 2. Philomelii. 3. Docimii.
4. Clauci. 5. Polyboti. 6. Piſſiæ.
Heic prouincia in LEVNCLAVIO dicitur PHRYGIA; epiſcopatus autem iidem ſunt.

Heic in omnibus *notitiis* notatum legitur, quod ſequentes metropolit. ipſorumque ſuffraganei a Romana diœceſi auulſi iamque throno Conſtantinopolitano ſubiecti ſint.

1. Theſſalonicæ. 2. Syracuſarum. 3. Corinthi.
4. Rhegii. 5. Nicopolis. 6. Athenarum.
7. Patrarum. 8. Nouarum Patrarũ.

Ita quoque metropolita Seleuciæ in Iſauria, ſiue, vt LEVNCLA-

VIO

vio dicitur, Pamphylia cum subiectis sibi viginti tribus episcopis.

Heic finitur *notitia* in LEVNCLAVIO: Continet enim tantummodo recensionem patriarchatus Constantinopolitani. CAROLVS A SANCTO PAVLO ibidem patriarchatum Romanum prorsus omittit, eo quod MStum suum heic ita corruptum esse dicat, vt sensum nullum praebeat: Sed hoc suppleuerunt GOAR & BEVEREGIVS, quorum in *notitiis* legimus, quae sequuntur.

## PROVINCIA SVB GLORIOSISSIMO EPARCHO ROMAE, SIVE ITALIAE.

### PROVINCIA VRBICARIA ROMAE.

| | | |
|---|---|---|
| 1. Brittium. | 2. Macaeria. | 3. Luna. |
| 4. Neapolis. | 5. Garanta. | 6. Vintimilium. |
| 7. Gennes. | 8. Sipontus. | 9. Ponturoma. |
| 10. Insulae Centumcellae. | 11. Castrum Euoriae. | 12. Castrum Amalphes. |
| 13. Castrum Gelleon. | 14. Castrum Tiberias. | 15. Castrum Nepes. |
| 16. Insulae Comaniciae. | 17. Castrum Mulium. | 18. Castrum Campsas. |
| 19. Castrum Soreum. | 20. Castrum Susas. | 21. Castrum Ilbas. |
| 22. Castrum Anagnia. | | |

### PROVINCIA CAMPANIAE.

| | | |
|---|---|---|
| 1. Neapolis. | 2. Brettania. | 3. Pannonia. |
| 4. Calabria. | 5. Venetia. | 6. Mesina. |
| 7. Viconarina. | 8. Taurata. | 9. Apulia. |
| 10. Castrum Opiterbelos. | 11. Castrum Samnios. | 12. Castrum Susias. |
| 13. Castrum Regium. | 14. Castrum Taurata | 15. Castrum Sygnias. |
| 16. Castrum Gradum. | 17. Castrum Patriarchias. | 18. Castrum Scylacium. |
| 19. Castrum Martyrium. | 20. Castrum Ormuvera. | 21. Castrum Ortonos. |
| 22. Castrum Oppiterbitum. | | |

### INSVLA SICILIAE.

| | | |
|---|---|---|
| 1. Syracusae. | 2. Catana. | 3. Taerebenium, siue Tauromenium. |



4. Se-

| | | |
|---|---|---|
| 4. Sesena. | 5. Cephaludum. | 6. Thermum. |
| 7. Panormus. | 8. Lilybæum. | 9. Trocalis. |
| 10. Acragantus. | 11. Tyndarum. | 12. Carines. |
| 13. Leontina. | 14. Abensis, al. Alesa | 15. Gaudus. |
| 16. Meleta. | 17. Liparis. | 18. Burcausus. |
| 19. Didymi. | 20. Vrica. | 21. Onarea. |
| 22. Basiludin. | | |

PROVINCIA CALABRIAE.

| | | |
|---|---|---|
| 1. Regium. | 2. Locris. | 3. Scylacias. |
| 4. Cotronum. | 5. Constantia. | 6. Tropæum. |
| 7. Tauriana. | 8. Bibonum. | |

PROVINCIA ANNONARIA.

| | | |
|---|---|---|
| 1. Rauenna. | 2. Phanus. | 3. Olcusa, al. Asculum. |
| 4. Polus. | 5. Pecinus. | 6. Pisaurum. |
| 7. Tergetra. | 8. Augustopolis. | 9. Talbitau. |
| 10. Castrum Terentinum. | 11. Castrum Solernos. | 12. Tulericum. |
| 13. Castrum Zanga. | 14. Castrum Nobo. | 15. Castr. Eurenica. |
| 16. Castrũ Semania. | 17. Vicimanto. | 18. Castrum Vereles. |
| 19. Castrum Tamia. | 20. Castr. Vareċtelia | 21. Castrũ Samugia. |
| 22. Castrum Sora. | 23. Castr. Suagallia. | 24. Castrum Cisines. |

PROVINCIA AEMIAE [FORT. AEMILIAE.]

| | | |
|---|---|---|
| 1. Castrum Foropompus. | 2. Castrum Brizilium. | 3. Castrum Brinti. |

SVB GLORIOSISSIMO EPARCHO AFRICAE.

PROVINCIA BYZACIAE.

| | | |
|---|---|---|
| 1. Carthago proconsularis. | 2. Sybiba. | 3. Campsia. |
| 4. Cileos. | 5. Iunces. | 6. Taleptes. |
| 7. Cascala. | 8. Castellæ. | 9. Pezana. |
| 10. Mamida. | 11. Madasuba. | 12. Colules. |
| 13. Capses. | 14. Adramytto. | |

PROVINCIA NVMIDIAE.

| | | |
|---|---|---|
| 1. Calama. | 2. Tebete. | 3. Hippon. |
| 4. Nuzidias. | 5. Castamagæ. | 6. Bades. |

7. Me-

7. Melcum. 8. Leradus. 9. Castrum Bedere.
10. Scele. 11. Egerinesium. 12. Tiressin.
13. Bages. 14. Constantine. 15. Sitiphnos.

PROVINCIA MAVRITANIAE PRIMAE.

1. Rhinocururum.

PROVINCIA MAVRITANIAE SECVNDAE.

1. Septum. 2. Septum ad partem Tenessi. 3. Spanias.
4. Mesopot. ad partem Spaniæ. 5. Maiurica, al. Maiorica insula. 6. Menyca, al. Minorica insula.
7. Insula Sardon. 8. Carallus Metrop. 9. Tures.
10. Sanaphas. 11. Sines. 12. Sulces.
13. Phasiana. 14. Chrysopolis. 15. Amstianes.
16. Limne. 17. Castrum Tutar. GOAR pleraque nomina aliter legit, & ex hisce tribus posteriores duos tantum facit Christianæ Lacum & Tuccam. Heic CAROLVS A SANCTO PAVLO denuo incipit.

## IN AEGYPTIACA DIOECESI.

PROVINCIA AVGVSTAMNICAE PRIMAE.

1. Pelusium metrop. 2. Sethroëtes. 3. Tares.
4. Tmues. 5. Rhinocurura. 6. Ostracine.
7. Pentaschanon. 8. Casium. 9. Aphthæum.
10. Hiphestus. 11. Panephusus. 12. Geros.
13. Itageros. 14. Thenesus.

PROVINCIA AVGVSTAMNICAE SECVNDAE.

1. Leonto, metropol. 2. Athrabes. 3. Helius.
4. Bubastus. 5. Carbethus. 6. Arabius.

PROVINCIA AEGYPTI PRIMAE.

1. Alexandria sub duce Augustali. 2. Hermopolis. 3. Milleos.
4. Costus. 5. Psanteos Vicus. 6. Cotrideos Vicus.
7. Sais. 8. Leontopolis. 9. Naucratia.
10. Andronicius. 11. Zenonopolis. 12. Paphna.
13. Onuphis. 14. Taua. 15. Cleopatris.
16. Mareotes. 17. Manelaitarum. 18. Schedia.
19. Ternuthes. 20. Sondra.

PRO-

PROVINCIA AEGYPTI SECVNDAE.

| | | |
|---|---|---|
| 1. Cabaſa. | 2. Phragonis. | 3. Pachnemonis. |
| 4. Dioſpolis. | 5. Sebennytus. | 6. Cœno. |
| 7. Buſiris. | 8. Elearchia. | 9. Regeon Paralus. |
| 10. Vicus Parianæ. | 11. Vicus Rhicomerium. | 12. Xoëos. |

Quibus in *notitia* IACOBI GOAR additur Cypra, & Regeon ac Paralus duo diſtincta loca ſunt.

PROVINCIA ARCADIAE.

| | | |
|---|---|---|
| 1. Oxyrinchus, metropolis. | 2. Heracleus. | 3. Cœno. |
| 4. Nilopolis. | 5. Arſinoëtes. | 6. Memphelitus, al. Memphis. |

Apud GOAR additur Cliſma, Theodoſiopolis, Aphroditon & Latopolis.

PROVINCIA THEBAIDIS PRIMAE.

| | | |
|---|---|---|
| 1. Antino, metropol. | 2. Hermopolis. | 3. Theodoſiopolis. |
| 4. Polyco. | 5. Hypſele. | 6. Apollonius. |
| 7. Anteii. | 8. Panos. | |

Notitia IACOBI GOAR adiicit Caſus.

PROVINCIA THEBAIDIS SECVNDAE.

| | | |
|---|---|---|
| 1. Ptolemais, metropolis | 2. Conto, ſiue Iuſtianopolis. | 3. Diocletianopolis. |
| 4. Dioſpolis. | 5. Tentyra. | 6. Maximianopolis. |
| 7. Thebais. | 8. Lato. | 9. Iambon. |
| 10. Hermonthes. | 11. Apollonos. | 12. Vicus Anaſſæ Magnæ. |
| 13. Thebais magna. | 14. Ibis. | 15. Mathon. |
| 16. Trimunthon. | 17. Erbon, ſiue Hermon. | |

PROVINCIA LIBYAE.

| | | |
|---|---|---|
| 1. Draniceon, metr. | 2. Paratonion. | 3. Tranſalenſis. |
| 4. Ammoniaca. | 5. Antipyrgus. | 6. Antiphron. |
| 7. Aedonias. | 8. Marmorice. | |

PROVINCIA LIBYAE PENTAPOLIS.

| | | |
|---|---|---|
| 1. Sozuſa. | 2. Cyrine. | 3. Ptolemais. |

4. Teu-

| | | |
|---|---|---|
| 4. Teuchera. | 5. Adriane. | 6. Beronica. |

PROVINCIA TRIPOLIS.

| | | |
|---|---|---|
| 1. Tosibon. | 2. Leptis. | 3. Hyon. |

## IN ORIENTALI DIOECESI.

PROVINCIA CILICIAE.

| | | |
|---|---|---|
| 1. Tarsus, metropol. | 2. Pompeiopolis. | 3. Sebaste. |
| 4. Coricus. | 5. Adana. | 6. Augustopolis. |
| 7. Mallos. | 8. Zepharium. | |

PROVINCIA CILICIAE SECVNDAE.

| | | |
|---|---|---|
| 1. Anabarzus, metropolis. | 2. Mopseuestia. | 3. Aegeia. |
| 4. Epiphania. | 5. Eirenopolis. | 6. Flauias. |
| 7. Alexandria. | 8. Cabissus. | 9. Castabala. |
| 10. Rhossus. | | |

PROVINCIA ISAVRIAE.

| | | |
|---|---|---|
| 1. Seleucia metrop. | 2. Cilendre. | 3. Anemorius. |
| 4. Titiopolis. | 5. Lamus. | 6. Antiochia. |
| 7. Heliu-Sebaste. | 8. Cestra. | 9. Selenuntes. |
| 10. Iostape. | 11. Diocæsarea. | 12. Olya. |
| 13. Hierapolis. | 14. Dalilandus. | 15. Claudiopolis. |
| 16. Eirenopolis. | 17. Germanicopolis. | 18. Neapolis. |
| 19. Zenopolis. | 20. Sbidæ. | 21. Philadelphia. |
| 22. Adrassus. | 23. Meloë. | 24. Domitiopolis. |
| 25. Climata Nauzadeæ. | 26. Cassorum. | 27. Benæorum. |
| 28. Golgosi. | 29. Costradis. | |

PROVINCIA SYRIAE PRIMAE.

| | | |
|---|---|---|
| 1. Antiochia ad Daphnen, thronus patriarchalis. | 2. Paltus. | 3. Seleucia. |
| 4. Berrhœa. | 5. Chalcis. | |

PROVINCIA SYRIAE SECVNDAE.

| | | |
|---|---|---|
| 1. Apamea, metrop. | 2. Arethusa. | 3. Epiphania. |
| 4. Larissa. | 5. Mariamne. | 6. Seleucobelus. |
| 7. Rhaphanea. | | |

PROVINCIA EVPHRATISIAE ET HAGIOPOLIS.

| | | |
|---|---|---|
| 1. Hierapolis. | 2. Cyrus, siue Hagiopolis. | 3. Samosata. |
| 4. Doliche. | 5. Germanicia. | 6. Zeuma. |
| 7. Perrhe. | 8. Europus. | 9. Nicopolis. |
| 10. Schenarchia. | 11. Cæsaria. | 12. Sergiopolis siue Anastasiopolis. |
| 13. Orimon. | 14. Santon. | |

PROVINCIA THEODORIADIS.

| | | |
|---|---|---|
| 1. Laodicea, metropolis. | 2. Balanea. | 3. Gabala, |

A IACOBO GOAR subiungitur Paltus.

PROVINCIA OSROENES.

| | | |
|---|---|---|
| 1. Edessa, metropol. | 2. Caræ. | 3. Constantia. |
| 4. Theodosiopolis. | 5. Batnæ. | 6. Callinicus. |
| 7. Noua Valentia. | 8. Birthon. | 9. Monithilla. |
| 10. Therimachon. | 11. Moniauga. | 12. Macarta. |
| 13. Marcopolis. | 14. Anastasia. | 15. Hemerius. |
| 16. Circisia. | | |

Huc vsque est complementum Mesopotamiæ & Persis incipit.

PROVINCIA MESOPOTAMIAE SVPERIORIS SIVE ARMENIAE QVARTAE.

| | | |
|---|---|---|
| 1. Amida, metropol. | 2. Martyropolis. | 3. Daras. |
| 4. Castrum Riccephas. | 5. Castrum Turandios. | 6. Castrum Mardes. |
| 7. Castrum Lornes. | 8. Castrum Riphton. | 9. Castrum Isphrios. |
| 10. Castrum Tzauras. | 11. Castrum Andasson. | 12. Castrum Amarnes. |
| 13. Castrum Tzinobias. | 14. Castrum Inzietorum. | 15. Castrum Barabelorum. |
| 16. Castrum Chaddorum. | 17. Castrum Aesuduos. | 18. Castrum Masphronas. |
| 19. Castrum Basilicum. | 20. Castrum Spelon & Odelorum. | 21. Castrum Biiubaithas. |
| 22. Castrum Manassarorum. | 23. Castrum Phirtachabraës. | 24. Castrum Siteon Chiphas. |

25. Ca-

25. Castr. Calonos. 26. Castrum Bibasarorum. 27. Castrum Tzauras.
28. Castrum Birthas. 29. Castrum Attachas. 30. Castrum Aphuborum.
31. Castrum Florianarum. 32. Castrum Arimachorum. 33 Castrum Samachartorum.

PROVINCIA ARMENIAE ALTERIVS.

1. Dodemon, metr. 2. Arsamusaton. 3. Polichne.
4. Chosanorum. 5. Chosamachorum. 6. Citharizorum.
7. Castrum Marticertum. 8. Castr. Baiuluos. 9. Castrum Polios.
10. Castrum Ardon. 11. Clima Sophines. 12. Regio Ialinbana, vnde ortum habuit *Basilius*, qui præsentem librum elaborauit.
13. Clima Anzetines. 14. Clima Digesines. 15. Clima Garines.
16. Clima Orziacines. 17. Clima Bilabitenes. 18. Clima Astianices.
19. Clima Mamuzurarum.

PROVINCIA PHOENICIAE MARITIMAE.

1. Tyrus metropolis. 2. Sidon. 3. Ptolemais.
4. Berytus. 5. Biblus. 6. Tripolis.
7. Arcæ. 8. Orthosias. 9. Botrys.
10. Vicus Gegarta. 11. Arados. 12. Autarados.
13. Paneas. 14. Gonasitii saltus. 15. Vicus Politianus.
16. Vicus Trieris.

PROVINCIA PHOENICIAE LIBANISIAE.

1. Emissa, metrop. 2. Laodicea. 3. Heliopolis.
4. Abilla. 5. Damascus. 6. Clima Iabrudorũ.
7. Euarius siue Iustinianopolis. 8. Talmyra. 9. Clima Maglydorum.
10. Saltum Gonæticum. 11. Salamias. 12. Clima orientale.

PROVINCIA PALAESTINAE [*] PRIMAE.

1. Aelia, siue Hierosolyma. 2. Cæsaria, metrop. 3. Dora.

(*) Nota. Hæc prouincia & proxime sequens in Carolo a Sancto Paulo & Goar desunt.

| | | |
|---|---|---|
| 4. Antipatris. | 5. Diospolis siue Georgiopolis. | 6. Iamnia. |
| 7. Nicopolis. | 8. Onus. | 9. Sozusa. |
| 10. Iamnia. | 11. Ascalon. | 12. Gaza. |
| 13. Rhaphia. | 14. Anthedon. | 15. Diocletianopolis. |
| 16. Eleutheropolis. | 17. Neapolis. | 18. Sebaste. |
| 19. Regio Apathus. | 20. Regio Iericho. | 21. Regio Libyæ. |
| 22. Regio Gadara. | 23. Azotus maritima. | 24. Azotus Hippinis. |
| 25. Acomazon. | 26. Bittymos. | 27. Tricomias. |
| 28. Toxus. | 29. Saltum Constantiniani. | 30. Saltum Geraiticum, siue Barsamon. |

PROVINCIA PALAESTINAE SECVNDAE.

| | | |
|---|---|---|
| 1. Scytopolis. | 2. Gadara. | 3. Pellæ. |
| 4. Abila. | 5. Caperomas. | 6. Diocæsarea. |
| 7. Maximianopolis. | 8. Gabæ. | 9. Tiberias. |
| 10. Hippos. | 11. Helenopolis. | 12. Clima Gælanes. |
| 13. Tetracomia. | 14. Comenais. | |

PROVINCIA PALAESTINAE TERTIAE.

| | | |
|---|---|---|
| 1. Petræ, metropol. | 2. Augustopolis. | 3. Arindela. |
| 4. Charagmuda. | 5. Areopolis. | 6. Mapsis. |
| 7. Elusa. | 8. Zoara. | 9. Birosabon. |
| 10. Elas. | 11. Pentacomia. | 12. Mamopsora. |
| 13. Metrocomia. | 14. Saltum Hieraticum. | |

GOAR duas in quatuor diuidit, ita illas legens, Salton, Maino, Psora, Hieraticon.

PROVINCIA ARABIAE.

| | | |
|---|---|---|
| 1. Bostra, metropol. | 2. Adrasus. | 3. Dia. |
| 4. Medaba. | 5. Gerasa. | 6. Neua. |
| 7. Philadelphia. | 8. Esbus. | 9. Neapolis. |
| 10. Philippopolis. | 11. Phenutus. | 12. Constantina. |
| 13. Dionysias. | 14. Pentacomia. | 15. Tricomia. |
| 16. Canothas. | 17. Saltum. | 18. Bataneos. |
| 19. Exacomia. | 20. Enacomia. | 21. Vicus Gonias. |
| 22. Vicus Cherus. | 23. Vicus Stanes. | 24. Vicus Caberæ. |

25. Vi-

| | | |
|---|---|---|
| 25. Vicus Coreathæ. | 26. Vicus Bilbanus. | 27. Vicus Caproiũ. |
| 28. Vicus Pyrgoaretarum. | 29. Vicus Setnes. | 30. Vicus Ariacharum. |
| 31. Neotes. | 32. Clima orientalium & occidentalium. | 33. Vicus Ariathæ Saxosæ. |
| 34. Vicus Bebdamus. | | |

PROVINCIA ARMENIAE MAGNAE.

De hac auctor tantum obseruat, quod sit autocephala, throno apostolico non subiecta, sed propter sanctum *Gregorium* Armeniæ honorata, habens vrbes & castra CC.

PROVINCIA CYPRI.

De hac idem monet auctor, quod per se ipsam habeat potestatem, propterea quod in ea inuentus fuerit sanctus apostolus *Barnabas* ad pectus habens euangelium secundum *Marcum*. Sunt autem in ea hæ ciuitates.

| | | |
|---|---|---|
| 1. Constantia metr. | 2. Citium. | 3. Amathus. |
| 4. Curium. | 5. Paphus. | 6. Arsenæ. |
| 7. Soli. | 8. Lapithus, qua natus est *Georgius* Cyprius, qui librum scripsit ex quo hæc sumta sunt. | |
| 9. Cyrenia. | 10. Tamasus. | 11. Cythri. |
| 12. Trimithus. | 13. Carpasin. | |

Apud GOAR heic sequitur: „Hæc expositio facta est anno „6391. sub imperio D. LEONIS SAPIENTIS & sub patriarcha „PHOTIO, hoc est ann. DCCCXCI.

IN hac ecclesiæ descriptione lector obseruabit, quod auctor, quum *græcus* sit, *græcas* & orientales ecclesias accuratius, quam occidentales & *latinas* enarret; Nihil enim heic de *Gallia*, *Hispania*, *Britannia*, *Illyrico* legimus; & prouinciarum *Italiæ* & *Africæ* recensiones adeo confusæ sunt & imperfectæ, vt auctorem ecclesiarum in his regionibus statum non satis perspectum habuisse & exploratum, satis euidenter prodant. De *Italia* certe id manifestum est. Nam in omni *Italia* & *Sicilia* non nisi centum amplius diœceses heic memorantur, quum tamen ex iis, quæ supra diximus, & ex antiquorum conciliorum subscriptionibus, trecentas fere diœceses hisce in regionibus fuisse, pateat. Plusquam centum & quinquaginta episcopi *Italici* di-

versarum sedium vno sæculo conciliis *Romanis*, sub *Hilario*, *Felice* & *Symmacho* habitis, subscripsisse deprehenduntur, & fere totidem fuerunt in hisce conciliis non memorati, sed in aliis conciliis & antiquis monumentis reperti. Et quamquam, quum hæ *notitiæ* conficerentur, plures ex antiquis diœcesibus coniunctæ esse potuerunt, tamen ex *Romanorum* conciliorum, sub *Eugenio* II. & *Leone* IV. sæculo nono celebratorum, subscriptionibus numerus plus duplo maior, quam qui in illis *notitiis* exhibetur, fuisse intelligitur. Vt adeo eas non nisi imperfectam ecclesiæ *latinæ* & occidentalis descriptionem exhibere fatendum sit. Sed vero descriptio *græca* & orientalium ecclesiarum perfectior est, & subscriptionibus, ex antiquis conciliis collectis, respondet. Atque ita se mutue confirmant, & simul sumtæ plenius ea probant, quæ de numero & ambitu diœcesium in ecclesia antiqua tradidimus.

# *LIBRI NONI*

## *CAPVT OCTAVVM*

## DE DIVISIONE DIOECESIVM IN PAROCHIAS, ET DE PRIMA EARVM ORIGINE.

### §. I.

*De antiquis ecclesiarum parochialium nominibus.*

VNVM tantummodo restat, quod hoc capite ad disquisitionem nostram vocandum est, nimirum diuisio diœcesium in eiusmodi minores ditiones, quas hodie parochias, siue ecclesias parochiales, nuncupamus. Qua de re heic tanto breuius dicere necesse habebimus, quod iam satis multa, occasione ita ferente, dicta sunt, quando de antiquarum diœcesium ambitu verba fecimus, quem generatim latius patentem deprehendimus, quam vt singulari quadam congregatione potuerit terminari. Quidquid igitur ad hanc materiam hoc loco adiecturi sumus, eo valebit, vt pauca quædam de antiquis parochiarum nominibus (quum eorum nonnulla quodammodo ambigua sint) commentemur & ostendamus, quo tempore, quam ob rationem, & per quos gradus diœceses in parochias diuisæ fuerint, vt in præsentem statum & formam ecclesiæ redigerentur. Quod ad antiqua nomina attinet, iam supra monuimus, vocabula

παροι-

*παροικία* & *διοίκησις* tribus prioribus ſæculis eiusdem ſignificatus fuiſſe; dum non, quod iam eccleſiam parochialem dicimus, ſed ciuitatem aliquam cum circumiectis ſuis oppidis ac villis, denotarint. Sed ſæculo quarto & quinto vtrumque vocabulum de parochiis ruralibus æque ac epiſcopalibus, ſeu eccleſiis vrbicis, promiſcue vſurpatum legimus. Tunc enim minores iſtæ diœceſium diuiſiones parochiæ vocari cœptæ, vti in concilio *Chalcedonenſi* [*a*] videre eſt, quod *ἀγροικικὰς παροικίας*, *rurales parochias* firmas & inconcuſſas iubet manere apud eos, qui illas ab antiquis temporibus teneant, epiſcopos. Et in concilio *Vaſenſi* [*b*], ad ann. CCCCXLII. celebrato, ſtatutum legimus, non ſolum in ciuitatibus, ſed etiam in omnibus *parochiis* concionandi dandam eſſe presbyteris poteſtatem. Atque ita vocabulum *parochia* frequenter ab HIERONYMO [*c*], SVLPICIO SEVERO [*d*], THEODORETO [*e*], INNOCENTIO [*f*] aliisque iſtorum temporum ſcriptoribus adhibetur: Tametſi vocabulum

(*a*) Concil. Chalced. c. XVII. (tom. IV. concil. p. 764.) *Τὰς καθ' ἑκάστην ἐκκλησίαν ἀγροικικὰς παροικίας, ἢ ἐγχωρίους, μένειν ἀπαρασαλεύτους παρὰ τοῖς κατέχουσιν αὐτὰς ἐπισκόποις, καὶ μάλιστα, εἰ τριακονταετῆ χρόνον ταύτας ἀβιάστως διακατέχοντες ᾠκονόμησαν.* Quæ ſunt in vnaquaque prouincia *rurales* vicanasque *parochias* firmas & inconcuſſas manere apud eos, qui illas tenent epiſcopos: Et maxime ſi XXX. annorum tempore eas ſine vi detinentes adminiſtrauerint.

(*b*) Concil. Vaſenſ. I. (apud. Labb. III.) can. II. (tom. III. conc. p. 1680.) Hoc etiam pro ædificatione omnium eccleſiarum, & pro vtilitate totius populi nobis placuit, vt non ſolum in ciuitatibus, ſed etiam in omnibus parochiis verbum faciendi daremus presbyteris poteſtatem.

(*c*) Hieron. contr. Vigilant. c. II. Auctores ſunt huius dictatiunculæ meæ ſancti presbyteri Riparius & Deſiderius, qui *parochias ſuas* vicinia iſtius ſcribunt eſſe maculatas.

(*d*) Sulpic. Seuer. dial. I. c. IV. (c. VIII. p. 389. edit. Lipſ. MDCCIII.) Eccleſiam loci illius Hieronymus presbyter regit; nam *parochia* eſt epiſcopi, qui Hieroſolymam tenet.

(*e*) Theodoret. epiſt. CXIII. (p. 986. d. edit. Pariſ. MDCXLII.) *Καὶ ὀκτακοσίαις ἐκκλησίαις ἔλαχον ποιμαίνειν· τοσαύτας γὰρ ἡ Κύῤῥος παροικίας ἔχει.* Et octogintarum eccleſiarum paſtoralem curam ſortitus ſum, tot enim Cyrus habet *parœcias*.

(*f*) Innocent. epiſt. ad Decent. c. V. Quod per *parochias* fieri debere non puto, quia nec longe portanda ſunt ſacramenta, cetera. vid. ad lib. IX. c. V. §. I. ſub lit. (c) pag. 506.

*paro-*

*parochia* proprie diœcesim episcopalem significare continuauit, vnde ad denotandum hasce minores parœcias translatum fuit, quod hæ in priorum istarum mutationem essent factæ. Quod ipsum est, quod SOCRATES [*g*] de illis dicere videtur, quando de vicis loquens regionis *Mareotis*, qui episcopo *Alexandrino* subiecti erant, fuisse eos ait tot parœcias sub ipsius ciuitate constitutas. Et ex eadem ratione nomen *diœcesis* olim ecclesiæ etiam parochiali tributum fuit, quamuis proprium ei domicilium in episcopali diœcesi sit. Ita SIDONIVS APOLLINARIS [*h*], quum diœceses se peragrasse dicit, ecclesias tantum parochiales, ditioni suæ subiectas, intelligit. Sic etiam in collatione *Carthaginensi* [*i*] de loco quodam dicitur: *Vnitas illic perfecta est, non solum in ipsa ciuitate, verum etiam in omnibus DIOECESIBVS*, hoc est in parœciis per vicos & villas, ad ciuitatem spectantes. BALVZIVS [*k*] idem in RVRICIO LEMOVICENSI [*l*], GREGORIO TVRONENSI [*m*] & aliis quibusdam scriptoribus obseruauit. Cuius appellationis ratio, vt antea diximus, fuit, quod istæ ecclesiæ, quibus soli presbyteri præpositi erant, quasi minores diœceses essent, vt auctor libri pontificalis [*n*] sub no-

(*g*) Socrat. lib. I. c. XXVII. Τάττονται αὗται αἱ ἐκκλησίαι ὑπὸ τῷ τῆς Ἀλεξανδρείας ἐπισκόπῳ, καὶ εἰσὶν ὑπὸ τὴν αὐτοῦ πόλιν ὡς παροικίαι. Istæ ecclesiæ omnes subiectæ sunt Alexandrino episcopo, & vrbanis eius ecclesiis accensentur, tamquam *parœciæ*.

(*h*) Sidon. Apollin. lib. IX. epist. XVI. Peragratis forte *diœcesibus* quum domum veni, cetera.

(*i*) Collat. Carth. die I. c. CLXXVI.

(*k*) Baluz. not. ad Gratian. p. 510.

(*l*) Ruric. Lemouic. lib. II. epist. VI. Quamobrem studio caritatis, non cupiditatis, hos ad sanctitatem vestram presbyterum meum pro *diœcesi Gemiliacensi*, vnde iam pridem vobis scripseram, destinaui.

(*m*) Gregor. Turon. histor. lib. IV. c. XIII. Erant quadragesimæ dies: & Cautinus episcopus in *Briuatensem diœcesim* psallendo adire disposuerat.
Nota. Theodoricus Ruinart ad hunc locum hæc habet: *Diœcesis* hic pagum designat, nam Briuate, vbi celebris ecclesia S. Iuliani, ex diœcesi erat Auernensi.
Id. lib. VI. c. XXXVIII. - Transobadus presbyter reiicitur & Innocentius Gabalitanorum comes eligitur ad episcopatum, opitulante Brunichilde regina. Sed adsumto episcopatu confestim Vrsicinum Cadurcinæ vrbis episcopum lacessere cœpit, dicens, quia *diœceses* Rutenæ ecclesiæ debitas retineret.

(*n*) Pontifical. vit. Marcelli. Viginti quinque titulos in vrbe Roma constituit, quasi *diœceses*, propter baptismum & pœnitentiam multorum, qui conuertebantur ex paganis & propter sepulturam martyrum.

mine

mine DAMASI eas vocat; & nonnulli canones eas appellant [o] *ecclesias diœcesanas*; alii autem *ecclesias rurales*, vnde presbyteri in illis ministrantes a concilio *Neocæsareensi* [p] ἐπιχώριοι πρεσβύτεροι, *presbyteri rurales*, siue in vicis degentes, dicuntur in oppositione eorum presbyterorum, qui in ecclesia ciuitatis, hoc est cathedrali seu matrice, erant constituti. Ecclesiæ parochiales peculiari ratione quoque *tituli*, vti supra [q] obseruauimus, ab ecclesia episcopi eas distinguendi ergo, nuncupabantur; quod essent ecclesiæ, presbyteros ac diaconos sibi separatim adsignatos habentes, quæ proinde titulum habere dicebantur. Et viri quidem docti [r] presbyteros & diaconos cardinales initio non nisi eiusmodi presbyteros & diaconos fuisse, existimant, ad ministerium particularium ecclesiarum parochialium, & id quidem *Romæ* non minus quam alibi locorum, delegatos atque constitutos.

### §. II.

*De origine ecclesiarum parochialium necessitati debita, & regulis apostolicis christianæ communionis fundata.*

QVOD ad ecclesiarum parochialium originem attinet, dubium non est, quin necessitas & christiana officia peragendi & maiori cum facilitate communionem christianam celebrandi opportunitas primam eis occasionem dederit. Multitudine enim credentium in amplis & frequentibus ciuitatibus ita augescente, vt vna ecclesia omnes capere haud posset, necesse erat conventum diuidere, & alias erigere ecclesias, in quibus omnes christiani cultus cærimoniæ & vsitata diuini ministerii officia non minus quam in ecclesia matrice peragerentur, atque ita apostolicæ ordinationi de habenda inter christianos mutua communione mos gereretur; quæ secundum Act. II, 42. eo valebat, vt homines perdurarent in doctrina apostolorum & communicatione & fractione panis & precibus. Auctor *libri pontificalis* sub nomine DAMASI papæ in vita *Marcelli* videtur dicere, plu-

(o) Concil. Tarracon. c. VIII. (tom. IV. concil. p. 1567.) Reperimus nonnullas *diœcesanas ecclesias* esse destitutas: ob quam rem in hac constitutione decreuimus, vt - - - annuis vicibus ab episcopo diœcesano visitentur.

(p) Concil. Neocæsar. c. XIII. vid. supr. c. VI. §. XXI. sub litt. (o) pag. 563.

(q) Lib. VIII. cap. I. §. X.

(r) Io. Front. epist. de canonicis cardinalibus Paris. MDCLXI.

res ex titulis *Romanis* seu ecclesiis parochialibus [s] propter baptismum multorum ex paganis conuersorum, & propter sepulturam martyrum fuisse constitutos. Quod si vero ex hac ratione necessitas aliqua fuit, maior sine dubio necessitas ex alia ratione fuit. Nam ea tempestate vniuersum ecclesiæ christianæ corpus singulis hebdomadibus sacra cœna vti solebat; & quum vna ecclesia in magnis ciuitatibus huic instituto non sufficeret, absoluta quædam necessitas plures ædificare vrgebat, vt mutua inter christianos communitas esse posset. Atque adeo ecclesiæ parochiales æque antiquæ sint, oportet, ac necessitates ecclesiæ, & qui diem natalem adscribere nouerit alteris, ille alterarum quoque originem, particularis cuiusuis ciuitatis seu diœcesis in toto terrarum orbe intuitu, facile poterit ostendere.

## §. III.

*Nonnullæ earum probabiliter ad ipsa apostolorum tempora referendæ.*

QVEMADMODVM autem ciuitates ad easque spectantes diœceses amplitudine sua & ambitu magnopere differebant, ita earum alias ad ecclesias parochiales ædificandas multo maturius quam alias obligatas fuisse, par est, credamus. Et in talibus vrbibus, quales *Hierosolyma* & *Roma* erant, plures vna ecclesias a temporibus inde apostolorum fuisse, e diuersis actuum apostolicorum & epistolarum *Paulinarum* locis non sine magna probabilitate colligitur. Sed vtcumque res est, ex OPTATO certe perspectum exploratumque habemus, vti iam supra ostendimus, ante finem sæculi tertii, siue sub initium persequutionis *Diocletianeæ*, plus quadraginta ecclesias in vrbe *Roma* exstitisse. Ad minores ciuitates quod attinet, mirum non est, si nonnullæ ex illis vnam duntaxat ecclesiam, durante illa vexatione, habuisse reperiantur; qualis fuit illa *Phrygiæ* ciuitas, cuius vniuersum populum cum ipso pariter conuenticulo a sæuo quodam præfecto, vltimæ persequutionis tempore, concrematum esse, LACTANTIVS [t] narrat. VALESIVS *Eusebium* de

(s) Pontifical. Vit. Marcelli. vid. sub litt. antec. (n).

(t) Lactant. institut. lib. V. c. XI. Aliqui ad occidendum præcipites exstiterunt, sicut vnus in Phrygia, qui vniuersum populum cum ipso pariter conuenticulo concremauit.

eadem

eadem ciuitate loqui, existimat, qui vniuersos eius incolas, magistratum æque ac plebeios, eo tempore christianos fuisse, eamque ob caussam milites armatos contra illam missos, iniecto igne, totam vna cum viris & mulieribus ac paruulis, *CHRISTVM* omnium Deum inuocantibus [u], concremasse dicit. Vnde inferri licebit, quod ciuitates quædam tantum *πολίχναι*, vti EVSEBIO vocantur, hoc est oppidula, siue adeo exiguæ vrbes fuerint, vt præter episcopalem ecclesiam nulla alia eis opus fuerit, etiamsi omnes earum incolæ *CHRISTO* nomen dedissent. Et hoc argumentum videri potest, quod pro eorum faciat opinione, qui antiquis temporibus multas dioeceses episcopales, nullam vmquam ecclesiam parochialem habentes, exstitisse dictitant.

## §. IV.

### *Nonnullæ minores ciuitates parochias in vicis ac villis, ipsis persequutionis temporibus, habuerunt.*

VERVMENIMVERO in memoriam heic reuocari oportet, quod antea satis superque probatum dedimus, quod antiquæ ciuitates generatim suburbana sua, seu vicos & villas, habuerint, & quod nonnullæ per se admodum exiguæ vrbes, qualis *Cyrus* in *Comagene* erat, vbi THEODORETVS antistitis munere fungebatur, hoc intuitu valde magna habuerint territoria, iurisdictioni suæ subiecta. Multa istiusmodi regionum rusticanarum, parochias paganas presbyterosque & diaconos illis præfectos habentium, exempla ipsis feruidissimis persequutionis temporibus inuenimus; vti ex canonibus concilii *Illiberritani* [x]

(u) Euseb. lib. VIII. c. XI. Ἤδη γοῦν ὅλην χριστιανῶν πολίχνην αὔτανδρον ἀμφὶ τὴν Φρυγίαν ἐν κύκλῳ περιβαλόντες ὁπλῖται, πῦρ τε ὑφάψαντες, κατέφλεξαν αὐτοὺς ἅμα νηπίοις καὶ γυναιξὶ, τὸν ἐπὶ πάντων Θεὸν χριστὸν ἐπιβοωμένους· ὅτι δὴ πανδημεὶ πάντες, οἱ τὴν πόλιν οἰκοῦντες, λογιστής τε αὐτὸς καὶ στρατηγὸς σὺν τοῖς ἐν τέλει πᾶσι καὶ ὅλῳ δήμῳ, χριστιανοὺς σφᾶς ὁμολογοῦντες, οὐδ᾽ ὁπωστιοῦν τοῖς προστάττουσιν εἰδωλολατρεῖν ἐπειθάρχουν. Certe vrbem quamdam christianorum in Phrygia milites armati obsidione cinxerunt; iniectoque igne totam vna cum viris & mulieribus & paruulis Christum omnium Deum inuocantibus concremarunt. Hanc scilicet ob caussam, quod vniuersi eius vrbis incolæ & curator ipse ac magistratus cum honoratis omnibus ac plebeiis, christianos se esse professi sacrificare iubentibus nullo modo obtemperabant.

(x) Concil. Eliber. c. LXXVII. (tom. I. concil. p. 978.) Si quis *diaconus regens plebem*, sine episcopo vel presbytero aliquos baptizauerit, episcopus eos per benedictionem perficere debebit.

et *Neocæsariensis* [y] apparet, quorum prius durante persequutione *Diocletianea* & posterius proxime ab ea finita habitum fuit, & eorum tamen vtrumque de presbyteris & diaconis rusticanis, quibus christianarum congregationum cura demandata sit, loquitur. EPIPHANIVS quoque [z] de presbyteris *Diodoridis*, pagi in *Carcharis Mesopotamiæ* sæculo tertio medio, loquitur, & DIONYSIVS ecclesiæ *Alexandrinæ* antistes circa idem tempus presbyterorum in regionibus *Arsinoës*, *Alexandriæ* aliarumque ciuitatum *Aegypti* & *Libyæ* mentionem in diuersis epistolarum suarum fragmentis, EVSEBIO memoratis, facit, quæ supra iam adlegauimus, neque heic repeti oportere existimamus. Ex his aliisque pluribus istiusmodi exemplis clarum & perspicuum est, quod simul atque religio christiana ex ciuitatibus in vicos & pagos notabili quodam modo diffundi cœperit, ecclesiæ in pagis exstructæ & presbyteri rurales illis constituti fuerint, ecclesiæ opportunitate ac necessitatibus ad maiorem vniuersi corporis vtilitatem & ædificationem id fieri iubentibus. Hoc modo ecclesiæ parochiales originem suam tum in ciuitatibus tum pagis nactæ sunt, non quidem omnes vno eodemque tempore, nec ex generali quodam decreto, sed prout res cuiuslibet diœcesis id ferrent, cuius episcopo semper id diiudicandum relinquebatur, quot administrorum opera sibi in obeundis diuersis officiis, ad se tamquam summum ciuitatis ac territorii sui inspectorem pertinentibus, opus esset. In *Gallia* concilium *Vasense* sæculo quinto ineunte de parochiis extra ciuitates loquitur, quemadmodum huius capitis §. I. notauimus. Sed in *Anglia* nostra non tam maturam earum mentionem habemus, quod monimenta, quæ de antiquis ecclesiis *Britannicis* memoria nostra

(y) Concil. Neocæsar. c. XIII. (tom. I. conc. p. 1484.) Ἐπιχώριοι πρεσβύτεροι ἐν τῷ κυριακῷ τῆς πόλεως προσφέρειν οὐ δύνανται παρόντος ἐπισκόπου ἢ πρεσβυτέρων πόλεως. *Vicani presbyteri* non possunt in dominico vrbis offerre præsente episcopo vel vrbis presbyteris.

(z) Epiphan. hæres. LXVI. n. XI. ἀναχωρήσας δὲ ἔρχεται εἰς κώμην τινὰ τῆς Καρχάρων εἰς Διοδωρίδα καλουμένην, ἐν ᾗ Τρύφων τις ἐπιεικέστατος κατ' ἐκεῖνο καιροῦ ἐτύγχανε τῶν αὐτόθι πρεσβύτερος. Inde discedens Diodoridem; *pagus is* est in Carcharis; sese contulit: *vbi Tryphon* quidam erat, vir optimus, ac tum loci illius *presbyter*.

super-

ſuperſunt, de parochiis nihil tradunt. Et quum *Saxonum* cœpiſſet conuerſio, iam aliquamdiu ante diœceſes noſtræ in parochias fuerunt diuiſæ, & longius ante proprios reditus ſibi conſtitutos habuerunt. Sunt, qui *Honorium* quintum archiepiſcopum *Cantuarienſem*, quotquot ex natione tunc temporis conuerſi eſſent, circa ann. DCXL. in parochias diuiſiſſe putant. Ita GOODWINVS epiſcopus & DVGDALEVS. Sed ſunt quoque, qui hanc diuiſionem de diœceſibus potius quam parochiis intelligendam eſſe ſtatuunt. Nam *parochia* in BEDA plerumque diœceſim epiſcopi, ſecundum antiquum eccleſiæ ſtilum & linguam ſignificat; vti ex canone concilii *Herudfordenſis* BEDAE [*a*] memorati, quod XXX. amplius annis poſt hanc creditam *Honorii* diuiſionem tempore *Theodori* archiepiſcopi an. DCLXXIII. habitum fuit, apparet, vbi decretum legimus: *Vt nullus epiſcoporum parochiam alterius inuadat, ſed contentus ſit gubernatione creditæ ſibi plebis.* Equidem ANDREWS [*b*] epiſcopus noſtras hunc canonem adfert, parochias iam per vniuerſam nationem conſtitutas fuiſſe probaturus: ego vero alterum vocabuli *parochiæ* ſignificatum hoc loco magis proprium eſſe exiſtimo. Tametſi non negauerim, ad extremam huius archiepiſcopi, qui ad annum vſque DCXC. vixit, ætatem hanc parochiarum diuiſionem factam eſſe poſſe. Nam vt BEDA [*c*] obſeruat, „tantum profectus ſpiritalis, tem„pore præſulatus illius, *Anglorum* eccleſiæ, quantum numquam „antea potuere, ceperunt.„ Et ABRAHAMVS WHEELOCVS [*d*]

(*a*) Bed. lib. IV. c. V. concil. Herudford. c. II.

(*b*) Andrews de decimis inter opuſcula p. 152.

(*c*) Bed. lib. V. c. VIII.

(*d*) Wheeloc. in loc. Huius (Theodori) & Adriani abbatis excultiſſima eruditione & induſtria, congregata diſcipulorum caterua, ſcientiæ ſalutaris quotidie flumina in rigandis Anglorum cordibus emanabant. Neque illa apud gentem noſtram ætate, Theologiam Deique notitiam, in abditis monaſteriorum paucorum penetralibus reconditam latere, paſſus eſt Theodorus; ſed & in villas quaſque per omnes gentis huius angulos diſſeminatas, circumferri, & ibidem ex illo vſque tempore ſingulari Dei beneficio commorari prouidiſſime curauit. Nam vt MS. codex Cantuarienſis Aulæ T. in p. 46. Excitabat Theodorus archiepiſcopus fidelium deuotionem & voluntatem in quarumlibet prouinciarum ciuitatibus, nec non villis, eccleſias fabricandi, *paræcias diſtinguendi*, adſenſus regios procurando: vt ſi qui ſufficientes eſſent, & ad Dei honorem pro voto haberent, ſuper proprium fundum eccleſias conſtruere, earumdem perpetuo patronatu gauderent.

in notis ad hunc locum ſuis codicem antiquum MStum citat, qui de diſtinctione parœciarum ſub ipſo facta loquatur. Iam chriſtianiſmus in villas & vicos diffuſus, eccleſiæ conſtructæ, presbyteri illis præpoſiti, primitiæ fructuum & reditus ab *Ina* [e] rege *Saxonum* occiduorum, & *Withredo* rege *Cantiæ* in concilio *Becanceldenſi* an. DCXCIV. adſignati erant, & patroni, ſi eccleſias fundarent, poſſeſſionibus, ad commodam earum conſeruationem, dotabant. Quæ omnia videntur innuere, parœcias in villis & pagis ſub finem ſæculi ſeptimi in hac gente cœptas & proxime inſequuto ſæculo plenius conſtitutas fuiſſe.

§. V.

*Parochiæ vrbicæ non ſemper certis aliquibus presbyteris ſeparatim adſignatæ; ſed clericis eccleſiæ epiſcopalis in commune commiſſæ. Aliter ſe res habuit cum parochiis ruſticanis.*

SED vt ad priſca tempora reuertamur, porro de antiqua muniorum, in parochialibus vrbium eccleſiis obeundorum, ratione notandum eſt, quod ea non certis quibusdam presbyteris ſeparatim, vti in vicis & pagis fieri conſueuit, vulgo demandata, ſed in commune a clericis eccleſiæ epiſcopalis impleta fuerint. Viri docti id e loco quodam EPIPHANII [f] colligunt, qui hoc ipſum tamquam peculiarem morem *Alexandriæ* notare videtur, quando *Quotquot*, inquit, *Alexandriæ catholicæ communionis eccleſiæ ſunt, vni archiepiſcopo ſubiectæ, SVVS CVIQVE PRAEPOSITVS EST PRESBYTER, qui eccleſiaſtica munera iis adminiſtret, qui circa eccleſias illas habitant, eorumque conuenticula vici, ſiue lauræ, ab Alexandrinis vulgo nominantur.* PETAVIVS quidem

(e) Inæ leges eccleſ. c. IV. (apud Spelm. p. 183.) Primitiæ ſeminum ad celebre diui Martini feſtum redduntor, qui tum non ſoluerit, quadraginta ſolidis mulctator, & ipſas præterea primitias duodecies perſoluito.
Concil. Becanceld. c. I. (ibid. p. 191.) Ego Withredus rex terrenus, a rege regum compunctus, zelo rectitudinis accenſus, ex antiqua traditione ſanctorum patrum didici, non licitum eſſe alicui homini in laico habitu conſtituto, vſurpare ſibi quaſi propriam poſſeſſionem, quæ ante fuerat domino conceſſa & Chriſti cruce firmata. cetera.

(f) Epiphan. hæreſ. LXIX. Arian. c. I. Ὅσαι ἐκκλησίαι τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ὑπὸ ἕνα ἀρχιεπίσκοπον οὖσαι, καὶ κατ' ἰδίαν ταύταις ἐπιτεταγμένοι εἰσὶ πρεσβύτεροι, διὰ τὰς ἐκκλησιαστικὰς χρείας τῶν οἰκητόρων, πλησίων ἑκάστης ἐκκλησίας αὐτῶν, καὶ ἀμφόδων, ἤτοι λαυρῶν ἐπιχωρίως καλουμένων, ὑπὸ τῶν τὴν Ἀλεξανδρέων κατοικούντων πόλιν.

dem

dem [g] EPIPHANIVM errare, neque hanc consuetudinem *Alexandriæ* peculiarem, sed maioribus vrbibus omnibus communem fuisse existimat, vt presbyteros singulis ecclesiis impositos haberent. Sed VALESIVS [h] & alii viri docti EPIPHANIVM contra ipsius censuram defendunt, ostendentes, fuisse omnino hunc morem *Alexandriæ* peculiarem & nullam forte vrbem in mundo isthoc tempore, neque adeo ipsam *Romam*, plus quadraginta basilicas habentem, ecclesiam aliquam vni cuidam presbytero separatim adsignatam habuisse, sed ad eas regendas clericos de ecclesia episcopi singulis diebus dominicis mitti consueuisse. Sic VALESIVS *Romæ Innocentii* summi pontificis ætate obseruat obtinuisse, qui fermentum a se confectum presbyteris, in ecclesiis intra ciuitatem die dominico ministrantibus, per acoluthos mitti adfirmat, vt se a communione ipsius maxime illo die non iudicent [i] separatos. Vt adeo hi ipsi ecclesiæ

(g) Petau. adnotat. in loc. Non dubito maioribus duntaxat in vrbibus plures intra pomœria titulos fuisse; quum intra eadem septa contineri, vnaque conuenire non possent: adeoque presbyteros singulis ecclesiis impositos. In minoribus autem, ac minus frequentibus oppidis vnam duntaxat ecclesiam exstitisse, in quam vniuersi confluerent. Cuiusmodi Cypri vrbes erant. Vnde quod Alexandriæ receptum erat, velut popularibus suis peregrinum & insitatum, adnotauit Epiphanius.

(h) Vales. not. in Sozomen. lib. I. c. XV. Alexandrinæ ecclesiæ peculiarem hunc morem fuisse, vt singulis ecclesiis seu titulis in ea vrbe constitutis suus esset adsignatus presbyter, docet etiam Epiphanius in hæresi Arianorum: vbi Arium Baucalensis tituli presbyterum hoc modo fuisse obseruat: ὅσαι γὰρ ἐκκλησίαι κ. τ. λ. Ad quem locum Dionysius Petauius obseruat, idem etiam Romæ vsitatum fuisse: qua in vrbe presbyteri per varios titulos distributi suam quisque plebem separatim regebat. Ad cuius rei probationem adducit locum ex epistola Innocentii papæ ad Decentium c. V. De fermento vero (vid. sub litt. (i). Verum hic locus contrarium potius mihi videtur probare. Ait enim Innocentius, presbyteros reliquis diebus hebdomadis ipsi adhæsisse & cum ipso conuenisse & communicasse: diebus autem dominicis plebem collegisse & fermentum ab episcopo accepisse, ne a communione sui episcopi separati esse eo die viderentur. Non igitur affixi erant titulis suis Romani presbyteri ætate Innocentii, sed ad eos regendos die dominico mittebantur. Nec necesse erat, vt vnus idemque ad eamdem semper ecclesiam mitteretur, sed eligebat episcopus pro arbitrio quem vellet. Maurice's *Vindic. of the Primitive Church* p. 65.

(i) Innocent. I. ad Decent. c. V. De fermento, quod die dominico per titulos mittimus, superflue nos consulere voluisti: quum omnes ecclesiæ nostræ intra ciuitatem sint constitutæ; quarum presbyteri, quia die isto propter ple-

maio-

maioris clerici fuiſſe videantur, per vices tantum ad miniſtrandum die dominica in diuerſis titulis miſſi. Atque ita, quando titulum vel curam eccleſiæ ſibi commiſſam habuiſſe dicuntur, id nihil amplius velle intelligendum eſt, quam quod in commune ad officia in titulis ſiue eccleſiis parochialibus, ab eccleſia cathedrali diſtinctis, obeunda fuerint delegati. Non nihil huius conſuetudinis *Conſtantinopoli* ad *Iuſtiniani* vſque ætatem durauit. Nam in nouella quadam ſua [*k*] trium baſilicarum, *S. Mariæ*, *Theodori*, & *Irenes* mentionem facit, quæ non proprios clericos habuerint, ſed a maiori eccleſia miniſtros acceperint, diuina inibi officia ſuo quemque ordine celebrantes. Nonnullis quoque obſeruatum eſt, peculiarem *Romæ* obtinuiſſe conſuetudinem, vt in ſingulis eccleſiis duo presbyteri miniſtrarent, quum in aliis locis vnus ſolus eſſet. Quod ipſum MAVRITIVS [*l*] ex loco quodam in HILARII diaconi *Romani* commentariis, qui AMBROSIO vulgo tribuuntur, colligit, vbi dicitur, quod licet ſeptem tantum diaconos *Romæ* eſſe oporteat, tot tamen presbyteri il-

bem ſibi conceſſam nobiſcum conuenire non poſſunt, ideo fermentum a nobis confectum per acolythos accipiunt, vt ſe a communione noſtra maxime illo die non iudicent ſeparatos.

(*k*) Iuſtin. nouell. III. c. I. *ὕστερον δὲ ὅ, τε προσκυνητὸς οἶκος τῆς ἁγίας ἐνδόξου παρθένου καὶ θεοτόκου Μαρίας, ὁ πρὸς τῷ τῆς ἁγιωτάτης μεγάλης ἐκκλησίας γειτονήματι κείμενος, ᾠκοδομήθη παρὰ τῆς εὐσεβοῦς τὴν λῆξιν Βηρίνης· ὅ, τε σεβάσμιος οἶκος τοῦ ἁγίου μάρτυρος Θεοδώρου παρὰ Σφωρακίου τοῦ τῆς ἐνδόξου μνήμης ἀνιερώθη· ἦν δὲ καὶ ὁ προσκυνητὸς οἶκος τῆς ἁγίας Εἰρήνης ὁ τῇ ἁγιωτάτῃ μεγάλῃ ἐκκλησίᾳ συνημμένος· διὰ τοῦτο περιστῆναι τὸν ἀριθμὸν εἰς τὸ ἀρχαῖον σχῆμα, τῶν ἀδυνάτων ἐστίν. Οὐ γὰρ ἂν ἀρκέσειαν τοσαύταις ἐκκλησίαις ὀλίγοι καθεστῶτες· ἐπείπερ οὐκ ἰδιάζοντας κληρικοὺς οὐδὲ εἷς τούτων ἔχει τῶν τριῶν οἴκων, κοινοὶ δέ εἰσι τῆς τε ἁγιωτάτης μεγάλης ἐκκλησίας καὶ αὐτῶν, καὶ τούτους ἅπαντες περινοστοῦντες κατά τινα περίοδον καὶ κύκλον, τὰς λειτουργίας ἐν αὐτοῖς ποιοῦνται.* Poſtea & venerabilis domus ſanctæ glorioſæque virginis & Dei genitricis Mariæ iuxta ſanctiſſimæ maioris eccleſiæ vicinitatem poſita, ædificata eſt a piæ memoriæ Verina, & veneranda domus ſancti martyris Theodori a Speratio glorioſæ memoriæ dedicata eſt. Erat autem etiam venerabilis domus ſanctæ Irenes, quæ ſancti ſ. maiori eccleſiæ copulata eſt: propterea redigere numerum ad antiquam figuram impoſſibile eſt. Non enim ſufficient tantis eccleſiis pauci conſiſtentes: *quoniam quidem non proprios clericos, neque vna quidem harum trium habent baſilicarum, ſed communes ſunt & ſanctiſſimæ maioris eccleſiæ & earum: & omnes circumeuntes ſecundum quemdam ordinem & circuitum, miniſteria in eis celebrant.*

(*l*) Maurice's *of diœceſan. epiſcop.* p. 47.

lic

lic ſint, vt bini [m] per ſingulas eccleſias ſacra officia implere poſſint, quum incolæ bis in hebdomade ſacra ſynaxi vti & prope quotidie ægri baptizari ſoleant. An vero hæc conſuetudo *Romæ* ita peculiaris fuerit, vt ad nullam aliam eccleſiam referri poſſit, hoc eſt, quod lectorem propter iſtius viri eruditi iudicium potius, quam meam ipſius adfirmationem crediturum eſſe exiſtimo. Quod ad eccleſias ruſticanas attinet, res explorata eſt, presbyteros maturius illis adfixos fuiſſe & peculiariter adſignatos, quum illic presbyteri eccleſiæ vrbicæ non æque commode diuina miniſteria per vices obire poſſent. Quamobrem obſeruare nobis licet, ſynodum *Neocæſareenſem* [n] inter presbyteros ruſticanos & inter presbyteros vrbicos diſtinguere, prioribus illis in eccleſia ciuitatis, non niſi epiſcopo vel vrbis presbyteris abſentibus, offerre permittentem. Quod perſpicue indicat, eccleſiis ruſticanis tunc temporis presbyteros ſeparatim fuiſſe adfixos, quibus cum eccleſiæ vrbicæ officiis nihil fuerit commercii. Idem etiam ex narratione, quam de presbyteris vicorum *Marcotis*, quæ *Alexandriæ* ſubiecta erat, habet ATHANASIVS, aliisque pluribus vetuſtorum ſcriptorum locis apparet.

§. VI.

*Stati reditus non illico parochiis poſt earum diuiſionem attributi, ſed in commune ærarium illati.*

OBSERVANDVM autem eſt, quod, ſi quis parochiæ in ciuitate vel vico quodam adfixus eſſet, non ſtatim mercedes parochiæ, vel ex decimis vel oblationibus vel alia quacumque re dari ſolitæ, ei contributæ fuerint. Nam antiquis temporibus omnes reditus eccleſiaſtici in commune eccleſiæ epiſcopi ærarium inferebantur, ex quo, dirigente & approbante epiſcopo, penes quem ſumma redituum diœceſis ſuæ adminiſtratio erat, menſtrua vel annua diſtributio inter clericos, iurisdictioni eius ſubiectos, fiebat; quemadmodum ſupra docuimus, vbi

(m) Ambroſ. comment. in 1 Tim. III. Nunc autem ſeptem diaconos eſſe oportet, & aliquantos presbyteros, vt *bini ſint per eccleſias* & vnus in ciuitate epiſcopus. - - Omni enim hebdomada offerendum eſt, etſi non quotidie peregrinis, incolis tamen vel bis in hebdomada, etſi non deſint, qui prope quotidie baptizentur ægri.

(n) Concil. Neocæſar. c. XIII. vid. ſupra ſub lit. (y) pag. 596.

de reditibus ecclesiasticis [*o*] eorumque distributione sumus loquuti. Vbi inter alia ex THEODORO LECTORE [*p*] obseruatum nobis est, *Constantinopoli* nullam ecclesiam parochialem separatos reditus ad sæculum vsque quintum medium habuisse, vbi *Marcianus* quidam, a *Gennadio* œconomus factus, primum decreuit, vt, quæ in vnaquaque ecclesia offerrentur, clerici eiusdem ecclesiæ acciperent: quum ad id tempus magna ecclesia ea vniuersa accipere consueuisset. In ecclesia occidentali, speciatim in *Hispania*, sæculo sexto medio episcopum & clericos ciuitatis reditus suos adhuc in communi penario habuisse, eosque in quatuor portiones distribui solitos fuisse, ex concilio *Bracarensi* primo constat. Patres illic congregati, *Placuit*, inquiunt, *vt de rebus ecclesiasticis, tres æquæ fiant portiones, id est, vna episcopi* [*q*], *alia clericorum, tertia in reparatione* (al. *recuperatione*) *vel in luminariis ecclesiæ. De quarta parte siue archipresbyter, siue archidiaconus illam administrans, episcopo faciat rationem.* Sed cum clericorum rusticanorum reditibus tunc temporis vel paullo post res aliter se habebat. Nam in concilio *Bracarensi* secundo, nouem duntaxat annis post primum an. DLXXII. celebrato, canonem [*r*] reperimus, qui episcopos vllam partem in oblationibus ecclesiarum parochialium habere vetat, & tertiam istam partem pro luminaribus ecclesiæ vel recuperatione seruari iubet, duos duntaxat solidos loco honorarii, (*honorem cathedræ* canon vocat) diœceses suas visitantibus sumere permittens. Vt adeo saltem ab hoc tempore statos reditus ecclesiis parochialibus rusticanis in *Hispania* assignari cœpisse possimus existimare. In eodem concilio alius quidam canon occurrit, abusum quemdam cor-

(*o*) Lib. V. c. VI. §. I. volum. II. p. 290. sqq.

(*p*) Theodor. Lect. lib. I. p. 553. *προεβάλετο δὲ Γεννάδιος Μαρκιανὸν οἰκονόμον, τῆς τῶν Καθαρῶν ὄντα θρησκείας, εἰς τὴν ἐκκλησίαν μετελθόντα· ὃς ἅμα τῷ γενέσθαι οἰκονόμον, τὰ προσφερόμενα ἐν ἑκάστῃ ἐκκλησίᾳ, τοὺς τοῦ τόπου κληρικοὺς κομίζεσθαι διετύπωσεν, ἕως τούτου τῆς μεγάλης ἐκκλησίας πάντα κομιζομένης.*

(*q*) Concil. Bracar. I. c. XXV. (Brac. II. c. VII. edit. Labb. tom. V. p. 840.)

(*r*) Concil. Bracar. II. (aliis III.) can. II. (tom. V. concil. p. 896.) Placuit, vt nullus episcoporum per suas diœceses ambulans præter honorem cathedræ suæ, id est, solidos duos, aliquid aliud per ecclesias tollat. Neque tertiam partem ex quacumque oblatione populi in ecclesiis parochialibus requirat, sed illa tertia pars pro luminaribus ecclesiæ vel recuperatione seruetur, & per singulos annos episcopo inde ratio fiat.

rigens,

rigens, ex quo eiusmodi redituum constitutio pro ecclesiis rusticanis colligi potest. Nam quidam patroni [s] basilicas non pietatis sed quæstus caussa in terra sua ædificare voluisse videntur, vt quæcumque ibi de oblationibus populi colligerentur, eorum partem dimidiam cum clericis acciperent; Cui incommodo vt obuiam iret concilium, decernebat, vt ne episcopus in posterum vllam vmquam ecclesiam, tam detestando isthoc consilio & tributaria conditione exstructam, consecraret. Hoc aliud argumentum est, mercedes ecclesiarum rusticanarum clericis illarum fuisse attributas, alioquin istiusmodi abusus, qualis hic fuit, locum habere non potuisset. In *Germania* autem & *Gallia* ecclesiarum parochialium reditus in potestate episcopi permansisse videntur, certe quartam diuidendæ portionis partem sæculis aliquot post adhuc is habuit. Exstant enim in *capitularibus* a BALVZIO & GOLDASTO editis regulæ, quæ decimas & oblationes in quatuor partes secundum antiquum canonem diuidi & quartam episcopo dari [t] iubent. Et viri quidam docti [u], qui constitutiones nostras *Anglicanas* exacte examinauerunt, in ea videntur versari opinione, episcopos portionem suam de reditibus ecclesiasticis cum clericis parochialibus, longo tempore a prima ecclesiarum parochialium designatione ac constitutione, habuisse. Existimant enim, initio ecclesiam episcopi cathedralem vnam solam ecclesiam in dioecesi quadam fuisse, vnde oblata opportunitate diuini verbi præcones ad populum rusticanum conuertendum missi sint, qui aliquamdiu in ecclesiam cathedralem ad solemnem Dei cultum

(s) Ibid. can. VI. Si quis basilicam non pro deuotione fidei sed pro quæstu cupiditatis ædificat, vt quidquid ibi de oblatione populi colligitur, medium cum clericis diuidat, eo quod basilicam in terra sua quæstus caussa condiderit, quod in aliquibus locis vsque modo dicitur fieri. Hoc ergo de cetero obseruari debet, vt nullus episcoporum tam abominabili voto consentiat, cetera.

(t) Capitular. lib. VII. cap. CCCLXXV. Quatuor partes ex omnibus (decimis & oblationibus) fiant. --- Quarta episcopo referenda.
Goldast. constitut. imperial. tom. III. c. XXIII. p. 158. ed. Offenbach. MDCX. Vt decimæ populi diuidantur in quatuor partes, id est, vna pars episcopo, alia clericis, tertia pauperibus, quarta ecclesiæ in fabricis applicetur, sicut in decreto Gelasii papæ continetur.

(u) Vid. *Dr.* Kennet's *Case of Impropriations* p. 9. &c. *Mr.* Warthon's *Defence of Pluralities*, chap. 2. p. 85.

coiuerint. Poſtea pedetentim & gradatim alias quasdam eccleſias inter ipſas fuiſſe conditas, primum quidem oratoria ſiue ſacella priuata ſine vllis limitibus parochialibus, in gratiam eorum, qui nimio interuallo ab eccleſia cathedrali diſiuncti facilius in illa commeare poſſent. Deinde vero eccleſias parochiales cum certis limitibus erectas fuiſſe, alias ipſius plebis liberalitate in frequentibus & copioſis locis, ab epiſcopis alias, alias a regibus *Saxonum*; in primis vero proceres, illuſtriorum prædiorum dominos, *Thanes* tunc temporis vocitatos, præcipuos fundandarum eccleſiarum parochialium auctores exſtitiſſe. Vnde factum, vt fines parochiæ cuiusdam limitibus & amplitudini prædii alicuius reſponderent, vti limites antiquæ diœceſis territorio ciuitatis reſpondiſſe oſtendimus. Atque hinc prædii alicuius dominus originali patronatus & præſentandi iure gaudebat. Quæ tamen res ius epiſcopi ad redituum totius diœceſis ſuæ partem non deſtruxit. Sed tempus hac in re mutationem peperit. Nam epiſcopi noſtrates titulum redituum parochialium voluntarie videntur reliquiſſe, quemadmodum epiſcopi *Hiſpanici* ante illos fecerant; an vero hac de re canonem condiderint, quemadmodum iſti, id quidem lectorem non poſſum condocere. KENNETVS [w] vero ex DVGDALEO [x] obſeruauit, epiſcopos inſulæ *Mannæ*, non obſtante mutatione, quæ hac in re interuenerit, tertiam partem omnium redituum iſtius inſulæ habere continuaſſe. Cuius rei cauſſam eam eſſe exiſtimo,

(w) *Dr.* Kennet's *Caſe of Impropriat.ons* p. 28.

(x) Dugdal. monaſtic. Anglic. tom. I. p. 718. Vniuerſis ſanctæ matris eccleſiæ filiis, præſentes litteras inſpecturis vel audituris, *Thomas* Dei gratia rex *Mannæ* & inſularum, comes *Derby* & dominus *Stanley* ſalutem in domino ſempiternam. Vniuerſitati veſtræ innoteſcimus, quod nos pro ſalute animæ noſtræ & animarum anteceſſorum noſtrorum atque omnium fidelium defunctorum, conceſſimus & dedimus dilecto nobis in Chriſto patri ac domino, domino *Huano* permiſſione diuina Sodorienſi epiſcopo moderno in puram & perpetuam eleemoſynam ad menſam ſuam epiſcopalem, omnes eccleſias, terras, decimas ac poſſeſſiones, quas anteceſſores noſtri reges & domini *Mannæ* eccleſiæ *Sodorienſi* & epiſcopatui eiusdem dederunt, conceſſerunt & confirmauerunt. Videlicet cathedralem ſancti *Germani* in *Holme Sodor* vel *Pele* vocatam - - & *tertiam partem decimarum* de omnibus eccleſiis de *Manne*, confirmantes eis *tertianam* plenæ villæ de *Kirkby* propinquiorem eccleſiam ſancti *Bradani* cum terra ſancti *Bradani*; & *tertianam* plenæ villæ de *Kirkmarona*, cetera.

quod

quod mutationes in *Anglia* noſtra factæ ad eos non ſpectarint, vtpote tunc temporis iuriſdictioni *Anglorum* non ſubiectos.

ATQVE ita de origine & antiquo eccleſiarum parochialium ſtatu breuiter & circumſcripte expoſuimus, neque vero inſtituti noſtri fert ratio, hanc diſquiſitionem pluribus perſequi. Qui ſcire cupiunt, quibus gradibus & quibus hominum, in aliena bona inuolantium, ſtudiis eccleſiæ parochiales reditus ſuos rurſus perdiderint, dum nimirum limites parochiales diſturbati, libertas hominibus decimas ſuas & oblationes, quo vellent, pendendi indulta, poſſeſſiones vel monaſteriis adſignatæ, vel laicis clientelari iure mancipatæ fuerunt, illi hæc omnia in elaborato KENNETI tractatu *Anglicano Of Impropriations & augmentation of Vicarages* fuſius expoſita inuenire poſſunt, ad quem idcirco lectores huius rei ſtudioſos amandamus.

---

# CONCLVSIO.

*In qua facilis & honorifica antiquum diœceſanum epiſcopatum (ad minorum veterum diœceſium formam) in omnibus proteſtantibus eccleſiis erigendi methodus proponitur.*

QVAE de hoc argumento addi oportere ducimus, eo tantum ſpectant, vt opportunam & vtilem obſeruationem in ea, quæ hoc capite vltimo dicta ſunt, faciamus, reſpectum habentes ad diu deſideratam omnium eccleſiarum reformatarum in eamdem regiminis epiſcopalis formam, quæ primitiuæ eccleſiæ exemplari & praxi reſpondeat, reductionem. Magna quædam obiectio contra hodiernum epiſcopatum diœceſanum, & quæ multis maxime plauſibilis videri poteſt, a vaſto ambitu & magnitudine plerarumque diœceſium in ſeptemtrionalibus orbis partibus petitur, qua ex re vni homini ſumma naſcatur difficultas omnia functionis epiſcopalis officia implendi. Cui obiectioni vt præcipuum robur adimatur, non ſine operæ conſumtione oſtendere eniſus ſum, neceſſe non eſſe, ſingulas diœceſes æque late patere, quum inter antiquarum diœceſium limites & fines tanta differentia, nulla autem ne minima quidem, ratione formæ regiminis epiſcopalis inter illas vniuerſas, in vlla eccleſiæ primitiuæ parte, interceſſerit. Qua propter ſi Deo,

mentes fratrum nostrorum in ecclesiis reformatis ad priscam episcopatus formam denuo recipiendam præparare placuerit; (id quod valde optandum est, eoque quorumdam animi iam feliciter inclinare videntur) nihil difficultatis tam vtili & pacifico consilio ex hac obiectione importari necesse est; quia in cuiuslibet ecclesiæ positum est potestate, diœceses suas contrahere iisque circumscribere limites, quemadmodum vniuersæ communitati vtile & salutare fore ipsa iudicat; quum nulla certa regula geometrica hac de re siue in scriptis apostolorum, siue in legibus & praxi ecclesiæ primitiuæ nobis præscripta exstet, nisi quod quælibet ciuitas, siue locus iurisdictionis ciuilis, sedes ecclesiastici magistratus esse, hoc est, episcopum cum presbyteris habere debeat, qui hominum rationes & negotia spiritualia, perinde vt ciuiles magistratus sæcularia, procurent. Hanc generalem fuisse regulam in veteri ecclesia obseruatam, & ex hac ratione tantam differentiam in diœcesium ambitu, in iisdem sæpe numero regionibus, e. g. in *Palæstina*, *Asia minore* & in *Italia* speciatim exstitisse, vt ciuitates in territoriorum suorum circuitu ac iurisdictionis suæ finibus ac limitibus tantopere inter se discreparent, id quidem probasse sine vlla dubitatione mihi videor. Iam vero non multum interest, vtrum horum exemplar ad imitandum nobis proponamus, quia vtrumque primitiuum est & in antiqua praxi permissum. Ecclesia *Anglicana* ampliorum diœcesium exemplum plerumque sequuta admodum magnas & late patentes habuit diœceses. Nam initio septem tantum episcopatus per vniuersam gentem fuerunt & quidem eiusdem fere ambitus cum septem regnis *Saxonum*. Postea sapientiæ suæ esse credidit, diœceses suas contrahere easque ad viginti amplius multiplicare. Quod si quadraginta vel centum etiam addere consultum duceret, id non sine præuio vetustatis exemplo faceret. CRANMERVS archiepiscopus, iustus huius rei æstimator, *Henrico* VIII. regi suadebat, vt complures nouos episcopatus erigeret, quod hæc res inter alias ad perficiendam ecclesiæ reformationem magnum momentum adlatura esset. Cui consilio rex obtemperaturus catalogum viginti circiter nouorum episcopatuum, quos constituere animum induxerat, ipse manu sua consignabat, consignatumque in comitiis publicis proponebat, quo facto a patribus vtriusque

curiæ

curiæ an. MDXXXIX. ſtatuebatur, regi hoc ipſum per diplomata faciendi concedendam eſſe facultatem. Negotium omne, vt transactum eſt, & decretarum ſedium nomina in BVRNETI hiſtoria reformationis [xx], quisquis volet, legere poteſt. Res quidem poſtea, interpoſito quodam impedimento, non ex ſententia ſucceſſit; hoc tamen non obſtante præcipuorum reformationis auctorum ſententiam nobis oſtendit. Quidquid igitur licitum fuit & adhuc eſt in hac eccleſia, id in reliquis quoque licitum eſt eccleſiis; hoc eſt, diœceſes exigente neceſſitate multiplicare, & magnam curam ac onus functionis epiſcopalis in maius eccleſiæ beneficium ac commodum, inter plures partiri. Si quæ igitur eccleſiæ exteræ ex *proteſtantibus* antiquam epiſcopalis regiminis formam inter ſe denuo aſſumere conſultum duxerint, honorifice pariter & facile talem minorem diœceſium formam ſibi fingere ipſæ poterunt, quæ vnam claſſium ſuarum amplitudine non multum vincat, nec valde illius immutet formam, & nihilo tamen ſecius minorum diœceſium in primitiua eccleſia exemplo conueniat. Minoris cuiusdam tractus, cuiusmodi ſunt decanatus noſtri rurales, moderator aliquis temporarius, ſiue vt vulgo vocant, ſuperintendens, facile poſſet fieri epiſcopus, ſi per ſolemnem ordinationem perpetuum eccleſias in tali diſtrictu gubernandi officium ei demandaretur, ſub quo, tamquam paſtore primario, omnes inferiores paſtores eiusdem territorii agere oporteret, tamquam ei ſubiectos, & auctoritatem ſuam ab illius impoſitione manus deriuantes, nec quiquam niſi ipſo conſulto & approbante facientes. Et hoc iuſtam inſpectionis epiſcopalis auctoritatem ac venerationem ſartam tectam ſeruaret, ſiquidem ſecundum regulam IGNATII nihil fieret in eccleſia ſine epiſcopo; exemplo etiam veteris eccleſiæ reſponderet, quæ multas exiguas habuit diœceſes æque ac amplas, præſertim in *Italia*, vbi multæ ſedes epiſcopales non V. amplius, vel VI. mill. paſſ. a ſe inuicem fuerunt diſſitæ, & diœceſes non plusquam X. vel XII. mill. paſſ. patuerunt, e. g. *Narnia*, *Interamnia*, *Fidenæ*, *Fulginum*, *Hiſpellum*, *Forum Flaminii* & multæ aliæ, de quibus libro antecedenti ſigillatim diximus. Dantur hodie plurimæ eiusmodi diœceſes in *Italia* in

(xx) Volum. I. p. 2 2. edit. Anglic. MDCLXXXI. in latina autem Mittelholzeri Geneu. MDCLXXXVI. p. 147. a tot.

regno

regno *Neapolitano*, vbi CXLVII. in vniuersum numerantur episcopatus. Quorum viginti sunt archiepiscopatus; eorumque nonnulli tam exigui, vt nullam nisi intra mœnia ciuitatis diœcesim habeant, quemadmodum speciatim de *Campania* & *Vesta* ex VGHELLI *Italia sacra* MAVRITIVS [*y*] & alii notarunt; Vnde & hoc obseruatur, quod *Caua* in eodem regno quingentos tantum habeat incolas ad sacram communionem accedentes. Sunt & hodie in meridionalibus *Galliæ* partibus nonnullæ diœceses, quas non multum istam mensuram superare audio. Episcopatus *Mannæ* insulæ septemdecim tantum habet parœcias, & BEDAE [*z*] temporibus tota insula trecentarum vel quadringentarum familiarum mensuram, secundum æstimationem *Anglorum* istius æui, habebat, quamuis *Mona* insula, vulgo *Anglesey*, ter tanto plures haberet. Vt adeo, etiamsi diœceses in ecclesiis *protestantibus* ita contraherentur, nulla tamen alia ecclesia, in qua regimen episcopale iam obtinet, vllam idoneam de tali episcopatus forma, qualis hæc foret, conquerendi habitura esset rationem, quoad statui primitiuo & antiquæ praxi illa conuenire intelligeretur. Neque vllæ ecclesiæ cum ratione de externa politia & regimine inter se controuersari poterunt & contendere, etiamsi vnius ecclesiæ diœceses maiores minoresve quam alterius futuræ sint, quamdiu quælibet status sui exempla in veteri ecclesia inuenerit; eadem catholica caritate sese inuicem poterunt prosequi, vt fecerunt ecclesiæ veteres, inter quas ne leuissimum quidem controuersiæ de hac diœcesium inæqualitate vestigium deprehendimus. Neque hodie de hoc capite inter duas ecclesias sorores *Angliæ* & *Hiberniæ* controuersia vlla est, licet a repurgatis sacris diœceses suas dilatauerit altera, altera contraxerit. In *Hibernia* enim hodie vix dimidius diœcesium, quæ antea illic fuerunt, numerus superest, & consequenter spatiosiores factæ sint, necesse est, ex quo coniunctæ fuerunt. In *Anglia* plures numero quam olim sunt, posteaquam ex antiquis quibusdam nouæ aliquot erectæ sunt, & in præsen-

(*y*) Maurice's *Diœcef. Episc.* p. 132.

(*z*) Bed. lib. II. c. IX. Quin & Meuanias insulas, sicut & supra docuimus, imperio subiugauit Anglorum. Quarum prior, quæ ad austrum est, & situ amplior & frugum prouentu atque vbertate felicior, nongentarum sexaginta familiarum mensuram iuxta æstimationem Anglorum; secunda *trecentarum & vltra*, spatium tenet.

tia

tia vniuersus numerus ter tanto maior est, quam aliquot ab hinc sæculis post primam gentis conuersionem fuit. Accedit, quod adhuc alia dioeceses re ipsa contrahendi ratio in *Anglia* nostra nobis suppetat lege præscripta, quæ lex nondum abrogata est, quando videlicet curæ episcopalis pars chorepiscopis, seu episcopis suffraganeis, vti lex eos vocat, imponitur. Quæ methodus est, communiter in veteri ecclesia in amplis dioecesibus, quales BASILII & THEODORETI erant, vsurpata, quorum ille non minus quinquaginta chorepiscopos sibi subiectos, habuit, si vera narrat GREGORIVS NAZIANZENVS; & praxis est, quæ heic sub *Elisabetha* regina, & ad finem vsque regni *Iacobi* duravit; quæque rursus reuiuiscere potest, quandocumque episcopus aliquis dioecesim suam ampliorem & onus sibi incumbens maius esse senserit, quam vt ipse vnus solus ei ferundo sit. Vnde concludimus, episcoporum multiplicationem & dioecesium contractionem in ecclesiis protestantibus in iustam alius cuiusdam ecclesiæ episcopalis offensionem incurrere non posse, quandoquidem in ecclesia antiqua semper facta est & adhuc in quibusdam ecclesiis reformatis fit, vbi dioeceses hodie tam magnæ manent, vt earum quæque in decem, sine vlla formæ episcopatus immutatione & regulæ ecclesiæ catholicæ violatione, dividi possit. Quæ consideratio si ad primitiuum regimen episcopale in illis ecclesiis reformatis, quæ sine eo adhuc sunt, constituendum quippiam contulerit (id quod fieri posset, si in qualibet maiore ciuitate, ciuilem quemdam magistratum cum minoribus oppidis & vicis sibi subiectis habente, quæ antiqua ciuitatis notio erat, vbi officium episcopale ab apostolis primum instituebatur, supremus aliquis pastor ordinaretur) operam & laborem meum, qui in tot antiquarum dioecesium circuitu & mensura patefacienda certe non leuis fuit, tanto vtiliorem fore existimabo, non tantum ad commonstrandam viam ecclesiæ antiquæ statum cognoscendi, sed vnitatem etiam & firmiorem præsentis ecclesiæ constitutionem prouehendi, cuius, non autem vllius particularis ecclesiæ, vel aduersæ partis, commodis vtilitatique seruire in vniuerso hoc opere mihi propositum est.

Deus pacis & veritatis omnium eorum conatus studiaque prosperet, qui non aliam mentem voluntatemque susceperunt.

# APPENDIX.

QVando in libro antecedente ſex antiquas prouinciarum Africanarum diœceſes non, vti quidem diœceſes reliquarum prouinciarum omnium in orbe chriſtiano, recenſuimus; ne quis id neglectionem interpretetur, catalogum earum heic ſubiungimus, vti a CAROLO A SANCTO PAVLO & HOLSTENIO ex antiquis conciliis, collatione Carthaginenſi, notitia Africæ a SIRMONDO in miſcellaneis ſuis publicata, operibus AVGVSTINI & VICTORE VTICENSI, collectus eſt, quorum hic poſtremus de CLXIV. epiſcopis in prima harum prouinciarum, dicta Zeugitana, ſiue Africa proconſulari, loquitur; quamquam CAROLVS A SANCTO PAVLO non amplius CIV. diœceſes, earumque nonnullas bis terue nominatas, reperire potuit. Nam Bolita & Vallis & Vol tria tantum nomina eiusdem ciuitatis ſunt. Ita Abdera, & Abbirita & Abbir Germaniciorum vnum idemque ſunt. Vti quoque Sicca & Zigga. Duaſſedemſai & Duæſenepſalitinæ duo corrupta ſunt nomina ciuitatis Selemſal, quemadmodum HOLSTENIVS in notis ſuis obſeruat.

IN PROVINCIA ZEVGITANA, alias AFRICA PROCONSVLARI:

1. Carthago. 2. Sicilibra. 3. Maxula. 4. Vallis. 5. Vthina. 6. Tuburbo. 7. Abdera. 8. Aſſurus. 9. Tucabor, al. Tucca Terebinthina. 10. Altibura. 11. Vazua. 12. Ammedera. 13. Sicca Venerea. 14. Thieniſſa. 15. Tuburbo minus. 16. Membreſa. 17. Melzita. 18. Vtica. 19. Theudalis. 20. Hippozaritus, al. Hippo-Diarritorum. 21. Membro 22. Lapda. 23. Bulla Regia. 24. Tennona, al. Tunnona. 25. Beneuentum. 26. Simithu. 27. Thele. 28. Carpis. 29. Vtimmira. 30. Miſua. 31. Duaſſedemſai. 32. Migirpa. 33. Puppiana. 34. Puppita. 35. Vrcita, forſan Vci. 36. Giſipa. 37. Vzita. Vci. 38. Bonuſta. 39 Cicſita. 40. Neapolis. 41. Culſita. 42. Curubi. 43. Cefala. 44. Bulla. 45. Clypea. 46. Meglapolis. 47. Timida Regia. 48. Zigga. 49. Semina. 50. Pariſium, forſan Pertuſa. 51 Rucuma. 52. Talbora. 53. Tagarata. 54. Cellæ. 55. Vzippara. 56. Abbirita. 57. Auſana, al. Auſapha. 58. Tabuca. 59. Maraggarita, al. Narraggarita. 60. Muzua. 61. Abitina. 62. Tituli. 63. Eudala. 64. Caſula 65. Tulana. 66. Vina, al. Viua. 67. Volita, al. Bolita. 68. Tunes. 69. Mattiana. 70. Hilta. 71. Zarna. 72. Cubdis. 73. Municipitogia. 74. Elibia. 75. Pia.

75. Pia. 76. Tadua. 77. Vzala. 78. Tizzica. 79. Abora. 80. Libertina. 81. Scilita. 82. Absasalla. 83. Aradita. 84. Veri. 85. Ciumtuburbo, quod HOLTENIVS corruptam lectionem esse putat pro ciuit. M. Tuburbo. 86. Ofita. 87. Municipium Canapium. 88. Nummula. 89 Tauracina. 90. Vcula. 91. Sinuara. 92. Succuba. 93. Herta, vel Horrea. 94. Trisipellis. 95. Giutrambacaria. 96. Villa Magna. 97. Tigimma. 98. Bolita. 99. Aga. 100. Cæcirita. 101. Tatia Montanensis. 102. Mullita. 103. Duæ Senepsalitinæ, al. Selemsilita. 104. Eguge. Ab HOLSTENIO adduntur Furni, Simingita, Aptunga, & Simidita.

IN NVMIDIA.

1. Cirta, al. Constantina, ciuilis metropolis huius prouinciæ. 2. Cullu. 3. Rusicade. 4. Vaga, al. Bagaia. 5. Lares. 6. Mileum, rectius Mileuum. 7. Idicra. 8. Cuiculum. 9. Nobas Parsa. 10. Diana. 11. Gemellæ. 12. Cullicitanis. HOLSTENIVS eamdem cum Culcita esse, iudicat. 13. Zama Regia, sedes regis Iubæ. 14. Lambir. 15. Sinitu. 16. Aquæ Tilitanæ. 17. Hippo Regius. 18. Tubursica. 19. Calama. 20. Gasauphala, alias Gazophyla. 21. Tigillaba. 22. Rotaria. 23. Tipasa. 24. Tagaste. 25. Tagura, al. Tagora. 26. Altaba. 27. Vegesela. 28. Mascula. 29. Macomades. 30. Tamugada. 31. Lambasa. 32. Tabuda. 33. Bercera. 34. Municipium, al. Municipium Tullense. 35. Burca. 36. Vada. 37. Centenaria. 38. Niba. 39. Amphora. 40. Buconia. 41. Sugita, al. Signita. 42. Putea. 43. Ausucurro. 44. Fussula. 45. Noba Barbara. 46. Idassa. 47. Monte. 48. Lamsorte. 49. Tididita. 50. Casæ Medianæ. 51. Cethaquersusca, al. Cathaquensa. 52. Centuzia. 53. Noba Germania. 54. Susicasia. 55. Noba Cæsaris. 56. Vazarita, al. Bazarita. 57. Ressana. 58. Augurium. 59. Octabum. 60. Gilba. 61. Mathara. 62. Midila. 63. Punentiana. 64. Metæ. 65. Cæsarea. 66. Nobasina. 67. Cælia. 68. Zattara. 69. Tarassa. 70. Castellum Titulianum 71. Girus Marcelli. 72. Sillita, al. Sillilita. 73. Hizirzada. 74. Rusticiana. 75. Madaurus. 76. Buffada. 77. Sistroniana. 78. Regium. 79. Tegla. 80. Casæ Nigræ. 81. Tubunia. 82. Tigisi. 83. Zabi. 84. Narangara. 85. Musti. 86. Centurio. 87. Aquæ Nouæ. 88. Tebeste. 89. Babra. 90. Moxorita. 91. Tamogazia. 92. Respecta. 93. Legiæ. 94. Mazaca 95. Lugura. 96. Turres Concordiæ. 97. Belesaie. 98. Gaudiabe. 99. Garbis. 100. Marculita. 101. Suaba. 102. Germania. 103. Vadesita.

104. Naratcata. 105. Lamiggiza. 107 Lamiggiga. 106. Vagar milita, al. Magarmelita & Aquæ. 108. Turres Ammeniarum. 109. Mulia. 110. Ospitum. 111. Vagada, al. Vaga, Vaiana & Bagaia. 112. Lamasua. 113. Tacarata. 114. Vllita, al. Vallita. 115. Seleucia, al. Solentiana. 116. Vada. 117. Maximiana. 118. Zaradta. 119. Girus Tarasi. 120. Vicus Pacis. 121. Tabraca. 122. Tucca. 123. Quidia. 124. Castellum. 125. Mileui. 126. Gira. 127. Fessecta. 128. Damatcore. 129. Mada. 130. Casæ Calaneæ. 131. Arsicarita. 132. Vesili, rectius Vegesela. 133. Villa Regia. 134. Legæ. 135. Lamfua. 136. Vagraua. 137. Gilba, alia a superiore. 138. Sile. 139. Gauriana. 140. Forme. 141. Forme altera. 142. Fatum. HOLSTENIO præter istas nouem aliæ obseruatæ, Vicus Nigras, Drusiliana, Zuma, siue Summa, Constantia, Limata, Mutugenna, Zerta, Susulitta, Centuria; sed aliæ quædam bis legi ipsi videntur, vti Mileum & Mileuis, Zabi & Zama, Vaga & Vagada, Veseli & Vegesela, Tamagazia & Tamaguda, Culsita & Cullisitauis, Germania & Noua Germania; & Quidia spectans ad Mauritaniam Cæsariensem.

IN BYZACENA.

1. Adrumetum, ciuilis metropolis. 2. Horrea Cælia. 3. Tagasa. 4. Turreblandis. 5. Medianum. 6. Sufes. 7. Asufenia. 8. Cillita. 9. Vicus Ateriæ. 10. Mibiarcesis. 11. Segernis. 12. Miriciana. 13. Gatiana, al. Garriana & Gratiana. 14. Suffetula. 15. Dicea. 16. Tices. 17. Ancusa. 18. Masclianа. 19. Valdentiniana, aliis Valentiniana. 20. Nara. 21. Seberiana. 22. Tubulbaca. 23. Midita. 24. Tambaia. 25. Iubeclidia. 26. Neptita. 27. Bubelia. 28. Cellæ. 29. Decoriana. 30. Putea. 31. Theuzita. 32. Mactaris, al. Matiris. 33. Thagamutha. 34. Autentum. 35. Abaradira. 36. Bana. 37. Octabium. 38. Octabum. 39. Aquiaba. 40. Hermiana. 41. Paradamium, al. Feradi Minor. 42. Turris. 43. Taraza. 44. Crepedula. 45. Trofiana. 46. Leptis Minor. 47. Feradimaia, al. Feradi Maior. 48. Temuniana, vel Temoniana. 49. Vnizibira. 50. Tamalluma. 51. Muzuca. 52. Massimana. 53. Serbatiana. 54. Marazana 55. Pederodiana. 56. Tusurus. 57. Matarita. 58. Vsula. 59. Irpiniana, al. Hierpiniana. 60. Aquæ Albenses. 61. Menephessa. 62. Capse. 63. Acola, al. Aquila. 64. Taibalte. 65. Municipia & Geruisiæ. 66. Tizia. 67. Ruspe. 68. Varorita. 69. Felianum. 70. Cebaradefa. 71. Foratiana. 72. Boana. 73. Mimiana. 74. Telepte. 75. Prælidium. 76. Natio. 77. Ma-

77. Maraguia. 78. Tetcicana. 79. Macriana. 80. Gurgaita. 81. Cululi. 82. Arfurita, al. Safurita. 83. Tagarbala. 84. Aquæ Regiæ. 85. Quæstoriana. 86. Carcabia. 87. Victoriana. 88. Materiana. 89. Hirina. 90. Gummi. 91. Morotheorita. 92. Ticualta. 93. Auzegera. 94. Gawarita. 95. Helia. 96. Talapte. 97. Limmica. 98. Iunca. 99. Thenæ 100. Iubaltiana. 101 Tamaza. 102. Vnuricopolis. 103. Aggir, al. Aggarita. 104. Byzacium. 105. Tapsus. 106. Madassumma. 107. Tysurus. 108. Septimunicia. 109. Amundasa. 110. Abidus, al. Auiduuicus. 111. Benefensis. 112. Dura. 113. Rufiana. 114. Forontoniana. 115. Egnatia. 116. Frontoniana. 117. Tegariata. 118. Aggarita. 119. Garriana. 120. Castrum. 121. Vite, vbi VICTOR VITENSIS fuit episcopus, qui historiam persecutionis Vandalicæ scripsit. 122. Circina. 123. Præcausa. 124. Cufruta. 125. Filace 126. Oppenua. 127. Sublecte. 128. Cenculiana. 129. Suluiana. 130. Vassinassa. 131. Aquæ. Ab HOLSTENIO octo subiunguntur, Taphrura, Tiella, siue Zella, Cabarsussis, Tysurus, Tysdros, Casulæ Cariunæ, Dionysiana, Aquæ. Sed quædam nomina ipsi dicuntur minus necessario repetita, vt Miriciana & Maracia, quæ duo tantum nomina vnius eiusdemque ciuitatis sint; ita quoque Boana & Bona; & Gurgaita eadem quæ Gurges in Mauritiana Cæsariensi.

IN MAVRITANIA SITIFENSI.

1. Sitifi. 2. Tamalluma. 3. Acufida. 4. Ficus. 5. Lemfocta. 6. Perdices. 7. Tubusceptus. 8. Tucca. 9. Lesuita. 10. Flumen Piscis. 11. Priuatum. 12. Gegita. 13. Satafa. 14. Cellæ. 15. Gadamusa. 16. Zabi. 17. Assafa. 18. Vamalla. 19. Surista. 20. Saldæ. 21. Horrea. 22. Aquæ Albæ. 23. Igilgili, al. Eguilguili. 24. Zarai. 25. Partenium. 26. Marouana. 27. Cidamus. 28. Macri. 29. Tamagrista. 30. Aræ. 31. Mazota, al. Mopta. 32. Hippa. 33. Tamascania. 34. Vescetra. 35. Asuoremita. 36. Serteita. 37. Melicbuza. 38. Conium. 39. Olina. 40. Equizotum. 41. Castellum. 42. Eminentiana. 43. Nobalicia. 44. Lemelesi, al. Lemellense Castellum. 45. Socia. 46. Zallata. Ab HOLSTENIO adduntur Zabunia, siue Medianæ Zabuniorum, Vanaccora, siue Bamaccora & Macriana; reiicitur autem Satafa, vtpote ad Mauritaniam potius Cæsariensem spectans, vbi etiam repetitur.

IN MAVRITANIA CAESARIENSI ET TINGITANA.

1. Cæsarea. 2. Ala Miliarensis. 3. Bilt. 4. Bacanaria. 5. Ca-

put Cillanum, aliis Caput cellæ. 6. Ciſſæ. 7. Caſtellum Medianum. 8. Gurgites. 9. Columnæ. 10. Icoſium. 11. Florianum. 12. Minna. 13. Obba. 14. Maturbum. 15. Reperitanum. 16. Ruſubicari. 17. Suffara, alias Suffaſar. 18. Ruſtonium. 19. Tigis. 20. Aquæ. 21. Tabora. 22. Mamilla. 23. Sumula, al. Subbula. 24. Vbaba. 25. Tadana. 26. Zuchabari. 27. Tipaſi. 28. Ida. 29. Timiſi. 30. Taſacora. 31. Vagal. 32. Cartenna. 33. Gratianopolis. 34. Maſucaba. 35. Pamaria. 36. Lapidia. 37. Bulturia. 38. Malliana. 39. Caſtellum Tetraportienſe. 40. Bapara. 41. Tamazuca. 42. Quidium. 43. Serta. 44. Ita. 45. Girumons. 46. Panatoria. 47. Sucarda. 48. Fidoloma. 49. Nouæ. 50. Vſinada. 51. Flumenzerita. 52. Amaura. 53. Seſtum. 54. Taranamuſa. 55. Nasbinca. 56. Villanoba. 57. Vardimiſſa. 58. Catula. 59. Regium. 60. Vaudinum. 61. Capra. 62. Ruſucurrum. 63. Sfaſteria. 64. Timida. 65. Tabla. 66. Ruſgonia. 67. Leoſita. 68. Oppidum Nouum. 69. Aquiſira. 70. Tigana. 71. Ruſadir. 72. Caſtellum. 73. Mutecita. 74 Albula. 75. Bita. 76. Mauriana. 77. Baliana. 78. Arſenaria. 79. Oborita. 80. Labdia. 81. Teniſſa. 82. Catabita. 83. Herpis. 84. Voncaria. 85. Gypſaria. 86. Tamadempſis. 87. Vagæ. 88. Tabadcara. 89. Catra, vel Caſtra. 90. Elephantoria. 91. Garra. 92. Murconium. 93. Ida. 94. Thubunæ. 95. Oppinum. 96. Tuſcamia. 97. Gunagita. 98. Maxita. 99. Satafa 100. Viſſalſa. 101. Adſinuada. 102. Caſtellum Ripenſe. 103. Numidia. 104. Tamuda. 105. Caltadria. 106. Subur. 107. Ambia. 108. Muruſtaga. 109 Fallaba. 110. Bida. 111. Manaccenſeri. 112. Tifilta, al. Tiſilita. 113. Caſtellum minus. 114. Tigamibena. 115. Iunca. 116. Corniculana. 117. Nobica. 118. Frontæ. 119. Caſtellum Iabaritanum. 120. Sereddeli. 121. Agna. 122. Macania. 123. Sitæ. 124. Altaba. 125. Benepota. 126. Caſtra Seberiana. 127. Siccesi. 128. Flenucletu. 129. Metagonium. 130. Voncariana. 131. Maiuca. 132. Nabala. 133. Maura. 134. Tingaria. HOLSTENIVS autem harum ſeptem ſupernumerarias eſſe dicit. Zuchabar enim & Zubur duo tantum nomina ſunt eiusdem ciuitatis. Ita Roſtonium & Ruſgonia, modo pronuntiandi tantum differunt. Timida ad Africam proconſularem ſpectat; & Labdia eadem eſt cum Lapda in prouincia memorata. Herpis pro Irpiniana in Byzacena poſita; Metagonium pro Mutugenna in Numidia; & Macaria pro Macriana in Byzacena.

IN TRIPOLI.

1. Leptis magna. 2. Sabrata. 3. Girba. 4. Oea. 5. Tacape.

Præter

Præter hasce sedes suis quasque prouinciis adsignatas CAROLVS A SANCTO PAVLO catalogum alphabeticum multarum aliarum exhibet, quas in certa quadam prouincia figere non potuit. HOLSTENIVS autem obseruat, bene multas earum non nisi corrupta ante memoratarum esse nomina. Quare ipsas cum emendationibus & additionibus eius heic exhibebimus.

A.

1. Aurusaliana.
2. Aduocata.
3. Asenemsala, quam HOLSTENIVS eamdem cum Senensala in Africa proconsulari esse putat.
4. Ausugabra.
5. Acemierna.
6. Ambura, eadem cum Amphora in Numidia.
7. Abbeza.
8. Azuga; error scripturæ pro Vaga.
9. Anguia.
10. Abissa.
11. Apissana.
12. Assaba.
13. Aptuca, ciuitas in Africa proconsulari.
14. Amaccura, legend. Ab Accura.
15. Aquitana.
16. Ausuagiga.
17. Abbir, est Abbirita in Procons. Africa.
18. Aniusa, addita ab HOLSTENIO.
19. Arena, itidem addita ab HOLSTENIO.

B.

20. Bellulita.
21. Bazita.
22. Botriana.
23. Bamacora; eadem cum Vamacora in Mauritania Sitifensi.
24. Burugia.
25. Bauzara.
26. Bofeta, eadem cum Bassad in Numidia.
27. Bázarididaca.
28. Bosuta.
29. Bencenna.
30. Bartinisia.
31. Betagbara.
32. Bucara; eadem cum Boncara in Mauritania.
33. Baslacena.
34. Bagai, eadem cum Vagada, siue Vaiana in Numidia.
35. Budi.

HOLSTENIO accedunt tres

36. Bladia.
37. Burita.
38. Buronita.

C.

39. Castrum Galbæ.
40. Cedias.
41. Chullabi.
42. Cibaliana.
43. Casæ Siluanæ.
44. Cemerinianu.

45. Clia

45. Clia, error ſcripturæ pro Elia.
46. Cathaugura.
47. Ceua.
48. Cauiopitauora.
49. Cincarita.
50. Catagna; eadem cum Cataquenſa in Numidia.
51. Celerina
52. Ceneſta; eadem cum Teueſta in Numidia.
53. Caſæ Baſtalenſes.
54. Caſæ Fauenſes.
55. Cilibia.
56. Cebarſuſſa.
Ab HOLSTENIO adduntur
57. Cancopita.
58. Ceramuſſa.
59. Cæſariana.

D.

60. Dydarita.
61. Druſiliana.
62. Druſita.
63. Drua.
64. Duſa.
65. Diaba; eadem cum Zaba in Mauritania Sitifenſi.

E.

66. Euera, eadem cum Vera, ſiue Veri in Africa proconſulari.
67. Ediſtiana.
68. Euſis, eadem cum Oea in Tripoli.

F.

69. Feradi maior; eadem cum Feradimaia in Byzacena.
70. Furui; eadem quæ Furni in Africa proconſulari.
71. Fiſſana; forte Fuſſula in Numidia.
72. a Furnis eadem quæ Furni.
73. Feliciana ab HOLSTENIO addita.

G.

74. Gitti. Municipium Antonino.
75. Gazabeta.
76. Gazabiana.
Quibus, HOLSTENIO recenſente, accedunt
77. Gineſita.
78. Giuirta, ſiue Girbis.
79. Guira; ſi non eadem eſt cum Gira in Numidia, ante memorata.

H.

80. Haba.
81. Hoſpitia; eadem cum Oſpito in Numidia.
82. Horrea Auicinenſis.
83. Haram Celtena; eadem quæ Horrea Celia in Byzacena.

I.

84. Iziriana.
85. Iucundiana.
86. Idura. Ab HOLSTENIO adduntur
87. Iacubata.
88. Iuſita.

L.

89. Limata.
90. Larita.
91. Lambia; eadem cum Lambeſa in Numidia.

92. Luci-

92. Lucimagna.
93. Lelalita.
94. Liberalia.
95. Lacus Dulcis.
96. Lupericiana, in concilio ſub CYPRIANO memorata, quam FELLIVS eamdem eſſe putat cum Lipertina in collatione Carthaginenſi.

M.

97. Magarnela; eadem cum Vagarnela in Numidia.
98. Medefeſſita; eadem cum Menefeſſa in Byzacena.
99. Meſarfelta.
100. Merferobita.
101. Munauilita.
102. Muſertita.
103. Mopta; ciuitas Mauritaniæ Sitifenſis.

Ex HOLSTENII obſeruatione accedunt duæ:

104. Munaciana &
105. Marcelliana, & Bazita, cuius Lucidus quidam epiſcopus nominatur in collatione Carthaginenſi.

N.

106. Niciba.
107. Nignenſes maiores; eadem cum Nigrenſibus ſeu vico Nigras in Numidia.
108. Nurcona; eadem cum Murconio in Mauritania Cæſarienſi.
109. Naſaita.
110. Noua Petra.
111. Nebbita.
112. Nizugubita.
113. Nouaſumma; eadem cum Noboſina in Numidia.

O.

114. Ouza.
115. Orca.

P.

116. Putzia.
117. Pauzera.
118. Piſta. Quibus recenſente HOLSTENIO accedunt tres aliæ:
119. Piſita.
120. Piſidia, ciuitas in Tripoli.
121. Petruſa, ciuitas in itinerario ANTONINI prope Carthaginem.

R.

122. Refala; eadem cum Cephala in Africa proconſulari.

S.

123. Sinuara, ante nominata in Africa proconſulari.
124. Serteita, nominata in Mauritania Sitifenſi.
125. Selemſila, ſupra in Africa nominata.
126. Summa, Zuma in Numidia.
127. Sena.
128. Saya.
129. Simungita, Simingita, ſive Simina in Africa.
130. Sinnipſa.
131. Subo-abbirita; eadem quæ Zuchabari in Mauritiana.

132. Simidica, ciuitas Africæ proconsularis.
133. Signita; eadem cum Sugita in Numidia.
134. Signi.
135. Sibida. HOLSTENIO duæ aliæ obseruatæ:
136. Saturnica.
137. Salicina.

T.

138. Tibuzabete.
139. Turuda.
140. Tunugaba.
141. Tignica.
142. Tabiacaira; eadem cum Tabadcara in Mauritania Cæsariensi.
143. Taprura, Taphrura, prope insulam Cercinam in Byzacena.
144. Turris Alba.
145. Tala.
146. Tubursus, Tubursica, in Numidia.
147. Tzella; eadem cum Zella in Byzacena.
148. Tibazabula.
149. Tabazaga.
150. Truuoscanina.
151. Tuzumma; eadem cum Zumma in Numidia.
152. Tunusuda.
153. Tesaniana.
154. Tusdrus, eadem cum Tysdros in Byzacena.
155. Tuzurita, ciuitas Mauritaniæ Cæsariensis.
156. Tisedita.
157. Thybæ. HOLSTENIO obseruante accedunt octo aliæ.
158. Tibari.
159. Talabrica.
160. Tubia.
161. Timitica.
162. Tisilita.
163. Thasbalte.
164. Turuda.
165. Turuzi.

V.

166. Vamaius, Vci Maius in Africa Proconsulari.
167. Vinariona.
168. Vrugita.
169. Vartana.
170. Visa.
171. Vaturba.
172. Verrono.
173. Vensana.
174. Voseta, alias Visica, ciuitas Mauritaniæ.
175. Vinda.
176. Vuazia.
177. Vtumna.
178. Victoriana, ante nominata in Byzacena.
179. Vicus Cæsaris.

HOLSTENIO quinque aliæ obseruantur

180. Vallita, alias Vllita.
181. Vina; eadem cum Vica s. Vina Vico in Africa.
182. Vndesia.
183. Vzittara.
184. Vtinuna, al. Vcimina in Africa.

185. Zu-

Z.

185. Zura.
186. Zella, ante nominata in Byzacena.
187. Zelta.
HOLSTENIO iudice Zerta, in Numidia.
188. Zica.
189. Zabunia; eadem cum Medianis Zabuniorum, locus prope Sitifor in Mauritania.

Vna ab HOLSTENIO additur, Zenita, al. Zemta dicta in collatione Carthaginensi, ex qua nomina ante memorata desumta sunt. Cauere autem lector debet, existimet, tot episcopatus, quot in vniuersis his sex prouinciis Africanis recensiti & inter hos, qui incertæ positionis dicti sunt, vno eodemque tempore illic exstitisse. Neque enim vmquam reuera quingenti eodem tempore in Africa fuerunt, quemadmodum ex AVGVSTINO & notitia a SIRMONDO publicata, ostensum est, & tamen heic plus sexcenti & octoginta a CAROLO A SANCTO PAVLO & HOLSTENIO præter sexaginta reiectos, qui bis nominati fuerunt, recensentur. Vt adeo a principio ad finem vsque ducentarum fere dioecesium in Africa, aut certe nominum earum, mutatio facta sit. Quod ideo heic notamus, ne quis plures dioeceses fuisse, existimet, quam quidem ab AVGVSTINO memorantur.





# INDEX PROVINCIARVM.



Diospon-

INDEX

# INDEX
## VRBIVM EPISCOPALIVM.

*Nota litt. a. indicat appendicem.*

A.

Andro-

Centurio

Comum,

Cypsela,

Eugu-

Hadri-

Mate-

Neela,

Pariſii,

Sana-

Septi-

Viua-

SOLI DEO GLORIA.

*Die Charten müſſen alſo angeheftet werden:*

Tabulæ adfigantur ita:



---

Habes, lector beneuole, volumen tertium. Poſt tres vel quatuor menſes, Deo bene iuuante, dabo quartum. Vale. Halis Magdeburgicis Kal. Octobr. CIƆ IƆCC XXVI.

IO. HENR. GRISCHOW.

# IOSEPHI BINGHAMI,

RECTORIS ECCLESIAE HAVANTINAE
IN AGRO HANTONIENSI ANGLIAE,

# ORIGINES
SIVE
# ANTIQVITATES ECCLESIASTICAE.

EX LINGVA ANGLICANA IN LATINAM
VERTIT

IO. HENRICVS GRISCHOVIVS,
HALBERSTADIENSIS.

VOLVMEN QVARTVM.




*HALAE,*
SVMTIBVS ORPHANOTROPHEI
M DCC XXVII.

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO,

**DOMINO**

# GEORGIO,

MAGNAE BRITANNIAE, FRANCIAE ET HIBERNIAE

REGI,

FIDEI DEFENSORI,

DVCI BRVNSVICENSIVM ET LVNEBVRGENSIVM,

SACRI ROMANI IMPERII ARCHITHESAVRARIO ET ELECTORI,

DOMINO MEO LONGE CLEMENTISSIMO.

SERENISSIME AC POTENTISSIME
REX ET ELECTOR,
DOMINE LONGE CLEMENTISSIME.



Es, quæſo TE, REX AVGVSTISSIME, hanc mihi veniam, vt ante MAIESTATIS TVAE pedes partem maioris

ris cuiusdam operis deponam, quod ab initio magnam illam ac præclaram rem ſibi propoſitam habuit, quam nuperrime vniuerſitatibus TVIS ac clericis per ſolemnes litteras commendare, pro PRINCIPALI ſapientia TVA, duxiſti conſultum. Amplificationem intelligo pietatis ac cognitionis chriſtianæ, nec non vtilis iſtiusmodi eruditionis, cuius beneficio ſtudioſæ iuuentutis animi bonis poſſint imbui opinionibus; vnde eccleſiæ ac reipublicæ ſalus & hoc tempore adeo pendet, & venturis ætatibus vniuerſis pendebit. Eccleſiæ priorum ſæculorum praxis, ſub vno adſpectu poſita, ad perficienda hæc optime cogitata non mediocre telum eſſe videtur. Quod cum animo meo conſiderans, in hoc laborioſo opere, non ſine multorum præclarorum hominum inſtinctu & approbatione, huc vſque ſum progreſſus, & nunc ſpero futurum, vt ſub REGIAE CLEMENTIAE TVAE vmbra,

quidquid reſtat, abſoluam. DEVM Optimum Maximum ſupplex oro, vt magna conſilia, quæ tum de huius eccleſiæ ac nationis emolumentis, tum de commodis proteſtantium in exteris regionibus MAIESTAS TVA agitat, iubeat proſpere ac feliciter euenire. Ita ex animo precor ſemperque precaturus ſum

MAIESTATI TVAE,

SERENISSIME REX ET ELECTOR,

DOMINE LONGE CLEMENTISSIME,

ſubiectiſſimus

IOSEPHVS BINGHAMVS.

ΣΥΝΟΨΙΣ.

*LIBER DECIMVS*

# De inſtitutione catechumenorum, & de primo ſymboli eccleſiaſtici vſu.

*CAPVT PRIMVM*

## De diuerſis catechumenorum nominibus & cærimoniis, in eorum admiſſione in iſtum eccleſiæ ordinem obſeruatis. Item de eorum catechiſatione, & tempore, quod in hoc exercitio tranſegerunt.



*CAPVT SECVNDVM*

## De diuerſis catechumenorum ordinibus, ſiue gradibus, deque exercitiis & diſciplinis, quibus ſinguli ordines gradatim adſueſiebant.



§. V.

§. *XXIV.*

## CAPUT TERTIUM

## De origine, natura & appellationibus antiquarum formularum fidei.



## CAPUT QUARTUM

## Collectio quarumdam antiquarum fidei confessionum, seu symbolorum, e vetustis ecclesiæ monimentis.

## *CAPVT QVINTVM*

## De origine, natura & caussis reticentiæ sanctorum ecclesiæ mysteriorum coram catechumenis.



LIBER

# *LIBER VNDECIMVS*
# De ritibus & conſuetudinibus in adminiſtratione baptiſmi in eccleſia antiqua obſeruatis.

## *CAPVT PRIMVM.*
## De diuerſis baptiſmi nominibus & appellationibus in eccleſia primitiua.



## *CAPVT SECVNDVM*
## De materia baptiſmi, deque hæreticis, qui baptiſmum aquæ vel reiecerunt vel corruperunt.

## CAPVT TERTIVM

## De antiqua baptizandi formula, & de hæreticis, qui eam vel mutarunt, vel corruperunt.



## CAPVT QVARTVM

## De obiecto baptiſmi, ſiue de baptizandis, ſpeciatim de pædobaptiſmo.



§. VI.

## *CAPVT QVINTVM*
## De baptiſmo adultorum.

## *CAPVT SEXTVM*
## De tempore & loco baptismi.



§. XI.

## *CAPVT SEPTIMVM*

## De abrenuntiatione & professione, ab omnibus proxime ante baptismum facta.



*CAPVT*

## *CAPVT OCTAVVM*
## De vſu ſponſorum in baptiſmo.



## *CAPVT NONVM*
## De vnctione & ſigno crucis in baptiſmo.



*§. VI.*

*CAPVT DECIMVM*

De conſecratione aquarum baptiſmi.



*CAPVT VNDECIMVM*

De diuerſa ratione baptizandi per immerſionem trinam, & adſperſionem in baptiſmo clinicorum.



*LIBER DVODECIMVS*

De confirmatione, aliisque cærimoniis baptiſmum conſequutis, antequam homines euchariſtiæ participes redderentur.

## *CAPVT PRIMVM*

## De tempore, quo, & de hominibus, quibus confirmatio tributa fuerit.



## *CAPVT SECVNDVM*

## De ministro confirmationis.



## *CAPVT TERTIVM*

## De modo administrandi confirmationem, & de cærimoniis in celebratione eius obseruatis.

§. I.

## *CAPVT QVARTVM*

## De reliquis cærimoniis baptismi, confirmationem subsequutis.




*CAPVT*

## *CAPVT QVINTVM*
## De legibus contra iterationem baptiſmatis tam in eccleſia quam in republica latis.





*I.N.I.*



*I. N. I.*

# ORIGINVM ECCLESIASTICARVM
# *LIBER DECIMVS*
## DE INSTITVTIONE CATECHVMENORVM, ET DE PRIMO SYMBOLI ECCLESIASTICI VSV.
## *CAPVT PRIMVM*
### DE DIVERSIS CATECHVMENORVM NOMINIBVS, ET CAERIMONIIS, IN EORVM ADMISSIONE IN ISTVM ECCLESIAE ORDINEM OBSERVATIS. ITEM DE EORVM CATECHISATIONE ET TEMPORE, QVOD IN HOC EXERCITIO TRANSEGERVNT.

§. I.

***Nominum*, κατηχουμένων, nouitiolorum, tironum, *ceterorum ratio.***



HACTENVS de diuersis hominum ordinibus, qui magnum ecclesiæ christianæ corpus constituerunt, deque ecclesiis ipsis, seu cultus diuini locis, & diuersis iurisdictionis finibus, in quos corpus illud longe lateque distributum fuit, loquuti sumus. Sequitur nunc, vt cultum ecclesiasticum, siue publica ecclesiæ offi-

cia & exercitia consideremus, per quæ homines ad cælestе regnum priscis illis temporibus eruditi fuerunt atque instituti. De quibus vt apto & maxime naturali agamus ordine, necesse est, ab institutione ordiamur catechumenorum, qui infimus hominum, qui aliquo communis christianorum nominis iure gaudebant, ordo erant, eorumque institutio primam officii ecclesiastici partem efficiebat. Nonnulla, quæ huc spectant, iam supra libro primo [a] attigimus, vbi de differentia inter catechumenos & πιστὸς, seu perfectos christianos, loquuti sumus. Catechistarum quoque officium considerauimus, loquentes de inferioribus clericorum ordinibus [b]: Et de locis institutionis, seu scholis catecheticis, actum est, quando antiquas ecclesias [c] enarrauimus. Itaque hisce omissis de illis duntaxat ritibus & consuetudinibus verba facturi sumus, quæ in catechumenorum institutione & præparatione ad baptismum in veteri ecclesia fuerunt obseruatæ, præmittendo non nihil, quod ad diuersa illis data nomina attinet. Catechumeni appellabantur a *Græcis* vocabulis κατηχέω, & κατήχησις, quæ generatim institutionem in rudimentis & incunabulis artis vel scientiæ alicuius; sensu autem magis restricto & ecclesiastico, institutionem hominum in primis christianæ religionis elementis, significant. Hinc quoque *nouitioli* & *tirones Dei* dicti, quemadmodum in TERTVLLIANO [d] & AVGVSTINO [e] obseruamus, ideo quod eam vitæ conditionem amplecterentur, quæ milites Dei & vitæ æternæ candidatos ipsos efficeret. Nonnumquam etiam *audientes* ab ipsorum institutione vocantur: quamquam hoc nomine plerumque singulare aliquod eorum genus denotetur, quibus sermo-

(a) Lib. I. c. IV. §. V. volum. I. p. 33.

(b) Lib. III. c. X. tot. volum. II. p. 51-58.

(c) Lib. VIII. c. VII. §. XII. volum. III. p. 272.

(d) Tertull. de pœnitent. c. VI. Quidquid mediocritas nostra ad pœnitentiam semel capessendam & perpetuo continendum suggerere conata est, omnes quidem deditos domino spectat, vt omnis salutis in promerendo Deo petitores, sed præcipue *nouitiolis* istis imminet, qui, quum maxime incipiunt diuinis sermonibus aures rigare, quique catuli infantiæ adhuc recentis, nec perfectis luminibus incerta reptant, cetera.

(e) Augustin. de symb. fid. ad catechum. lib. III. c. I. (tom. IX. opp. edit. Basil. MDLXIX. p. 1033. a.) Optimi iam *tirones Dei*, fortes milites Christi, dum arma sacramentorum suscipitis, pugnam aduersus diabolum indicitis. cetera.

nes

nes tantum audire, precibus autem ecclesiæ interesse haud licebat; de quibus postea capite sequente plura dicentur.

§. II.

*Impositio manuum in prima catechumenorum admissione adhibita.*

Alio iam [*a*] loco obseruauimus, quod catechumeni beneficio admissionis in istum statum titulum quemdam communis christianorum nominis sortiti sint; vtpote gradu quodam paganos atque hæreticos antecellentes, etsi nondum per baptismi lauacrum consummati. Eamque ob caussam in hunc statum non sine solemni manuum impositione & precibus admittebantur. Id quod perspicue ex iis apparet, quæ de *S. Martino* narrat SVLPICIVS SEVERVS [*b*], quod quum aliquando vicum quemdam prætcriens turbæ sibi obuiam procedenti, quæ fuerit tota gentilium, *CHRISTVM* adnuntiasset, fecissetque non nulla miracula & cuncti *CHRISTVM* dominum fateri cœpissent, postulantes, vt eos faceret christianos, non cunctatus in medio vt fuerit campo, cunctos, imposita vniuersis manu, fecerit christianos, ad suosque conuersus dixerit, non irrationabiliter in campo catechumenos fieri, vbi solerent martyres consecrari. Vbi obseruare licebit, christianos facere & facere catechumenos rem vnam eamdemque esse, idque impositione manus factum esse & precibus. Quæ obseruatio ad recte intelligendum obscuros quosdam canones & difficilia veterum scriptorum loca, quæ multi viri docti sensu erroneo acceperunt, nobis proderit. In concilio *Arelatensi* primo [*c*] canon habetur, qui illis manum imponi iubet, qui in infirmitate ad amplectendam religionem christianam propensi sint. Et in concilio *Illiberritano* [*d*] alius eiusdem argumenti canon est, *Gentiles*, inquiens, *si in infirmitate desideraucrint sibi manum imponi, si fuerit eorum ex aliqua parte vita honesta, placuit eis manum imponi, & fieri christianos.* Iam vero quæritur, quid heic per τὸ *manum imponi* & *fieri*

(*a*) Lib. I. c. III. §. III. volum. I. p. 33.

(*b*) Sulpic. Seuer. vit. Martin. dialog. II. c. V. p. 294. (c. IV. p. 439. 440. ed. Lipſ. MDCCIII.)

(*c*) Concil. Arelat. I. can. VI. (tom. I. conc. p. 1427.) De his, qui in infirmitate credere volunt, placuit debere eis manum imponi.

(*d*) Concil. Eliber. c. XXXIX. (ibid. p. 975.)

*christianos* intelligatur? MENDOZA [e] & VOSSIVS [f] pro impositione manus in baptismo accipiunt; & ALBASPINAEVS [g] pro impositione manus in confirmatione. Sed verus sensus nihil amplius quam impositionem manus, in efficiendis catechumenis vsitatam, suppeditat, qua gentilibus, simulac conuerterentur, christianos sese vocandi aliquod ius impertiebatur. Atque in hanc sententiam VALESIVS [h], BASNAGIVS [i] & CO-

(e) Mendoz. not. in concil. Eliber. c. XXXIX. (tom. I. concil. p. 1252. d.) In fauorem gentilium editus hic canon est, vt videlicet non exspectetur tempus baptismo recipiendo praescriptum, si forte illi morbi necessitate adstringantur: vt si casu ante lucis vsura priuentur, praeteritorum delictorum culpa & poena remissa, ad aeterna possint conscendere tabernacula.

(f) Voss. de baptism. disput. XII. thes. V. p. 164. Quamquam baptismi in eo (can. XXXIX.) aperte mentio non fiat, tamen, vti ad eum obseruat Ferdinandus Mendoza, ex eo, quod de impositione manus dicitur, baptismus simul intelligitur; quum haec baptismum consequatur.

(g) Albaspin. not. in concil. Illiberrit. c. XXXIX. (tom. I. conc. p. 999.) Gentilibus, qui in mortis discrimine baptizati essent, manus ab episcopis imponendae, & *confirmationis sacramento signandi*, si probi fuerint moresque consimiles fidei christianae habuerint. Nam si ex more turpissimorum hominum anteactam vitam duxerint, non sunt *confirmatione* perficiendi, quantumuis omnibus vitiis & flagitiis carerent, & omnem extra noxam censerentur. Hunc ego sensum & explicationem confido patres ipsos Eliberitanos agnituros pro legitima & pro nata, contra vero quam de baptismo nonnulli adserunt tamquam supposititiam repudiaturos, si vtramque adspiciunt. Quis enim vmquam docuit, baptismum iis in morte denegandum esse, quorum vita non fuisset honesta? Porro vbinam reperient baptismum manus impositionem nominari & illo nomine a patribus appellari? cetera.

(h) Vales. not. in Euseb. de vita Constant. lib. IV. c. LXI. Ait Eusebius, Constantinum imperatorem tunc primum manuum impositionem cum solemni precatione in ecclesia suscepisse: Id est vno verbo, tunc primum factum esse catechumenum. Nam catechumeni per manus impositionem fiebant ab episcopo, vt docet canon VI. concilii Arelat. - - Idem sancitum est c. XXXIX. concilii Eliberitani. *Gentiles* - - Qui quidem canon Eliberitanus, vt id obiter moneam, nihil aliud esse videtur, quam expositio canonis Arelatensis. caetera.

(i) Basnag. critic. in Baron. an. XLIV. p. 482. Plurimae χειροθεσίας species fuere: sed illa, qua Constantinus in templo Helenopolitano donatus est, ad solam catechumenorum manus impositionem reuocari potest, non ad *curatoriam*: Imperator tum non aegrotabat: non ad *confirmatoriam*; nondum regenerationis lauacrum consequutus fuerat: non ad *reconciliatoriam;* inter poenitentes non agebat. Ergo ad catechumenorum impositionem pertinuerit, necesse est.

TELE-

TELERIVS [k] intelligunt. Et hunc sensum loci illius apud EVSEBIVM [l] esse oportet, vbi ille de precibus loquens *Constantini* in templo *Helenopolitano* paullo ante eius obitum, illam ipsam ecclesiam fuisse dicit, in qua manuum impositionem cum solemni precatione primum meruerit accipere, hoc est, in qua catechumenus, adhibitis hisce cærimoniis, factus sit. Nam alia manuum impositio locum heic habere nequit, siquidem inter omnes convenit, *Constantinum* non baptizatum fuisse ante, quam relicta *Helenopoli Nicomediam* paullo ante obitum suum peruenisset. Ex hisce sensum etiam canonum concilii primi generalis *Constantinopolitani* [m] & concilii *Trullani* [n] intelligere possumus, qui de recipiendis hæreticis *Eunomianis*, *Montanistis* & *Sabellianis*, qui verum & legitimum baptismum non acceperant, loquentes, eos solum vt gentiles admittendos esse dicunt, nimirum primo die ipsos christianos faciendos, secundo die catechumenos, tertio die exorcisandos siue adiurandos, deinde longo tempore in ecclesia instituendos, & tum denique baptizandos. Heic christianos facere nihil sane significat amplius, quam homines ad infimum catechumenorum gradum cum impositione manus & precibus admittere; quam cærimoniam multi alii actus exorcisandi, catechizandi, ceteri, proxime excipiebant, antequam perfecti & consummati christiani beneficio baptismi redderentur. Vt adeo, quemadmodum in lege quadam sua obseruauit THEODOSIVS [o], duo genera hominum fuerint, quos christia-

(k) Coteler. not. in constitut. apost. lib. VII. c. XXXIX. Manus imponebant catechumenis, quando eos faciebant catechumenos. - - Ac si mecum sentire vis, hunc ritum intellige expressum in conciliis Arelatensi & Eliberitano, vbi frustra digladiantur interpretes, alii accipientes de baptismo, alii de confirmatione.

(l) Euseb. de vit. Constant. lib. IV. c. LXI. Ἔνθα δὴ καὶ πρῶτον τῶν διὰ χειροθεσίας εὐχῶν ἠξιοῦτο.

(m) Conc. Constantin. I. c. VII. (tom. II. conc. p. 911.) ὡς Ἕλληνας δεχόμεθα, καὶ τὴν πρώτην ἡμέραν ποιοῦμεν αὐτοὺς χριστιανοὺς, τὴν δὲ δευτέραν κατηχουμένους εἶτα τὴν τρίτην ἐξορκίζομεν αὐτοὺς - - - καὶ οὕτως κατηχοῦμεν αὐτοὺς, καὶ ποιοῦμεν αὐτοὺς χρονίζειν εἰς τὴν ἐκκλησίαν· καὶ τότε αὐτοὺς βαπτίζομεν.

(n) Concil. Trullan. c. XCV. (tom. VI. conc. p. 1182.) vbi eadem verba leguntur.

(o) Cod. Theod. lib. XVI. tit. VII. de apostat. leg. II. *Christianis ac fidelibus*, qui ad paganos ritus cultusque migrarunt, omnem in quamcumque personam testamenti condendi interdicimus potestatem, vt sint absque iure Romano.

norum nomine appellarunt, alii dicti *christiani* ac *fideles*, alii *christiani* & *catechumeni tantum*: Quorum illi per baptismum, hi autem per manuum impositionem cum precationibus tales facti erant. Quæ cærimonia erat, in plerisque religionis officiis, in baptismo, confirmatione, ordinatione, pœnitentium reconciliatione, virginum consecratione, ægrotorum curatione, & quomodo iam vidimus, speciatim in recens conuersorum in ordinem catechumenorum admissione, vsitata.

§. III.

*Et obsignatio adhibito signo crucis.*

Heic quoque, vt in plerisque aliis officiis ecclesiæ, signo crucis vtebantur. AVGVSTINVS has cærimonias omnes coniungit, quando *Catechumenos*, inquit, *secundum quemdam modum suum per signum* [p] *Christi & orationem manus impositione puto sanctificari.* Dicere vult, hasce cærimonias adhiberi ad indicandum, quod gentilem suum statum nunc deserentes in ecclesiæ christianæ gremium sese recipiant. Idem ritus AVGVSTINO in *confessionibus* [q] suis memoratur, tamquam in se ipsum adhibitus, dum esset adhuc catechumenus, sed vtrum heic primam sui in hunc statum admissionem, an vero iam continuatum aliquamdiu in eo progressum intelligat, id quidem certum non est. In vita autem *Porphyrii*, ecclesiæ *Gazensis* episcopi, a MARCO discipulo illius scripta, luculentius id exprimitur. Nam auctor ille de quibusdam recens conuersis loquens, *Prociderunt*, inquit, *ad eius* (episcopi) *pedes, petentes Christi signaculum. Beatus vero quum eos* [r] *signasset, & fecisset catechumenos, dimisit illos in pace, præcipiens eis, vt vacarent sanctæ ecclesiæ. Et paullo post, quum eos catechesi instituisset, baptizauit.*

---

His vero, qui *christiani & catechumeni tantum* venerabili religione neglecta ad aras & templa transierint, si filios vel fratres germanos habebunt, hoc est, suam aut legitimam successionem; testandi arbitratu proprio in quaslibet alias personas ius adimatur.

(p) Augustin. de peccator. merit. lib. II. c. XXVI. (tom. VII. opp. p. 711. edit. Basil. MDLXIX.)

(q) August. confess. lib. I. c. XI. Audieram ego adhuc puer de vita æterna nobis promissa, per humilitatem filii tui domini Dei nostri, descendentis ad superbiam nostram; & *signabar iam signo crucis eius* & condiebar eius sale, iam inde ab vtero matris meæ, quæ multum sperauit in te.

(r) Marc. vit. Porphyrii apud Baron. ad an. CCCCI.

§. IV.

## §. IV.

### *Qua quis ætate inter catechumenos admiſſus fuerit.*

Temporis circumſtantia, cuius heic iniicitur mentio, proximo loco ad duas nos quæſtiones poterit deducere, nempe qua quis ætate inter catechumenos admiſſus fuerit? Et, quamdiu in hoc ſtatu manere debuerit, antequam ad ſacrum baptiſma admitteretur. Prima quæſtio ad conuerſos ex gentilibus tantum ſpectat. Nam quod ad fidelium parentum liberos attinet, certum eſt, quod ſicut in infantia baptizati, ita inter catechumenos adſciti fuerint, ſimulac ad imbibendam doctrinam eſſent idonei. De gentilibus autem quæſtio difficilior eſt. Verum in aliquo timothei, eccleſiæ *Alexandrinæ* epiſcopi, reſponſo, pueros ante ſeptimum ætatis annum catechumenos fieri potuiſſe perſpicimus. Nam ille quæſtionem ita format: *Si puellus catechumenus vtpote annorum ſeptem* [s], *vel homo etiam perfectus, dum fieret oblatio, opportune adfuerit, eiusque neſcius particeps factus ſit, quid de eo fieri debet?* & reſpondet: *Debet illuminari*, hoc eſt, baptizari. Ex quibus verbis planum eſt, de gentilibus cum pueris loqui, non de chriſtianis, qui non baptiſmum tantum, ſed euchariſtiam quoque in infantia accipiebant ex regula & more eccleſiæ, tunc temporis vſitato, quemadmodum loco ſuo oſtendetur.

## §. V.

### *Quamdiu quis in hoc ſtatu manere debuerit.*

Qvod ad alteram quæſtionem attinet, quamdiu quis catechumenus eſſe debuerit: nulla certa regula hac de re data fuit, ſed conſuetudo pro diuerſa temporum & locorum ratione, nec non pro ingenii alacritate & progreſſionibus ipſorum catechumenorum variauit. Apoſtolorum & eccleſiæ primum plantatæ temporibus nihil de longiore quodam interuallo inter primam hominum conuerſionem illorumque baptiſmum legimus. Hiſtoria *Cornelii*, eunuchi *Aethiopis*, *Lydiæ*, & commentarienſis *Philippenſis* in actis apoſtolorum ſatis eſt teſtimonium, iſta ætate catechiſationem & baptiſmum proxime fuiſſe

(s) Timoth. Alexandr. reſpon. can. quæſt. I. (apud Beuereg. pandect. tom. II. p. 165. it. tom. II. concil. Labb. p. [illegible]) Ἐὰν παιδίον κατηχούμενον, ὡς ἐτῶν ἑπτὰ, ἢ ἄνθρωπος τέλειος συνκαιρήσῃ τῆς προσφορᾶς γινομένης, καὶ ἀγνοῶν μεταλάβῃ, τί ὀφείλει γίνεσθαι περὶ αὐτοῦ; Ἀπόκρισις· φωτισθῆναι ὀφείλει· παρὰ θεοῦ γὰρ κέκληται.

con-

coniuncta. Et sane idoneæ huius rei caussæ erant. Infantilis ecclesiæ status & conuersorum zelus id requirebat. Sed seculis subsequentibus ecclesia hunc probationis terminum prorogandum esse videbat, ne præpropera hominum ad baptismum admissio vel ecclesiam vitiosis membris repleret, vel desertorum proditorumque tempore vexationis publicæ augeret numerum. Quam ob caussam concilium *Illiberritanum* [t] hac in re ita decernebat: *Eos, qui ad fidem primam credulitatis accedunt, si bonæ fuerint conuersationis, intra biennium placuit ad baptismi gratiam admitti.* IVSTINIANVS in nouella quadam sua [u] tantumdem temporis *Samaritanorum* examinationi præscribit, quod experientia ipsos frequenter ad pristinum denuo errorem reuersos esse docuisset. *Constitutiones apostolicæ* [x] terminum ad tres annos extendunt, sed hac cum limitatione, vt si quis sit virtutis studiosus & desiderio baptismi teneatur, maturius admittatur, quod non tempus sed mores iudicentur. Concilium *Agathense* an DVI. *Iudæorum* institutioni octo menses [y] præstituit, eamdem adferens rationem, ob quam tempus eo vsque proroget, nimirum quia perfidi frequenter esse & ad vomitum redire noscantur. Aliis in locis tempus examinationis diebus ieiunii quadragesimalis absolutum fuisse nonnulli existimant: id enim viri quidam docti ex duobus locis apud HIERONYMVM & CYRILLVM in *catechesibus* colligunt. HIERONYMVS [z] *Consuetudo,*

(t) Concil. Eliber. c. X. II.

(u) Iustin. nouell. CXLIV. *φαμὲν δὴ τοὺς μὲν μετὰ χρηστῆς διδασκαλίας ὅλους αἰσθανομένους, ἐπὶ ἐνιαυτοὺς δύο κατηχεῖσθαι, μανθάνειν τε τὰς γραφὰς κατὰ τὸ δυνατὸν, καὶ τότε προσφέρεσθαι τῷ τῆς ἀπολυτρώσεως βαπτίσματι, τῇ μετανοίᾳ τοῦ τοσούτου χρόνου καρπουμένους τὴν ὡς ἀληθῶς ἀπολύτρωσιν.* Dicimus autem, vt qui omnino sensu aliquo bonæ doctrinæ tangi possunt, *per duos primum annos in fide instituantur*, & pro viribus scripturas ediscant: tuncque demum sacro redemtionis offerantur baptismati, tam longi temporis pœnitentia prorsus redemtionis fructum adsequuti.

(x) Constitut. apostol. lib. VIII. c. XXXII. *Ὁ μέλλων κατηχεῖσθαι τρία ἔτη κατηχείσθω· εἰ δὲ σπουδαῖός τις ᾖ, καὶ εὔνοιαν ἔχει περὶ τὸ πρᾶγμα, προσδεχέσθω· ὅτι οὐχ ὁ χρόνος ἀλλ' ὁ τρόπος κρίνεται.*

(y) Concil. Agath. c. XXXIV. (tom. IV. concil. p. 1389.) Iudæi, quorum perfidia frequenter ad vomitum redit, si ad legem catholicam venire voluerint, *octo mensibus inter catechumenos ecclesiæ limen introeant:* & si pura fide venire noscuntur, tum demum baptismatis gratiam mereantur.

(z) Hieron. epist. LXI. ad Pammach. c. IV.

inquit,

inquit, *apud nos eiusmodi est, vt iis, qui baptizandi sunt, per quadraginta dies publice tradamus sanctam & adorandam trinitatem.* CYRILLVS idem illud videtur significare, quando catechumenos sic interrogat: *Tot annorum circulos transegisti, mundo frustra operam nauans, & quadraginta* [a] *diebus non vacabis pro anima tua?* Temporis quadragesimalis ieiunii expressa mentio in neutro loco habetur, videtur tamen illud intelligi, quia isto æuo dies festi paschatis generale baptizandi tempus per omnem terrarum orbem erant. Sed ego hoc de rigidiore & vltima huius exercitii parte intelligo. Interdum tempus catechisationis ad angustiores adhuc limites reducebatur, vt in extrema infirmitate vel generali totius cuiusdam nationis conuersione. SOCRATES de *Burgundionum* conuersione obseruat, quod episcopus *Galliæ*, qui eos ad religionem christianam conuertit, quum per septem tantum dies [b] fidei rudimentis eos instituisset, octauo die baptizarit. Ita si quis catechumenus periculoso quodam morbo laboraret, baptismo clinico donabatur; quemadmodum ex ante memorato concilio *Agathensi* liquet, quippe quod, quum octo menses *Iudæorum* institutioni præstituisset, statim subiungit [c]: *Quod si casu aliquo periculum infirmitatis intra præscriptum tempus incurrerint & desperati fuerint, baptizentur.* CYRILLVS ALEXANDRINVS [d] in canonica quadam epistola de catechumenis, qui lapsi & propter crimina sua de ecclesia eiecti essent, idem statuit, quod hoc non obstante morituri baptismo donari de-

(a) Cyrill. catech. I. n. V. p. 18. Τοσούτους κύκλους ἐνιαυτῶν διῆλθες, περὶ τὸν κόσμον μάτην ἀσχολούμενος, καὶ τεσσαράκοντα ἡμέρας οὐ σχολάζεις τῇ προσευχῇ, διὰ τὴν σεαυτοῦ ψυχήν.

(b) Socrat. lib. VII. c. XXX. γενόμενοί τε ἐν πόλει μιᾷ τῆς Γαλλίας, παρακαλοῦσιν ὑπὸ τοῦ ἐπισκόπου τυχεῖν χριστιανικοῦ βαπτίσματος· ὁ δὲ ἐπὶ ἑπτὰ ἡμέρας παρασκευάσας νηστεῦσαι αὐτοὺς, καὶ τὴν πίστιν κατηχήσας αὐτοὺς, τῇ ὀγδόῃ ἡμέρᾳ βαπτίσας ἀπέλυσε. Ad quamdam Galliæ ciuitatem profecti, postulant ab episcopo, vt christianum baptismum suscipiant. Ille quum septem dies ieiunare eos iussisset, ac fidei rudimentis instituisset, octauo tandem die baptismo donatos dimisit.

(c) Concil. Agath. c. XXXIV.

(d) Cyrill. epist. canon. ad episc. Libyæ & Pentapol. (apud Beuer. Pand. tom. II. p. 178.) Ἐὰν δὲ χωρισμὸν ὑπομείνωσί τινες ἐπιτιμηθέντες πλημμελημάτων ἕνεκα, εἶτα μέλλωσι τελευτᾷν κατηχούμενοι ὄντες, βαπτιζέσθωσαν. Si segregationem aliqui sustinuerint, propter lapsus puniti, deinde morituri sint, catechumeni exsistentes baptizentur.

beant. BASILIVS *Arintheum* prætorem *Romanum* [e], a coniuge ſua ad fidem perductum & in ipſo vitæ exitu conſtitutum, lavacrum regenerationis accepiſſe narrat. Sexcenta iſtiusmodi exempla alia in hiſtoriæ eccleſiaſticæ monimentis obuia ſunt, quibus generalis illa obſeruatio probari poteſt, quam de conſuetudine eccleſiæ habet EPIPHANIVS [f], quod videlicet catechumeni, ſi quidem morti propinqui ſint, in ſpem reſurrectionis ſemper ad ſacram lauationem admittantur.

### §. VI.

### *Summa antiquarum catecheſium capita & methodus inſtitutionis.*

VERVM hiſce caſibus exceptis, longius temporis interuallum ad homines inſtituendos & ad baptiſmum præparandos generatim neceſſarium eſſe credebatur; partim ob cauſſam iam memoratam, vt vita ipſorum, durante hoc tempore, digne exploraretur; partim vt gradatim inſtruerentur, primum quidem in communibus religionis principiis ad auocandum ipſos a priſtinis ſuis erroribus, tum vero in reconditis magis & myſticis fidei chriſtianæ capitibus. Quocirca ſermones ſuos plerumque a doctrina de pœnitentia & remiſſione peccatorum & bonorum operum neceſſitate, nec non de natura & vſu baptiſmi ordiebantur, atque ita catechumenos docebant, quemadmodum diabolo eiusque operibus renuntiare, & nouum fœdus cum Deo inire deberent. Sequebatur dein diuerſorum ſymboli articulorum explicatio, quibus nonnulli naturam & immortalitatem animæ, & recenſionem librorum canonicorum ſcripturæ ſacræ iungebant; quæ duodeuiginti celebratiſſimarum CYRILLI catecheſium ſumma & methodus eſt. *Conſtitutionum apo-*

(e) Baſil. epiſt. CLXXXVI. ad coniugem Arinthei prætoris. *πρὸς ταῖς ἐξόδοις τοῦ βίου, τῷ λουτρῷ τῆς παλιγγενεσίας ἀποκαθήρασθαι· ὧν αὐτὴ πρόξενος αὐτῷ καὶ συνεργὸς γενομένη, μεγίστην ἔχε τὴν παραμυθίαν.* In ipſo vitæ exitu cunctam animæ maculam lauacro regenerationis accepto repurgauit: cuius rei quum illi conciliatrix & cooperatrix fueris, maximam ex ea conſolationem cape.

(f) Epiphan. hæreſ. XXVIII. Cerinthian. n. VI. *Καλῶς δὲ ἄλλοι τὸ ῥητὸν ἑρμηνεύοντες, φασὶν, ὅτι οἱ μέλλοντες τελευτᾷν, ἐὰν ὦσι κατηχούμενοι ἐπὶ ταύτῃ τῇ ἐλπίδι, πρὸ τῆς τελευτῆς λουτροῦ καταξιοῦνται, δεικνύντες ὅτι ὁ τελευτήσας καὶ ἀναστήσεται.* Verum alii commode hoc apoſtoli dictum (1 Cor. XV, 29.) interpretantur de iis, qui inſtante morte, ſi quidem catechumeni ſint, ea ſpe freti ſacra lauatione purgantur, ac mortuos reſurrecturos eſſe demonſtrant.

*ſtoliça-*

*ſtolicarum* auctor [g] præcipua doctrinæ capita in hunc modum præſcribit: „Qui ad doctrinam pietatis inſtruendus eſt, erudi-„atur ante baptiſmum in ſcientia de ingenito, in cognitione de „filio vnigenito, in perſuaſione certa de ſpiritu ſancto. Di-„ſcat creationis diuerſæ ordinem, prouidentiæ ſeriem, variæ „legislationis tribunalia. Erudiatur, quare mundus ſit factus, „& cur mundi ciuis homo conſtitutus ſit. Agnoſcat naturam „ſuam, quænam ſit. Doceatur, quomodo Deus improbos a-„qua & igne punierit; ſanctos vero per ſingulas ætates hono-„re ac gloria decorauerit. *Sethum* dico, *Enoſum*, *Henochum*, „*Noam*, *Abrahamum* & poſteros eius, *Melchiſedecum*, *Iobum*, *Moſen*, „*Ieſum*, *Chalebum* & *Phineem* ſacerdotem ſanctosque ſingularum „ætatum. Item edoceatur, quemadmodum per prouidentiam „Deus humanum genus non auerſatus fuerit; immo ab errore „ac vanitate ad agnitionem veritatis diuerſis temporibus vo-„carit, reducens a ſeruitute ac impietate ad libertatem & pie-„tatem, ab iniuſtitia ad iuſtitiam, a morte æterna ad vitam „perpetuam„. Poſt hæc doctrinam de *CHRISTI* incarnatione, paſſione, reſurrectione, & adſcenſione in cælos, & quid ſit renuntiare diabolo & fœdus cum Deo inire, docebantur. Hæc præcipua erant veterum catecheſium capita ante baptiſmum. Vbi obſeruari meretur, nullam inter iſta capita doctrinæ de euchariſtia vel confirmatione fieri mentionem, eo quod hanc catechumenis non niſi poſt acceptum baptiſmum tradi liceret. Neque priorum capitum explicatio ſimul dabatur, ſed per certos gradus, prout diſciplina eccleſiæ tunc temporis requireret, quæ catechumenos in diuerſos diſtinctos ordines diſtribuebat,

(g) Conſtit. apoſtol. lib. VII. c. XXXIX. (al. XL.) Ὁ μέλλων κατηχεῖσθαι τὸν λόγον τῆς εὐσεβείας, παιδευέσθω πρὸ τοῦ βαπτίσματος τὴν περὶ τοῦ ἀγεννήτου γνῶσιν, τὴν περὶ υἱοῦ μονογενοῦς ἐπίγνωσιν, τὴν περὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος πληροφορίαν· μανθανέτω δημιουργίας διαφόρου τάξιν, προνοίας εἱρμὸν, νομοθεσίας διαφόρου δικαιωτήρια· παιδευέσθω, διατί κόσμος γέγονε, καὶ δι᾽ ὃ κοσμοπολίτης ὁ ἄνθρωπος κατέστη· ἐπιγινωσκέτω τὴν ἑαυτοῦ φύσιν, οἵα τις ὑπάρχει· παιδευέσθω ὅπως ὁ θεὸς τοὺς πονηροὺς ἐκόλασεν ὕδατι καὶ πυρὶ, τοὺς δ᾽ ἁγίους ἐδόξασε καθ᾽ ἑκάστην γενεάν· λέγω δὲ τὸν Σὴθ, τὸν Ἐνὼς, τὸν Ἐνὼχ, τὸν Νῶε, τὸν Ἀβραὰμ, καὶ τοὺς ἐκγόνους αὐτοῦ, τὸν Μελχισεδὲκ, καὶ τὸν Ἰὼβ, καὶ τὸν Μωσέα, Ἰησοῦντε, καὶ Χαλὲβ, καὶ Φινεὲς τὸν ἱερέα, καὶ τοὺς καθ᾽ ἑκάστην γενεὰν ὁσίους· ὅπως τε προνοούμενος οὐκ ἀπεστράφη ὁ Θεὸς τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος· ἀλλὰ ἀπὸ πλάνης καὶ ματαιότητος εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας ἐκάλει κατὰ διαφόρους καιροὺς, ἀπὸ τῆς δουλείας καὶ ἀσεβείας εἰς ἐλευθερίαν καὶ εὐλάβειαν ἐπανάγων, ἀπὸ ἀδικίας εἰς δικαιοσύνην, ἀπὸ θανάτου αἰωνίου εἰς ζωὴν ἀΐδιον.

eosque pro diuersa stationum suarum ratione exercebat. Qua de re capite sequenti fusius.

## §. VII.

### *Catechumenis sacrarum scripturarum lectio permissa.*

Porro heic obseruandum est, quod quasdam scripturæ sacræ partes legere illis licuerit; nam libri morales & historici ad eorum institutionem maxime vtiles esse credebantur; & præcipuus vsus eorum, qui hodie libri apocryphi dicuntur, ad præcepta morum catechumenis instillanda tunc spectabat. Quo respectu ATHANASIVS [*h*] dicit, quod licet in canonem quidem redacti non sint, vt reliqui veteris & noui testamenti libri; eos tamen a patribus decretum sit legendos ab iis esse, qui nuper ediscendi pietatis verbi gratia accesserint. *Sapientiam* videlicet *Salomonis* & *sapientiam Sirach*, *Esther*, *Iudith*, *Tobiam*, doctrinam, vt vocant, apostolorum & *Herman pastorem*. Eamdem plane obseruationem auctor *synopseos scripturæ sacræ* [*i*], qui sub nomine ATHANASII delitescit, habet, quod præter canonicos sint adhuc alii veteris testamenti libri non canonici, qui catechumenis tantum legantur. Verum hoc non in omnibus ecclesiis licuit. In ecclesia enim *Hierosolymitana*, quo tempore catecheses suas scripsit CYRILLVS [*k*], aliter videtur obtinuisse. Nam catechumenos suos nihil cum apocryphis commune habere, & hos solos libros studiose meditari iubet, qui & in ecclesia secure tutoque recitentur, nimirum eos, quos apostoli & veteres episcopi, ecclesiæ antistites, (qui multo prudentiores fuerint catechumenis) tradiderint. Quo facto libros canonicos veteris & noui testamenti sigillatim recenset, omnes quidem, vt nunc

(*h*) Athan. epistol. heortastic. tom. II. pag. 39. (tom. I. pag. 963. a. edit Paris. MDCXCVIII.) ἔστιν καὶ ἕτερα βιβλία τούτων ἔξωθεν· οὐ κανονιζόμενα μὲν, τετυπωμένα δὲ παρὰ τῶν πατέρων ἀναγινώσκεσθαι τοῖς ἄρτι προσερχομένοις καὶ βουλομένοις κατηχεῖσθαι τὸν τῆς εὐσεβείας λόγον σοφία Σολομῶντος, καὶ σοφία Σιράχ, καὶ Ἐσθὴρ, καὶ Ἰουδὶθ, καὶ Τοβίας, καὶ διδαχὴ καλουμένη τῶν ἀποστόλων, καὶ ὁ ποιμήν.

(*i*) Athanas. synops. Scriptur. tom. II. p. 55. (p. 128. e. edit. cit. ἐκτὸς τούτων (τῶν κανονιζομένων) ἕτερα βιβλία τῆς παλαιᾶς διαθήκης, οὐ κανονιζόμενα μὲν, ἀναγινωσκόμενα δὲ μόνον τοῖς κατηχουμένοις.

(*k*) Cyrill. catech. IV. n. XXII. p. 66. πρὸς τὰ ἀπόκρυφα μηδὲν ἔχε κοινόν· ταύτας μόνας μελέτα σπουδαίως, ἃς καὶ ἐν ἐκκλησίᾳ μετὰ παῤῥησίας ἀναγινώσκομεν· πολὺ σου φρονιμώτεροι ἦσαν οἱ ἀπόστολοι, καὶ οἱ ἀρχαῖοι ἐπίσκοποι, οἱ τῆς ἐκκλησίας προστάται, οἱ ταύτας παραδόντες. - - p. 67. ὅσα ἐν ἐκκλησίαις μὴ ἀναγινώσκεται, ταῦτα μηδὲ κατὰ σαυτὸν ἀναγίνωσκε.

sunt

ſunt in noſtris bibliis, excepta apocalypſi, quia, vt ego quidem exiſtimo, tunc temporis ea in eccleſia haud lecta fuit. Tandem concludit, hoc dato catechumenis monito, vt, quæ in eccleſiis non legantur, ea omnia neque per ſe legant. Vnde nos concludimus, quod quemadmodum libri, quos nunc apocryphos vocamus, ne quidem lecti fuerunt in eccleſia *Hieroſolymitana*, ita nec catechumenis eorum lectio permiſſa fuerit, tametſi & priuatim & publice in multis aliis eccleſiis recitari conſueuerunt, Equidem nonnullos viros doctos noui diuerſa ſentire & exiſtimare, CYRILLVM per libros apocryphos non eos, qui hodie eo nomine veniunt, videlicet *ſapientiam Salomonis*, *Eccleſiaſtem* &c. ſed alios pernicioſos & hæreticos libros intelligere, qui abſolute reprobati & omnibus chriſtianis prohibiti fuerint. Verum ſi hæc eius eſſet ſententia, non ſolos libros canonicos in eccleſia *Hieroſolymitana* legi dixiſſet, ſed, vt alii ſcriptores in aliis eccleſiis, inter canonicos, eccleſiaſticos & apocryphos diſtinxiſſet, & libros eccleſiaſticos eos eſſe ſignificaſſet, quos non minus quam canonicos ad formandos mores, etſi non ad confirmandos fidei articulos, legi liceret: Quum tamen nihil horum, ſed contrarium potius dicat, nullos niſi canonicos libros publice in eccleſia lectos eſſe, nec alios vllos priuatim à catechumenis legi oportere. Quod ſaltem eo accipiendum eſt, quod in eccleſia *Hieroſolymitana* diuerſa ab aliis eccleſiis conſuetudo obtinuerit; et quod, licet in quibuſdam eccleſiis tum librorum canonicorum, tum apocryphorum, ſiue vt aliis dicuntur, eccleſiaſticorum lectio catechumenis permiſſa fuerit; in eccleſia tamen *Hieroſolymitana* ſolas canonicas ſcripturas, non autem vllas alias, legere licuerit. At enim vero vtcumque res ſe habet, obſeruatu certe dignum eſt, nullam olim eccleſiam vlli chriſtianorum ordini ſacrarum ſcripturarum vſu in lingua vulgari interdixiſſe, quum ipſi catechumeni, qui imperfecti tantum chriſtiani erant, ad libros canonicos in omnibus eccleſiis, & libros apocryphos in quibuſdam eccleſiis, pro inſtitutione morum legendos, admoniti ſint & excitati. Immo ſi BEDAE fas eſt credere, hi ipſi quaſdam e ſcripturis ſacris memoriæ mandare debebant, quæ pars erat exercitii & diſciplinæ eorum, antequàm ad ſacrum baptiſmum admitterentur. Nam [l] *Pulcher*

(l) Bed. de tabernac. lib. II. c. XIII. tom. IV. p. 887.

*in ipsa ecclesia mos*, inquit, *antiquitus inualuit, vt his, qui catechisandi & christianis sunt sacramentis initiandi, quatuor euangeliorum principia recitentur, ac de figuris & ordine eorum in apertione aurium suarum solenniter erudirentur: quo sciant exinde & meminerint, qui & quot sint libri, quorum verbis maxime in fide veritatis debeant erudiri.* Tantum abest, vt sanctas scripturas vlli hominum ordini lingua incognita obsigillarint veteres doctores, vt potius eas vtiles & ad docendum homines minime omnium ingeniosos aptas esse crediderint, secundum illud psalmistæ [m]: *Aditus verborum tuorum illuminat, prudentia instruit simplices.* Hinc lingua vulgari illas legere non tantum perfectis & consummatis christianis, sed ipsis etiam catechumenis, permittebant; inter quos, vt AVGVSTINO aliisque obseruatum est, communiter illi maxime omnium tractabiles erant & optimos faciebant progressus, qui in sacris litteris maxime erant versati. Quam ob caussam id partem curæ catechumenorum esse iubebant, vt in earum sese cognitione exercerent, neque vero eo tempore metuebant, ne homines hæretici fierent, si verbum veritatis condocerentur.

# *LIBRI DECIMI*
## *CAPVT SECVNDVM*
## DE DIVERSIS CATECHVMENORVM ORDINIBVS, SIVE GRADIBVS, DEQVE EXERCITIIS ET DISCIPLINIS, QVIBVS SINGVLI ORDINES GRADATIM ADSVEFIEBANT.

### §. I.

*Quatuor catechumenorum ordines, siue gradus, inter veteres.*

DIVERSOS catechumenorum ordines, siue gradus, fuisse in omnibus istis ecclesiis, quæ terminum institutionis ad duos tresue annos obseruarunt, omnes viri eruditi concedunt: quot autem ordines præcipue fuerint, de eo quidem non omnes exacte concordant. *Græci* antiquorum canonum interpretes duo eorum genera vulgo statuunt, vocantes alios ἀτελεστέρους *imperfectiores*, alios τελειωτέρους, *perfectiores*, quorum hi proximi candidati

(m) Psalm. CXIX, 130.

didati baptiſmi erant. Ita BALZAMON [a], ZONARAS [b], ALEXIVS ARISTENVS [c] & BLASTARES. Et hanc eorum opinionem multi recentiores ſcriptores amplexi ſunt. CAVEVS [d] haud aliter eos diſtinguit ac in *perfectiores* & *imperfectiores*, quorum hos gentilium loco adhuc habitos fuiſſe dicit, cui eius aſſertioni, ob rationes capite præcedente adlatas, adſtipulari non

(a) Balzam. not. in concil. Neocæſ. c. V. Δύο τάξεις τῶν κατηχουμένων εἰσίν. οἱ μὲν γὰρ ἄρτι προσέρχονται, καὶ, ὡς ἀτελέστεροι, μετὰ τὴν ἀκρόασιν τῶν γραφῶν καὶ τῶν θείων εὐαγγελίων εὐθὺς ἐξίασιν· οἱ δὲ ἤδη προσῆλθον, καὶ γεγόνασι τελειώτεροι, ὅθεν καὶ τὴν ἐπὶ τοῖς κατηχουμένοις εὐχὴν ἀναμένοντες, τὸ γόνυ κλίνουσιν ἐν ταύτῃ. *Duo ſunt ordines catechumenorum.* Hi enim nuper acceſſerunt, &, vt *imperfectiores*, poſt ſcripturarum & diuinorum euangeliorum auditionem ſtatim exeunt: illi vero iam pridem acceſſerunt & *perfectiores* facti ſunt; vnde & orationem, quæ fit ſupra catechumenos, exſpectantes, in ea genu flectunt.

(b) Zonar. ibid. Δύο τάξεις ἦσαν τῶν κατηχουμένων τὸ παλαιόν· οἱ μὲν γὰρ πιστοὶ ὄντες, ὑπερτιθέμενοι δὲ τὸ βάπτισμα, μετὰ τῶν κατηχουμένων ἵσταντο, καὶ τῆς ἐπὶ κατηχουμένοις εὐχῆς λεγομένης ἔκλινον τὸ γόνυ, ὅτε δ' ἐξεφωνήθη τὸ, οἱ κατηχούμενοι προέλθετε, τότε ἐξήρχοντο· οἱ δὲ ἄρτι προσελθόντες καὶ ἀτελέστεροι ὄντες, τῶν ἁγίων γραφῶν ἤκουον, καὶ μετὰ τὴν ἀνάγνωσιν τοῦ εὐαγγελίου ἀπῄεσαν. *Duo catechumenorum olim erant ordines. Alii* quidem *amplexi fidem*, ſed qui baptiſmum differrent, cum catechumenis adſtabant, dumque precatio in catechumenos recitaretur, genibus prouoluebantur, ac poſtquam illud, catechumeni procedite, de more pronuntiatum eſſet, tunc egrediebantur. Alii autem iam primum accedentes, *minusque perfecti*, ſacræ ſcripturæ auſcultabant, euangelioque recitato, dimittebantur.

(c) Alex. Ariſten. ibid. Δύο εἴδη κατηχουμένων εἰσίν. οἱ μὲν γὰρ ἄρτι προσέρχονται, διὸ καὶ, ὡς ἀτελέστεροι, μετὰ τὴν ἀκρόασιν τῶν γραφῶν καὶ θείων εὐαγγελίων, εὐθὺς ἐξίασι· οἱ δὲ πρὸ καιροῦ προσῆλθον, καὶ γεγόνασι τελειώτεροι. Duo ſunt ſpecies catechumenorum: non nulli enim modo accedunt; quo circa &, vt *imperfectiores*, poſt ſcripturarum & euangeliorum auditionem ſtatim emittuntur. Alii autem ante tempus aliquod aduenerunt, & *perfectiores* euaſerunt.

Matth. Blaſtarius (citante Suicero tom. II. p. 72.) Εἰς δύο τάξεις οἱ κατηχούμενοι πάλαι ἐτέθησαν.

(d) Caue primit. Chriſt. lib. I. c. VIII. (p. 211. edit. Anglic.) p. 172. edit. German. Lipſ. MDCCXXIII. *Erſt waren die Catechumeni, oder* Catechiſmus-*Schüler, derer zwo gewiſſe arten und gattungen waren. Die eine hieſſen* τελειώτεροι, die vollkommenern, *die ſchon hoch droben ſtunden und zur Tauffe geſchickt waren; dieſe konten nicht allein die Ableſung der heiligen Schrift*

poſſu-

poſſumus. Oſtendimus enim, quod ex eo tempore, vbi manuum impoſitionem ad faciendos ipſos catechumenos acceperint, ſemper vocati & habiti fuerint chriſtiani, etſi tantum in ſtatu quodam imperfectiore, donec per baptiſmum eſſent conſummati. BEVEREGIVS [*e*] itidem duo catechumenorum genera fuiſſe ſtatuit, alios ἀκροωμένους, alios εὐχομένους, ſeu γονυκλίνοντας, hoc eſt *audientes*, qui ſermonibus & ſcripturarum lectioni auſcultabant, & *genuflectentes* ſiue *ſubſtratos*, qui ad miniſtri precationem & benedictionem recipiendam conſiſtebant. SVICERVS [*f*] & BASNAGIVS [*g*] eamdem prorſus viam ſequuntur, in duas claſſes, *audientium* videlicet & *competentium*, eos diſtribuentes. MALDONATVS [*h*] hiſce tertiam claſſem addit, quos *catechumenos pœnitentes* vocat, eos videlicet, qui ſub diſcipli-

*mit anhören, ſondern ſie durften auch ſo lange da bleiben, bis das erſte Amt war ausgehalten worden. Die andern hieſſen* ἀτελέστεροι, die unvollkommenern *und unwiſſenden, welche bloß unter denen Zuhörern ſtunden, und gleich fortgehen muſten, ſo bald als man anfieng die gewöhnliche Capitel aus der Bibel abzuleſen* Dieſe wurden noch wie heyden gehalten, *welche ſich auf den chriſtlichen Glauben legten, und in den allerer ſten grund-regeln der religion unterweiſen lieſſen.*

(*e*) Beuereg. not. in concil. Nic. c. XIV. Horum (catechumenorum) duo fuiſſe genera, ex hoc ipſo canone demonſtrari poteſt, alios nimirum ἀκροωμένους fuiſſe, alios εὐχομένους. Hic enim decernitur, vt ſi quis catechumenus lapſus ſit, tribus ille annis ſit inter ἀκροωμένους, *audientes*, poſtea autem εὔχεται, *oret* cum catechumenis, nimirum orantibus, qui etiam γονυκλίνοντες, *genuflectentes* vocantur a concilio Neocæſareenſi can. V.

(*f*) Sui cer. theſaur. tom. II. p. 72. Catechumenorum duo erant genera. Vnum eorum, qui audiebant verbum Dei & chriſtiani fieri volebant, ſed baptiſmum nondum petierant, atque hi dicebantur *audientes*, ſiue *auditores*. - - Alterum eorum, qui iam pridem acceſſerant & in fide recte inſtituti baptiſmum petebant & præſcripto tempore exſpectabant. Hi dicebantur συναιτοῦντες, *competentes*.

(*g*) Baſnag. critic. in Baron. p. 484. Duo catechumenorum ordines exhibentur coram oculis, γονυκλινόντων & ἀκουόντων.

(*h*) Maldonat. de baptiſm. c. I. p. 78. 79. Erant *tres gradus catechumenorum*. Qui valde erant tirones, vocabantur a Græcis ἀκροώμενοι, & a Latinis *auditores* ſiue *audientes*. - - Qui autem ita inſtituti iam erant, vt digni viderentur baptiſmo, vocabantur *competentes*, quaſi ambientes iam baptiſmum. - - Alii erant, qui poſtquam cœperant catechiſari, lapſi erant in peccatum aliquod publicum. Quod cenſebatur eſſe ſummum nefas & propterea relegabantur in numerum *pœnitentium* chriſtianorum, & exſpectare debebant tres annos.

na

na & censura ecclesiæ constituti erant. BONA curiæ *Romanæ* purpuratus [*i*], in quatuor classes eos distinctos se reperire dicit, alios fuisse *audientes*, alios *genuflectentes*, alios *competentes*, alios *electos*. Et certe quatuor eorum gradus fuisse apparet; non tamen exacte eosdem, quos BONA memorat. Nam *competentes* & *electi* non nisi vnus idemque ordo erant. Sed alius quidem ordo erat istos omnes antegressus, cuius nullus horum scriptorum meminit, quos ἐξωθουμένους vocare libet, hoc est, eos catechumenos, qui priuatim & extra fores instituebantur, antequam ecclesiam intrandi veniam acciperent.

### §. II.

### Primo, Ἐξωθούμενοι, *seu catechumeni extra ecclesiam priuatim instituti.*

FVISSE talem ordinem seu gradum catechumenorum, qualis hic est, ex canone quodam concilii *Neocæsareensis* euidenter colligitur, qui de diuersis catechumenorum ordinibus & inter reliquos de hoc loquitur in hunc modum: *Catechumenus, qui ingreditur* [*k*] *ecclesiam, & in ordine eorum, qui instruuntur, adsistit, is autem peccat: si genu quidem flectens, audiat, vt non peccet vlterius, si vero & audiens peccauerit,* ἐξωθείσθω *expellatur.* Hinc euidenter patet, fuisse aliquem catechumenorum ordinem, quibus ecclesiam ingredi haud permissum fuerit, ad quos ii, qui ex superioribus ordinibus peccauissent, redigendi fuerunt, ob peccata sua puniti, quam poenam canon ille *expulsionem* ex ecclesia vocat. Per quam expulsionem non extrema aliqua eorum reiectio ad gentiles, sed tantum in istum eorum statum rele-

(*i*) Bona rer. liturgic. lib. I. c. XVI. n. IV. Catechumenos in varias olim classes distinctos reperio. - - In latina ecclesia omnes classes ad quatuor redactæ sunt, quæ in sermonibus & tractatibus latinorum patrum passim occurrunt. Quidam enim ab infidelitate ad fidem conuerti desiderantes audiebant in ecclesia verbum Dei, sed nondum petebant baptismum & ii dicebantur ***audientes***. Alii audito sermone procumbebant in genua, & orationum ecclesiæ aliquo modo participes erant, & vocabantur *substrati*, siue ***genua flectentes***. Alii in fide recte instituti baptismum petebant, & dicti sunt *competentes*. Qu vero ex istis in albo baptizandorum descripti erant, ***electi*** nuncupari solebant.

(*k*) Concil. Neocæsar. c. V. (tom. I. concil. p. 1481.) Κατηχούμενος ἐὰν εἰσερχόμενος εἰς κυριακὸν ἐν τῇ τῶν κατηχουμένων τάξει στήκῃ, οὗτος δὲ ἁμαρτάνων· ἐὰν μὲν γόνυ κλίνων, ἀκροάσθω μηκέτι ἁμαρτάνων· ἐὰν δὲ ἀκροώμενος ἔτι ἁμαρτάνῃ, ἐξωθείσθω.

gatio intelligitur, in quo antea fuerunt, quum primam manus impoſitionem recipientes catechumeni redderentur, qui priuatæ inſtitutionis ſtatus erat, antequam eccleſiam ingrediendi veniam acciperent. MALDONATO hi *pœnitentes inter catechumenos*, BALZAMONI vero & ZONARAE in hunc canonem *προσκλαίοντες*, hoc eſt *deflentes* ſeu *lugentes* dicuntur; quæ appellatio aliquid huius ordinis, non vero totum exprimit. Erant enim heic catechumeni, priuatim extra eccleſiam inſtituti, qui non proprie *lugentes* ſeu *pœnitentes* erant, vt homines per cenſuram eccleſiaſticam ſegregati, ſed tales erant, qui nondum in eccleſia vnquam fuerant, ſed ad tempus aliquod iſthoc priuilegio carebant, vt tanto maiore eius deſiderio æſtuare inciperent. Donec igitur melius aliquod nomen illis inueniamus, ex hoc canone *ἐξωθουμένους* eos vocare liceat, quod generale nomen eſt, tam hunc infimum catechumenorum, priuatim extra eccleſiam inſtitutorum, ordinem, quam delinquentes ex ſuperioribus ordinibus, qui, vt ob peccata ſua punirentur, ad iſtum ordinem relegari ſolebant, comprehendens.

## §. III.

### Secundo *Ἀκροώμενοι*, *audientes*, *ſeu auditores*.

PROXIMVM ab iſto ordinem conſtituebant, qui *Græcis ἀκροώμενοι*, *Latinis* vero *audientes*, ſiue *auditores*, vocabantur. Id nominis ex admiſſione ſui ad ſermones & ſacras ſcripturas, quæ in eccleſia recitabantur, audiendas acceperant, ſed nullis precationibus, ne illis quidem, quæ pro reliquis catechumenis vel energumenis, vel pœnitentibus fiebant, adſtandi veniam habebant; ſed ante, quam iſtæ inchoarentur, quum finito ſermone ſolemniter more ſolito proclamaretur: *Ne quis audientium! Ne quis infidelium!* e veſtigio decedere eos oportebat. Quemadmodum ex *inſtitutionum apoſtolicarum* [l] auctore liquet, qui diaconum, finito epiſcopi ſermone, in excelſum locum adſcendere, & *audientes* ac *infideles* cum iſta ſolemni verborum formula dimittere iubet, antequam liturgia ſeu precationes eccleſiæ

(l) Conſtitut. apoſtol. lib. VIII. c. V. *Πληρώσαντος αὐτοῦ τὸν τῆς διδασκαλίας λόγον - - ὁ διάκονος, ἐφ' ὑψηλοῦ τινος ἀνελθὼν, κηρυττέτω· μή τις τῶν ἀκροωμένων· μή τις τῶν ἀπίστων.*

initium

initium caperent. Quo intuitu concilium *Nicænum* [*m*] eos *ἀκροωμένους μόνον*, *audientes tantum*, appellat, ad diſtinguendum eos ab illis catechumenis, quibus non tantum ſermones licebat audire, ſed precationibus etiam quibusdam ſpecialioribus eccleſiæ adſtare, quæ pro iis ipſis ſpeciatim fiebant, dum in genua prouoluti impoſitionem manus & benedictionem miniſtri eccleſiæ exſpectabant.

## §. IV.

### Tertio, *Γονυκλίνοντες*, *ſeu genuflectentes.*

Hinc tertium genus catechumenorum oritur, qui *Græcis* *γονυκλίνοντες*, *Latinis* vero *genuflectentes* & *proſtrati* vocantur. Hiſce nomen catechumenorum olim magis ſpeciatim tributum erat, vti in ante memorato concilii *Nicæni* canone, qui ita habet: *De catechumenis & lapſis viſum eſt ſanctæ & magnæ ſynodo, vt tribus annis ſint inter AVDIENTES TANTVM, poſthæc autem cum catechumenis orent.* Hinc ea liturgiæ pars, quæ ad eos attinebat, ſpeciatim dicebatur *κατηχουμένων εὐχὴ*, *catechumenorum precatio*, quæ vna cum oratione energumenorum & pœnitentium ſermonem epiſcopi proxime excipiebat, quemadmodum ex concilio *Laodiceno* [*n*] diſcimus, quod earum methodum præſcribit. Et precationum iſtarum formulæ in *conſtitutionibus apoſtolicis* [*o*] & a CHRYSOSTOMO [*p*] recitantur, quas heic non interponimus, quia locum magis proprium in liturgia eccleſiaſtica invenient. Cum hiſce precibus ſimul ſemper manus impoſitionem recipiebant, in genua prouoluti. Vnde concilium *Neocæſareenſe* [*q*] & alia nomine *γονυκλινόντων* eos diſtinguunt. Precatio vocatur *oratio impoſitionis manus*, quæ tum in publicis, tum

(*m*) Concil. Nicæn. c. XIV. (tom. II. conc. p 36.) *Περὶ τῶν κατηχουμένων καὶ παραπεσόντων, ἔδοξε τῇ ἁγίᾳ καὶ μεγάλῃ συνόδῳ, ὥστε τριῶν ἐτῶν αὐτοὺς ἀκροωμένους μόνον, μετὰ ταῦτα εὔχεσθαι μετὰ τῶν κατηχουμένων.*

(*n*) Concil. Laodic. (tom. I. p. 1500.) c. XIX. *Περὶ τοῦ, δεῖν ἰδίᾳ πρῶτον μετὰ τὰς ὁμιλίας τῶν ἐπισκόπων, καὶ τῶν κατηχουμένων εὐχὴν ἐπιτελεῖσθαι· καὶ μετὰ τὸ ἐξελθεῖν τοὺς κατηχουμένους, τῶν ἐν μετανοίᾳ τὴν εὐχὴν γίνεσθαι* Oportere ſeorſum primum, poſt epiſcoporum ſermones, catechumenorum orationem peragi; & poſtquam exierint catechumeni, eorum qui pœnitentium, fieri orationem.

(*o*) Conſtit. apoſtolic. lib. VIII. c. VI. fere tot.

(*p*) Chryſoſtom. homil. II. in 2 Cor. (tom. V. p. 515. ſeqq. edit. Francof.)

(*q*) Concil. Neocæſar. c. V. vid. ſub anteced. litt. (k) p. 17.

in priuatis catechumenorum exercitiis frequenter recitabatur.

## §. V.

### Quarto, *Competentes & electi.*

Præter hosce quartus quidem ordo eorum erant, quos *Graeci* βαπτιζομένους & φωτιζομένους, *Latini* autem *competentes* & *electos* vocitabant. Quæ vocabula omnia a veteribus adhibita sunt ad denotandum proximos baptismi candidatos, siue eos, qui nomina sua apud episcopum professi, & baptismum proxime futuris diebus festis recipiendi desiderium testati erant. A qua huius beneficii petitione *competentes*, & facta a episcopo eorum examinatione & electione *electi* dicebantur. CYRILLVS HIEROSOLYMITANVS in catechesibus suis [r] semper eos φωτιζομένους nuncupat, quod vocabulum licet frequenter homines iam baptizatos, siue sacramento baptismi illuminatos, significet; ipsius tamen stilo homines baptizandos, siue catechetica institutione, baptismum antecedente, tantum illuminatos denotat. Atque ita quoque nomen βαπτιζόμενοι ab auctore *constitutionum apostolicarum* [s] adhibetur, non pro hominibus reuera baptizatis, sed pro catechumenis baptizari cupientibus. Vnde apud eumdem auctorem precatio, pro catechumenis in ecclesia recitata, βαπτιζομένων & φωτιζομένων εὐχὴ iamiam *baptizandorum & illuminandorum oratio* vocatur. Quod etiam indicat, *substratos* & *competentes* distinctos fuisse catechumenorum ordines, (secus ac BASNAGIVS & alii nonnulli statuerunt) quandoquidem distinctæ precationes distinctis temporibus in ecclesia pro illis fuerunt recitatæ.

---

(r) Cyrill. catech. I. II. cet. Κατήχησις τῶν φωτιζομένων ἐν Ἱεροσολύμοις.

(s) Constitut. apostol. lib. VIII. c. VIII. ὑπὲρ τῶν βαπτιζομένων· Ὁ προειπὼν διὰ τῶν ἁγίων σου προφητῶν τοῖς μυουμένοις· λούσασθε, καθαροὶ γίνεσθε· καὶ διὰ τοῦ χριστοῦ νομοθετήσας τὴν πνευματικὴν ἀναγέννησιν· αὐτὸς καὶ νῦν ἔπιδε ἐπὶ τοὺς βαπτιζομένους, καὶ εὐλόγησον αὐτοὺς, καὶ ἁγίασον κ. τ. λ. Oratio pro iis, *qui iamiam baptizandi sunt.* Qui per sanctos prophetas tuos prædixisti iis, qui initiantur ac baptizantur; Lauamini, mundi estote, & per Christum sanxisti spiritualem regenerationem: ipse nunc etiam respice in hos *baptizandos*, & benedic eis & sanctifica, cætera.

§. VI.

## §. VI.

### *Quomodo hi vltimi instituti & ad baptismum præparati fuerint.*

Hi *competentes*, vt diximus, a petitione sacramenti baptismi sic appellabantur, quemadmodum ex AVGVSTINO discimus, qui frequenter hanc istius appellationis rationem [*t*] adfert, quod appropinquante paschatis festiuitate catechumeni, baptismum recipere cupientes, nomina sua dare soleant, vnde *competentes* vocitentur. Nominibus eorum datis & petitione suscepta libris ecclesiæ vna cum sponsoribus inserebantur; vti ab auctore, qui sub DIONYSII AREOPAGITAE [*u*] nomine scripsit, obseruatur, qui episcopum introducit sacerdotibus mandantem, vt catechumenum vna cum susceptore monimentis inserat. Et in concilio *Constantinopolitano* sub *Menna* [*x*] *Stephani* cuiusdam diaconi mentio habetur, cui speciatim hoc negotium datum fuerit, vt nomina eorum, qui ad baptisma veniebant, scriptis mandaret. Hæc scripta vocabantur *diptycha*, vti autem diuersa diptychorum genera habebant, alia mortuorum, alia viuen-

(*t*) Augustin. de fide & oper. c. VI. Quum fontis illius sacramenta *peteremus*, atque ab hoc *competentes* etiam vocaremur. cetera.
Id. de cura pro mortuis. c. XII. Pascha appropinquante *dedit nomen* inter alios competentes.

(*u*) Dionys. Areopag. hierarch. ecclesi. c. II. n. IV. p. 216. edit. Par. MDCXLIV. (p. 257. edit. Antuerp. MDCXXXIV.) ὧν ἐστι σύμβολον ἱερὸν, ἡ τοῦ ἱεράρχου τῷ προσιόντι δωρουμένη σφραγὶς, καὶ τῶν ἱερέων ἡ σωτηριώδης ἀπογραφὴ, τοῖς σωζομένοις αὐτὸν ἐγκαταλέγουσα, καὶ μνημοσύνοις ἱεροῖς ἀνατιθεῖσα πρὸς αὐτῷ καὶ τὸν ἀνάδοχον, ὡς τῆς ζωοποιοῦ πρὸς ἀλήθειαν πορείας τὸν μὲν ἐραστὴν ἀληθῆ καὶ συνοπαδὸν ἡγεμόνος ἐνθέου· τὸν δὲ, ἀπλανῆ ταῖς θεοπαραδότοις ὑφηγήσεσι τοῦ ἑπομένου χειραγωγόν. quorum sacra est tessera, summi sacerdotis accedenti datum signaculum, nec non salutaris descriptio sacerdotum, saluandis eum aggregans, atque *sacris inserens monumentis vna cum susceptore*, tamquam salutiferæ ad veritatem viæ: illum quidem amatorem sincerum ac comitem ductoris diuini; hunc vero, minime errabundum diuinitus traditis institutionibus sequendis manuductorem.
Item pag. 253. §. V. Ἱεράρχης ἐπιτίθησιν αὐτοῦ τῇ κεφαλῇ τὴν χεῖρα, καὶ σφραγισάμενος, ἀπογράψασθαι κελεύει τοῖς ἱερεῦσι τὸν ἄνδρα καὶ τὸν ἀνάδοχον. Summus sacerdos manum capiti imponit & consignans eum sacerdotibus mandat, vt virum susceptoremque describant.

(*x*) Concil. Constantin. sub Menna act. V. (tom. V. conc. p. 324. a.) ὡς Στέφανος ὁ θεοφιλέστατος καὶ ἱερώτατος διάκονος ἐπιμαρτυρεῖ, ὁ καὶ τὰς προσηγορίας τῶν εἰς τὸ θεῖον βάπτισμα προσιόντων ἐγγράφειν τεταγμένος.



tium,

tium, hæc præcipue dicebantur *δίπτυχα ζώντων*, *diptycha*, siue *libri, viuentium*, vti PACHYMERES [y] in commentario suo in ante memoratum DIONYSII locum adnotauit.

§. VII.

*Partim crebrioribus examinibus, in quibus qui diligentiam suam probarant,* electi *appellati.*

NOMINIBVS eorum sic in sacras tabulas relatis, profectuum, quos in antegressis exercitiis catecheticis fecissent, sequebatur exploratio. Et hæc sæpius ante baptismum repetebatur secundum regulam, hac in re a concilio *Carthaginensi* quarto [z] datam. Qui in isthoc examine probati deprehendebantur, eos *electos* interdum vocabant, quemadmodum in decretis LEONIS MAGNI episcopi *Romani* legimus, qui de illis sub hoc nomine [a] loquitur, quod iam nominati & electi essent, tamquam digni, qui proximis festiuitatibus paschalibus & pentecostalibus, quæ legitima & vsitata baptismum conferendi tempora erant, sacro lauacro perfunderentur. BONA cardinalis hosce *electos* distinctum a *competentibus* ordinem facit: sed huius distinctionis nulla heic videtur esse ratio, quod eorum exercitia omnia vna eademque erant, vsque dum ad baptismum accederent.

§. VIII.

*Partim exorcismo, impositione manuum, signo crucis & insufflatione comitato.*

NAM quemadmodum vniuersi examinabantur, ita similiter vniuersi viginti diebus ante baptismum exorcismo percelle-

(y) Pachymer. in Dionys. p. 234. (p. 276. edit. cit.) κελεύει τοῖς ὑπ' αὐτὸν πρεσβυτέροις καὶ διακόνοις ἐν δέλτοις ἱεραῖς ἀπογράψασθαι τὰ ὀνόματα, τοῦ τε προσελθόντος καὶ τοῦ ἀναδόχου· ταύτας δὲ οἶμαι εἶναι τὰ τῶν ζώντων δίπτυχα. Subditis sibi sacerdotibus diaconisque mandat, vt in *sacras tabulas* nomina referant tam accedentis quam susceptoris. Hunc autem existimo esse *librum viuentium.*

(z) Concil. Carthag. IV. c. LXXXIV. (al. LXXXV. tom. II. concil. p. 1206.) Baptizandi nomen suum dent, & diu abstinentia vini & carnium ac manus impositione crebra examinati (al. crebra examinatione) baptismum recipiant.

(a) Leo ep. IV. ad episcop. Siculos c. V. (tom. III. concil. p. 1300.) Manifestissime patet, baptizandis in ecclesia *electis* hæc duo tempora, de quibus loquuti sumus, esse legitima.

ban-

bantur. Huius consuetudinis frequens in antiquis, tam *Græcæ* quam *Latinæ* ecclesiæ scriptoribus mentio habetur. AVGVSTINVS plus vice simplici de ea, tamquam communi ecclesiæ *Africanæ* praxi, loquitur; examinationem [*b*], catechisationem & exorcismum coniungens, ignemque exorcismi, vti ipse loqui amat, baptismum semper præcedere, adfirmans. Idem ex CYPRIANO & concilio *Carthaginensi*, sub ipso de valore baptismi hæreticorum habito, discimus. Nam ibi sæpe monetur, hæreticos [*c*] & schismaticos primum per manus impositionem exorcisari, & tum baptizari debere, antequam vt vera ecclesiæ catholicæ membra admitti possint. Hinc etiam hanc praxin ita vniuersalem fuisse discimus, vt ne ipsi quidem hæretici exorcismum neglexerint, quantumuis ille nullum salutis effectum habere, sed tantum per mendacium factus, & dæmoniacus [*d*] exorcizare crederetur, vt *Cæcilius a Bilta* in eodem concilio loquitur. FERRANDVS [*e*] quoque de exorcismo, qui post celebratum *competentium* scrutinium statim peragatur, loquitur. Similia testimonia pro ecclesiarum *Italicarum* & *Hispanicarum* consuetudine in PETRO CHRYSOLOGO [*f*] & concilio *Bracaren-*

(*b*) Augustin. in psalm. LXV. (tom. VIII. opp. p. 679. d. edit. Basil. MDLXIX.) Et in sacramentis, in catechisando & in exorcisando adhibetur prius ignis. - *Post ignem* autem *exorcismi venitur ad baptismum*, vt ab igne ad aquam, ab aqua ad refrigerium.
Id. de fide & operib. c. VI. (tom. IV. p. 60.) Suis nominibus datis, abstinentia, ieiuniis, exorcismisque purgantur. - Ipsis diebus, quibus catechizantur, exorcizantur, scrutantur.

(*c*) Concil. Carthagin. apud Cyprian. p. 232. (p. 355. edit. Par. MDCXLVIII.) Censeo omnes hæreticos & schismaticos, qui ad catholicam ecclesiam voluerint venire, non ante ingredi, nisi *exorcizati* & *baptizati* prius fuerint.
Ibid. p. 237. (p. 359.) Primo per manus impositionem in *exorcismo*, secundo per *baptismi* regenerationem, tunc possunt ad Christi pollicitationem venire.

(*d*) Ibid. p. 230. (p. 354.) Apud hæreticos - omnia per mendacium aguntur, vbi *exorcizat* dæmoniacus.

(*e*) Ferrand. epist. ad Fulgent. de catechisando æthiope inter Fulgentii opera p. 606. edit. Lugd. MDCLII. Celebrato solemniter scrutinio, per exorcismum contra diabolum vindicatur.

(*f*) Petr. Chrysolog. serm. LII. (pag. 139. edit. Paris. MDLXXXV.) Hæc est, quod veniens ex gentibus impositione manus & *exorcismis ante a dæmone purgatur*, & apertionem aurium percipit, vt fidei capere possit auditum, vt possit ad salutem prosequente domino peruenire.

*si* se-

*si* secundo [*g*] videri possunt. Quorum in posteriore speciatim decernitur, vt hi exorcismi per viginti ante baptismum dies continuentur. GENNADIVS MASSILIENSIS [*h*] semel atque iterum non de *Gallicana* tantum, sed de vniuersali etiam ecclesia in vniuerso mundo testatur, quod exorcismi & exsufflationes tam infantibus, quam adultis adhiberi consueuerint, antequam ad sacramentum regenerationis & fontem vitae admitterentur. Et quod ad ecclesiam *Graecam* speciatim attinet, (quamvis auctor *constitutionum apostolicarum* ex peculiari ratione nullam huius caerimoniae mentionem faciat, quia negotium exorcistae non tamquam perpetuum & ordinarium aliquod officium in ecclesia, sed tamquam extraordinarium & miraculis insigne donum Dei [*i*], exhibet, vti apostolorum aeuo fuit;) GREGORIVS NAZIANZENVS & CYRILLVS HIEROSOLYMITANVS testes huius consuetudinis sunt omni exceptione maiores. Nam NAZIANZENVS in oratione sua de baptismo [*k*] catechumenum suum

It. Sermon. CV. p. 277. edit. cit. Qui solo verbo fugerat daemones, & infirmitates omnes sola sanauerat missione: quare super hanc mulierem suas imponit manus? Quare circa istam curandi ordinem nouat, nisi quia iam tunc in vna sanat omnes: immo quia non ante suscipit ecclesiam, nisi eam per impositionem manuum suarum purget a diabolo & faciat christianam: & amplius faciendorum christianorum curam praesentis formet, & instituat sacramento.

(*g*) Concil. Bracar. II. c. I. (al. conc. III. tom. V. conc. p. 896.) Ante viginti dies baptismi ad purgationem exorcismi catechumeni currant: in quibus viginti diebus omnino catechumeni symbolum, quod est, credo in Deum patrem omnipotentem, specialiter doceantur.

(*h*) Gennad. de dogmat. eccles. c. XXXI. (inter opera Augustini tom. III. p. 200.) Illud etiam, quod circa baptizandos in vniuerso mundo sancta ecclesia vniformiter agit, non otioso contemplamur intuitu. Quum siue paruuli sive iuuenes ad regenerationis veniunt sacramentum, non prius fontem vitae adeant, quam exorcismis & exsufflationibus clericorum spiritus ab eis immundus abigatur.

(*i*) Constit. apostol. lib. VIII. c. XXVI. *ἐπορκιστὴς ὀ χειροτονεῖται· ἐυνοίας γὰρ ἑκουσίου τὸ ἔπαθλον, καὶ χάριτος Θεοῦ διὰ χριστοῦ, ἐπιφοιτήσει τοῦ ἁγίου πνεύματος· ὁ γὰρ λαβὼν χάρισμα ἰαμάτων δι' ἀποκαλύψεως ὑπὸ Θεοῦ ἀναδείκνυται, φανερᾶς οὔσης πᾶσι τῆς ἐν αὐτῷ χάριτος.* Exorcista non ordinatur. Haec enim certaminis laus pendet a libera & bona voluntate & a gratia Dei per Christum, aduentu spiritus sancti. Qui enim accepit charisma seu donum sanationum, per reuelationem a Deo declaratur, cunctisque manifesta est gratia, quae est in ipso.

(*k*) Nazianz. orat. XL. de bapt. (tom. I. p. 657. a.) *Μὴ διαπτύσῃς ἐξορκισμοῦ θερα-*

ita

ita adloquitur: *Ne exorcismi medicinam respuas, nec ob illius longitudinem animo concidas. Nam id quoque velut lapis quidam Lydius est, ad quem exploratur, quam sincero quisque pectore ad baptismum accedat.* CYRILLVS [*l*] eadem catechumenum suum monet, *Exorcismos*, inquiens, *studiose suscipe: Siue enim insufflcris, siue exorcizeris, existima, eam rem tibi esse saluti. Nam vt rude infectumque aurum, vel adulteratum, multisque aliis commixtum mineris, vti cum ære, stanno, ferro, plumbo, si cupimus aurum tantum habere, non poterit illud sine igne ab diuersis a se metallis purgari: sic absque exorcismis anima purgari non poterit. Diuini enim sunt, ex diuersisque scripturis collecti.* Et paullo post pergit: *Quemadmodum aurifabri per quædam subtilia instrumenta, sufflantes ventulum igni, & aurum in fornace conflantes excitantesque propositam flammam, id quod quærunt, reperiunt; sic quum exorcistæ per spiritum sanctum excutiunt timorem, & in corpore, tamquam in fornace, animam accendunt, fugit tunc inimicus dæmon, adest autem salus, & spes vitæ æternæ permanet: denique anima purgata a peccatis salutem consequitur.* Vbi duo obseruare licet, quæ multum lucis hac in materia nobis fœnerantur: I. Cur toties a veteribus vocetur *ignis exorcismi*; quia videlicet animam purget, & spiritum malum quasi exurat. II. Quod hi exorcismi nihil nisi precationes fuerint, e sacrarum scripturarum verbis collectæ & compositæ, ad Deum orandum, vt dominium & potestatem *Satanæ* in illis, qui *CHRISTO* nomen dedissent, frangere, eosque ab illius hostis tyrannide, spiritum erroris &

πείαν, μηδὲ πρὸς τὸ μῆκος ταύτης ἀπαγορεύσῃς· βάσανός ἐστι καὶ αὕτη τῆς περὶ τὸ χάρισμα γνησιότητος.

(*l*) Cyrill. præfat. ad catech. n. V. p. 7. Τοὺς ἐπορκισμοὺς δέχου μετὰ σπουδῆς· κἂν ἐμφυσηθῇς, κἂν ἐπορκισθῇς, σωτηρία σοι τὸ πρᾶγμα νόμισον εἶναι· ἀργὸν χρυσὸν, καὶ δεδολωμένον, ποικίλαις ὕλαις ἀναμεμιγμένον, χαλκῷ, καὶ κασσιτέρῳ, καὶ σιδήρῳ, καὶ μολύβδῳ· ζητοῦμεν τὸν χρυσὸν μόνον ἔχειν· χρυσὸν μὴ δύναται ἄνευ πυρὸς καθαρθῆναι τὰ ἀνοίκεια· οὕτως ἄνευ ἐπορκισμῶν οὐ δύναται καθαρθῆναι ψυχή· εἰσὶ δὲ θεῖοι, ἐκ θείων γραφῶν συνειλεγμένοι. - - ὃν γὰρ τρόπον οἱ τῆς χρυσοχοϊκῆς ἐργασίας τὸ πνεῦμα τῷ πυρὶ παρεμβάλλοντες, καὶ τὸ ἐν τῇ χώνῃ κεκρυμμένον χρυσίον ἀναφυσῶντες τὴν παρακειμένην ἐρεθίζοντες φλόγα εὑρίσκουσι τὸ ζητούμενον, οὕτω τῶν ἐπορκιζόντων διὰ πνεύματος θείου ἐμβαλλόντων τὸν φόβον, καὶ ὥσπερ ἐν χώνῃ τῷ σώματι τὴν ψυχὴν ἀναζωπυρούντων, φεύγει μὲν ὁ ἐχθρὸς δαίμων, παραμένει δὲ ἡ σωτηρία, καὶ παραμένει ἡ ἐλπὶς τῆς αἰωνίου ζωῆς, καὶ λοιπὸν ἡ ψυχὴ καθαρθεῖσα τῶν ἁμαρτημάτων, ἔχει τὴν σωτηρίαν.

Id. catechef. I. n. V. p. 18. σχόλασον εἰς τοὺς ἐξορκισμούς. In exorcismis studiose verseris.

prauitatis ex iis expellendo, liberare vellet. Hinc CYRILLO [*m*] alibi λόγοι εὐχῆς, *verba precationis* dicuntur, quibus dæmoniacus, qui ferreis vinculis a multis retineri non poſſit, ab vno continеatur, per eam, quæ in illo ſit, ſpiritus ſancti virtutem, & ſimplex exorcizantis adflatus efficiatur ignis, ad expellendos inuiſibiles ſpiritus idoneus. Vt adeo totum exorciſmi negotium eiusque poteſtas in precationes abeat, quarum formulæ quædam etiam nunc in *euchologio* [*n*], ſeu libro rituali eccleſiæ *Græcæ* per IACOBVM GOAR, & in *ſacramentario Gallicano* per MABILLONIVM [*o*] publicato, leguntur. Vnde etiam patet, quod inſufflationem & manus impoſitionem, & ſignum crucis (quod eodem tempore adhibitum fuit, vt in ſcriptis AVGVSTINI [*p*] & AMBROSII [*q*] legimus) tantummodo conſiderauerint vt decentes cærimonias, precationi, cuius virtuti, non nudis iſtis cærimoniis, omnis efficacitas & beneficium huius partis diſciplinæ catechumenorum adſcribi debeat, adiunctas. Licet enim cærimoniæ interdum ſolæ memorentur, precatio tamen ſemper ſubintelligenda, & pro capite & ſumma huius actionis habenda eſt, cærimoniis & ritibus circumſtantiarum duntaxat vicem ſuſtinentibus.

(*m*) Cyrill. catech. XVI. n IX. p. 234. *πολλάκις ὁ δαίμων, ὁ σιδηραῖς δεσμοῖς ὑπὸ πολλῶν μὴ κρατούμενος,* λόγοις εὐχῆς *ἐκρατήθη ὑπ' αὐτοῦ, διὰ τὴν ἐν αὐτῷ δύναμιν τοῦ ἁγίου πνεύματος· καὶ τὸ ἁπλοῦν φύσημα τοῦ ἐξορκίζοντος πῦρ γίνεται τῶν μὴ φαινομένων.*

(*n*) Euchólog. p. 335 — 338. *Ἐπιτιμᾷ σε κύριος, διάβολε, ὁ παραγενόμενος εἰς τὸν κόσμον, καὶ κατασκηνώσας ἐν ἀνθρώποις, ἵνα τὴν σὴν καθέλῃ τυραννίδα καὶ τοὺς ἀνθρώπους ἐξέληται. κ. τ. λ.* Increpat te, diabole, dominus, qui aduenit in mundum, & habitauit in hominibus, vt homines ſublata tua tyrannide liberaret cetera.

(*o*) Mabillon. Muſæum Italic. tom. I. part. II. p. 323. *Facies ſignum* † *in eum* (chriſtianum faciendum) *& dices ſymbolum.* Accipe ſignum crucis tam in fronte, quam in corde. Semper eſto fidelis. Templum Dei ingredere, idola derelinque. Cole Deum patrem omnipotentem, & Ieſum Chriſtum filium eius, qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos & ſæculum per ignem, cum ſpiritu ſancto in ſæcula ſæculorum. *Poſt hac inſufflabis in os eius ter & dices.* Accipe Spiritum ſanctum, *& in corde teneas.*

(*p*) Auguſtin. confeſſ. lib. I. c. XI. vid. cap. I. §. III. litt. (r) pag. 6.

(*q*) Ambroſ. de iis, qui initiantur c. IV. Credit etiam catechumenus in crucem domini Ieſu, qua & ipſe ſignatur.

§. IX.

## §. IX.

### *Partim ieiunii, abstinentiæ, confessionis & pœnitentiæ exercitiis.*

DVRANTE eodem hoc viginti dierum interuallo catechumeni etiam abstinentia & ieiuniis, tamquam accommodata ad recipiendum baptismum præparatione, exercebantur. Concilium *Carthaginense* [r] quartum canonem habet, hæc omnia coniungentem: *Baptizandi nomen suum dent, & diu sub abstinentia vini & carnium ac manus impositione crebra examinati baptismum recipiant.* Similiter AVGVSTINVS [s] abstinentiam, ieiunia, & exorcismos coniungit, speciatim abstinentiæ ab vsu coniugii, durante hoc præparationis ad baptismum tempore præstandæ, faciens mentionem. Ita SOCRATES [t], *Burgundiones* ab episcopo quodam *Gallicano* baptismum petentes, septem dies prius ieiunare iussos & sic baptismo donatos esse, memoriæ prodidit. Et quum impostor quidam *Iudæus*, qui *Arianorum* & *Macedonianorum* baptismum susceperat, tandem ad *Paulum Nouatianorum* episcopum accessisset, seque baptismi percipiendi desiderio flagrare adfirmans, vt per ipsius manus illum susciperet, obsecrasset, idem auctor [u] obseruat, quod *Paulus* baptismum ei se daturum negauerit, priusquam rudimentis fidei esset institutus, &

(r) Concil. Carthagin. IV. c. LXXXIV. (tom. II. concil. p. 1206.)

(s) Augustin. de fide & operib. c. VI. (tom. IV. opp. p. 60.) Sine dubio non admitterentur, si per ipsos dies, quibus eamdem gratiam percepturi, suis nominibus datis, *abstinentia, ieiuniis exorcismisque* purgantur, cum suis legitimis & veris vxoribus se concubituros profiterentur, atque huius rei, quamuis alio tempore licitæ, paucis ipsis solemnibus diebus nullam continentiam seruaturos.

(t) Socrat. lib. VII. c. XXX. ὁ ἐπὶ ἑπτὰ ἡμέρας παρασκευάσας νηστεῦσαι αὐτοὺς, καὶ τὴν πίστιν κατηχήσας αὐτοὺς, τῇ ὀγδόῃ ἡμέρᾳ βαπτίσας ἀπέλυσε. *Quum septem dies ieiunare eos iussisset*, ac fidei rudimentis instituisset, octauo tandem die baptismo donatos dimisit.

(u) Socrat. lib. VII. c. XVII. Ἰουδαῖός τις ἀπατεὼν χριστιανίζειν ὑποκρινόμενος, πολλάκις ἐβαπτίζετο, καὶ διὰ ταύτης τῆς τέχνης χρήματα συνελέγετο· ὡς δὲ πολλὰς αἱρέσεις τῇ τέχνῃ ἠπάτησε· καὶ γὰρ Ἀρειανῶν καὶ Μακεδονιανῶν ἐδέξατο βάπτισμα· μηκέτι ἔχων οὓς ἀπατήσειεν, τέλος ἥκει πρὸς τὸν Ναυατιανῶν ἐπίσκοπον Παῦλον καὶ τοῦ βαπτίσματος ἐπιθυμεῖν εἰπὼν, διὰ τῆς αὐτοῦ χειρὸς παρεκάλει τούτου τυχεῖν· ὁ δὲ ἀποδέχεσθαι μὲν αὐτοῦ τὴν προαίρεσιν· οὐ πρότερον δὲ ἔφη δώσειν τὸ βάπτισμα, εἰ μὴ κατηχηθείη τὸν περὶ τῆς πίστεως λόγον, μετὰ τοῦ νηστείαις σχολάσαι ἡμέρας πολλάς.

complures adhæc dies *ieiuniis* vacasset. Hæc ieiunia IVSTINO MARTYRI quoque & TERTVLLIANO, de hominum præparatione ad baptismum loquentibus, memorantur: *Quicumque persuasi fuerint*, inquit IVSTINVS MARTYR [x], *& crediderint, vera esse, quæ a nobis traduntur & dicuntur, ac viuere se ita posse receperint, orare IEIVNANTES, & petere a Deo priorum peccatorum remissionem docentur, nobiscum illis vna & orantibus & ieiunantibus.* Ita TERTVLLIANVS [y] ait: *Ingressuros baptismum orationibus crebris, IEIVNIIS & geniculationibus & peruigiliis orare oportet, & cum confessione omnium retro delictorum, vt exponant etiam baptismum Ioannis. Tingebantur, inquit, confitentes delicta sua. Nobis gratulandum est, si non publice confitemur iniquitates aut turpitudines nostras.* Vnde colligere nobis licebit, hasce confessiones interdum publicas fuisse, interdum vero priuatas; vtpote pro sapientia ecclesiæ iniunctas. Qui plura hac de re videre cupit, CYRILLI *catecheses* [z] & GREGORII NAZIANZENI *orationem de baptismo* [a] consulat, qui confessioni, precationibus & ieiuniis chameunias, gemitus & lacrimas,

(x) Iustin. Mart. apolog. II. p. 93. ὅσοι ἂν πεισθῶσι καὶ πιστεύωσιν ἀληθῆ ταῦτα τὰ ὑφ' ἡμῶν διδασκόμενα καὶ λεγόμενα εἶναι, καὶ βιοῦν οὕτως δύνασθαι ὑπισχνῶνται, εὔχεσθαί τε καὶ αἰτεῖν νηστεύοντες παρὰ τοῦ Θεοῦ τῶν προημαρτημένων ἄφεσιν διδάσκονται, ἡμῶν συνευχομένων καὶ συννηστευόντων αὐτοῖς.

(y) Tertull. de baptism. c. XX.

(z) Cyrill. catech. I. n. V. p. 10. Καιρὸς ἐξομολογήσεως ὁ παρών. Ἐξομολόγησαι τὰ πεπραγμένα, τὰ ἐν λόγῳ καὶ ἐν ἔργῳ, τὰ ἐν νυκτὶ, τὰ ἐν ἡμέρᾳ. Tempus præsens est tempus confessionis. Confitere, quæ perpetrasti, siue verbo, siue opere, siue noctu, siue interdiu.

Ibid. n. VI. p. 10. Εἴ τι κατά τινος ἔχεις, ἄφες· προσέρχῃ λαβεῖν ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, ἀνάγκη καὶ σὲ συγχωρῆσαι τῷ ἡμαρτηκότι. Reputa, si quid contra aliquem habes, & dimitte. Accedis accepturus remissionem peccatorum, necesse est, vt & tu delinquenti ignoscas.

(a) Nazianz. orat. XL. de baptismo p. 657. c. Μὴ ἀπαξιώσῃς ἐξαγορεῦσαί σου τὴν ἁμαρτίαν, εἰδὼς ὅπως Ἰωάννης ἐβάπτισεν, ἵνα τὴν ἐκεῖθεν αἰσχύνην τῇ ἐνταῦθα φύγῃς. Ne *peccatum* tuum *confiteri* graue ducas, sciens, quo pacto Ioannes baptizauerit: vt per huius vitæ pudorem futuri sæculi pudorem ignominiamque fugias.

Ibid. p. 660. b. Καλόν σοι βοήθημα πρὸς τὸ τυχεῖν, ὧν ἐπιποθεῖς, ἀγρυπνίαι, νηστεῖαι, χαμευνίαι, προσευχαὶ, δάκρυον, οἶκτος, τῶν δεομένων μετάδοσις. Magnum tibi ad ea, quæ cupis, adsequenda & retinenda, subsidium attulerint vigiliæ, ieiunia, chameuniæ, orationes, lacrimæ, commiseratio pauperum, largitio.

Ibid. d. ἐὰν χρεωφειλέτην λάβῃς προσπίπτοντα, πᾶσαν συγγραφὴν ἄδικον καὶ δι-

mas, & iniuriarum condonationem addunt, tamquam vera animi pœnitentis signa, antequam quis ad sigillum remissionis peccatorum, ex manu Dei per ecclesiæ suæ ministrum recipiendum, accedat.

## §. X.

### *Partim memoriæ mandando symboli fidei & orationis dominicæ verba.*

Hoc tempore *competentes* verba etiam symboli fidei docebantur, quæ memoriæ mandare debebant, coram episcopo in vltimo examine ante baptismum recitanda. Hæc institutionis catecheticæ pars ab ipso sæpenumero episcopo peragebatur, vti ex AMBROSIO [*b*] discere possumus, quando *competentes* ab aliis catechumenis sic distinguit: *Dimissis catechumenis symbolum aliquibus competentibus tradebam in baptisteriis basilicæ.* Hoc in quibusdam ecclesiis viginti diebus ante baptismum fiebat; ita enim pro ecclesiis *Hispanicis* concilium *Bracarense* [*c*] secundum statuit. Sed concilium *Agathense* in *Gallia* [*d*] de octo tantum diebus ante festum resurrectionis *CHRISTI* loquitur, *dominicam palmarum* constituens, qua in omnibus ecclesiis *Gallicanis* symbolum competentibus publice tradi debeat. Sed fortassis distinguendum fuerit inter publicam & priuatam competentium in symbolo fidei institutionem; atque ita altera priuatim viginti diebus ante a catechistis in baptisteriis seu scholis catecheticis,

καὶ ἂν διάσπασον· μνήσθητι τῶν μυρίων ταλάντων, ὧν σοι Χριστὸς ἐχαρίσατο· μὴ γίνῃ πράκτωρ πικρὸς τοῦ ἐλάττονος χρέους καὶ ταῦτα πρὸς τοὺς ὁμοδούλους, ὁ τὸ πλεῖον παρὰ τοῦ δεσπότου συγχωρηθεὶς, μὴ καὶ τῆς ἐκείνου φιλανθρωπίας ὑπόσχῃς δίκην, ἣν οὐκ ἐμιμήσω λαβὼν ὑπόδειγμα. Si debitorem nactus sis, ad pedes tuos sese abiicientem, syngrapham omnem, tam iustam quam iniustam, concerpe. Decem illa talentorum millia, quæ tibi Christus remisit, in memoriam reuoca. Noli te acerbum minoris debiti exactorem præbere, & quidem conseruis: quum tibi a domino maior summa condonata sit: ne humanitatis quoque illius, quam tibi in exemplum propositam haud quaquam imitatus es, pœnæ a te expetantur.

(*b*) Ambros. epist. XXXIII. ad Marcellinam sororem p. 158.

(*c*) Concil. Bracar. II. al. III. can. I. (tom. V. concil. p. 896.) Ante viginti dies baptismi - catechumeni symbolum, quod est, credo in Deum patrem omnipotentem, specialiter doceantur.

(*d*) Concil. Agath. c. XIII. (tom. IV. concil. p. 1386.) Symbolum etiam placuit ab omnibus ecclesiis vna die, id est, ante octo dies dominicæ resurrectionis, publice in ecclesia competentibus tradi.



altera

altera autem publice octo diebus ante, ab ecclesiæ ministris fieri potuit. Sed vtcumque res se habuit, certus quidam dies catechumenis præstitutus erat, quo rationem de fidei symbolo reddere debebant, & hic erat dies parasceues, seu proximus ante domini nostri *IESV CHRISTI* passionem, quem concilium *Laodicenum* [e] quintam maioris hebdomadis feriam appellat, vbi eos, qui baptizandi erant, fidem, quam memoriæ mandarant, episcopo vel presbyteris ecclesiæ recitare oportebat. Et hic vnus solus dies per plura sæcula fuit, quo symbolum fidei in ecclesiis *Græcis* fuit recitatum, vti THEODORVS LECTOR [f] fidem nobis facit, qui illud olim semel tantum per annum, die videlicet magnæ parasceues, siue dominicæ passionis, dum episcopus baptizandos examinaret, recitatum esse dicit. Fidei symbolo memoriæ mandato, orationem dominicam edocebantur, cuius vsus catechumenis ante baptismum vulgo haud permittebatur. Nam hæc oratio εὐχὴ πιστῶν, *fidelium oratio* dici solebat, quippe quæ peculiariter a solis baptizatis, qui per regenerationem filii Dei facti, ac priuilegium ad Deum, tamquam patrem suum cælestem, adeundi adepti erant, adhibebatur: quod catechumeni, (illi certe, qui ex prioribus ordinibus erant) facere proprie non poterant. Quando autem ad hunc vltimum competentium gradum peruenerant, proxime baptismum suscepturi, tum hæc precandi formula pars institutionis eorum euadebat, non autem antea. Quemadmodum ex FERRANDO diacono videmus, qui de ipsis loquitur, vt qui primum symboli fidei verba memoriter pronuntient, & deinde [g] do-

(e) Concil. Laodic. c. XLVI. (tom. I. conc. p. 1504.) Ὅτι δεῖ τοὺς φωτιζομένους τὴν πίστιν ἐκμανθάνειν, καὶ τῇ πέμπτῃ τῆς ἑβδομάδος ἀπαγγέλλειν τῷ ἐπισκόπῳ, ἢ τοῖς πρεσβυτέροις. Quod oportet eos, qui illuminantur, fidem discere & quinta hebdomadis feria episcopo renuntiare vel presbyteris.

(f) Theodor. Lect. lib. II. p. 563. Τιμόθεος τὸ τῶν τριακοσίων δέκα καὶ ὀκτὼ πατέρων τῆς πίστεως σύμβολον, κατ' ἑκάστην σύναξιν λέγεσθαι παρεσκεύασεν, ἐπὶ διαβολῇ δῆθεν Μακεδονίου, ὡς αὐτοῦ μὴ δεχομένου τὸ σύμβολον, ἅπαξ τοῦ ἔτους λεγόμενον πρότερον ἐν τῇ ἁγίᾳ παρασκευῇ τοῦ θείου πάθους, τῷ καιρῷ τῶν γινομένων ὑπὸ τοῦ ἐπισκόπου κατηχήσεων. Timotheus symbolum fidei trecentorum & duodeuiginti patrum, in singulis collectis recitari præcepit, in odium scilicet Macedonii, quasi ille non susciperet id symbolum: quod antea semel tantum recitabatur quotannis, die magnæ parasceues, siue dominicæ passionis, dum episcopus baptizandos catechizaret.

(g) Ferrand. epist. ad Fulgent. de catechisando Aethiope. Ipsa insuper sancti

mini-

minicam orationem condiscant. Idem ex CHRYSOSTOMO, AVGVSTINO & THEODORETO patet, de quibus cap. V. §. IX. vbi de antiqua celandi catechumenis sacra mysteria ratione agemus, magis particulariter dicendi locus erit.

§. XI.

*Nec non ea, quæ ad renuntiandum diabolo, & ad se adscribendum CHRISTO, nec non ad dandum alia responsa in baptismo pertinebant.*

VNA cum symbolo fidei aptas responsiones, quæ in baptismo dandæ erant, docebantur: speciatim illa verba, quæ ad renuntiandum diabolo & eius operibus & pompis, & cultui, & angelis, & artibus, cunctisque rebus ad eum spectantibus, & contra ad coniungendum se cum *CHRISTO*, eique se adscribendum pertinebant, condiscenda illis proponebantur. Quamuis enim istæ cærimoniæ, quatenus solemniter cum publica celebritate peragebantur, ad baptismum ipsum proprie spectarent; necesse tamen erat catechumenos prius institui, quemadmodum heic ipsi sese gerere deberent, vt ne earum rerum ignorantia ipsos, ad baptismum accedentes, anxios haberet & sollicitos. Et proinde *constitutionum apostolicarum* auctor [*h*] hanc specialem partem institutionis catechumenorum iam iam baptizandorum esse, iubet, vt in iis, quæ ad renuntiandum diabolo, & quæ ad se dedendum *CHRISTO* pertineant, erudiantur. Et reuera ad hæc non tantum in ipso baptismate suo; sed iam ante, tamquam legitimam ad illud præparationem, se se obstringebant: *Oportet enim*, inquit idem auctor, *catechumenum primo quidem abstinere a contrariis; & deinde ingredi ad mysteria, quum prius cor suum purgauerit ab omni peruersitate, macula & ruga, atque tunc demum ad sacramenta percipienda accedere.* Eadem res a TERTVLLIANO & FERRANDO, ecclesiæ *Carthaginensis* diacono, significatur. Nam FERRANDVS [*i*], catechume-

symboli verba memoriter in conspectu fidelis populi clara voce pronuntians, piam regulam dominicæ orationis accepit.

(*h*) Constitut. apostol. lib. VII. c. XL. *Καὶ ὅταν ᾖ πρὸς αὐτὸ λοιπὸν τὸ βαπτισθῆναι ὁ κατηχηθεὶς, μανθανέτω τὰ περὶ τῆς ἀποταγῆς τοῦ διαβόλου, καὶ τὰ περὶ τῆς συνταγῆς τοῦ χριστοῦ· δεῖ γὰρ αὐτὸν πρῶτον μὲν ἀπεχέσθαι τῶν ἐναντίων· καὶ τότε ἐντὸς γενέσθαι τῶν μυστηρίων, προκαθάραντα ἑαυτοῦ τὴν καρδίαν πάσης κακοηθείας, σπίλου τε καὶ ῥυτίδος, καὶ τότε τῶν ἁγίων μεταχεῖν.*

(*i*) Ferrand. epist. ad Fulgent. inter opera Fulgent. p. 606. edit. Lugdun. MDCLII.

nos eodem tempore, quo exorcizentur, diabolo ſe renuntiare publice profiteri, atque tum doceri ſymbolum, diſerte adfirmat. Et TERTVLLIANVS idem intelligit, quando hanc renuntiationem bis fieri dicit, primum quidem in eccleſia [*k*] ſub manu antiſtitis, & iterum, quando aquam baptiſmi adeant. Hinc pars antiqui officii diaconiſſarum erat, docere imperitas & ruſticas mulieres, quomodo ad quæſtiones, quas miniſter tempore baptiſmi eis propoſiturus eſſet, reſpondere deberent; quemadmodum ex canone quodam concilii *Carthaginenſis* quarti [*l*] oſtenſum fuit, quando alio loco [*m*] de officio diaconiſſarum loquuti ſumus.

## §. XII.

*Quid ſibi velit, quod competentes aliquamdiu ante baptiſmum velati incedere iuſſi ſint.*

PRAETER haſce vtilis diſciplinæ & inſtitutionis partes, fuerunt nonnullæ aliæ minoris momenti cærimoniæ, in catechumenos adhibitæ, quas non fas eſt penitus præterire. Inter haſce cærimonias conſuetudo obtinebat, vt competentes aliquot diebus ante baptiſmum velati irent: cuius rei mentionem facit CYRILLVS HIEROSOLYMITANVS [*n*], eiusque ſimul rationem ſignificat, *Velatus eſt vultus tuus*, inquiens, *vt mens tua vacet, neue oculus vagus efficiat, vt & mens vagetur: clauſis vero oculis aures minime impediuntur ſalutaria ſuſcipere.* AVGVSTINVS & IVNILIVS magis myſticam huius conſuetudinis rationem adferunt. Dicunt enim catechumenos in publicum velatos fuiſſe, tamquam typum gerentes ſeruitutis *Adæ* paradiſo excluſi: & iſto-

Per exorciſmum contra diabolum vindicatur: cui ſe renuntiare conſtanter, ſicut hic conſuetudo poſcebat, auditurus ſymbolum, profitetur.

(*k*) Tertull. de coron. milit. c. III. Aquam adituri, ibidem, ſed & aliquanto prius in eccleſia, ſub antiſtitis manu conteſtamur nos renuntiare diabolo, & pompæ & angelis eius.

(*l*) Concil. Carth. IV. c. XII. (tom. II. concil. p. 1201.) Viduæ vel ſanctimoniales, quæ ad miniſterium baptizandarum mulierum eliguntur, tam inſtructæ ſint ad officium, vt poſſint apto & ſacro ſermone docere imperitas & ruſticas mulieres, tempore quo baptizandæ ſunt, qualiter baptizatori interrogatæ reſpondeant, & qualiter accepto baptiſmo viuant.

(*m*) Lib. II. c. XXII. §. IX. vol. I. p. 953.

(*n*) Cyrill. præfat. ad cateches. n. V. p. 7. Ἐσκέπασταί σου τὸ πρόσωπον, ἵνα σχολάσῃ λοιπὸν ἡ διάνοια, ἵνα μὴ τὸ βλέμμα ῥεμβόμενον, ποιήσῃ ῥέμβεσθαι καὶ τὴν καρδίαν. τῶν δὲ ὀφθαλμῶν ἐσκεπασμένων οὐκ ἐμποδίζεται τὰ ὦτα δέξασθαι τὸ σωτήριον.

rum

rum velorum remotionem post baptismum [o] libertatis & vitæ spiritualis, per sacramentum regenerationis acceptæ, esse indicium. Quicquid vero illius est, testimonia plana sunt, istiusmodi cærimoniam in catechumenos fuisse vsurpatam: Verum, vt recte obseruat VALESIVS [p], non ad omnes in vniuersum, sed ad solos sic dictos competentes, illa spectauit.

## §. XIII.

*De cærimonia aperiendi aures catechumenorum*, Ephphata *vocitata.*

ALIA huiusmodi cærimonia erat consuetudo tangendi aures catechumenorum, eisque dicendi *Ephphata*, quod est, *aperire*, quam PETRVS CHRYSOLOGVS [q] cum impositione manus & exorcismis coniungit, & mysticam quamdam significationem ei tribuit, quando *Veniens ex gentibus*, inquit, *impositione manus & exorcismis ante a dæmone purgatur & apertionem aurium percipit, vt fidei capere possit auditum.* Et AMBROSIVS [r], vel quisquis auctor sub illius nomine latet, eamdem consuetudinem describit, originem eius ab exemplo seruatoris nostri, dicentis *Ephphata*, *aperire*, quum surdum sanaret & mutum, deriuans. Verum hæc consuetudo non adeo inualuisse in ecclesia videtur, nam præter hosce duos auctores vix vllus alius fuerit, qui eius mentionem faciat; & vtrum primo an vero vltimo catechumenorum ordini adhibita fuerit, non facile est ad definiendum.

---

(o) Augustin. serm. IV. in dominic. octau. paschæ CLV. de tempore. Hodie octauæ dicuntur infantium: Reuelanda sunt capita eorum, quod est indicium libertatis. Habet enim libertatem ista spiritualis natiuitas.
Iunil. de partibus diuinæ legis lib. II. c. XVI. bibl. patr. tom. I. p. 15. edit. Par. MDCLIV. Typum gerunt Adæ paradiso exclusi -- propter quod & per publicum capitibus tectis incedunt.

(p) Valesf. not. in Euseb. de vita Constantin. lib. IV. c. LXII. p. 227. d. Catechumeni tectis capitibus per publicum incedebant - - vt ait Iunilius: Quod quidem de *solis competentibus* intelligendum puto, qui non solum caput, verum etiam vultum velabant.

(q) Chrysolog. serm. LII. p. 286. (p. 139. edit. Paris. MDLXXXV.)

(r) Ambros. de iis qui initiantur. c. I. Quod vobis significauimus, quum *apertionis* celebrantes mysterium, diceremus, *Effeta*, quod est aperire. - - Hoc mysterium celebrauit Christus in euangelio, quum mutum curaret & surdum. Id. de sacram. lib. I. c. I. Mysteria celebrata sunt *apertionis*, quando tibi *aures tetigit* sacerdos & nares.

## §. XIV.

### *De more illinendi luto oculos catechumenorum. Quid ille significet.*

Idem de alia quadam cærimonia dici poterit, ambrosio memorata, quæ erat consuetudo illinendi luto oculos ad imitationem seruatoris, cæcum sanantis faciendo lutum ex sputo eoque illius illinendo oculos Io. IX, 6. Scopus huius cærimoniæ, auctore illo [s] interprete, eo spectabat, vt catechumeni peccata sua confiteri, vt conscientiam suam recognoscere, vt pœnitentiam agere delictorum, hoc est, sortem humanæ generationis agnoscere, condocerentur. avgvstinvs [t] quoque ad hunc morem in sermone suo de cæco, quem curauit seruator, respicere videtur, quando catechumenos ante baptismum inungi dicit, quemadmodum cæcus a Christo inunctus & hoc ipso fortassis catechumenus factus sit.

## §. XV.

### *Num catechumeni tempore exorcismi ardentem facem manibus tenuerint.*

Vicecomes [u] & basnagivs [x] alius cuiusdam

(s) Ambros. de sacrament. lib. III. c. II. Ergo quando dedisti nomen tuum, tulit lutum & liniuit super oculos tuos. Quod significat, vt peccatum tuum fatereris, vt conscientiam tuam recognosceres, & pœnitentiam ageres delictorum, hoc est, sortem humanæ generationis agnosceres.

(t) Augustin. tractat. XLIV. in Ioann. tom. IX. p. 133. Paris. MDCXXXVII. (p. 324. edit. Basil. MDLXIX. d.) Lauit oculos in ea piscina, quæ interpretatur missus, baptizatus est in Christo. Si ergo quando eum in semetipso quodam modo baptizauit, tunc illuminauit: *quando inunxit, fortasse catechumenum fecit.* Potest quidem aliter atque aliter tanti sacramenti exponi profunditas & pertractari, sed hoc sufficiat caritati vestræ: audistis grande mysterium: Interroga hominem, christianus es? Respondet tibi: Non sum, Si paganus es aut iudæus? Si autem dixerit, non sum: adhuc quæris ab eo, catechumenus, an fidelis? Si responderit tibi, *catechumenus, inunctus est, nondum lotus,* cetera.

(u) Vicecomes de ritib. baptism. lib. II. c. XXXII. cuius inscriptio ita habet: *In exorcismo catechumenos ardentem cereum manu tenuisse, & ad occidentem spectasse.* In capite ipso sic loquitur: Amplius ardentem cereum manu tenebant, quod ex Cypriani profluxit fonte, qui epist. II. ad Donat. ait: *immundos & erraticos spiritus ad confessionem minis increpantibus cogere, vt recedant, diris verberibus vrgere, conflictantes, eiulantes, gementes, incremento pœnæ propagantis extendere, flagris cædere, igne torrere.* Vbi de exorcismo baptismali loquutum esse, satis apparet: tum quia baptismum

con-

consuetudinis, ex ipsorum sententia ecclesiæ *Africanæ* peculia-

---

sium in ea epistola explicat, tum etiam quod infra subdit: *quantus hic animi potentatus, quanta vis est? non tantum ipsum esse subtractum perniciosis contactibus mundi, vt quis expiatus & purus nulla incursantis inimici labe capiatur, sed etiam maiorem & fortiorem viribus fieri, vt in omnem aduersarii grassantis exercitum, imperioso iure dominetur.* Quæ verba ad baptismum referri oportere omnes intelligunt. Et si de exorcismo, cuius vi ex obsessis hominum corporibus, dæmones exagitatores excutiuntur, sermo esset: tamen quin idem de baptismali quoque dici possit, nulla ratione mihi persuadeo, eo magis, quod S. Augustini verba, quibus eiusdem rei meminit, his similia videntur, sicut apud eum vidimus enarratione in psalm. 65. cum explicans verba illa, *transiuimus per ignem & aquam* sic scribit: *ignis & aqua vtrumque periculosum est in hac vita, certe videtur aqua ignem extinguere & ignis videtur aquam siccare: ita & ipsæ tentationes sunt, quibus abundat hæc vita. Ignis vrit, aqua corrumpit. Vtrumque metuendum & vstio tribulationis & aqua corruptionis, quando sunt res angustæ & aliquæ infelicitates sunt in hoc mundo, quasi ignis est; quando sunt res prosperæ & abundantia seculi circumfluit, quasi aqua est, vide ne te ignis exurat, ne te aqua corrumpat. Noli festinare ad aquam, per ignem transi ad aquam vt transeas & aquam, propterea & in sacramentis & in catechizando & in exorcizando adhibetur prius ignis. Nam vnde immundi spiritus plerumque clamant, ardeo, si ille ignis non est? post ignem autem exorcismi venitur ad baptismum, vt ab igne ad aquam, ab aqua ad refrigerium.* hæc ille. Sed ipse Albinus Flaccus illud ipsum planum facit, lib. de diuin. offic. c. 19. cum magni sabbati ceremonias explicans, inquit: *Cereus præcedit catechumenos nostros, lumen ipsius Christum significat, quo præsens nox illuminatur, gratia scilicet resurrectionis & catechumeni ad baptismum venturi.* & mox infra, vbi idem argumentum exsequitur: *Cereus, qui nouo igne accenditur, nouam Christi doctrinam, siue gratiam in nouo testamento, nouamque gratiam, qua nox dominica illustratur, designat, quod enim catechumenos præcedit ad baptismum, significat hoc, quod columna ignis præcedebat filios Israël, antequam mare rubrum transirent, vbi etiam figuraliter initium sumsit baptismus.* Ex quibus Cypriani, Augustini & Albini testimoniis, facile colligi potest, non modo eius cerei figuram in igne, qui Hebræos rubrum mare traiecturos, plane diuinitus præcessit, expressam esse, verum etiam caussam in mali dæmonis expulsionem, aut humanæ mentis ex Dei sapientia illustrationem coniici oportere, quibus adiici volumus, ignem & fidei signum fuisse, quæ sicut ille semper ad superiora contendit, & expiationis symbolum, quod eo veteres in purgationibus maxime vtebantur.

(x) Basnag. critic. in Baron. p. 488. In Africa, ni fallor, vsus luminis adhibebatur in catechismo: Augustin. in Psalm. LXVII. *Noli festinare ad aquam, vt transeas ad aquam; propterea & in sacramento, & in catechizando & in exorcizando adhibetur prius ignis.* Eo tendebat & ille ritus, vt igne significaretur spiritus sancti illustratio.

 ris,

ris, mentionem faciunt, nimirum quod catechumeni tempore exorcismi ardentem facem manibus tenuerint, vt, (quemadmodum BASNAGIVS istum ritum explanat) igne significaretur spiritus sancti illustratio, vel, vt VICECOMES vult, exorcismi in expellendo Satana potestas. Verum ipsorum obseruationem mero errore fundari puto, quando quædam CYPRIANI & AVGVSTINI verba litterali sensu accipiuntur, quæ figurata tantum sunt & metaphorica. CYPRIANVS de potestate christianorum in immundos spiritus loquens, inter alia [y] *Facultas*, inquit, *datur immundos & erraticos spiritus, qui se expugnandis hominibus immerserint, ad confessionem minis increpantibus cogere; vt recedant, duris verberibus vrgere; conflictantes, eiulantes, gementes, incremento pœnæ propagantis extendere, flagris cædere, IGNE TORRERE.* Vbi lectori cuilibet, præiudicatis opinionibus libero, perspicuum & manifestum est, quod ignis exorcismi, de quo heic sermo est, eiusdem cum verberibus, flagris & plagis generis sit; hoc est, spiritualis & inuisibilis spiritus sancti potestas, vt CYPRIANVS ipse statim explicat, quando ait: *Res illic geritur, nec videtur: occulta plaga, & pœna manifesta.* Vt adeo non fuerit ignis visibilis vel fax ardens in manibus cathechumenorum, de quo CYPRIANVS loquitur, vti opinatur VICECOMES, sed inuisibilis ignis seu potestas spiritus sancti. Idem ille ignis est, quem intelligit AVGVSTINVS, cuius vnius auctoritatem, ad hanc consuetudinem adserendam, vrget BASNAGIVS. Loquitur omnino de igne in sacramentis [z], & in catechizando, & in exorcizando adhiberi solito. Nam *Vnde*, inquit, *immundi spiritus plerumque clamant, ardeo, si ille ignis non est. Post ignem autem exorcismi venitur ad baptismum: vt ab igne ad aquam, ab aqua ad refrigerium.* Nihil prorsus heic est, quod facem ardentem in manibus catechumenorum significare possit, quæ certe nullam immundum spiritum exurendi vim habet. Verum ignis exorcismi est inuisibilis spiritus sancti ignis, hoc est ἐνέργεια & potens diuini spiritus operatio, quæ dæmones verbo expellit, facitque, vt Satanas vt fulgur de cælo cadat. Quamquam hunc morem sæculis posterioribus in ecclesiam introductum fuisse, non negauerim; Nam ALBINVS

(y) Cyprian. ad Donat. p. 3. (edit. Par. MDCXLVIII.)

(z) Augustin. enarrat. in psalm. LXV. p. 277. (p. 179. tom. VIII. edit. Basil.)

FLAC-

FLACCVS, qui de *diuinis officiis* sæculo VIII. scripsit, de consuetudine isti simili loquitur [*a*], tamquam vsitata ad minimum nocte ante, quam catechumeni baptizarentur. Nam vigiliam maioris sabbathi ante pascha describens, *Cereus*, inquit, *praecedit catechumenos nostros, lumen ipsius Christum significat, quo praesens nox illuminetur, gratia scilicet resurrectionis & catechumeni ad baptismum venturi.* Et hoc est, quo deceptus est VICECOMES, qui omnes recentiores consuetudines faciem antiquitatis habere cupit, adeoque CYPRIANI & AVGVSTINI verba contorquet, vt nouae caerimoniae, quae ipsorum aeuo in nullius incidit cogitationem, patrocinentur.

## §. XVI.

### *Quid per sacramentum catechumenorum intelligendum sit.*

ALIVS quidem error, in multis recentiorum auctorum scriptis obuius, est, qui ad rem eam attinet, quam veteres sacramentum catechumenorum appellant. Statuunt illi, catechumenos, licet sacra eucharistia vtendi haud habuerint veniam, simile tamen aliquid habuisse, quod *eulogias*, siue *panem benedictum* vocant, de ipsis illis oblationibus sumtum, de quibus ipsa eucharistia olim sumta fuit. BARONIVS [*b*] hanc opinionem primus defendit, & post eum BELLARMINVS [*c*], VICECOMES [*d*],

(*a*) Albin. al. Alcuin. de diuin. offic. c. XIX.

(*b*) Baron. an. CCCXIII. n. LV. Sanctus Augustinus nominat sacramentum panem benedictum, ipsis catechumenis impertiri solitum. cetera.

(*c*) Bellarmin. de sacram. matrimon. lib. I. c. III. (p. 501. a. Colon. MDCXV.) Quae sunt sacramenta improprie & largo quodam sensu, non solent, nisi raro & cum addito sacramenta nominari. Exemplum esse potest in eo pane sanctificato, qui dabatur catechumenis loco eucharistiae; nam eum panem vocat Augustinus sacramentum lib. II. de peccator. merit. & remiss. c. XXVI. sed id semel tantum fecit & in eodem loco admonuit, eum panem non esse corpus Christi & catechumenis non sufficere ad salutem.

(*d*) Vicecomes de ritib. bapt. lib. II. c. IX. p. 259. Quum eucharistiae sacramento, fidelium more, expiari non possent, optimo iure factum est, vt sanctificato pane (sic enim vocant) vel sale, instar caelestis pabuli, reficerentur, cuius rei multos locupletes & idoneos auctores habeo, vt concilium Carthaginense I. cuius haec sunt ex cap. 5. item placuit, vt etiam post solennissimos paschales dies, sacramentum catechumenis non detur, nisi solitum sal; quia si fideles per illos dies sacramentum non mutant, nec catechumenis oportet mutari. Et S. Augustinum, qui lib. de peccat. merit. & remiss. c. 26. dum varias rationes sanctitatis acquirendae, & in principem amicitiae & gratiae Dei locum perueniendi refert, ita loquitur: Non vniusmodi est san-

ALBASPINAEVS [e], PETAVIVS [f], BEVEREGIVS episcopus [g], ESTIVS, MALDONATVS & multi alii eamdem sententiam sunt amplexi. Sed ista opinio male intellecto loco AVGVSTINI innititur, qui quidem de re aliqua loquitur, quæ ex istius æui stilo *sacramentum catechumenorum* vocabatur, sed panem consecratum vel partem eiusdem eulogiæ, ex qua eucharistia sumebatur, fuisse non dicit. Verba illius sic habent: *Quod [h] accipiunt catechumeni, quamuis non sit corpus CHRISTI, sanctum est tamen, & sanctius quam cibi, quibus alimur, quoniam sacramentum est.* Sacramentum vocat ex more istius sæculi, ex quo res quælibet sacramentum dici solebat, quæ aliquid mysterii vel spiritualem significatum in se habebat. Sed hoc sacramentum non fuisse panem consecratum, sed salis duntaxat particulam, ex AVGVSTINO condiscere est, qui ipse de se, tamquam catechumeno, loquens, eo se tempore [i] signo crucis *CHRISTI* signatum eiusque sale

---

ctificatio. Nam & catechumenos secundum quemdam modum suum per signum Christi & orationem manus impositionis, puto sanctificari, & quod accipiunt, quamuis non sit corpus Christi, sanctum est tamen, & sanctius, quam cibi, quibus alimur, quoniam sacramentum est. Vbi quamuis eius rei, quam probamus, expressa mentio non fiat, tamen & ex eo, quod corporis alimento comparatur, panem, & quia sanctum, siue sanctius appellatur, a communi vsu certis precibus exemtum fuisse, perspicuum est, vt non immerito nostri scriptores, coniunctis nominibus, panem sanctificatum appellauerint.

(e) Albaspin. obseruat. lib. II. c. XXXVI. p. 442 -- 447.

(f) Petau. animaduers. in Epiph. exposit. fidei p. 366. Quum sal catechumenis præberi consuetum esset, appetentibus paschatis feriis extraordinarium quiddam concessum illis est. Non vtique eucharistia; nec enim tantum insanisse quemquam arbitror. Neque vero sacramentum intelligi puto symbolum: Sed panem ipsum, ac vinum, ex quo eucharistia consecrata fuerat.

(g) Beuereg. not. in can. II. conc. Antiochen. Non consecrati sunt hi panes, sed tantum cum benedictione inter populos distributi. Vnde & monachi in pœnis existentes participes eorum esse possunt; vt ex Nicephori confessoris canonibus patet, vbi dicitur, τοὺς ὅλας κ. τ. λ. De hoc pane etiam, vt a catechumenis accepto, D. Augustinus meminisse videtur, vbi ait, *Nam & catechumenos, secundum quemdam modum suum per signum Christi & orationem manus impositionis puto sanctificari: Et quod accipiunt, quamvis non sit corpus Christi, sanctum est tamen & sanctius quam cibi, quibus alimur.*

Estius in sentent. lib. IV. distinct. X. sect. V.

(h) Augustin. de peccator. meritis lib. II. c. XXVI.

(i) Aug. confess. lib. I. c. XI. Audieram ego adhuc puer de vita æterna nobis

con-

conditum esse, dicit. Et hoc ipsum fuisse, nec quidpiam amplius, ex concilii *Carthaginensis* tertii, cui AVGVSTINVS ipse interfuit, canone aliquo patet, ita decernente: *Placuit* [k], *vt per solemnissimos paschales dies sacramentum catechumenis non detur, nisi solitum sal: quia si fideles per illos dies sacramenta non mutant, non catechumenis oportet mutari.* Ex quibus verbis facile ad colligendum est, per sacramentum catechumenorum nihil intelligendum esse aliud, quam hanc aliquid salis eis dandi cærimoniam, perinde vt lac & mel post baptismum egressis de lauacro degustandum dari consueuit, vti BONA cardinalis [l], ALBERTINVS [m] & BASNAGIVS [n] recte concluserunt: quum huius rei scopus non esset, vt illis quidpiam in imitationem daretur eucharistiæ, quippe quam illos semper celabant; sed vt

promissa per humilitatem filii tui domini Dei nostri, & signabar iam signo crucis & *condiebar eius sale.*

(k) Concil. Carthag. III. c. V. (tom. II. concil. p. 1167.)

(l) Bon. rer. liturgic. lib. I. c. XVI. n. III. Etiam eulogiæ, siue panis reliquiæ, quæ distribui solebant post missam, negabantur catechumenis, vt constat ex cap. VII. Theophili Alexandrini cum Balsamonis explicatione. Nam quum panis vsualis & communis aliquid in terram decuti, anxie, eo quod esset materia eucharistiæ, fideles paterentur, vt loquitur Tertullianus; multo magis inconueniens existimabant, frusta panis benedicti dare profanis & nondum initiatis. *Illis* tamen *dabant sal*, non solum in baptismate, sed etiam *in catechumenatu*, ad quem ritum, non autem ad eulogias respexit Augustinus lib. II. de pecc. merit. & remission. c. XXVII. quum ait: *Quod accipiunt*, cetera. Et lib. I. confess. c. XI. *Audietur ego*, cetera. Hoc vnicum erat catechumenorum sacramentum, de quo concil. III. Carthag. c. V. *Placuit*, cetera. Mos autem in hoc canone præscriptus vigebat in Gallia tempore Caroli magni; eius enim capitularia. lib. VII. pag. 109. præcipiunt, vt in paschate sacramentum catechumenis non detur, sed tantum *benedictum sal* a sacerdotibus pro communione tribuatur. Post baptismum vero egressi de lauacro mel & lac degustabant, tamquam symbola mysticæ infantiæ.

(m) Albertin. de eucharist. lib. II. p. 650. b. Quid illud est, quod catechumenos accipere Augustinus intelligit? Perronius & Cosletellus id de sale exponunt; & quidem, ni fallor, rectissime. cetera.

(n) Basnag. exercit. critic. in Baron. p. 487. Per animos virorum eruditissimorum peruasit opinio, panem benedictum fuisse competentibus erogatum: sic Bellarminus; - - Sic Maldonatus; sic Baronius; immo sic breuiaria ecclesiæ Rom. atque manualia. - - - Sed falluntur animi; cibus ille a catechumenis acceptus, *sal* fuit, non panis: Augustinum ipsum adduco testem lib. I. c. XI. - - - *condiebar eius sale.* Hoc vnicum fuit sacramentum, quod in vicem corporis Christi dabatur catechumenis. cetera.

ex hoc ſymbolo animas ſuas peccatis purgare diſcerent & mundare, quandoquidem ſal puritatis & munditiei emblema eſt.

§. XVII.

*Quemadmodum catechumeni puniti fuerint, in grauiora peccata delapſi.*

Dvo adhuc de diſciplina catechumenorum obſeruanda reſtant. Alterum ad eas cenſuras & pœnas ſpectat, quibus adfici conſueuere, in grauiora quædam & publicam offenſionem habentia peccata delapſi. Qui quum nondum ad plenam eccleſiæ communionem eſſent admiſſi, non velut alii flagitioſi puniri poterant, quum ſeueris iſtis pœnitentiæ regulis, quibus alii, qui grande aliquod ſcelus patraſſent, non tenerentur; neque eccleſia in illos eam ſeueritatem, qua in pœnitentes, qui poſt baptiſmum lapſi erant, vtebatur, adhibere conſultum ducebat. Sed eorum pœna plerumque erat de vno catechumenorum gradu in alterum relegatio, aut certe baptiſmi eorum ad mortis vſque horam prorogatio. Hoc ex quinto concilii *Neocæſareenſis* canone euidenter patet, qui de diuerſis catechumenorum gradibus eorumque pœnis ita fatur: *Catechumenus* [*nn*], *qui ingreditur eccleſiam, & in ordine eorum, qui inſtruuntur, adſiſtit, is autem peccat, ſi genu quidem flectens, audiat, vt non peccet vlterius, ſi vero & audiens peccauerit, expellatur.* In eumdem modum ſynodus magna *Nicæna* [*o*] decreuit, *De catechumenis*, inquiens, (per quos ſpeciatim genuflectentes intelligit) *lapſis ſanctæ & magnæ ſynodo placuit, vt tribus annis ſint inter audientes tantummodo, poſt hæc autem cum catechumenis orent.* In concilio *Illiberritano* diuerſi canones in hanc ſententiam leguntur. Nam etſi ex huius concilii regula duo tantum annos catechumeni eſſe [*p*] debebant; tamen, ſi lapſi eſſent, pro peccatorum ſuorum natura & ratione annos tres, interdum quinque, & nonnumquam ad horam vſque mortis catechumenos manere eos oportebat, antequam ad baptiſmum admitterentur. Si quis catechumenus flaminis

(*nn*) Concil. Neocæſar. can. V. vid. ſupr. §. II. ſub litt. (k) pag. 17.

(*o*) Concil. Nicæn. c. XIV. vid. §. III. huius cap. ſub litt. (m) p. 19.

(*p*) Concil. Eliber. c. XLII. (tom. I. conc. p. 975.) Eos qui ad fidem primam credulitatis accedunt, ſi bonæ fuerint conuerſationis, intra biennium placuit ad baptiſmi gratiam admitti debere; niſi infirmitate compellente coëgerit ratio, vel ocyus (al. ſocio) ſubuenire periclitanti, vel gratiam poſtulanti.

ethni-

ethnici vices expleuiſſet, & ſe ſacrificiis [q] abſtinens vſitata tantum ſpectacula exhibuiſſet, prorogatione baptiſmi ad triennium a tempore, quo lapſus fuerat, puniebatur. Si qua femina catechumena reliquiſſet maritum ſuum [r], baptiſmus quinquennium differebatur. Sin autem per adulterium concepiſſet, & vllis artibus ad necandum fœtum vſa eſſet, baptiſmus ad exitum vſque vitæ [s] prorogabatur. Et hæc grauiſſima pœna erat, quæ catechumenis vmquam ſolebat infligi. Quamuis enim in hoc concilio ſæpius communio in ipſa hora mortis fidelibus poſt baptiſmum lapſis negetur; nullum tamen exemplum vel regulam heic vel vſquam alibi inuenimus, qua catechumeni in vitæ exitu a baptiſmo prohibeantur. Sexageſimus ſeptimus huius concilii canon [t] propter quædam crimina a communione eos arceri iubet; quæ eadem pœna eſt, quam concilium *Neocæſareenſe* expulſionem ex eccleſia, ſeu reductionem ad infimum priuatorum catechumenorum gradum, vocat, quibus eccleſiam ingredi non erat permiſſum. Sed hoc facto, ſi qui poſtea [u] vera pœnitentiæ ſigna ederent, deſideriumque baptiſmi haberent, ad hoc priuilegium in ipſa hora mor-

(q) Concil. Eliberit. c. IV. (ibid. p. 971.) Item flamines, ſi fuerint catechumeni & ſe a ſacrificiis abſtinuerint, poſt triennii tempora placuit ad baptiſmum admitti debere.

(r) Concil. Eliber. c. X. XI. Si ea, quam catechumenus reliquit, duxerit maritum, poteſt ad fontem lauacri admitti. Hoc & circa feminas catechumenas erit obſeruandum. - - Intra quinquennii tempora, catechumena ſi grauiter fuerit infirmata, dandum ei baptiſmum placuit, non denegari.

(s) Ibid. can. LXVIII. Catechumena, ſi per adulterium conceperit & conceptum necauerit, placuit in fine baptizari.
Ibid. c. LXXIII. Delator ſi quis extiterit fidelis & per delationem eius aliquis fuerit proſcriptus, vel interfectus, placuit eum nec in fine (al. non niſi in fine) accipere communionem. Si leuior cauſſa fuerit, intra quinquennium accipere poterit communionem. *Si catechumenus fuerit, poſt quinquennii tempora admittatur ad baptiſmum.*

(t) Concil. Elib. c. LXVII. Prohibendum, ne qua fidelis vel catechumena, aut comatos, aut viros cinerarios (al. comicos, aut viros ſcenicos) habeant. Quæcumque hoc fecerint, *a communione arceantur.*

(u) Concil. Eliber. c. XLV. Qui aliquando fuerit catechumenus & per infinita tempora numquam ad eccleſiam acceſſerit, ſi eum de clero quiſquam cognouerit eſſe (al. voluiſſe eſſe) chriſtianum, aut teſtes aliqui extiterint fideles, placuit ei baptiſmum non negari, eo quod in veterem hominem (al. in vetere homine) deliquiſſe videatur.

tis, si non prius, admittebantur. Cuius moderationis, in illos præ aliis adhibitæ, rationem hoc concilium reddit eam, quod nondum regeniti in vetere homine deliquisse videantur, adeoque eorum crimina facilius, quam fidelium post acceptum baptismum, condonari possint. Hæc distinctio erat, inter catechumenorum & eorum, qui ad maiorem perfectionem in ecclesia peruenerant, punitionem vniuersaliter obseruata.

§. XVIII.

*Quomodo ab ecclesia tractati fuerint, sine baptismo defuncti.*

QVOD si vero catechumeni sine baptismo ex neglectu vel sua ipsorum culpa mortui essent, vt alii malefici sceleratique homines, qui christiana sepultura indignos se ipsi reddiderant, puniebantur. Eodem habebantur loco, quo illi, qui sibi ipsi mortem consciuerant, vel de quibus propter admissa facinora publice sumtum erat supplicium. Concilium *Bracarense* primum hos omnes coniungit [x] tamquam indignos, qui cum psalmis ad sepulturam deducantur, vel quorum inter fideles in oblationibus & precibus ecclesiæ fiat commemoratio. Antiquis enim temporibus solemnes precationes, oblationes & gratiarum actiones in celebratione eucharistiæ pro omnibus illis fiebant, qui in fide *CHRISTI* & in plena ecclesiæ communione diem obiissent. Qui vero baptismum neglexerant, horum in numero non erant; adeoque cum silentio sepeliebantur, nec vmquam inter reliquos in precationibus ecclesiæ commemorabantur. CHRYSOSTOMVS [y] disertis verbis hoc eorum tantummodo priuilegium esse dicit, qui in fide decessissent,

(x) Concil. Bracar. I. c. XXXV. (apud Labb. concil. tom. V. p. 841. est concil. II. can. XVI. XVII.) Placuit, vt hi qui sibi ipsis aut per ferrum, aut per venenum, aut per præcipitium, aut suspendium, vel quolibet modo violentam inferunt mortem, nulla pro illis in oblatione commemoratio fiat, neque cum psalmis ad sepulturam eorum cadauera deducantur: multi enim sibi hoc per ignorantiam vsurpauerunt. Similiter & de his placuit, qui pro suis sceleribus puniuntur. Item placuit, vt *catechumenis* sine redemptione baptismi defunctis, simili modo, neque oblationis commemoratio, neque psallendi impendatur officium: nam & hoc per ignorantiam vsurpatum est.

(y) Chrysostom. hom. III. in Philipp. p. 1226. (tom. VI. p. 32. sq. edit. Francof.) *Κλαίωμεν τούτους, βοηθῶμεν αὐτοῖς κατὰ δύναμιν, ἐπινοήσωμεν αὐτοῖς τινα βοήθειαν, μικρὰν μὲν, βοηθεῖν δὲ ὅμως δυναμένην· πῶς γὰρ τινι τρόπῳ; αὐτοί τε εὐχόμενοι, καὶ ἑτέρους παρακαλοῦντες εὐχὰς ὑπὲρ αὐτῶν ποιεῖσθαι, πένησιν ὑπὲρ αὐτῶν διδόντες συνε-*

cate-

catechumenos vero hac consolatione & omni auxilio destitui, vno quodam excepto, vt nimirum liceat pauperibus pro ipsis dare.

## §. XIX.

### *Quid veteres de baptismi necessitate senserint.*

Haec disciplina ad eos manifesto attinebat, qui sanctum baptismi praeceptum contemnebant, eumque recipere negligebant, quum, tempore catechumenatus sui fere finito, per leges ecclesiae illum recipere debuissent. Sin autem nulla heic contemtio, sed improuisa quaedam & ineuitabilis necessitas ipsorum baptismum impediisset, dum ad eum recipiendum se se diligenter praeparassent; tum quidem paullo mitius a veteribus tractabantur, qui merum baptismi defectum, rebus ita se habentibus, non generatim in piaculis, homines beneficio communionis ecclesiasticae vel aeternae salutis spe priuantibus, ponebant. Equidem pauci aliquot ex illis seueri admodum sunt in infantes sine baptismo denatos, & alii nonnulli adultis hominibus sine illo mortuis vitam aeternam verbis generalioribus abiudicare videntur: Quando vero ipsi se se explicant, & distinctius loquuntur, non nihil concedunt, diuersos casus excipientes, in quibus baptismi inopia aliis remediis suppleri possit, si quidem ea non ex contemtu sed ex magna quadam necessitate & impotentia illum recipiendi proficiscatur. Necessitatem baptismi generatim ex duobus dictis seruatoris deriuant. *Qui crediderit*, inquientis, *& baptizatus fuerit, saluabitur*; Et, *Nisi quis fuerit genitus ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei.*

---

χῶς· ἔχει τινὰ τὸ πρᾶγμα παραμυθίαν. - - ἀλλὰ ταῦτα μὲν περὶ τῶν ἐν πίστει παρελθόντων· οἱ γὰρ κατηχούμενοι οὐδὲ ταύτης καταξιοῦνται τῆς παραμυθίας, ἀλλ' ἀπεστέρηνται πάσης τῆς τοιαύτης βοηθείας, πλὴν μιᾶς τινος. ποίας δὴ ταύτης; ἔξεστι πένησιν ὑπὲρ αὐτῶν διδόναι· ποιεῖ τινα αὐτοῖς παραψυχὴν τὸ πρᾶγμα. Hos lugeamus, opem pro viribus feramus, aliquod ipsis auxilium comparemus, exiguum illud quidem, sed quod tamen auxiliari queat. Quomodo, quaue ratione? cum ipsi preces fundentes, tum alios, vt pro ipsis fundant, obsecrantes, ac pro ipsis perpetuo dantes eleemosynas pauperibus. Adfert haec res aliquid solatii. - - Atque id quidem de iis, qui in fide decesserunt. *Catechumeni* vero *neque hac dignantur consolatione*; sed omni auxilio sunt destituti, vno quodam excepto. Quale vero hoc? licet pauperibus pro ipsis dare, atque hinc aliquid percipiunt refrigerationis.



Verum

Verum in horum verborum expositione sensum ad ordinariam salutis methodum, & istiusmodi casus, in quibus baptismus haberi potest, adstringunt. Quod autem ad casus extraordinarios attinet, in quibus baptismus, etsi ab hominibus concupitus, obtineri non poterat, diuersas formant exceptiones in aliarum rerum gratiam, quæ in istis circumstantiis ad supplendam eius priuationem sufficere credebantur.

## §. XX.

### *Baptismi defectus martyrio suppletus.*

PRAECIPVVS horum casuum exceptorum *martyrium* erat, quod plerumque *baptismi secundi*, & *baptismi sanguinis* nomine in veterum scriptis venit, eo quod homines per inuisibilem spiritus baptismum sine externo aquæ elemento, saluandi potestatem & efficaciam habere credebatur. Quo intuitu TERTVLLIANVS [z] non tantum *secundæ intinctionis* nomine illud dignatur, sed hoc homines exoptare pati, hoc gratiam Dei redimere [a] & omnem veniam de compensatione sanguinis expedire, dicit. Hoc secundum lauacrum [b], sanguinis scilicet, esse, quo seruator noster tinctus sit, quum iam aqua tinctus fuisset. Hunc baptismum esse, qui lauacrum & non acceptum repræsentet & perditum reddat. CYPRIANVS TERTVLLIANI, præceptoris sui, vestigia premit. Nam de catechumenis loquens, qui propter nominis CHRISTI confessionem capti erant & supplicio interfecti, antequam in ecclesia baptizari possent, *Sciant*, inquit, *catechumenos illos primo integram fidem & ecclesiæ vnitatem tenere, & ad debellandum diabolum de diuinis castris cum plena & sincera Dei patris & Christi & spiritus sancti cognitione procedere; deinde nec priuari baptismi sacramento* [c] *vtpote qui bapti-*

(z) Tertullian. de patient. c. XIII. Quum vero producitur ad experimentum felicitatis, ad occasionem *secundæ intinctionis* cætera.

(a) Tertullian. apologet. c. L. Quis non vbi requisiuit accedit? vbi accessit, pati exoptat? vt totam Dei gratiam redimat, vt omnem veniam de eo compensatione sanguinis sui expediat? Omnia enim huic operi delicta donantur.

(b) Tertull. de baptism. c. XVI. Est quidem nobis etiam *secundum lauacrum*, vnum & ipsum, *sanguinis* scilicet: De quo Dominus, Habeo, inquit, baptismo tingui, quum iam tinctus fuisset. - - Hic est baptismus, qui lauacrum & non acceptum repræsentat & perditum reddit.

(c) Cyprian. epist. LXXIII. ad Iubaian. p. 150. edit. Rigalt. Par. MDCXLVIII.

zentur

*zentur gloriosissimo & maximo SANGVINIS BAPTISMO, de quo & dominus dicebat, habere se aliud baptisma baptizari. Sanguine autem suo baptizatos & passione sanctificatos consummari & diuinæ pollicitationis gratiam consequi, declarat in euangelio idem dominus, quando ad latronem in ipsa passione credentem & confidentem loquitur, & quod secum futurus sit in paradiso, pollicetur.* Multa alia præclara encomia in secundum hunc baptismum habet CYPRIANVS, neque vllum hominum genus ab eo excludit præter hæreticos & schismaticos, eo quod gratia caritatis destituti extra ecclesiam sine resipiscentia moriantur; quo in casu nec ipsum martyrium [*d*] eorum peccata expiare posse, statuebat, licet ad cetera omnia expianda sufficeret. ORIGENES de isthoc baptismi genere loqui solet sub nomine baptismi per ignem, vt qui ipsos sæpenumero catechumenos in cælum transferat, baptismo per aquam quantumuis destitutos. Nam EVSEBIVS ORIGENIS pariter sententiam & suam declarat, quando de illis, qui ex schola ORIGENIS ad martyrium euecti erant, loquens, eorum duos *Heraclidem* quidem inter mares, ex mulierum autem numero *Heraidem* [*e*], in hoc catechumenorum duntaxat ordine consistentes per ignem, vt ORIGENES alicubi dicat, baptismum adeptos ex hac luce migrasse, narrat. Hunc baptismum hominem peccatis purgare, ipse ORIGENES declarat. Ita enim

(*d*) Cyprian. de orat. dominic. p. 150. (p. 226. edit. Par. MDCXLVIII.) Quale delictum est, quod nec baptismo sanguinis potest ablui? quale crimen est, quod martyrio non potest expiari?

Cyprian. de vnitat. eccles. p. 113. (p. 212. edit. citat.) Qui extra Christi ecclesiam colliguntur, tales etiam si occisi in confessione nominis fuerint, macula ista nec sanguine abluitur. cetera.

Cyprian. epist. LVII. (al. LIV.) ad Cornel. Nec quisquam dicat, qui martyrium tollit, sanguine suo baptizatur: nec pax illi ab episcopo necessaria est, habituro gloriæ suæ pacem & accepturo maiorem de domini dignatione mercedem. Idoneus esse non potest ad martyrium, qui ab ecclesia non armatur ad prælium cetera.

It. epist. LX. (al. LVII.) ad Cornel. Si aliquis ex talibus fuerit apprehensus, non est quod sibi quasi in confessionis nomine blandiantur, quum constet, si occisi eiusmodi extra ecclesiam fuerint, fidei coronam non esse, sed pœnam potius esse perfidiæ.

(*e*) Euseb. histor. lib. VI. c. IV. Γυναικῶν Ἡραῒς ἔτι κατηχουμένη, τὸ βάπτισμα, ὥς που φησὶν αὐτὸς, τὸ διὰ πυρὸς λαβοῦσα, τὸν βίον ἐξελήλυθεν. Ex mulierum numero Heraïs quædam adhuc catechumena, per ignem, vt ipse (Origenes) alicubi dicit, baptismum adepta, ex hac luce migrauit.

argumentatur: *Si baptiſmus indulgentiam peccatorum promittit, ſicvt accepimus de baptiſmo aquæ & ſpiritus: Remiſſionem autem accepit peccatorum & qui martyrii ſuſcipit baptiſmum: ſine dubio ipſum martyrium* [f] *rationabiliter baptiſmus appellatur. Quoniam autem remiſſio ſit peccatorum omni martyrium ſuſtinenti, manifeſtum eſt ex eo, quod ait, Omnis, qui confeſſus fuerit in me coram hominibus, & ego confitebor in illo coram patre meo, qui eſt in cælis.* Hanc autem vniverſalem chriſtianorum iſtius temporis doctrinam fuiſſe, inde porro elucet, quod hoc ipſum adeo cognitum & peruulgatum fuit, vt nec ipſos gentiles id fugerit. Nam in actis martyrii *Perpetuæ* & *Felicitatis*, quæ circa ORIGENIS & TERTVLLIANI tempus mortem *CHRISTI* cauſſa ſubiere, de *Saturo* quodam catechumeno [g] leopardo proiecto, relatum legimus, quod de „vno morſu tanto perfuſus ſit ſanguine, vt populus reuertenti „illi ſecundi baptiſmatis teſtimonium reclamauerit: *Saluum lo-„tum! Saluum lotum!* Quod quidem illi, doctrinam chriſtianorum de martyrio, quod ſecundum baptiſma & medium aliquod ſalutis eſſe credebant, deridentes dixerunt: ſed actorum iſtorum ſcriptor recte in rem præſentem obſeruat, *Plane vtique*, inquiens, *Saluus erat, qui hoc modo lauerat.*

NEQVE vero hæc tantum antiquiſſimorum ſcriptorum, qui perſecutionis & martyrii temporibus vixerunt, doctrina fuit, ſed eorum etiam, qui inſequuti ſunt & pro acerrimis neceſſitatis baptiſmi propugnatoribus habentur. Nam ipſe AVGVSTINVS & omnes, qui eadem cum ipſo ætate contra PELAGIVM ſcripſerunt, idem in cauſſa martyrii indulgent. AVGVSTINVS [h] CYPRIANI prorſus adſtipulatur opinioni, *Baptiſmi vicem*, inquiens, *aliquando implere paſſionem, de latrone illo, cui non baptizato dictum eſt: Hodie mecum eris in paradiſo, non leue documentum beatus CYPRIANVS adſumit.* Idem ille AVGVSTINVS de eodem latronis exemplo [i] aliis in locis argumentatur, quando inter alia ait: *Ineffabili poteſtate dominantis Dei atque iuſtitia deputatum eſt etiam baptiſma credenti latroni & pro acceptis habitum in animo li-*

(f) Origen. tract. XII. in Matth. p. 85.

(g) Acta Perpetuæ & Felicitat. ad calc. Lactant. de mort. perſecutor. p. 34. edit. Oxon. MDCLXXX.

(h) Auguſtin. de bapt. lib. IV. c. XXII. (tom. VII. p. 432. edit. Baſil. MDLXIX.)

(i) Auguſtin. octogint. quæſt. lib. quæſt. LXII. (tom. IV. opp. p. 568.)

bero,

*bero, quod in corpore crucifixo accipi non poterat.* Hinc illis eum accenset, qui inuisibili gratia sine visibili sacramento sanctificati sint, quomodo multos sub veteri pariter & nouo testamento sanctificatos esse, putat. *Hoc [k] & de latrone illo dici potest*, inquit, *cui secum crucifixo dominus ait, Hodie mecum eris in paradiso: Neque enim sine sanctificatione inuisibili tanta felicitate donatus est. Proinde colligitur, inuisibilem sanctificationem quibusdam adfuisse, atque profuisse sine visibilibus sacramentis.* Sed paullo post addit: *Nec tamen ideo sacramentum visibile contemnendum est: nam contemtor eius sanctificari nullo modo potest.* In libro suo *de ciuitate Dei* magis generatim [l] de omnibus martyrium passis loquitur; *Quicumque*, inquiens, *etiam non percepto regenerationis lauacro pro confessione Christi moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte baptismatis.* Quam in rem dicta seruatoris nostri adlegat: *Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam.* Et: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui in caelis est.* Hic locus a PROSPERO in sententiis ex AVGVSTINO excerptis [m] repetitur & approbatur. Quibus ille epigramma aliquod addit, quo sententiam suam [n] ita exprimit:

*Si mundo moritur diuino fonte renascens,*
*Itque nouus vita, qui sepelitur aqua,*
*Fraudati non sunt sacro baptismate Christi,*
*Fons quibus ipsa sui sanguinis vnda fuit.*

(k) Aug. quaest. in Leuit. qu. LXXXIV. tom. IV. p. 22?.

(l) Augustin. de ciuit. Dei lib. XIII. c. VII.
It. epist. CVIII. ad Seleucian. Quoscumque legimus in corpore Christi, quod est ecclesia, pertinere ad regnum caelorum, nonnisi baptizatos intelligere debemus: nisi forte quos angustia passionis inuenit, & nolentes negare Christum, antequam baptizarentur, occisi sunt, *quibus ipsa passio pro baptismo deputata est.*
It. de orig. animae lib. I. c. IX. (tom. VII. p. 114?.) Nemo fit membrum Christi, nisi aut baptismate in Christo aut *morte pro Christo.* Vnde & latro ille non ante crucem domini sectator, sed in cruce confessor, de quo nonnumquam praeiudicium captatur, siue tentatur contra baptismatis sacramentum: a Cypriano sancto inter martyres computantur, qui suo sanguine baptizantur, quod plerisque non baptizatis feruente persecutione euenit.

(m) Prosper. sentent. CXLIX.

(n) Id. epigramma LXXXVII.

Et

*Et quicquid sacri fert mystica forma lauacri,*
*Id totum impleuit gloria martyrii.*

FVLGENTIVS si quisquam alius seuerus est, martyrium tamen baptismi vicem supplere [*o*] statuit. Etsi enim nullum omnino hominem accepturum vitam æternam dicit, qui non heic a malis suis fuerit per pœnitentiam fidemque conuersus & per sacramentum fidei & pœnitentiæ, id est, per baptismum liberatus, illos tamen excipit, qui pro nomine Christi suo sanguine baptizantur. Et GENNADIVS [*p*] post illum ait: *Baptizatis tantum iter esse salutis credimus, nullum catechumenum, quamuis in bonis operibus defunctum, vitam æternam habere credimus, excepto martyrio, vbi tota baptismi sacramenta complentur. Qui martyrio dignus est habitus*, quemadmodum constitutionum apostolicarum auctor [*q*] rem exprimit, *lætitia in domino efferatur, quod tantam coronam nactus fuerit, & per confessionem ex hac vita migret. Quamuis catechumenus sit, sine tristitia excedat: passio enim pro Christo perlata, erit ei sincerior baptismus; quandoquidem ipse re uera & periculum faciendo commoritur, reliqui vero figura tantum.* Facile foret, multa alia istiusmodi testimonia ex CHRYSOSTOMO [*r*], HIERONY-

(*o*) Fulgent. de fide ad Petrum c. XXX. Firmissime tene & nullatenus dubites exceptis illis, qui pro nomine Christi suo sanguine baptizantur, nullum hominem accepturum vitam æternam, cetera.
Id. de bapt. Aethiopis c. VIII. Vid. infr. lib. XI. §. V. sub litt. (d)

(*p*) Gennad. de eccles. dogmat. c. LXXIV.

(*q*) Constitut. apostol. lib. V. c. VI. ὁ δὲ ἀξιωθεὶς μαρτυρίου, χαιρέτω τὴν ἐν κυρίῳ χαρὰν, ὡς τηλικούτου ἐπιτυχὼν στεφάνου, καὶ δι' ὁμολογίας ποιούμενος τὴν ἔξοδον τοῦ βίου· κἂν κατηχούμενος ᾖ, ἄλυπος ἀπίτω· τὸ γὰρ πάθος τὸ ὑπὲρ χριστοῦ, ἔσται αὐτῷ γνησιώτερον βάπτισμα· ὅτι αὐτὸς μὲν πείρᾳ συναποθνήσκει τῷ κυρίῳ, οἱ δὲ λοιποὶ τύπῳ.

(*r*) Chrysost. homil. XI. in Ephes. p. 1107. (tom. V. p. 957. edit. Francof.) Ἀνὴρ δέ τις ἅγιος εἶπέ τι δοκοῦν εἶναι τολμηρὸν, πλὴν ἀλλ' ὅμως ἐφθέγξατο· τί δὲ τοῦτο ἐστιν; οὐδὲ μαρτυρίου αἷμα ταύτην δύνασθαι ἐξαλεῖφειν τὴν ἁμαρτίαν ἔφησεν· εἰπὲ γάρ μοι, τίνος ἕνεκεν μαρτυρεῖς; οὐ διὰ τὴν δόξαν τοῦ χριστοῦ; ὁ τοίνυν τὴν ψυχὴν προϊέμενος ὑπὲρ τοῦ χριστοῦ, πῶς τὴν ἐκκλησίαν πορθεῖς, ὑπὲρ ἧς τὴν ψυχὴν προήκατο ὁ χριστός; Dixit autem vir quidam sanctus quiddam, quod magnam præ se fert audaciam; sed tamen est eloquutus. Quid hoc est autem? Dixit, ne sanguinem quidem martyrii posse delere hoc peccatum. Nam dic mihi, quamnam ob caussam es martyr? Annon propter Christi gloriam? Qui pro Christo animam prodegisti, quid popularis ecclesiam, pro qua Christus suam profudit animam.

MO, [s], BASILIO [t], GREGORIO NAZIANZENO [u], CYRILLO HIEROSOLYMITANO [x], & AMBROSIO [y] addere: Sed satis iam diximus ad ostendendum, hanc generalem veterum fuisse sententiam, quod de catechumenorum, quantumuis sine baptismo mortuorum, salute non sit desperandum, si in suo ipsorum sanguine essent baptizati.

---

(s) Hieron. commentar. in Rom. VI. tom. IX. p. 277. edit. Basil. MDLXV. (tom. VIII. p. 172. Par. MDCXLIII.) Tribus modis baptismus accipitur in scripturis, *aquæ*, & *spiritus sancti*, qui & *ignis* appellatus est, & *sanguinis* in martyrio, de quo saluator dicebat, Baptismo habeo baptizari.

(t) Basil de spir. s. c. XV. tom. II. p. 323. Ἤδη δέ τινες ἐν τοῖς ὑπὲρ εὐσεβείας ἀγῶσιν, ἀληθείᾳ καὶ οὐ μιμήσει τὸν ὑπὲρ Χριστοῦ θάνατον ὑποστάντες, οὐδὲν τῶν ἐκ τοῦ ὕδατος συμβόλων εἰς τὴν σωτηρίαν ἐπεδεήθησαν, ἐν τῷ ἰδίῳ αἵματι βαπτισθέντες. Iam vero sunt nonnulli, qui in certaminibus pro pietate, reuera non imitatione, Christi mortem perpessi, nihil huiusmodi sacramentis, quæ sunt in aqua, opus habuerunt ad salutem, nimirum *in proprio baptizati sanguine*.

(u) Gregor. Nazianzen. orat. XXXIX. in s. lumina. tom. I. p. 634. d. Οἶδα καὶ τέταρτον βάπτισμα, τὸ διὰ μαρτυρίου καὶ αἵματος, ὃ καὶ αὐτὸς Χριστὸς ἐβαπτίσατο, καὶ πολύγε τῶν ἄλλων αἰδεσιμώτερον, ὅσῳ δευτέροις ῥύποις οὐ μολύνεται. Noui quartum etiam baptismi genus, nempe quod *martyrio & sanguine comparatur* (quo ipse quoque Christus baptizatus est) & quidem eo ceteris augustius, quod nullis postea sordibus contaminatur.

(x) Cyrill. Hierosolym. catech. III. n. VII. Εἴ τις μὴ λάβῃ τὸ βάπτισμα, σωτηρίαν οὐκ ἔχει, πλὴν μόνων μαρτύρων, οἳ καὶ χωρὶς τοῦ ὕδατος λαμβάνουσι τὴν βασιλείαν· λυτρούμενος γὰρ τὴν οἰκουμένην ὁ σωτὴρ διὰ τοῦ σταυροῦ, καὶ τὴν πλευρὰν νυγείς, ἐξήγαγεν αἷμα καὶ ὕδωρ, ἵνα οἱ μὲν ἐν καιροῖς εἰρήνης ἐν ὕδατι βαπτισθῶσιν· οἱ δὲ ἐν καιροῖς διωγμῶν ἐν οἰκείοις αἵμασι βαπτισθῶσι. Si quis non baptizatur, salutem non habet, præter solos martyres, qui vel sine aqua regno cælesti potiuntur. Redimens enim terram saluator per crucem, & in latere vulneratus, *sanguinem & aquam* emisit: vt alii quidem pacis tempore in aqua baptizarentur: alii vero tempore persecutionis *in propriis sanguinibus baptizentur*.

(y) Ambros. de virgin. lib. III. p. 118. Basil. MDLXVII. (tom. IV. opp. p. 478. edit. Paris. MDCXLII.) Verum illæ spiritali volatu iam campum castitatis tenebant, quum subito hinc persecutoribus imminentibus, inde torrente fluuio exclusæ a fuga, inclusæ ad coronam. Quid veremur? inquiunt: Ecce aqua: quis nos baptizari prohibet? Et hoc baptisma est, quo peccata donantur, regna quæruntur. Et hoc baptisma est, post quod nemo delinquit. Excipiat nos aqua, quæ regenerare consueuit. Excipiat nos aqua, quæ virgines facit. Excipiat nos aqua, quæ cælum aperit, inferos tegit, mortem abscondit, martyres reddit.

### §. XXI.

*Et fide cum pœnitentia in istis catechumenis, qui ad baptismum pie & religiose essent præparati.*

NEQVE vero de martyribus tantum ita benique loquuntur antiqui patres, sed de reliquis catechumenis omnibus, qui, dum ad baptismum fidei ac pœnitentiæ piæque vitæ exercitiis præpararentur, subito e vita erepti erant, antequam desideria sua perficere potuissent. AMBROSIVS hosce duos casus coniungit, & alterum alteri quodammodo comparat. Nam in concione sua funebri in obitu VALENTINIANI *iunioris*, quem mors eripuerat ante, quam cupitum baptismum recepisset, ita pro ipso loquitur [z]: „*Si, quia solemniter non sunt celebrata mysteria, hoc* „*mouet: Ergo nec martyres, si catechumeni fuerint, coronantur. Non* „*enim coronantur, si non initiantur. Quod si suo abluuntur sanguine, & hunc sua pietas abluit & voluntas.* AVGVSTINVS eamdem prorsus opinionem fouebat, quod non tantum martyrium sed fides etiam & resipiscentia desiderio baptismi iuncta ad saluandum hominem in articulo necessitatis, si baptismum recipiendi nulla esset oportunitas, sufficeret. „Etiam atque etiam considerans, inquit [a], inuenio non tantum passionem pro nomine „Christi, id quod ex baptismo deerat, supplere, sed etiam fidem „conuersionemque cordis, si forte ad celebrandum mysterium „baptismi in angustiis temporum succurri non potest. Neque „enim latro ille pro nomine Christi crucifixus est, sed pro meritis facinorum suorum: nec quia credidit, passus est; sed dum „patitur, credidit. Quantum itaque valeat etiam sine visibili sacramento baptismi, quod ait Apostolus, corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem: in illo latrone „declaratum est, sed tunc impletur inuisibiliter, quum mysterium baptismi non contemtus religionis, sed articulus necessitatis excludit.„ Quare quæ hi scriptores verbis generalioribus de baptismi necessitate loquuntur, hac duplici conditione loqui censendi sunt. Sic quando AMBROSIVS [b] ait: *Nemo adscendit in regnum cælorum, nisi per sacramentum baptismatis*, in-

(z) Ambros. de obitu Valent. p. 12. edit. Basil. (p. 113. b. tom. V. edit. Paris.)

(a) Augustin. de bapt. lib. IV. c. XXII. (tom. VII. p. 432. edit. Basil.)

(b) Ambros. de Abrah. patriarch. lib. II. c. X.

telli-

telligendum id eſt cum exceptione martyrum, qui baptiſmi quidem cupidi fuerunt, ſed, interueniente quadam & impediente neceſſitate, illum habere non potuerunt. Quemadmodum res ſe habuit cum *Valentiniano*, qui interfectus erat ante, quam eum recipiendi occaſionem haberet. Eumdem in modum omnia illa loca in AVGVSTINO [c], CHRYSOSTOMO [d], CYRILLO HIEROSOLYMITANO [e] & aliis interpretanda ſunt, quæ verbis generalioribus de abſoluta baptiſmi catechumenorum vel adultorum hominum neceſſitate loquuntur.

§. XXII.

*Si hæretici ad vnitatem eccleſiæ rediiſſent, quatenus tum caritas id, quod ex baptiſmo deeſſet, ſupplere credita ſit.*

CYPRIANVS quoque de omnibus iſtis hæreticis & ſchiſmaticis, qui deſertis ſuis erroribus ad eccleſiæ catholicæ vnitatem redirent, benigne iudicat. Quamquam enim ſecundum ipſius dogmata (quum baptiſmo eorum valorem abiudicaret) nulli il-

(c) Auguſtin. de bapt. lib. IV. c. XXI. tot.

(d) Chryſoſt. de ſacerdot. lib. III. c. V. *Μανία περιφανὴς ὑπερορᾷν τῆς τοσαύτης ἀρχῆς, ἧς ἄνευ οὔτε σωτηρίας ἡμῖν, οὔτε τῶν ἐπηγγελμένων τυχεῖν ἐστιν ἀγαθῶν. εἰ γὰρ οὐ δύναταί τις εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν, ἐὰν μὴ δι' ὕδατος καὶ πνεύματος ἀναγεννηθῇ· καὶ ὁ μὴ τρώγων τὴν σάρκα τοῦ κυρίου καὶ τὸ αἷμα αὐτοῦ πίνων, ἐκβέβληται τῆς αἰωνίου ζωῆς· πάντα δὲ ταῦτα δι' ἑτέρου μὲν οὐδενὸς, μόνον δὲ διὰ τῶν ἁγίων ἐκείνων ἐπιτελεῖται χειρῶν· τῶν τοῦ ἱερέως λέγω· πῶς αὐτὰς τούτων ἐκτὸς, ἢ τὸ τῆς γεέννης ἐκφυγεῖν δυνήσεται πῦρ, ἢ τῶν ἀποκειμένων στεφάνων τυχεῖν.* Inſania maniſeſta eſt, deſpicere tantum iſtum principatum, ſine quo neque ſalutis neque promiſſorum bonorum compotes fieri poſſumus. Nam *ſi non poteſt quis in regnum cælorum ingredi, niſi per aquam & ſpiritum regeneratus fuerit:* &, Qui non manducat carnem Domini & ſanguinem eius non bibit, æterna vita priuatur: omnia autem hæc haud aliter quam per ſacroſanctas illas manus perficiuntur, manus, inquam, ſacerdotum: qui fiet, vt citra illarum opem aut gehennæ ignem euitare quis poſſit, aut repoſitæ in cælo coronæ præmia adſequi?

It. homil. III. in Philipp. p. 1224. (tom. VI. p. 32.. edit. Francof.) Κλαῦσον τοὺς ἀπίστους, κλαῦσον τοὺς οὐδὲν ἐκείνων ἀπέχοντας, τοὺς χωρὶς φωτίσματος ἀπερχομένους, τοὺς χωρὶς σφραγῖδος. Luge infideles, *luge eos*, qui nihil ab infidelibus differunt, *qui ſine illuminatione*, ſine ſignaculo *deceſſerunt.*

It. homil. III. in 1 Cor. p. 347. (tom. V. p. 21. c. *μέγα μὲν γάρ ἐστι τὸ βάπτισμα,* καὶ ἄνευ βαπτίσματος ἀμήχανον βασιλείας ἐπιτυχεῖν. Magna quidem res eſt baptiſma & *ſine baptiſmate non poſſumus regnum adſequi.*

(e) Cyrill. catech. III. n. VII. vid. ſub litt. anteced. (x) p. 49.



lorum

lorum vere baptizati esse poterant, nisi denuo baptizarentur ad ecclesiam reuersi; tamen si quis eorum in vnitate mortuus esset ecclesiæ, illius de conditione haud deplorandum esse existimabat (quantumuis ex ipsius quidem sententia sine baptismo decessisset) sed amore ductus gratiam & misericordiam apud dominum consequuturum esse eum, sperabat. Illis enim, quæ ipsius de iterando baptismate opinioni obiecta fuerant, ita respondet [f]; *Dicet aliquis: Quid ergo fiet de his, qui in præteritum de hæresi ad ecclesiam venientes sine baptismo admissi sunt? Potens est dominus misericordia sua indulgentiam dare, & eos, qui ad ecclesiam simpliciter admissi, in ecclesia dormierunt, ab ecclesiæ suæ muneribus non separare.* FIRMILIANVS, episcopus *Cæsareensis*, eodem fere modo eidem obiectioni respondet: *Quid* [g] *ergo, inquiunt, fiet de his, qui ab hæreticis venientes, sine ecclesiæ baptismo admissi sunt? Si de sæculo excesserunt, in eorum numero, qui apud nos catechizati quidem, sed priusquam baptizarentur, obierunt, habentur.* AVGVSTINVS hanc CYPRIANI opinionem [h] sæpe memorat approbatque; immo in gratiam ecclesiæ contra *Donatistas* vrget. Posito enim, catholicos in admittendis sine baptismo hæreticis errare, esse tamen eos in eo numero, dicit, quibus CYPRIANVS propter vnitatis & caritatis, multitudinem peccatorum cooperientis, custodiam ignosci possit. BASILIVS quoque, VOSSIO [i] recte obseruante, in CYPRIANI sententiam pedibus videtur iuis-

(f) Cyprian. epist. LXXIII. ad Iubaian. p. 208. (p. 313. edit. Fell. Amstel. MDCC.)

(g) Firmil. epist. LXXV. apud Cyprian. p. 226. (p. 32?. edit. cit.)

(h) Aug. de bapt. lib. II. c. XIII. Quum arbitraretur, eos qui extra ecclesiæ communionem baptizarentur, baptismum non habere, credidit eos tamen in ecclesiam simpliciter admissos, propter ipsius vnitatis vinculum posse ad veniam peruenire.
It. lib. V. c. II. Bene quidem præsumsit, quod caritas vnitatis possit cooperire multitudinem peccatorum. - - Nos autem si ad ecclesiam sine baptismo admittimus, in eo numero sumus, quibus Cyprianus propter vnitatis custodiam ignosci posse præsumsit.
It. lib. V. c. XXVIII. Quomodo non sunt per aquam saluati, quos in præteritum cum eo baptismate, quod in hæresi acceperant, in ecclesiam simpliciter admissos Cyprianus ipse commemorat? Eadem quippe arcæ vnitas eos saluos fecit, in qua nemo nisi per aquam saluatus est. Conf. contr. Crescon. lib. II. c. XXXIII. & XXXV.

(i) Voss. de bapt. disputat. VII. p. 105. Neque Basilius videtur putasse, baptismum esse ἁπλῶς necessarium, saltem in iis, qui quomodocumque, etsi non

se,

ſe, quod videlicet Deus pro ſua miſericordia ſchiſmaticos, ad pacem & vnitatem eccleſiæ reuerſos, ſine baptiſmo etiam ſalvos faciat. Nam etſi eorum baptiſmum nullum & vanum eſſe, cum CYPRIANO ſtatuat, dicit tamen, ſequendam potius eſſe conſuetudinem recipiendi [*k*] eos in communionem, in iſtis eccleſiis, quæ iſtorum baptiſmum admittunt, obſeruatam, quam pacem & vnitatem eccleſiæ huius rei cauſſa diſſoluendam. Quod ille non docuiſſet, ſi homines, rebus ſic ſe habentibus, per divinam gratiam ſine baptiſmo ſaluari non poſſe, credidiſſet.

## §. XXIII.

### *Si qui cum eccleſia ſine baptiſmo communicaſſent, quatenus hoc priuationem baptiſmi ſupplere creditum ſit.*

ALIVM adhuc caſum inuenio, in quo veteres in baptiſmi priuatione conniuendum eſſe arbitrati ſunt: Si videlicet eccleſia hominem, quem vere baptizatum eſſe perſuaſa erat, (quique ipſe vere ſe baptizatum eſſe bona fide credebat) per

---

vere, eſſent baptizati. Nam epiſtola ad Amphilochium can. I. tradit. baptiſmum Catharorum, & Encratitarum, & Hydroparaſtatarum, & Apotactícorum, non eſſe verum baptiſmum; quia etſi, qui initio ſchiſmatis baptizarent, manusque imponerent, ſpiritualem gratiam conferrent, propterea quod legitime eſſent vocati ad hoc munus; ii tamen, qui a ſchiſmaticis illis vocati eſſent, non acceperint poteſtatem eam tribuendi gratiam Spiritus S. ac proinde non magis baptizarint, quam ſi laici fuiſſent. Vnde concludit, tales eſſe rebaptizandos. Agnoſcit interim, ſerio eſſe diſpiciendum, quod imprimis e re fecerit eccleſiæ, ac pacis publicæ. Si enim baptiſmus eorum ſit futurus offendiculo, ſatius eſſe arbitratur, illum omittere; non quaſi ſit vere baptizatus, ſed quia credatur a multis vere baptizatus; qualibus futurum ſit ſcandalo, ſi iterum tingatur. Audiamus ipſum Baſilium: ἐπειδὴ δὲ ὅλως ἔδοξέ τισι τῶν κατὰ τὴν Ἀσίαν, οἰκονομίας ἕνεκα τῶν πολλῶν, δεχθῆναι αὐτῶν τὸ βάπτισμα, *Quoniam autem Aſiaticis quibusdam omnino placuit, diſpenſationis ac concordiæ cauſſa admitti, ac recipi eorum baptiſmum, ſane recipiatur.* Et poſtea, quum Encratitas iterum baptizari præcepiſſet, reſtringit hæc eo pacto: Ἐὰν μέλλῃ τι μέλλῃ τῇ καθόλου οἰκονομίᾳ ἐμπόδιον ἔσεσθαι τοῦτο· πάλιν τῷ ἔθει χρηστέον, καὶ τοῖς οἰκονομήσασι, τὰ καθ᾽ ἡμᾶς πατράσιν ἀκολουθητέον *Sin eſt, vt vniuerſali eccleſiæ adminiſtrationi ea res offutura ſit: altera illa conſuetudine vtendum; & ſequendi patres, qui, quæ noſtri muneris ſint, ſtatuerunt.* Atqui ſi credidiſſet Baſilius, baptiſmum ἁπλῶς eſſe neceſſarium: non docuiſſet, poſſe eum in non vere baptizatis omitti οἰκονομίας ἕνεκα. Nam ſine quo ſaluari non poſſumus, id concordiæ cauſſa omitti nulla ratione poteſt aut debet.

(*k*) Baſil. can. epiſt. c. I. tom. II. opp. p. 750. edit. Pariſ. an. MDCXVIII. (In tomis conc. tom. II. append. p. 1717. c) Vid. ſub litt. anteced. (i).

 plures

plures annos ad constantem altaris communionem admitteret. Licet tandem vel prorsus nullum, aut certe dubium & suspectum baptismum accepisse nosceretur, tamen constans cum ecclesia communicatio hunc baptismi defectum supplere existimabatur. Singularis quidem aliquis communicationis actus, qui in puello vel catechumeno casu quodam vel errore contigisset, ad pensandum baptismum sufficere non credebatur: Nam hac in re canones præcipiebant, vt si quid istiusmodi vsu venisset, homo statim baptizaretur. Ita in *responsis canonicis* TIMOTHEI, episcopi *Alexandrini*, interrogatio fit: *Si puellus catechumenus, vtpote annorum septem, vel homo etiam perfectus, dum fieret oblatio, opportune adfuerit, eiusque nescius particeps factus sit quid de eo fieri debet?* Et responsio [*l*] hæc est: *Debet illuminari*, hoc est, *baptizari*. Ita quoque *constitutionum apostolicarum* auctor apostolos introducit sic decernentes [*m*]: *Si quis per ignorantiam eucharistiam participauerit, hunc cito instruite ac baptismo initiate, ne contemtor exeat.* Si quis autem se vere baptizatum credens, nec tamen talis existens, cum ecclesia communicandi per plures annos habuisset veniam, ista eius ad altare communicatio baptismi necessitatem tollere existimabatur, & tali homini in ecclesia manere, sine baptismi iteratione, permittebatur. Nobile huius rei exemplum apud *Eusebium* exstat, quod *Alexandriæ Dionysii* memoria accidit, & ab EVSEBIO ex epistola quadam DIONYSII ad *Xystum*, *Romanæ* vrbis episcopum, scripta, in qua episcopi sententiam hac de re expetit, commemoratur. „Quidam ex fratribus„ inquit DIONYSIVS [*n*], qui ad ecclesiam „conueniunt, iam pridem pro fideli habitus, & qui ante meam „ordinationem, ac ni fallor, ante ipsius quoque *Heraclæ* episco„patum, cœtus fidelium particeps fuerat: quum interfuisset „baptismo eorum, qui nuper baptizabantur, & interrogatio-

(*l*) Timoth. Resp. canon. quæst. I. ap. Beuereg. pandect. tom. II. p. 165. Vid. supra c. I. §. IV. sub litt. (s) pag. 7.

(*m*) Constitut. apostol. lib. VII. c. XXV. εἰ δέ τις κατὰ ἄγνοιαν μεταλάβοι, τοῦτον τάχιον στοιχειώσαντες μυήσατε, ὅπως μὴ καταφρονητὴς ἐξέλθοι.

(*n*) Dionys. epist. ad Xystum ap. Euseb. lib. VII. c. IX. Τῶν συναγομένων ἀδελφῶν πιστὸς νομιζόμενος ἀρχαῖος καὶ πρὸ τῆς ἐμῆς χειροτονίας οἶμαι δὲ καὶ πρὸ τῆς τοῦ μακαρίου Ηρακλᾶ καταστάσεως τῆς συναγωγῆς μετασχών· τοῖς ὑπόγυον βαπτιζομένοις παρατυχὼν, καὶ τῶν ἐπερωτήσεων καὶ τῶν ἀποκρίσεων ἐπακούσας, προσῆλθέ μοι

nes

„nes reſponſaque illorum audiiſſet: ad me acceſſit flens & vi-„cem ſuam ingemiſcens. Pedibusque meis aduolutus confiteri „atque deierare cœpit, baptiſmum, quo apud hæreticos initiatus „fuerat, non huiusmodi eſſe, neque cum hoc noſtro quidquam „commune habere. Quippe illum plenum eſſe blaſphemiæ & „impietatis. Aiebatque, animam ſuam acerbiſſimo doloris ſen-„ſu compungi, ac ne oculos quidem ad Deum attollere ſe au-„dere; quippe qui ſceleſtis illis verbis ac cærimoniis initiatus „fuiſſet. Proinde orabat, vt hoc puriſſimo lauacro, veriſſima-„que adoptione & gratia donaretur. Quod equidem facere „non ſum auſus: Sed diuturnam illi communionem ad id ſuf-„ficere, dixi. Nam qui gratiarum actionem frequenter audie-„rit, & qui cum ceteris reſponderit, Amen; qui ad ſacram „menſam adſtiterit, & manus ad ſuſcipiendum ſacrum cibum „porrexerit; qui illum exceperit & corporis & ſanguinis do-„mini noſtri *IESV CHRISTI* particeps fuerit diutiſſime, eum „ego de integro renouare non auſim. Porro vt bono animo „eſſet, & cum firma fide bonæ ſpei plenus ad dominici corpo-„ris participationem accederet, iuſſi„.

Difficile omnino hoc erat conſilium in caſu admodum raro, & plane ſingulari, cuius vix ſimilem in hiſtoria antiqua inuenias. Mentionem autem huius & reliquorum caſuum antecedentium omnium facere volui, vt oſtenderem, quod veteres non generatim duriorem iſtam de abſoluta baptiſmi neceſſitate (ſanctæ quidem inſtitutionis neglectui & contemtioni oppoſitam) opinionem habuerint, quam nonnulli eis attribuere vo-

κλαίων καὶ καταθρηνῶν ἑαυτὸν, καὶ πίπτων πρὸ τῶν ποδῶν μου· ἐξομολογούμενος μὲν καὶ ἐξομνύμενος τὸ βάπτισμα ὁ παρὰ τοῖς αἱρετικοῖς βεβάπτιστο, μὴ τοιοῦτο εἶναι, μηδὲ ὅλως ἔχειν τινὰ πρὸς τοῦτο κοινωνίαν· ἀσεβείας γὰρ ἐκεῖνο καὶ βλασφημιῶν πεπληρῶσθαι· λέγων δὲ πάνυ τι τὴν ψυχὴν νῦν κατανενύχθαι, καὶ μηδὲ παῤῥησίαν ἔχειν ἐπᾶραι τοὺς ὀφθαλμοὺς πρὸς τὸν θεὸν ἀπὸ τῶν ἀνοσίων ἐκείνων ῥημάτων καὶ πραγμάτων ὡρμώμενος· καὶ διὰ τοῦτο δεόμενος τῆς εἰλικρινεστάτης ταύτης καθάρσεως καὶ παραδοχῆς καὶ χάριτος τυχεῖν· ὅπερ ἐγὼ μὲν οὐκ ἐτόλμησα ποιῆσαι· φήσας αὐτάρκη τὴν πολυχρόνιον αὐτῷ κοινωνίαν εἰς τοῦτο γεγονέναι· εὐχαριστίας γὰρ ἐπακούσαντα, καὶ συνεπιφθεγξάμενον τὸ ἀμὴν, καὶ τραπέζῃ παραστάντα, καὶ χεῖρας εἰς ὑποδοχὴν τῆς ἁγίας τροφῆς προτείναντα· καὶ ταύτην καταδεξάμενον, καὶ τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ μετασχόντα ἱκανῷ χρόνῳ, οὐκ ἂν ἐξ ὑπαρχῆς ἀνασκευάζειν ἔτι τολμήσαιμι· θαρσεῖν δὲ ἐκέλευον, καὶ μετὰ βεβαίας πίστεως καὶ ἀγαθῆς συνειδήσεως τῇ μετοχῇ τῶν ἁγίων προσιέναι.

lunt;

lunt; siquidem nudum eius defectum tam variis modis, nimirum vel I. martyrio, vel II. fide & vera cordis conuersione; vel III insigni vnitatis ac pacis amore & studio; vel IV. diuturna eucharistiæ participatione, condonari posse & suppleri, crediderunt.

## §. XXIV.

### *Quid veteres de infantibus sine baptismo denatis statuerint.*

Observandvm autem est, quod quæ hac in re veteres concesserunt, præcipue ad homines adultos spectent, qui fidem & pœnitentiam, partes religionis essentiales, ad compensandum externæ baptismi cærimoniæ defectum exhibere poterant. De infantibus autem res maiori inuoluta erat difficultate, quia nec fides nec pœnitentia propria in eorum gratiam adlegari poterat, vt adeo *tum externo & visibili signo* tum *interna & spirituali gratia* baptismi destituti essent. Quocirca qui omnium amantissime de illis loquuntur, statum duntaxat medium, nec in cælo nec in inferno, illis adsignare sustinent. Sit in exemplum gregorivs nazianzenvs [*o*], qui futurum existimat, vt „infantes, non culpa sua sine baptismo defuncti, nec cælesti „gloria nec suppliciis a iusto iudice adficiantur, vtpote qui li„cet signati non fuerint, improbitate tamen careant, atque hanc „iacturam passi potius fuerint, quam fecerint. severvs, ecclesiæ *Antiochenæ* antistes, nazianzeni sequitur sententiam: Nam primum dicit [*p*], quod, si infantes moriantur lauacri regenerationis non participes, regno cælesti certe excludantur: Sed addit, quod, quatenus peccata haud admiserint, pœnam nullam vel tormentum subeant, ad medium quemdam statum designati, quem tamquam statum inter sanctorum gloriam &

(*o*) Nazianz. orat. XL. (tom. I. p. 653. b.) Τὰς δὲ μήτε δοξασθήσεσθαι μήτε κολασθήσεσθαι περὶ τοῦ δικαίου κριτοῦ, ὡς ἀσφραγίστους μὲν, ἀπονήρους δὲ, ἀλλὰ παθόντας μᾶλλον τὴν ζημίαν, ἢ δράσαντας.

(*p*) Seuer. catena in Ioh. III. p. 83. Ζητεῖται δὲ λοιπὸν, εἰ καὶ τὰ παιδία τὰ ἀώρῳ τῇ ἡλικίᾳ τετελευτηκότα, τῆς βασιλείας μεθέξει τῶν οὐρανῶν. Καὶ πρὸς τοῦτο λεκτέον· Ὥσπερ ἀφώτιστα τελευτήσειεν, μὴ μετασχόντα τοῦ τῆς παλιγγενεσίας λουτροῦ, προδήλως ἔξω τῆς τῶν οὐρανῶν βασιλείας καθίσταται, διὰ τὸ τὸν κύριον ἐν Εὐαγγελίοις ἀποφήνασθαι πρὸς Νικόδημον, καὶ εἰπεῖν· Ἀμὴν ἀμὴν λέγω σοι, ἐὰν μὴ - - βασιλείαν τοῦ Θεοῦ. Ἐπειδὴ δὲ οὐδὲν ἐπλημμέλησαν τὰ ἐν ἀώρῳ τῇ ἡλικίᾳ τετελευτηκότα, οὔτε κολάσεσιν, ἢ τισι βασάνοις ὑπάγονται, μέσην δέ τινα τάξιν ὑφίξουσι.

pœnam

pœnam damnatorum describit. Verum hæc sententia de statu quodam medio inter *Latinos* numquam recepta est. Duo enim loca recipiendis hominibus post diem iudicii statuunt, cælum videlicet & orcum; & concludunt, quod quum infantes, a peccati originalis sordibus non abluti, in cælum admitti nequeant, in orco sint oporteat, eo quod tertius locus non detur. AVGVSTINVS hoc frequenter contra *Pelagianos* vrget, qui inter regnum Dei & vitam æternam distinguebant, infantes sine baptismo defunctos ad æternam quidem vitam & salutem, non vero ad regnum Dei admitti posse, statuentes. Quibus in libris suis de *peccatorum meritis & remissione* hunc in modum opponit: *Quamuis* [q] *condemnatio grauior sit eorum, qui originali delicto etiam propria coniunxerunt, & tanto singulis grauior, quanto grauius quisque peccauit: tamen etiam illud solum, quod originaliter tractum est, non tantum a regno Dei separat, quo paruulos sine accepta gratia Christi intrare non posse ipsi (Pelagiani) etiam confitentur: verum & a salute ac vita æterna facit alienos, quæ nulla alia esse potest præter regnum Dei, quo sola Christi societas introducit.* Et paullo post adhuc clarius loquitur [r]; *Potest proinde recte dici, paruulos, sine baptismo de corpore exeuntes, in damnatione omnium mitissima futuros. Multum autem & fallitur, qui eos in damnatione prædicat non futuros, dicente apostolo: Iudicium ex vno delicto in condemnationem. Et paullo post: Per vnius delictum in omnes homines ad condemnationem.* Hoc intuitu [s] christianos *Punicos* baptismum ipsum nihil aliud, quam salutem, & sacramentum corporis Christi, nihil aliud quam vi-

Cæterum quæritur, num infantes tenera adhuc ætate morientes, regni cælestis participes existant. Ad hoc respondendum: Quotquot baptismi exsortes, regenerationis lauacro frustrati, ex hac vita discedunt, regno cælorum excludi, quandoquidem dominus in euangeliis ad Nicodemum dixerit: Amen, amen, dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu S. non potest intrare in regnum Dei. Cum autem nihil adhuc deliquerint, qui ætate immatura discesserunt, nullis quidem tormentis aut pœnis excruciantur, sed medium quemdam ordinem subibunt. Sin lauacro sacrato lustrati e vita demigrarint, iustorum quidem numero censendi sunt, non tamen suis meritis cælorum regnum consequuntur.

(q) Augustin. de peccator. merit. & remiss. lib. I. c. XII. (tom. VII. opp. p. 661. edit. Basil. MDLXIX.)

(r) Augustin. ibid. c. XVI.

(s) Augustin. ibid. c. XXIV.

tam vocare, dicit. Si ergo nec salus nec vita æterna sine baptismo & corpore & sanguine domini cuiquam speranda sit, frustra sine his promitti paruulis arbitratur. In eodem libro [t] doctrinam de statu quodam infantum vel aliorum quorumvis medio disertis verbis repudiat. *Non est vllus vlli medius locus*, inquit, *vt possit esse, nisi cum diabolo, qui non est cum Christo. Hinc & ipse dominus volens auferre de cordibus male credentium istam nescio quam medietatem, quam conantur quidam paruulis non baptizatis tribuere, vt quasi merito innocentiæ sint in vita æterna, sed quia non sunt baptizati, non sint cum Christo in regno eius, definitiuam protulit ad hæc ora obstruenda sententiam, vbi ait: Qui mecum non est, aduersum me est.* Multis aliis in locis [u] hunc statum medium contra *Pelagianos* impugnat, necessitatemque baptismi ad eluendas peccati originalis sordes in infantibus, eosque ad vitam æternam beneficio regenerationis perducendos, vrget. *Propterea* [w], inquit, *cum baptizandis paruulis festinatur & curritur, quia sine dubio creditur, aliter eos in CHRISTO viuificari omnino non posse.* FVLGENTIVS [x] adhuc seuerior AVGVSTINO est. *Firmissime tene*, inquit, *& nullatenus dubites, non solum homines iam ratione vtentes, verum etiam paruulos, qui siue in vteris matrum viuere incipiunt, & ibi moriuntur, siue quum de matribus nati, sine sacramento sancti baptismatis, quod datur in nomine patris, filii & spiritus sancti, de hoc sæculo transeunt,*

(t) Aug. ibid. c. XXVIII. (p. 690. d. edit. cit.)

(u) August. de anim. lib. I. c. IX. (tom. VII. opp. pag. 1140.) Verum hæc vt volet quisque accipiat, dum tamen de baptismo non præscribatur saluatoris præcepto, huius latronis exemplo: & non baptizatis paruulis nemo promittat inter damnationem regnumque cælorum, quietis vel felicitatis cuiuslibet atque vbilibet, quasi *medium locum*. Hoc enim eis hæresis Pelagiana promisit, quia nec damnationem metuit paruulis, quos nullum putat habere originale peccatum, nec sperat eis regnum cælorum, si non perueniunt ad baptismatis sacramentum.
Ibid. lib. II. c. XII. Nouellos hæreticos Pelagianos iustissime conciliorum catholicorum & sedis apostolicæ damnauit auctoritas, eo quod ausi fuerint non baptizatis paruulis, dare quietis & salutis locum, etiam præter regnum cælorum. Quod ausi non fuissent, nisi negarent, eos habere originale peccatum, quod opus esset absolui per baptismatis sacramentum. Ibid. lib. III. c. XIII. tot.

(w) Augustin. epist. XXVIII. ad Hieron. (tom. II. opp. p. 107. b. edit. Basil.)

(x) Fulgent. de fide ad Petrum c. XXVII. Vid. Fulgent. de baptismo æthiopis c. VIII. citat. infra lib. XI. §. V. litt. (d).

*ignis*

*ignis æterni sempiterno supplicio puniendos. Quia etsi propriæ actionis peccatum nullum habuerunt, originalis tamen peccati damnationem carnali conceptione & natiuitate traxerunt.* Qui sub nomine IVSTINI MARTYRIS delitescit auctor [y], quum de infantibus quoque loquitur, *Hoc discrimen est*, inquit, *inter baptizatos & non baptizatos, quod illi bona per baptismum obuenientia consequuntur, hi vero non consequuntur.* Et auctor librorum *hypognosticon* [z], qui sub nomine scripsit AVGVSTINI, & viris doctis vel MARIVS MERCATOR, vel SIXTVS ecclesiæ *Romanæ* episcopus, esse creditur, disputans contra *Pelagianos*, ipsius AVGVSTINI vestigiis insistit; Sic enim ait: *Si quis renatus non fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum æternum. Intrare in regnum cælorum non aliud est, quam in vita beata viuere, quæ permanet in sæcula sæculorum. Ecce non baptizatus vitali etiam cibo poculoque priuatus diuiditur a regno cælorum, vbi fons viuentium permanet CHRISTVS. Da mihi præter hunc alterum locum, vbi vitæ possit requies esse perennis. Primum enim locum fides catholicorum diuina auctoritate regnum credidit esse cælorum, vnde non baptizatus excipitur, secundum gehennam, vbi omnis apostata vel a CHRISTI fide alienus æterna supplicia experietur. Tertium penitus ignoramus, immo nec esse in scripturis sanctis inuenimus. Finge, Pelagiane, locum ex officina peruersi dogmatis tui, vbi alieni a CHRISTI gratia vitam requiei & gloriæ possidere paruuli possint.* Hæc seuere admodum dicta sunt, sed si statum controuersiæ inter catholicos & *Pelagianos* consideres, non sine idonea ratione ita dicta sunt. PELAGIVS enim peccatum originale & baptismi necessitatem ad culpam eius abluendam negabat, infantes salutem æternamque vitam a regno Dei distinctam sine hoc obtinere posse, contendens. Huic sese opponentes catholici necessitatem baptismi in infantibus æque ac adultis, ad expurgandam congenitam labem & æternam illis salutem procurandam, tuebantur. Sed non ita perspicue narrant, num heic casus aliqui excepti fuerint respectu paruulorum, vti ratione adultorum fuerunt; Num mera baptismi priuatio in infante, si nullus in

(y) Iustin. Martyr. quæst. & resp. ad orthodox. qu. LVI. (p. 424. edit. Paris. MDCXXXVI.) Αὕτη ἐστὶν ἡ διαφορὰ τῶν βαπτισθέντων πρὸς τὰ μὴ βαπτισθέντα, τοῦ τυχεῖν μὲν τὰ βαπτισθέντα τῶν διὰ τοῦ βαπτίσματος ἀγαθῶν· τὰ δὲ μὴ βαπτισθέντα, μὴ τυχεῖν.

(z) Augustin. hypognost. lib. V. c. V. (tom. VII. opp. p. 1405.)

 paren-

parentibus baptiſmi contemtus vel neglectus eſſet, ineuitabili neceſſitate & ſubita morte interueniente, infantem a regno cæleſti excludat? Inter veteres vniuerſos ſolus FVLGENTIVS ſalutem infantibus, in matris vtero ante natiuitatem demortuis, abſolute abiudicauit. Reliqui autem mitius loqui videntur, excepto, ſi penes parentes contemti vel neglecti baptiſmi culpa eſſet, dum liberos ſuos ad baptiſmum non offerrent, quantumuis id faciendi opportunam haberent occaſionem, vbi infans ſalute æterna ex parentum ſuorum culpa excidere, neque vero Dei vel iuſtitia vel miſericordia in puniendo accuſari poſſet. Hæc excellentis illius auctoris, qui librum de *vocatione gentium*, quem alii PROSPERO, AMBROSIO alii tribuunt, ſcripſit, ſententia videtur fuiſſe. Nam cauſſam, quamobrem doctrina de baptiſmi ad ſalutem infantum neceſſitate ita ſtudioſe inculcata ſit, hanc adfert, vt ne parentes in offerendis ſuis ad ſacrum fontem remiſſe vel negligenter agerent, quod certe facturi eſſent, ſi baptiſmum ad ſalutem minus neceſſarium eſſe, arbitrarentur. *Neque credi fas eſt*, inquit, [a], *eos, qui regenerationis non adepti ſunt ſacramentum, ad vllum beatorum pertinere conſortium.* Et alio loco [b]: *Non latet, quantum cordibus fidelium deſidiæ gigneretur, ſi in baptizandis paruulis nihil de cuiusquam negligentia, nihil de ipſorum eſſet mortalitate metuendum.* Hic auctor neceſſitatem baptiſmi infantum, vt boni quique chriſtiani, vrget ex ratione cuiusdam beneficii, quod parentum cura infanti conciliari poſſe credebatur; & contra ex ratione irreparabilis damni & iacturæ, quam infans parentum culpa ac negligentia ſuſtinere poſſet. Et hoc ad parentum curam & vigilantiam excitandam ſatis valet, etiamſi in extremæ neceſſitatis caſibus infantes ſine baptiſmo ſaluari poſſe concedatur. Neque improbabile eſt, veteres nihil aliud ſpectaſſe, tametſi eorum locutiones ſeueræ ſint & generales, & ſine vlla expreſſa exceptione. Negari enim nequit, infantes æque ac adultos martyres eſſe poſſe. Tales erant infantes, quos *Bethlehemi* interfici iuſſit *Herodes*. Parentes itidem baptiſmum pro liberis ſuis expetere poſſunt, fidem & pœnitentiam ipſorum nomine vouentes, ſi qua extrema tantum

(a) Proſper. de vocat. gentium lib. II. c. XX.

(b) Ibid. c. XXIV.

neces-

necessitas, non autem vituperabilis neglectio, impediat, quo minus illum obtineant. Et in eiusmodi casibus si adulti sine baptismo salutem consequi possunt, (vti veteres omnes adfirmant) par ratio heic videtur esse, vt eamdem caritatem & indulgentiam in paruulos extendamus. HINCMARVS archiepiscopus *Rhemensis*, vir magna fama & doctrina suæ ætatis, & in scriptis veterum multum versatus, hanc huius implicitæ quæstionis, in singulari quadam re, quæ ipsius memoria accidit, dedit dissolutionem. Episcopus quidam eiusdem regionis *Hincmarus*, antistes *Ladunensis*, ex iniusta quadam ratione baptismum paruulorum in diœcesi sua impediebat, parentibus licet & sponsoribus eos baptizari cupientibus; quo pacto multi paruuli sine baptismo decedebant. Iam quæstio erat de futuro horum infantum statu, num parentum desiderium & oblatio ad baptismum ad impetrandam liberis suis æternam salutem sufficeret? Ad quam sine vlla dubitatione [c] HINCMARVS adfirmando respondebat, *Sicut paruulis*, inquiens, *naturali, id est alieno, peccato obnoxiis aliorum, id est patronorum, fides pro eis respondentium in baptismate fit ad salutem: Ita paruulis, quibus baptismum denegari iussisti, parentum vel patronorum corde credentium & pro paruulis suis fideli verbo baptisma expetentium, sed non impetrantium, fides & fidelis postulatio prodesse potuerunt, dono eius, cuius spiritus, quo regeneratio fit, vbi vult, spirat.* Si hunc in modum sensum veterum cum HINCMARO interpretemur, omnia illa loca, quæ infantes sine baptismate denatos damnant, non de mera baptismi priuatione, vbi haberi non potuit, sed de parentum, baptismum liberis suis non expetentium nec procurantium, quum id facere in eorum esset potestate, contemtione & neglectione intelligenda sunt. Ego in explanando confirmandoque horum capitum, quæ ad baptismi tam infantum quam adultorum necessitatem spectant, vero sensu longus fui, eo quod veteres falso intelligantur ab aliis, ab aliis accusentur, vtpote baptismi necessitatem nimis seuere & duriter vrgentes; quum tamen ipsorum sententia de ea satis accurata sit, vbi de catechumenis quæstio est, adeoque benignam interpretationem in negotio etiam paruulorum admittere potest, si non ex generalioribus eorum lo-

(c) Hincmar. opusc. LV. capit. c. XLVIII.



cuti-

cutionibus, contra veram horum auctorum intentionem & consilium, durum istum sensum cogere nimiopere adlaboramus.

FINEM huic sermoni de institutione & disciplina catechumenorum heic imponerem, nisi duo adhuc momenta restarent, distinctius, quam quidem supra fieri licuit, consideranda. Horum alterum de origine, natura & vsu antiquorum symbolorum ecclesiæ agit, quæ præcipue in vsum & institutionem catechumenorum confecta sunt, adeoque hoc loco commodissime expendenda. Alterum vero ad eam disciplinæ ipsorum partem attinet, qua de distincta & perfecta sublimiorum quarumdam doctrinarum & mysticorum rituum ecclesiæ cognitione ad certum tempus fuerunt celati. Quarum rerum consideratio sequentium capitum erit argumentum.

# *LIBRI DECIMI*
## *CAPVT TERTIVM.*
## DE ORIGINE, NATVRA ET APPELLATIONIBVS ANTIQVARVM FORMVLARVM FIDEI.

### §. I.
### *Cur formula fidei dicatur* symbolum.

DE formula fidei dum loqui instituimus, de diuersis illis nominibus, eorumque rationibus primo loco aliquid dicendum est, quia nonnulla ex illis obscuriora sunt & falsæ interpretationi obnoxia. Vsitatissima appellatio est *symbolum*; cur autem ita dicatur, inter viros doctos non conuenit. BARONIVS [*a*] tres huius nominis adfert rationes. I. Apostolos putat quosdam fidei canones, quibus vniuersam christianam fidem perstringentes firmarent ac stabilirent, constituisse, ad eosque perficiendos singulos ex eis symbolum suum attulisse, atque hinc

(*a*) Baron. an. XLIV. n. XV. Tunc etiam catholicæ fidei consulturi, (apostoli) quid singuli essent prædicaturi gentibus, ne vlla ex parte aliqua vel apparens inter eos in adnuntiatione euangelii diuersitas esset; quosdam fidei canones, quibus vniuersam christianam fidem perstringentes firmarent ac stabilirent, constituerunt: quos proprio nomine Dei ecclesia nominare consueuit *symbolum apostolorum*, vel quod singuli ex eis ad eum perficiendum attulerint suum symbolum; - - vel quoniam, qui christiani essent, eo symbolo, velut tessera militari data, dignosci possent. cetera.

*ſymbolum* forte nuncupari. Verum quum fundamentum huius opinionis incertum ſit, (ſicuti eſſe, poſtea videbimus) hæc iſtius nominis ratio locum habere non poteſt. II. Ita etiam vocari poſſe exiſtimat, quoniam qui veri chriſtiani eſſent, eo ſymbolo, velut teſſera militari data, ab infidelibus & hæreticis dignoſci poſſent. III. Quia ſymbolum ſit collatio, ſeu collatæ in vnum totius chriſtianæ doctrinæ epitome. SVICERVS [*b*] hiſce quartam huius nominis rationem addit. Vocari ita poſſe putat, non a militari teſſera, ſed a militari ſacramento, quo milites imperatori ſeſe obſtringant. Eſſe enim ſymbolum teſſeram pacti, quod in baptiſmo ineamus cum Deo. Quam in rem teſtimonium citat AMBROSII [*c*], *Symbolum cordis ſignaculum & noſtræ militiæ ſacramentum* vocantis: Et PETRVM CHRYSOLOGVM [*d*], qui *Placitum*, inquit, *vel pactum, quod lucri ſpes venientis continet, vel futuri, ſymbolum nuncupari, contractu etiam docemur humano.* Hæc vltima non improbabilis ſignificatio eſt; ſecunda tamen magis generaliter a recentioribus auctoribus [*e*] recepta eſt & approbata, eique veteres etiam ſcriptores quidam patrocinantur. Nam MAXIMVS TAVRINENSIS [*f*] ait: *Symbolum teſſera eſt & ſignaculum, quo inter fideles perfidosque ſecernitur.* Et

(*b*) Suicer. theſaur. eccleſ. voce σύμβολον (tom. II. p. 1084. ſub fin.) Dicere poſſumus, ſymbolum non a militari, ſed a contractuum teſſera, nomen id accepiſſe. Eſt enim teſſera pacti, quod in baptiſmo inimus cum Deo. Vnde Ambroſius lib. III. de velandis virginibus dicit: *Symbolum cordis ſignaculum, & noſtræ militiæ ſacramentum:* Quaſi dicat, eſſe quaſi tabellam, qua cum imperatore noſtro paciſcimur, eique nos obſtringimus, vt milites ſacramento ſolent.

(*c*) Ambroſ. lib. III. de veland. virg. Vid. ſub anteced. litt. (b).

(*d*) Chryſolog. hom. LXII.

(*e*) Forbeſ. inſtruct. hiſtor. theol. lib. I. c. I. n. II. Symboli huius inſtitutionem quod attinet; Ruffinus in expoſitione ſymboli, & Auguſtinus lib. I. de ſymbolo ad catechumenos c. I. & ſerm. CLXXXI. de tempore. Et auctor ſermonis CXV. de tempore, inter ſermones illos Auguſtini. Et Iſidorus Hiſpalenſis lib. VI. originum, cap. IX. Et Etherius ac Beatus, lib. I. contra Elipandum tom. IV. bibl. patrum part. II. col. 506. edit. 4. Et Rabanus Maurus lib. II. de inſtitutione clericorum, cap. LVI. ſcribunt, ſe a maioribus traditum accepiſſe, inſtitutum eſſe hoc ſymbolum ab apoſtolis, ad diuerſas nationes ad prædicandum euangelium diſceſſuris, vt omnes vbique fideles ſummam hanc breuem haberent illius doctrinæ, quæ ab omnibus vnanimiter prædicaretur & *ſymbolo hoc veluti teſſera militari diſcernerentur fideles ab aliis ſectis.*

(*f*) Maxim. Taurin. homil. in ſymbol. p. 239.

RVE-

RVFFINVS [g] hunc significatum admittit, quando *Indicium*, inquit, *vel signum idcirco dicitur, quia illo tempore* (quando ex ipsius quidem sententia ab ipsis apostolis conditum fuit) *sicut & Paulus apostolus dicit, & in actis apostolorum refertur, multi ex circumeuntibus Iudæis simulabant, se esse apostolos Christi, & lucri alicuius vel ventris gratia ad prædicandum proficiscebantur; nominantes quidem Christum, sed non integris traditionum lineis nuntiantes. Idcirco istud indicium posuerunt, per quod agnosceretur is, qui Christum vere secundum apostolicas regulas prædicaret. Denique & in bellis ciuilibus hoc obseruari ferunt, quoniam & armorum habitus par, & sonus vocis idem, & mos vnus est, atque eadem instituta bellandi: ne qua doli subreptio fiat, symbola distincta vnusquisque dux militibus suis tradit, quæ Latine signa vel indicia nuncupantur; vt si forte occurrerit quis, de quo dubitetur, interrogatus symbolum prodat, si sit hostis vel socius.* Verum hæc nouissimo cuidam docto scriptori [h] non probantur, qui hoc nomen non ab vlla consuetudine militari, sed potius a sacris gentilium deriuatum esse, putat, vbi, qui mysteriis eorum initiati, & in notitiam peculiarium sacrorum, quæ maximam superstitiosæ multitudinis partem celabantur, admissi erant, certa sibi tradita signa habebant, symbola vocitata, quibus ostensis se mutuo internoscebant, & sine vlla dubitatione in templum quoduis, ad secretum cultum & ritus istius Dei, cuius symbolum acceperant, intromittebantur. Horum symbolorum vsus inter gentiles ab erudito isto auctore tam ex ethnicis, quam christianis scriptoribus abundanter demonstratus est: sed nullum ille testimonium adfert, quod christiani symbolum suum ex hac gentili consuetudine ita vocauerint. Et sane obest quodammodo huic sententiæ, quod huius rei nec vola nec vestigium in vllo antiquo scriptore conspiciatur. Neque est vero simile, christianos eam detestandorum ac obscœnorum mysteriorum gentilium habuisse rationem, vt nomen symboli, ad denotandam suam fidei confessionem, inde arcesserent, quum id decentius ab innocenti & vsitata in rebus militaribus vel contractibus ciuilibus consuetudine peti posset, a qua tum antiqui tum recentiores scriptores magna cum probabilitate deriuant.

(g) Ruffin. exposit. symboli ad calcem Cypriani p. 17. (in opusculis p. 170. edit. Paris. MDLXXX.)

(h) *Critical History of the Creed p. 11.*

§. II.

## §. II.

### *Cur dicatur* canon & regula fidei.

ALIVD vulgare formulæ fidei seu symboli nomen erat, *κανὼν regula*, ita dictum, quod esset fidei regula, ad quam orthodoxiam & hæresin examinabant & diiudicabant. Vt quum synodus *Antiochena* [i] *Paulum Samosatensem* a regula fidei recessisse dicit, id dicere velle manifesto intelligitur, quod in doctrina sua a symbolo ecclesiæ deflexerit. Quo intuitu a *Græcis* [k] plerumque ὅρος & ἔκδοσις πίστεως, *definitio & expositio fidei*, & interdum simpliciter πίστις, *fides* [l], dicitur. Quæ appellatio nomini *Latino regula fidei*, respondet, & ab IRENAEO [m], TERTVLLIANO [n],

(*i*) Epist. concil. Antioch. ap. Euseb. lib. VII. c. XXX Ὅπου δὲ ἀποστὰς τοῦ κανόνος ἐπὶ κίβδηλα καὶ νόθα διδάγματα μετελήλυθεν, οὐδὲν δεῖ τοῦ ἔξω ὄντος τὰς πράξεις κρίνειν. Quoniam a *fidei regula recedens* ad spuriam & adulterinam doctrinam se transtulit, hominis ab ecclesia alieni actus examinare nihil attinet.

(*k*) Socrat. lib. II. c. XXXIX. p. 147. d. τέλος Σιλβανὸς ὁ τῆς Ταρσοῦ προεστὼς ἐκκλησίας μέγα ἀνέκραγε, λέγων μὴ χρῆναι καινὴν ὑπαγορεύειν πίστεως ἔκδοσιν, ἀλλὰ τὴν ἤδη πρότερον ἐν Ἀντιοχείᾳ τοῖς ἐγκαινίοις ὑπαγορευθεῖσαν ὀφείλειν κρατεῖν. Tandem Siluanus Tarsensis ecclesiæ præsul elata voce dixit, nullam nouam *fidei* formulam (seu *expositionem*) conscribi oportere, sed illam quæ Antiochiæ in ecclesiæ dedicatione scripta esset, ratam esse debere.

Ibid. c. XL. ταῦτα ἔλεγε βουλόμενος ἑτέραν ἔκδοσιν πίστεως ἀντεισενεγκεῖν. Hoc autem ideo dicebat, quod in animo haberet aliam fidei formulam illius loco promulgare.

Id. lib. V. c. IV. ἐπιμιγνύμενοι αὐτοί τε καὶ οἱ ἐξ ἀρχῆς τὸν ὅρον τῆς ἐν Νικαίᾳ στέρξαντες πίστεως. Permiscentes se (Macedoniani) mutuo cum iis, qui Nicænæ *fidei formulam* ab initio fuerant amplexi.

(*l*) Theodoret. lib. I. c. VII. οὕτω δὲ τοῦ δυσσεβοῦς ἐκποδὼν γενομένου, συμφώνως ἅπαντες τὴν μέχρι καὶ νῦν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις πολιτευομένην πίστιν ὑπαγορεύσαντες, καὶ ταῖς ὑπογραφαῖς βεβαιώσαντες διέλυσαν τὸ συνέδριον. Hunc in modum impio illo ab ecclesia exturbato, quum *formulam fidei*, quæ ad hunc vsque diem in ecclesiis obtinet, communi consensu dictassent & subscriptionibus suis confirmassent, concilium dimisere.

(*m*) Iren. lib. I. c. XIX. Quum teneamus nos *regulam veritatis*, id est, quia sit vnus Deus omnipotens, cetera. Ibid. Hanc ergo tenentes *regulam*, cet.

(*n*) Tertull. de præscript. c. XIII. *Regula* est autem *fidei*, qua creditur vnum omnino Deum esse. cetera. It. de veland. virgin c. I. *Regula* autem *fidei* vna omnino est, sola immobilis & irreformabilis, credendi scilicet in vnicum Deum omnipotentem &c.

NOVATIANO [o], & HIERONYMO [p] communiter adhibetur, quando de hæreticis eorumque ſeceſſione a communibus chriſtianæ fidei articulis, in ſymbolis eccleſiæ contentis, loquuntur.

## §. III.

### *Cur* μάθημα.

ALIA vſitata formulæ fidei appellatio in antiquis ſcriptoribus *Græcis* eſt μάθημα, *lectio*, eo quod a catechumenis memoriter diſceretur. Hoc vocabulum ab imprudenti lectore facile pro lectione ſcripturæ ſacræ falſo accipi poteſt, niſi notæ quædam diſtinctionis addantur: Idcirco, quum in concilio *Conſtantinopolitano* ſub *Menna* legimus, quod poſt finitam lectionem euangelii *ſancta lectio* [q] pro more lecta fuerit, non de alia quadam lectione ex ſacris bibliis, ſed de lectione ſymboli intelligamus, oportet, quæ tunc temporis pars officii eucharistici facta erat. Quo ſignificatu vocabulum illud nonnumquam adhibet SOCRATES [r]. Et VALESIVS in duobus iſtius auctoris codicibus manuſcriptis, ante ſymbolum *Nicænum*, quod ibi recitatur, hæc verba τὸ μάθημα [s] addi obſeruat. LEON-

(o) Nouatian. de trinitat. c. I. *Regula* exigit *veritatis*, vt primo omnium credamus in Deum patrem & dominum omnipotentem &c. it. c. IX. Eadem *regula veritatis* docet nos, credere poſt patrem etiam in filium Ieſum Chriſtum, cetera.

(p) Hieronym. epiſt. LIV. ad Marcell. contr. errores Montani. Primum in *fidei regula* diſcrepamus, &c.

(q) Concil. Conſtantinop. ſub Menna act. V. (tom. V. concil. p. 155. c.) τοῦ ἁγίου μαθήματος κατὰ τὸ σύνηθες λεχθέντος. Sancta *lectione* iuxta conſuetudinem lecta.

(r) Socrat. hiſtor. lib. III. c. XXV. Πιστεύομεν εἰς ἕνα θεὸν πατέρα παντοκράτορα, καὶ τὰ λοιπὰ τοῦ μαθήματος, Credimus in vnum Deum patrem omnipotentem & reliqua, quæ ſequuntur in *ſymbolo*.
Vſſerius de ſymbolis p 20. idem oſtendit ex Iuſtiniano, leg. VII. cod. de ſumma trinitate & fide catholica, ad Epiphanium Conſtantinopolitanum patriarcham hunc in modum ſcribente: Ὅρον τῆς πίστεως, τουτέστι τὸ ἅγιον μάθημα ἤτοι σύμβολον κρατοῦμεν τε καὶ φυλάττομεν, τὸ παρὰ τῶν τιη ἁγίων πατέρων ἐκτεθὲν κ. τ. λ. Fidei definitionem, hoc eſt *ſacroſanctum documentum* (*lectionem*) ſiue ſymbolum, retinemus atque cuſtodimus, a ſanctis patribus CCCXVIII. expoſitum, cet. Maxentium & Photium ſymbolum etiam μάθημα vocaſſe, Vſſerius eodem loco adfirmat.

(s) Valeſ. not. in Socrat. lib. I. c. VIII. Τὴν δὲ τὴν γραφὴν πεποιήκασι] Poſt hæc

TIVS

TIVS autem BYZANTINVS [t] magis explicate loquitur, quando de symbolo, quod patres concilii *Chalcedonensis* confecerint, loquens, ὅρον πίστεως καὶ μάθημα illud nuncupat.

§. IV.

*Cur* γράμμα *&* γραφή.

Ex SOZOMENO VALESIVS [u] quoque obseruat, quod formula fidei sæpissime simpliciter & absolute γράμμα & γραφὴ appelletur. Quæ vocabula etsi plerumque pro sacra scriptura sumuntur, heic tamen alium sensum habeant, oportet. Nam fidei formula seu symbolum proprie loquendo non est scriptum diuinitus inspiratum, nisi eo sensu, quo e scriptis divinitus inspiratis collectum dici potest. Heic vero vulgari duntaxat sensu accepta *scriptum* siue *doctrinam* significant; atque ita adhibentur, vt vocabulum antecedens μάθημα, peculiari habito respectu ad doctrinam catechumenis propositam. Nonnulli etiam CYPRIANVM pro alio quodam nomine adlegant, quasi formulam fidei peculiari nomine *sacramentum fidei* [x] vocarit. At vero mentem CYPRIANI ita restringendam esse, persuasum mihi non est. Nam ille potius generatim contra mysteriorum, religionis sacramenta aliosue ritus religiosos quoslibet non minus quam symbolum includentium, profanationem loquitur;

verba, ante symbolum Nicænum in codice Florentino & Sfortiano adduntur hæc verba τὸ μάθημα. Ita Græci vocabant symbolum fidei, eo quod a catechumenis memoriter disceretur.

(t) Leont. de sectis act. VI. (in auctar. bibliothec. patr. Ducæano tom. I. p. 515.) μετὰ ταῦτα ἔδοξεν αὐτοῖς, ὥστε ὅρον πίστεως καὶ μάθημα ποιῆσαι. Visum est eis deinceps, vt *fidei definitio doctrinaeque formula* conficeretur.

(u) Valef. not. in Theodor. hist. lib. I. c. VIII. Scribit Theodoritus in superiore capite, Arianæ factionis episcopos formulam fidei a se compositam obtulisse concilio, quæ ab omnibus vno consensu repudiata est. Ad quem locum obseruaui, formulam illam intelligi, quam Eusebius Pamphili in epistola ad Cæsareenses proposuisse se dicit. Hæc est igitur, quam Eustathius hoc loco vocat γράμμα Εὐσεβίου. Nam γράμμα & γραφὴ *pro formula fidei sæpissime sumitur*, vt in libro IV. Sozomeni legere memini. Sic Eustathius paullo post συμφώνοις γράμμασιν dicit, de formula Nicænæ fidei loquens.

(x) Cyprian. testim. ad Quirin. lib. III. c. L. *Sacramentum fidei* non esse profanandum; apud Salomonem in parœmiis: In aures imprudentis noli quidquam dicere: ne quando audierit, irrideat sensatos sermones tuos. Item in euangelio κατὰ Matthæum: *Ne dederitis* &c.

 appli-

applicans eo ista scripturæ verba: *Ne dederitis sanctum canibus, neque miseritis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis & conuersi elidant vos.* Quod si vero hoc nomen ad aliquod particulare mysterium restringendum est, baptismum potius quam symbolum fidei significabit. Nam baptismus quandoque *sacramentum fidei* ab AVGVSTINO [y], & *sacramentum fidei ac pœnitentiæ* a FVLGENTIO [z] aliisque appellatur, quemadmodum pluribus ostendemus, vbi de baptismo tractabimus. Quam ob caussam hoc non pro nomine, quod symbolo fidei vllus e vetustis scriptoribus speciatim tribuerit, accipio: sed symbolum est fides ipsa (*credulitas*, vt nonnullis medii æui scriptoribus [a] vocatur) & sacramentum fidei est baptismus.

## §. V.

### *Num ista fidei formula, quæ vulgo dicitur* symbolum apostolorum, *ab ipsis apostolis composita & in præsentem verborum formam redacta sit?*

IN originem & naturam antiquarum fidei formularum inquirendum nunc est: Id quod per tres quæstiones fieri poterit. I. Num fidei formula, quæ *symbolum apostolicum* vulgo audit, ab ipsis apostolis in eadem verborum forma, vti hodie in ecclesia obtinet, composita sit? II. Num apostoli aliquam omnino fidei formulam in institutionem catechumenorum vel baptismi administrationem confecerint? III. Hoc si fecerunt; quinam articuli in ea fuerint contenti? Ad primam quæstionem viri docti generatim negando respondent, tametsi multi ex antiquis & re-

(y) August. epist. XXIII. ad Bonifac. Sicut secundum quemdam modum sacramentum corporis Christi corpus Christi est, sacramentum sanguinis Christi sanguis Christi est, ita *sacramentum fidei* fides est.

(z) Fulgent. de fide ad Petrum c. XXX. Per sacramentum fidei & pœnitentiæ, id est, baptismum liberatus.

(a) Vid. Herardi Turonensis capitul. CXL. ap. Wharton. auctar. historiæ dogmatic. Vsserii p. 368. Gloria patri, ac sanctis, atque *credulitas*, & Kyrie eleeson a cunctis reuerenter canantur.

It. Edictum Reccaredi regis ad calcem concilii Toletani tertii (tom. V. conc. p. 1009. b.) Vt primum populi quam *credulitatem* teneant, fateantur; & sic corda fide purificata ad Christi corpus & sanguinem percipiendum exhibeant. Dum enim constitutio hæc fuerit perenniter conseruata in Dei ecclesia & fidelium ex solido corroboratur *credulitas* & perfidia infidelium confutata, ad id quod repetitum sæpius recognoscit, facillime inclinatur.

centi-

centioribus diuerſum ſentiant. Nonnulli duodecim apoſtolos in vnum congregatos, ſymbolum illud eadem verborum forma, qua hodie in eccleſia adhibetur, compoſuiſſe exiſtimant; alii eo vſque progrediuntur, vt, quinam articuli a ſingulis apoſtolis compoſiti ſint, commemorare ſuſtineant. COMBERVS hac de re adeo perſuaſus ſibi videtur, vt non vereatur dicere, non habere nos melius aliquod medium probandi [b], quod libri ab iſtis auctoribus ſcripti ſint, quorum nomina in fronte gerant, quam conſentanea vetuſtatis teſtimonia; & his ſatis probari poſſe, apoſtolos huius ſymboli eſſe auctores. Quam in rem CLEMENTEM ROMANVM, IRENAEVM, ORIGENEM, TERTVLLIANVM, RVFFINVM, AMBROSIVM, AVGVSTINVM, HIERONYMVM, LEONEM epiſcopum *Romanum*, MAXIMVM TAVRINENSEM, CASSIANVM & ISIDORVM adlegat. Sed nullus horum ſcriptorum, ſi a RVFFINO diſceſſeris, in hanc ſententiam loquitur, ſed duntaxat ſymbola apoſtolicæ inſtitutionis eſſe dicunt: id quod, ſi eorum ſpectetur argumentum, nullus negat; nam de diuerſis loquuntur formulis easque vniuerſas apoſtolis tribuunt, id quod, ipſos hanc particularem formulam nihilo magis, quam reliquas intelligere, argumento eſt. Nam ſymbolum *Nicænum* ſæpiſſime *ſymbolum apoſtolorum* nuncupatur; neque tamen hoc ſymbolum totidem verbis ab apoſtolis compoſitum eſſe quiſquam ſtatuit. „RVFFINVS quidem videtur dicere, quod a maioribus traditum ſit [c], apoſtolos „diſceſſuros ab inuicem normam prius futuræ ſibi prædicationis „in commune conſtituiſſe. Ne forte alius ab alio abducti diuerſum aliquid his, qui ad fidem Chriſti inuitarentur, exponerent. Omnes ergo in vno poſitos, & ſpiritu ſancto repletos, breue iſtud futuræ ſibi prædicationis indicium, conferendo in vnum, quod ſentiret, vnusquisque compoſuiſſe atque „hanc credentibus dandam eſſe regulam ſtatuiſſe„. Qua de cauſſa hanc fidei normam ſymbolum appellari putat, ſymbolum enim *Græce* & *indicium* dici poſſe, & *collationem*, hoc eſt, quod plures in vnum conferant. Auctor ſub nomine AVGV-

(*b*) Comber's *Companion to the Temple* p. 132.

(*c*) Ruffin. expoſit. ſymboli ad calcem Cypriani p. 17. (in opuſculis p. 169. edit. Pariſ.)

STINI [*d*], quo pacto ſymbolum ab apoſtolis compoſitum dicatur, plenius enarrat. Docere enim ſatagit, quem articulum ſinguli apoſtoli addiderint: Petrus, inquit, dixit, *Credo in Deum patrem omnipotentem.* Ioannes dixit, *Creatorem cæli & terræ.* Iacobus dixit, *Credo & in Ieſum Chriſtum, filium eius vnicum, dominum noſtrum.* Andreas dixit, *Qui conceptus eſt de ſpiritu ſancto, natus ex Maria virgine.* Philippus ait, *Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & ſepultus.* Thomas ait, *Deſcendit ad inferna, tertia die reſurrexit a mortuis.* Bartholomæus dixit, *Aſcendit ad cælos, ſedet ad dexteram Dei patris omnipotentis.* Matthæus dixit, *Inde venturus iudicare viuos & mortuos.* Iacobus Alphæi, *Credo & in ſpiritum ſanctum, ſanctam eccleſiam catholicam.* Simon Zelotes, *Sanctorum communionem, remiſſionem peccatorum.* Iudas Iacobi, *Carnis reſurrectionem.* Matthias compleuit, *Vitam æternam, Amen.*

VERVM ENIM VERO inſuperabili difficultate hæc traditio inuoluta eſt, quia videlicet duo tresue articuli heic memorantur, qui in hoc ſymbolo ad minimum per tria quatuorue priora ſæcula non exſtitiſſe, noſcuntur. Nam ipſe RVFFINVS articulum de deſcenſu *CHRISTI* ad inferos neque in eccleſiæ *Romanæ* [*e*] ſymbolo, quod ſic dictum ſymbolum apoſtolicum eſt, neque in orientalibus eccleſiis haberi dicit, vim tantum verbi eamdem videri eſſe in eo, quod ſepultus dicitur. VSSERIVS & PEARSONIVS hanc obſeruationem veram eſſe, omnium antiquorum ſymbolorum inductione demonſtrarunt, & hunc articulum per quatuor ſæcula in illis omnibus, excepto ſymbolo *Aquileienſi*, quod RVFFINVS exponit, & ſymbolo ſynodi *Ariminenſis*, SOCRATI [*f*] memorato, deſiderari oſtenderunt. Idem de articulo, qui de ſanctorum agit communione, obſeruarunt

(*d*) Auguſtin. de tempore ſerm. CXV. al. XCII. ( tom. X. opp. p. 849. edit. Baſil. MDLXIX. )

(*e*) Ruffin. expoſit. ſymbol. p. 22. ( p. 179. edit. Pariſ. cit.) Sciendum ſane eſt, quod in eccleſiæ Romanæ ſymbolo non habetur additum, Deſcendit ad inferna: ſed neque in orientis eccleſiis habetur hic ſermo, vis tamen verbi eadem videtur eſſe in eo, quod ſepultus dicitur.

(*f*) Socrat. lib. II. c. XXXVII. Τοῦτον ἴσμεν τὸν μονογενῆ αὐτοῦ υἱὸν, - - σταυρωθέντα καὶ ἀποθανόντα καὶ εἰς καταχθόνια κατελθόντα, καὶ τὰ ἐκεῖσε οἰκονομήσαντα. Hunc vnigenitum filium Dei ſcimus - - crucifixum & mortuum eſſe & *ad inferos deſcendentem*, quæ illic agenda erant, diſpoſuiſſe.

varunt alii, qui neque in ſymbolo eccleſiæ *Aquileienſis*, neque in vllo *Græco* vel *Latino* ſymbolo, per quadringentorum annorum a nato Chriſto interuallum, repertus eſt. Neque articulus de vita æterna in pluribus ſymbolis memoratur, ſed articulo de carnis reſurrectione, qui in multis antiquis ſymbolis vltimus eſt, duntaxat incluſus intelligitur. Hæc ſine vllo alio argumento euidenter demonſtrant, quod ſymbolum, vti præſens forma habet, ſic ab apoſtolis, quemadmodum venditatur, compoſitum eſſe nequeat. Actuum apoſtolicorum de eiusmodi compoſitione ſilentium teſtimonium ex transuerſo exhibet. Eccleſiaſticorum quoque ſcriptorum per tria integra ſæcula ſilentium itidem illud confirmat. Symbolorum tot diuerſæ formulæ a veteribus vſurpatæ, etiam nunc in ipſorum ſcriptis extantes, aliæ quidem cum nonnullis omiſſis, cum additis aliæ, & omnes diuerſa phraſi conſcriptæ, non minus euidentia teſtimonia ſunt, vniuerſalem quamdam doctrinæ & fidei formulam toti eccleſiæ ab apoſtolis præſcriptam & traditam non fuiſſe. Nam ſic difficile ad credendum eſt, vllam eccleſiam aliam quamdam formulam, in minimo apice ab iſthac diuerſam, accepturam fuiſſe. Hæ rationes viris doctis nunc generatim probantur, quod non talis exacta forma ab vniuerſis apoſtolis, vt a maioribus traditum dicitur, compoſita ſit. Lector in VOSSIO [g], VSSERIO [h], LESTRANGIO [i], BASNAGIO [k], SVICERO [l] & erudito *hiſtoriæ criticæ ſymboli* [m] auctore diſſertationes de hoc argumento inuenire poteſt. Eoque magis mirandum eſt, vllos homines intelligentes, tam firma argumenta nihil moratos, ad contrarium tuendum operam & laborem conferre, & quidem non ex melioribus rationibus, quam quod veteres in ſymboli apoſtolici appellatione conſentiant. Non enim ſemper hanc præcipuam formulam intelligunt, ſed reliquas formulas omnes apoſtolicas nominant, ſymbolum *Nicænum*, ſymbolum *Conſtanti-*

(g) Voſſ. de tribus ſymbolis. Amſterdam. MDCXCII. 4to.
(h) Vſſer. de ſymbolo Romanæ eccleſiæ. Oxoniæ MDCLX. 4to.
(i) L'Eſtranges *Alliance of Divin Offic.* Chap. III. p. 80.
(k) Baſnag. critic. in Baron. p. 471. ſeqq.
(l) Suicer. theſaur. eccleſ. voce σύμβολον. Tom. II. p. 1092.
(m) *Critical Hiſt. of the Creed.* Chap. I. p. 27.
Videatur etiam GEORGII BVLLI iudicium eccleſiæ catholicæ c. V. §. III. vbi ad VOSSIVM lectores ſuos remittit, qui hanc theſin abunde conſummarit.

nopo-

*nopolitanum*, ſymbola *orientalia* & *occidentalia* & reliqua omnia, quæ cum hoc, quod ad rem ipſam, etſi non quod ad methodum & verba, concordant, & omnia æque ſunt apoſtolica, ſvtpote ex apoſtolorum prædicatione deriuata, & quod ad argumentum ab illis compoſita, quædam etiam fortaſſis in eccleſiis, vbi euangelium prædicarunt, relicta, quemadmodum prima huius ſymboli rudimenta in eccleſia *Romana* videntur fuiſſe. Eatenus omnia antiqua catholica ſymbola dici poſſunt apoſtolica, quia ratione argumenti cum ſymbolis, ab apoſtolis in baptiſmo adhibitis, eadem ſunt.

## §. VI.

*Quod probabile ſit, apoſtolos aliquibus ſymbolis, verborum quidem forma non autem re ipſa inter ſe diſcrepantibus, vſos eſſe.*

VERVM, quæ huc vſque dicta ſunt, non eo accipi volumus, ac ſi apoſtolos nulla omnino ſymbola adhibuiſſe ſtatueremus, ſed potius pluribus, forma quidem non autem argumento ab ſe innicem diſcrepantibus, eos vſos eſſe largimur. Quidquid contendimus, hoc eſt, quod nulla ex iis formulis, quæ hodie exſtant, eadem prorſus verba cum apoſtolica habeant, id quod ex ſymbolorum in diuerſis eccleſiis vſurpatorum varietate, & verborum quorumdam ad illam formulam, quæ præ reliquis omnibus apoſtolica eſſe, dicitur, adiectione demonſtratur. Quamquam vero apoſtoli nullum vnquam ſymbolum condiderunt, vt perpetuum & vniuerſalem in omni eccleſia vſum haberet, dubium tamen non eſt, quin in admittendis ad baptiſmum catechumenis quaſdam formulas adhibuerint. Non paucæ in ſacris ſcripturis reperiuntur locutiones, quæ huic conſuetudini fauent, ſpeciatim interrogationes *Philippi*, quibus ad eunuchum vtebatur, antequam baptiſmo ipſum donaret, & *Petri* reſponſio bonæ conſcientiæ erga Deum in baptiſmo vſitata. Et conſtans eccleſiæ praxis, qua in imitationem apoſtolorum neminem ad baptiſmum admittebat, niſi præuiis iſtis interrogationibus, apoſtolicæ praxeos ſatis teſtimonium eſt. At vero vti eccleſia libertate verborum in diuerſis ſymbolis ſuis vſa eſt, ita apoſtolos idem feciſſe, nec ad vllam formulam ſeſe adligaſſe, probabile eſt, vtpote qui omnes diuina ducti inſpiratione id facere tanto minus neceſſe habuerunt. Hinc quoque euenit, vt quum nulla certa fidei formula omnibus

bus ecclesiis vniuersaliter esset præscripta, singulæ ecclesiæ symbola sibi faciendi haberent libertatem, quemadmodum liturgias sibi suas componebant, ad nullam verborum formam adligatæ, quod analogiæ fidei & doctrinæ ab apostolis primum traditæ adhæresçerent. Quæ vera tot antiquarum formularum, verbis quidem non re ipsa inter se differentium, ratio esse videtur.

## §. VII.

### *Quinam fidei articuli in symbola apostolica conclusi & comprehensi sint.*

IAM vero magna illa quæstio de natura, argumento & ambitu symbolorum apostolicorum reliqua est, hoc est, quinam fidei articuli in ea conclusi fuerint & comprehensi. Sunt, qui admodum angustos illis limites circumscribunt, initio nihil amplius, quam quod in formula baptismi expressum est, nimirum *Credo in Deum patrem, filium & spiritum sanctum*, ea continuisse dictitantes. Ita EPISCOPIVS [n] eiusque asseclæ, qui orbi christiano persuadere adlaborant, doctrinam de seruatoris nostri diuinitate per tria priora sæcula ad salutem scitu ac creditu necessariam iudicatam non fuisse. Verum eruditus episcopus BVLLVS [o] & GRABIVS [p] hanc assertionem solidissime confutarunt, ille quidem ex omnibus antiquis symbolis ostendendo, hanc doctrinam necessarium fidei articulum fuisse, iam ante synodum *Nicææ* celebratam; hic autem ex sacra scriptura probando, ipsa

(n) Episcop. institut. lib. IV. sect. II. cap. XXXIV. (p. 339. b. fin. §. *Tertium argumentum* edit. Lond. MDCLXXXVIII.) In primitiuis ecclesiis, quæ ab ipsis vsque apostolorum temporibus, saltem per tria integra sæcula fuerunt, fides ac professio specialis huiusmodi filiationis (diuinæ) ad salutem scitu ac creditu necessaria iudicata non fuit; Pag. 140. sub init. Antiquissimum symbolum, quodque in prima baptismi administratione, iam inde ab ipsis apostolorum temporibus vsitabatur, hoc erat, Credo in Deum patrem, filium, & spiritum sanctum; nempe ad præscriptam ab ipso Iesu formulam, *Ite & docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine patris, filii, & spiritus sancti.* Symboli huius ἐξηγήσεις, quæ variæ apud scriptores veteres, puta apud Irenæum lib. I. c. II. & III. apud Tertull. lib. de præscript. aduersus hæreticos & de velandis virginibus &c. reperiuntur, earum nullæ modi huius professionem continent, nedum vt eius profitendæ necessitatem declarent. cetera.

(o) Bull. indic. ecclef. cathol. cap. VI. tot. p. 47-60.

(p) Grabe adnotata ad cap. V. VI. & VII. eiusd. p. 61.

„prima symboli apostolici, in antiquissima baptismi administra-
„tione visitati, lineamenta ampliora fuisse ista ab EPISCOPIO
„tradita fidei confessione: *Credo in patrem, filium & spiritum san-*
„*ctum*; illudque symbolum mox tanta cepisse incrementa, vt
„ipsa apostolorum ætate ac auctoritate, vel saltem permissione,
„ad istam tandem magnitudinem, qua nunc symbolum aposto-
„lorum vulgo dictum gaudet, excreuerit, cunctosque habue-
„rit articulos, demtis solum duobus, *de descensu Christi ad infe-*
„*ros, & de communione sanctorum*„. Singularis certe opinio BAS-
NAGII est, sæculo demum secundo symbolum compositum,
eique præcipue articulos ad coarguendas varias hæreses, quæ
tunc temporis ecclesiam infestarint, insertas fuisse statuentis.
*Non me leuis* [q] *incessit opinio*, inquit, *ex scripturæ articulis symbo-*
*lum a patribus fuisse conditum, erroribus Gnosticorum, Simoniacorum,*
*Ebionitarum, eiusmodique furfuris hominum coarguendis atque confu-*
*tandis. Gnostici bonum Deum & malum suis in dogmatibus habere dice-*
*bantur: pestilentissima hæresis his euertitur*; Credo in Deum. *Me-*
*nander, Simonis discipulus, mundum asserebat, non a Deo sed ab angelis*
*factum: huic oppositum*; Creatorem cæli & terræ. *Carpocrates Ie-*
*sum hominem* ψιλὸν *& de vtroque sexu natum esse docebat: hoc impu-*
*gnatum ex verbis*; Christum conceptum de spiritu sancto *Basili-*
*diani non credebant, Iesum a Iudæis fuisse crucifixum, sed Simonem*
*Cyreniensem: paucis quidem, sed solidissimis verbis confutantur*; Mor-
tuus est & sepultus. *Carnis resurrectionem abiiciebat Carpocrates*
*cum Marcella sectæ socia: dictum*; Credo resurrectionem carnis.
*Omnes symboli articulos sigillatim percurrenti, planum fiet, ad errores*
*tum grassantes referri.* Ita vero, si erudito huic viro aurem præ-
bere voluerimus, nullum omnino symbolum ab apostolis fa-
ctum, sed in totum ab ecclesia compositum & gradatim auctum
est, quando demum sectarum & hæresium origo oppositionem
quamdam requisiuit. Eruditus *nouissimæ criticæ historiæ symboli*
auctor eadem via incedit, hoc tantum cum discrimine, vt alios
articulos ab ipsis apostolis insertos, (quod BASNAGIVS non di-
cit,) alios ab ecclesia, hæresibus ita exigentibus, additos esse
statuat. Quando vero de articulis sigillatim loquitur, de præ-
cipuis in BASNAGII concedit sententiam. Primum enim arti-
culum, *Credo in vnum Deum*, non contra polytheismum gentili-

(q) Basnag. exercit. in Baron. p. 476.

um

um ab apostolis, sed ab ecclesia tantum contra *Valentinianorum, Cerdonianorum, Marcionitarum*, aliasque hæreses, sequentibus temporibus subortas, factum esse contendit. Quod re ipsa non est aliud, quam dicere, symbolum ab apostolis compositum esse, & non esse compositum. Nam si primarii eius articuli ab ipsis non sunt conditi, non video, vnde eius auctores fuisse dici possint. Quocirca docti GRABII sententiæ facilius subscribo, qui contra hunc eruditum virum euicit, primum articulum, *Credo in Deum patrem, creatorem cæli & terræ*, mox ab initio ab apostolis symbolo fuisse insertum contra capitalem ethnicorum errorem, πολυθεότητα videlicet, seu persuasionem de pluribus falsis diis, quorum vnus cæli, alter terræ, alius maris haberet potestatem &c. ac vanam horum venerationem. Nam hæc promiscuæ multitudinis superstitio erat; etiamsi philosophi & doctiores inter gentiles de vnitate supremi Dei aliquanto melius sentirent. Vnde rationi consentaneum est credere, hunc primum articulum insertum fuisse, vt homines ante baptismum huic erroneæ gentilium opinioni renuntiarent.

EPISCOPII opinio, quando ab initio in symbolo de servatore nostro nudum filii titulum prolatum fuisse adserit, a GRABIO solide confutata est, qui ex scripturis hunc ipsi titulum cum additamento, quod sit *filius DEI*, semper tribui ostendit probatque, reliquos articulos, quod sit *crucifixus*, *mortuus*, *sepultus*; *quod resurrexerit*, *& adscenderit in cælos*, *& sedeat ad dexteram Dei*, *inde venturus*, *vt iudicet viuos ac mortuos*, iam inde ab ipsis christianæ fidei initiis symbolo insertos fuisse; quod doctrinæ sint, quibus catechumenos suos apostoli maxime imbuerint, & quæ *iudæis* pariter & gentilibus absurdæ ridiculæque visæ sint; adeoque concludi licere dicunt, quod horum articulorum confessionem *iudæi* ac gentiles nuper conuersi & iam iam baptizandi debite ediderint. Vnde quoque ab opinione iam ante memorati auctoris *historiæ criticæ symboli* discedit, cui articulus de adscensione Christi huic symbolo sæculo II. appositus, atque *Apelli*, discipulo *Marcionis*, carnis Christi adscensionem in cælos neganti, oppositus videtur. Verum enim vero, si ad excludendum hunc errorem patres articulum de adscensione Christi symbolo apposuissent, non ita nude protulissent, *Adscendit in cælos*, sed dixissent, τὴν ἔνσαρκον εἰς τοὺς οὐρανοὺς ἀνάληψιν, *in carne in cælos adscensionem*, vti, obseruante GRABIO, IRENAEVS in e-

narratione ſymboli ait. Parem inde rationem eſſe dicit ſequentium commatum *de ſeſſione ad dexteram patris, & reditu ad iudicandum viuos & mortuos*; quorum illud ſi errori eorum oppoſitum fuiſſet, qui affirmabant, ſeruatoris *carnem in cælis vacuam ſenſu, vt vaginam, exemto Chriſto, ſedere*, hoc vero appoſitum ad excludendam hæreſin partim *Marcionitarum*, Deum patrem Chriſti iuſtum, ſiue iudicem, eſſe negantium, partim *Gnoſticorum*, libertatem arbitrii inficias euntium, vti ante memoratus auctor opinetur; vtrumque ſi non pluribus, ſaltem ſpecialioribus atque talibus fuiſſet conceptum verbis, quæ dictas hæreſes directe ferirent. Vnde rationi magis conſentaneum eſt credere, apoſtolos confeſſionem hancce iis, qui ſimpliciter iſta hactenus negarant aut ignorarant, *Iudæis* nempe & ethnicis ad fidem conuerſis, præſcripſiſſe.

De duobus articulis *de conceptione Ieſu Chriſti ex ſpiritu ſancto, & natiuitate ex Maria virgine*, GRABIVS aliquantum dubitat, an illos quoque iam inde ab initio *Iudæi* ac gentiles ſint profeſſi? quod in nullo catecheticorum, qui in vitis apoſtolorum exſtant, ſermonum vlla vel conceptionis ex virtute ſpiritus ſancti ſine virili ſemine, vel natiuitatis ex *Maria* virgine, facta ſit mentio, ſed ante obitum *Ioannis* ad *Carpocratis*, *Cerinthi* ac *Ebionæorum* hæreſin, quæ Chriſtum ex *Ioſepho* & *Maria* genitum impie aſſerebat, excludendam demum ſymbolo fidei acceſſiſſe, ſentit.

Articvlvs de *ſpiritu ſancto* ſemper fuit pars ſymboli apoſtolici, vt ipſe EPISCOPIVS adfirmat; adeoque eorum opinio, qui a catechumenis ante baptiſmum nihil præter confeſſionem fidei in *IESVM CHRISTVM*, filium Dei, requiſitum fuiſſe ſtatuunt, penitus repudianda eſt.

Articvlvs de *remiſſione peccatorum* itidem ab initio in ſymbolo apoſtolorum expreſſus fuit, quia hanc doctrinam in primis catecheſibus diſerte *Iudæis* pariter & ethnicis tradiderunt. Et proinde opinio auctoris *hiſtoriæ ſymboli apoſtolici*, quod aliquibus tantum, non vero omnibus ſymbolis inſertus fuerit, vsque ad ortum hæreſis *Nouatianorum*, itidem reiicienda eſt; quod ipſos *Nouatianos* iſtum articulum in baptiſmo adhibuiſſe conſtat.

Articvli de *reſurrectione mortuorum* & *vita æterna* etiam ſymbolo apoſtolico inſerti fuiſſe colliguntur, ſi non a primis initiis

tiis

tiis, certe eo tempore, quum epistolam suam ad *Hebraeos* scripsit *Paulus*, siquidem resurrectionem mortuorum & iudicium aeternum inter fundamentalia doctrinae christianae capita memorat, Hebr. VI, 2.

ARTICVLVM de *ecclesia* GRABIVS sub finem saeculi primi vel initium secundi, occasione haereticorum & schismaticorum, postquam seorsim ab ecclesia orthodoxa congregari coeperunt, reliquis accessisse putat. TERTVLLIANI certe tempore fideles iam in symbolo professos fuisse *sanctam ecclesiam*, ex ipsius libro de baptismo patet, vbi [r] scribit: *Quum autem sub tribus & testatio fidei & sponsio salutis pignorentur, necessario adiicitur ECCLESIAE mentio; quoniam vbi tres, id est, pater, filius & spiritus sanctus, ibi ECCLESIA, quae trium corpus est.*

DE *communione sanctorum* constare dicit, non ante saeculum a Christo nato quartum eius mentionem in symbolo occurrisse.

QVOD vero ad articulum de *descensu Christi ad inferos* attinet, ille primis ecclesiae saeculis symbolo non fuit expressus, sed occasione haereticorum posterioribus temporibus illi additus. Quo autem praecipue tempore accesserit, de eo quidem inter *historiae criticae* auctorem & GRABIVM non conuenit. Ille (qui genuinum huius articuli sensum adeo erudite exposuisse noscitur, vt a consummatissimo theologo haud meliora exspectari queant) contra *Arianos* vel *Apollinaristas*, animam siue spiritum Christo denegantes, insertum fuisse opinatur, quia patres in dictis haereticis refellendis hoc vsi sint argumento: Christus ad inferos descendit, vel secundum diuinitatem, vel secundum animam, vel secundum corpus. Atqui absurdum est siue diuinitati, siue corpori, descensum ad inferos adscribere; ergo secundum animam descendisse, ac per consequens anima praeditum fuisse, statuendum est. GRABIVS autem huic sententiae obstare dicit, quod in nulla confessione Christus *secundum* animam in inferno fuisse, sed simpliciter ad *inferos* vel in *subterranea loca descendisse* dicatur, quodque in quibusdam ipsorum *Arianorum* nec non aliis secta *Apollinaris* antiquioribus fidei formulis hic articulus occurrat. Vnde is potius occasione *Valentinianorum* & *Marcionitarum* iam pridem symbolo additus fuisse, ipsi videtur. Illi enim, IRENAEO [s] & TER-

(r) Tertull. de bapt. c. VI.

(s) Iren. lib. V. c. XXXI. p. 420. Haeretici despicientes plasmationem Dei, & non

TVLLIANO [*t*] teſtibus, ſimul atque mortui eſſent, cælos ſe ſupergredi dictitabant; quum tamen ipſe Chriſtus, antequam reſurrexit, & in cælos adſcendit, tribus diebus commoratus ſit, vbi animæ erant mortuorum.

VNIVERSAM hanc materiam finiens GRABIVS, ex hactenus dictis non obſcure eluceſcere dicit, omnes ſymboli apoſtolici articulos, exceptis de *communione ſanctorum* ac de *eccleſia* forte, nec non de *deſcenſu Chriſti ad inferos*, ipſa apoſtolorum ætate ac auctoritate, vel ſaltem approbatione, a primæuis chriſtianis in ſolemnibus fidei ſuæ confeſſionibus expreſſos fuiſſe, ac proinde ſymbolum fidei, quoad ſubſtantiam plurimorum articulorum, recte *apoſtolicum* dici. Et ſane vix ac ne vix quidem fieri potuiſſe, vt tot in tam diſſitis mundi partibus eccleſiæ in formula fidei ac tot eius articulis, adeo conueniſſent, niſi talis ab auctoritate, quam omnes agnoſcerent, in cunctas emanaſſet. Quod vero confeſſiones ſingularum eccleſiarum quoad verba & phraſes differant, id inde factum, quia *ſymbolum fidei & ſpei noſtræ, quod ab apoſtolis eſt traditum, non ſcriptum fuit in charta & atramento, ſed in tabulis cordis carnalibus*, vti HIERONYMVS [*u*] loquitur. Vnde liberum vnicuique eccleſiæ fuiſſe, quibus vellet,

ſuſcipientes ſalutem carnis ſuæ, contemnentes autem & repromiſſionem Dei & totum ſupergredientes Deum ſenſu, ſimulatque mortui fuerint, dicunt, ſe ſupergredi cælos & Demiurgum, & ire ad matrem, vel ad eum, qui ab ipſis affingitur, patrem.

Et paullo poſt p. 457. columm. 1. Dicunt inferos quidem eſſe hunc mundum, qui ſit ſecundum nos, interiorem autem hominem ipſorum derelinquentem heic corpus, inſuper cæleſtem adſcendere locum.

(*t*) Tertull. de anima c. LV. Nobis inferi non nuda cauoſitas, nec ſubdiualis aliqua mundi ſentina creduntur; ſed in foſſa terræ & in alto vaſtitas & in ipſis viſceribus eius abſtruſa profunditas. Ibid. Chriſtum in corde terræ triduum mortis legimus expunctum, id eſt, in receſſu intimo & interno, & in ipſa terra operto, & intra ipſam cauato, & inferioribus adhuc abyſſis ſuperſtructo. Quod ſi Chriſtus Deus, quia & homo, mortuus ſecundum ſcripturas, & ſepultus ſecundum easdem, huic quoque legi ſatisfecit, forma humanæ mortis apud inferos functus, nec ante adſcendit in ſubliniora cælorum, quam deſcendit in inferiora terrarum, vt illic patriarchas & prophetas compotes ſui faceret. Habes & regionem inferûm ſubterraneam credere, & illos cubitos pellere, qui ſatis ſuperque non putent animas fidelium inferis dignas: ſerui ſuper magiſtrum, aſpernati, ſi forte in Abrahæ ſinu, exſpectandæ reſurrectionis ſolatium carpere.

(*u*) Hieron. epiſt. LXI. ad Pammach. cap. IX.

let,

let, verbis ſenſum eius exprimere. Ceterum nolle ſe dicit in ſe recipere probationem iſtius *traditionis*, quam RVFFINVS memoret, quod diſceſſuri ab ſe inuicem apoſtoli ſymbolum illud in commune compoſuerint. Flocci vero faciendam diuiſionem XII ſymboli articulorum inter XII apoſtolos ab auctore ſub nomine AVGVSTINI traditam, aliaque huiusmodi commenta, de quibus quidquam dicere nihil attinere exiſtimat.

NOS in enarranda ſummi huius viri de hoc argumento ſententia paullo longiores fuimus, tum quod ea, quæ de diuerſorum articulorum ſymboli origine tradit, omnium exactiſſima videntur, tum quod diſſertationem, qua opinionem ſuam declarat, non ad cuiuslibet lectoris manus peruenturam eſſe, iudicamus.

# LIBRI DECIMI

## CAPVT QVARTVM.

## COLLECTIO QVARVMDAM ANTIQVARVM FIDEI CONFESSIONVM SEV SYMBOLORVM E VETVSTIS ECCLESIAE MONIMENTIS.

### §. I.

### *Fragmenta ſymboli in* Irenæo.

PROXIMO nunc loco quasdam antiquas ſymboli fidei formulas lectori exhibebimus, quas in vetuſtiſſimis ſcriptoribus & fide digniſſimis eccleſiæ monimentis deprehendimus. Hæ ipſæ eo valebunt, vt non tantum ea, quæ capite vltimo dicta ſunt, illuſtrentur & confirmentur, ſed vt etiam declaretur, quæ antiqua eccleſiæ fides fuerit, oſtendaturque hæreticorum noſtri temporis, ſpeciatim *Arianorum*, vanitas, qui doctrinam de ſeruatoris noſtri diuinitate ante concilium *Nicænum* ſcitu credituque haud neceſſariam fuiſſe, dictitant. VSSERIVS epiſcopus in eximio libro ſuo de *ſymbolo Romano* iam bene multas harum antiquarum formularum conlegit, ſed quum iſte liber rarior ſit, non nulla etiam ei addi poſſint, lectori heic nouum earum catalogum trademus, a fragmentis ſymbolorum, quæ in IRENAEO, ORIGENE, CYPRIANO, TERTVLLIANO aliisque priuatis ſcriptoribus habentur, nec VSSERIO memorantur, facturi initium. Sunt, qui ſymbola in ſcriptis IGNATII, CLEMENTIS ROMA-

ROMANI, POLYCARPI & IVSTINI MARTYRIS inueniri putant: Sed, vt recte obseruauit PEARSONIVS [a], isti scriptores, etiamsi velut in transitu quorumdam fidei capitum mentionem iniiciant, nullam tamen fidei regulam suorum temporum nobis exhibent. Primus, qui de fidei confessione loquitur, IRENAEVS [b] est, qui *regulam veritatis immobilem*, *quam quisque per baptismum acceperit*, vocat. Et mox, quid ea sit, verbis sequentibus declarat: „Ecclesia [c] per vniuersum orbem vsque ad fines ter„ræ seminata ab apostolis & discipulis eorum accepit eam fi„dem, quæ est in vnum Deum, patrem omnipotentem, qui fe„cit cælum & terram, & mare & omnia, quæ in eis sunt: & in „vnum Iesum Christum, filium Dei, incarnatum pro nostra sa„lute: & in spiritum sanctum, qui per prophetas prædicauit dis„positiones Dei, & aduentum, & eam, quæ est ex virgine, ge„nerationem, & passionem, & resurrectionem a mortuis & in „carne in cælos adscensionem, dilecti Iesu Christi domini no„stri, & de cælis in gloria patris aduentum eius, ad recapitu„landa vniuersa & resuscitandam omnem carnem humani ge„neris, vt Christo Iesu domino nostro, & Deo, & saluatori &

(a) Pearson. exposit. fidei, articul. V. initio p. 400. edit. latin. Francof. ad Viadrum MDCXCI. Aliqui nobis narrare solent, non exstare (descensum Christi ad inferos) in confessione Ignatii ep. ad Magnesianos, sed sane nulla fidei confessio in ea epistola occurrit, quidquid enim legitur, irrepsit ex constitutionibus Clementis. Pari ratione frustra obiicitur, omissum fuisse a Polycarpo, Clemente Rom. & Iustin. Martyre: *Neque enim illi exhibuerunt vllam fidei regulam suorum temporum.*

(b) Iren. lib. I. c. I. p. 44. οὕτω δὲ τὸν κανόνα τῆς ἀληθείας ἀκλινῆ ἐν ἑαυτῷ κατέχων, ὃν διὰ τοῦ βαπτίσματος εἴληφε, τὰ μὲν ἐκ τῶν γραφῶν ὀνόματα, καὶ τὰς λέξεις, καὶ τὰς παραβολὰς ἐπιγνώσεται. Sic autem & qui *regulam veritatis immobilem* apud se habet, *quam per baptismum accepit*, hæc quidem quæ sunt ex scripturis nomina & dictiones & parabolas cognoscet.

(c) Iren. ibid. c. II. p. 45. Ἡ μὲν ἐκκλησία, καίπερ καθ' ὅλης τῆς οἰκουμένης ἕως περάτων τῆς γῆς διεσπαρμένη, παρὰ δὲ τῶν ἀποστόλων καὶ τῶν ἐκείνων μαθητῶν παραλαβοῦσα τὴν εἰς ἕνα Θεὸν πατέρα παντοκράτορα, τὸν πεποιηκότα, τὸν οὐρανὸν, καὶ τὴν γῆν, καὶ τὰς θαλάσσας, καὶ πάντα τὰ ἐν αὐτοῖς, πίστιν· καὶ εἰς ἕνα Χριστὸν Ἰησοῦν, τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, τὸν σαρκωθέντα ὑπὲρ τῆς ἡμετέρας σωτηρίας· καὶ εἰς πνεῦμα ἅγιον, τὸ διὰ τῶν προφητῶν κεκηρυχὸς τὰς οἰκονομίας, καὶ τὰς ἐλεύσεις, καὶ τὴν ἐκ παρθένου γέννησιν, καὶ τὸ πάθος, καὶ τὴν ἔγερσιν ἐκ νεκρῶν, καὶ τὴν ἔνσαρκον εἰς τοὺς οὐρανοὺς ἀνάληψιν τοῦ ἠγαπημένου Χριστοῦ Ἰησοῦ τοῦ κυρίου ἡμῶν, καὶ τὴν ἐκ τῶν οὐρανῶν ἐν τῇ δόξῃ τοῦ πατρὸς παρουσίαν αὐτοῦ, ἐπὶ τὸ ἀνακεφαλαιώσασθαι τὰ πάντα, καὶ ἀναστῆσαι πᾶσαν σάρκα πάσης ἀνθρωπότητος, ἵνα Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ κυρίῳ ἡμῶν,

„regi

„regi ſecundum placitum patris inuiſibilis omne genu curuet „cæleſtium, & terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua con- „fiteatur ei, & iudicium iuſtum in omnibus faciat: ſpiritualia „quidem nequitiæ, & angelos transgreſſos atque apoſtatas fa- „ctos & impios, & iniuſtos, & iniquos & blaſphemos homines „in æternum ignem mittat: iuſtis autem & æquis, & præcepta „eius ſeruantibus, & in dilectione eius perſeuerantibus quibus- „dam quidem ab initio, quibusdam autem ex pœnitentia, vi- „tam donans, incorruptelam loco muneris conferat & clarita- „tem æternam circumdet. Hanc fidem, inquit [*d*], eccleſia in „vniuerſum mundum diſſeminata, diligenter cuſtodit, quaſi v- „nam domum inhabitans: & ſimiliter credit iis, videlicet quaſi „vnam animam habens & vnum cor, & conſonanter hæc præ- „dicat, & docet, & tradit, quaſi vnum poſſidens os. Nam etſi „in mundo loquelæ diſſimiles ſunt, ſed tamen virtus vna & ea- „dem eſt. Et neque hæ, quæ in *Germania* ſunt fundatæ eccle- „ſiæ, aliter credunt, aut aliter tradunt: neque hæ, quæ in *Hi- „beriis* ſunt, neque hæ, quæ in *Celtis*, neque hæ, quæ in *oriente*, „neque hæ, quæ in *Aegypto*, neque hæ, quæ in *Libya*, neque hæ, „quæ in medio mundi ſunt conſtitutæ: ſed ſicut ſol creatura „Dei in vniuerſo mundo vnus & idem eſt; ſic & lumen, præ- „dicatio veritatis, vbique lucet, & illuminat omnes homines, „qui volunt ad cognitionem veritatis venire. Et neque is, qui

καὶ Θεῷ καὶ σωτῆρι, καὶ βασιλεῖ, κατὰ τὴν εὐδοκίαν τοῦ πατρὸς τοῦ ἀοράτου, πᾶν γόνυ κάμψῃ ἐπουρανίων καὶ ἐπιγείων, καὶ καταχθονίων, καὶ πᾶσα γλῶσσα ἐξομολογήσηται αὐτῷ, καὶ κρίσιν δικαίαν ἐν τοῖς πᾶσι ποιήσηται· τὰ μὲν πνευματικὰ τῆς πονηρίας, καὶ ἀγγέλους παραβεβηκότας, καὶ ἐν ἀποστασίᾳ γεγονότας καὶ τοὺς ἀσεβεῖς, καὶ ἀδίκους, καὶ ἀνόμους, καὶ βλασφήμους τῶν ἀνθρώπων εἰς τὸ αἰώνιον πῦρ πέμψῃ· τοῖς δὲ δικαίοις, καὶ ὁσίοις, καὶ τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ τετηρηκόσι, καὶ ἐν τῇ ἀγάπῃ αὐτοῦ διαμεμενηκόσι τοῖς μὲν ἀπ' ἀρχῆς, τοῖς δὲ ἐκ μετανοίας ζωὴν χαρισάμενος, ἀφθαρσίαν δωρήσηται, καὶ δόξαν αἰωνίαν περιποιήσῃ.

(*d*) Iren. ibid. c. III. p. 4[illegible]. ταύτην τὴν πίστιν -- ἡ ἐκκλησία, καίπερ ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ διεσπαρμένη, ἐπιμελῶς φυλάσσει, ὡς ἕνα οἶκον οἰκοῦσα· καὶ ὁμοίως πιστεύει τούτοις, ὡς μίαν ψυχὴν καὶ αὐτὴν ἔχουσα καρδίαν, καὶ συμφώνως ταῦτα κηρύσσει, καὶ διδάσκει, καὶ παραδίδωσιν, ὡς ἓν στόμα κεκτημένη· καὶ γὰρ αἱ κατὰ τὸν κόσμον διάλεκτοι ἀνόμοιαι, ἀλλ' ἡ δύναμις τῆς παραδόσεως μία καὶ ἡ αὐτή· καὶ οὔτε αἱ ἐν Γερμανίαις ἱδρυμέναι ἐκκλησίαι ἄλλως πεπιστεύκασιν, ἢ ἄλλως παραδιδόασιν, οὔτε ἐν ταῖς Ἰβηρίαις, οὔτε ἐν Κελτοῖς, οὔτε κατὰ τὰς ἀνατολὰς, οὔτε ἐν Αἰγύπτῳ, οὔτε ἐν Λιβύῃ, οὔτε αἱ κατὰ μέσα τοῦ κόσμου ἱδρυμέναι· ἀλλ' ὥσπερ ὁ ἥλιος τὸ κτίσμα τοῦ Θεοῦ ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ εἷς καὶ ὁ αὐτός· οὕτω καὶ τὸ κήρυγμα τῆς ἀληθείας πανταχῇ φαίνει, καὶ φωτίζει πάντας ἀνθρώπους τοὺς βουλομένους εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας ἐλθεῖν· καὶ

„valde præualet in sermone, ex iis, qui præsunt ecclesiis, alia „quam hæc sunt, dicet: (nemo enim super magistrum est) ne„que infirmus in dicendo deminorabit traditionem. Quum e„nim vna & eadem fides sit, neque is, qui multum de ea pot„est dicere, ampliat, neque is, qui minus, deminorat.„

Lector facile, credo, percipiet, irenaevm per hanc vnam eamdemque fidem non eamdem verborum formam, hodie in symbolo apostolico vsitatam, intelligere: Nam verba ipsius multum ab ea discrepant, tametsi quod ad sensum & substantiam eadem fides sit, & illa, quæ tum per omnes ecclesias prædicata fuit & tradita.

§. II.

*Confessio fidei* Origenis.

Aliam istiusmodi doctrinæ apostolicæ formam origenes collectam habet in libris suis *de principiis* [e], vbi regulam fidei his verbis tradit: „Species eorum, quæ per prædicationem a„postolicam manifeste traduntur, istæ sunt. Primo, quod v„nus Deus est, qui omnia creauit atque composuit, quique ex „nullis fecit esse vniuersa, Deus a prima creatura & conditio„ne mundi omnium iustorum, Deus *Adam*, *Abel*, *Seth*, *Enos*, *E*„*noch*, *Noë*, *Sem*, *Abraham*, *Isaac*, *Iacob*, XII patriarcharum, *Moy*„*si* & prophetarum: & quod hic Deus in nouissimis diebus, sic„vt per prophetas suos ante promiserat, misit dominum no„strum Iesum Christum, primo quidem vocaturum Israël. Hic „Deus iustus & bonus, pater domini nostri Iesu Christi, legem „& prophetas & euangelia ipse dedit, qui & apostolorum De„us est, & veteris & noui testamenti. Tum deinde quia Iesus „Christus ipse, qui venit, ante omnem creaturam natus ex pa„tre est. Qui quum in omnium conditione patri ministrasset, „(per ipsum enim omnia facta sunt) nouissimis temporibus se „ipsum exinaniens homo factus est: incarnatus est, quum De„us esset, & homo mansit, quod Deus erat. Corpus adsum-

οὔτε ὁ πάνυ δυνατὸς ἐν λόγῳ τῶν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις προεστώτων, ἕτερον τούτων ἐρεῖ· (οὐδεὶς γὰρ ὑπὲρ τὸν διδάσκαλον) οὔτε ὁ ἀσθενὴς ἐν τῷ λόγῳ ἐλαττώσει τὴν παράδοσιν· μιᾶς γὰρ καὶ τῆς αὐτῆς πίστεως οὔσης, οὔτε ὁ πολὺ περὶ αὐτῆς δυνάμενος εἰπεῖν ἐπλεόνασεν, οὔτε ὁ τὸ ὀλίγον, ἠλαττόνησε.

(e) Origen. περὶ ἀρχῶν, in præfat. tom. I. p. 665. edit. Basil. (p. 420. edit. Paris. MDCIIII.)

„sit,

„ſit noſtro corpori ſimile, eo ſolo differens, quod natum ex „virgine de ſpiritu ſancto eſt. Et quoniam hic Ieſus Chriſtus „natus & paſſus eſt in veritate, & non per imaginem communi „hac morte, vere mortuus eſt: vere enim a mortuis reſurrexit, „& poſt reſurrectionem conuerſatus cum diſcipulis ſuis, ad-„ſumtus eſt. Tum deinde honore ac dignitate patri ac filio ſo-„ciatum tradiderunt ſpiritum ſanctum„.

HACTENVS ORIGENES de præcipuis chriſtianæ fidei capitibus, ex apoſtolorum prædicatione ab eccleſia traditis, loquitur. Alius quidam liber ſub eius nomine circumfertur ad modum dialogi contra *Marcionitas* ſcriptus, in quo fidem catholicam falſis horum hæreticorum principiis oppoſitam breuius conſtringit, [*f*] *Credo*, inquiens, *vnum omnium conditorem eſſe & opificem: & qui ab illo eſt, deum verbum conſubſtantialem iuxtaque perennem eumque extremis temporibus hominem ex Maria adſumſiſſe, & in crucem actum, & excitatum a mortuis: Credo etiam ſpiritui ſancto, qui in omnem æternitatem exſiſtit.* Noui equidem, viros doctos de auctore horum dialogorum non conſentire: WETSTENIVS, qui primus eos *Græce* edidit, ORIGENI eos adſcribit; HVETIVS autem MAXIMVM quemdam eorum auctorem eſſe dicit, qui, quæ eius eſt coniectura, tempore CONSTANTINI vixit. Quisquis vero auctor fuerit, illi vere orthodoxæ fidei formam continent, quam ideo huc tranſcribendam duximus.

§. III.

*Fragmenta formulæ fidei in* Tertulliano.

POST ORIGENEM aliquas antiquæ fidei formulæ partes in TERTVLLIANO inuenimus, qui de ea, tamquam regula fidei omnibus chriſtianis communi, loquitur. „Regula fidei, [*g*] inquit, „vna omnino eſt, ſola immobilis & irreformabilis credendi ſci-„licet in vnicum deum omnipotentem mundi conditorem, & „filium eius Ieſum Chriſtum, natum ex virgine *Maria*, crucifi-„xum ſub *Pontio Pilato*, tertia die reſuſcitatum a mortuis, re-„ceptum in cælis, ſedentem nunc ad dexteram patris, venturum „iudicare viuos & mortuos per carnis etiam reſurrectionem„.

(*f*) Origen. contr. Marc. dialog. I. p. 815. tom. II. edit. latin. Baſil. MDLXXI. (p. 133. edit. cit. Pariſ.)

(*g*) Tertull. de veland. virgin. c. I.

In libro *de præscriptione aduersus hæreticos* [*h*] aliam formulam habet isti non absimilem. „Regula est fidei, illa scilicet, „qua creditur, vnum omnino deum esse, nec alium præter „mundi conditorem, qui vniuersa de nihilo produxerit per ver-„bum suum primo omnium emissum. Id verbum filium eius „appellatum, in nomine dei varie visum patriarchis, in prophe-„tis semper auditum, postremo delatum ex spiritu dei patris, „& virtute in virginem *Mariam*, carnem factum in vtero eius, „& ex ea natum hominem, & esse Iesum Christum: Exinde „prædicasse nouam legem, & nouam promissionem regni cæ-„lorum, virtutes fecisse: Fixum cruci: Tertia die resurrexisse: „In cælos ereptum sedere ad dexteram patris: misisse vicariam „vim spiritus sancti, qui credentes agat: venturum cum clari-„tate ad sumendos sanctos in vitæ æternæ & promissorum cæ-„lestium fructum, & ad profanos iudicandos igni perpetuo, „vtriusque partis resuscitatione cum carnis resurrectione [*i*]. „Hæc regula, inquit, a Christo instituta nullas habet apud nos „quæstiones, nisi quas hæreses inferunt, & quæ hæreticos fa-„ciunt. Nihil vltra scire, omnia scire est„.

In libro aduersus *Praxeam* idem symbolum verbis paullo mutatis repetit: „Vnicum [*k*] quidem deum credimus, sub hac „tamen dispensatione, quam οἰκονομίαν dicimus, vt vnici dei sit „& filius sermo ipsius, qui ex ipso processerit, per quem omnia „facta sunt, & sine quo factum est nihil. Hunc missum a pa-„tre in virginem, & ex ea natum hominem & deum, filium ho-„minis & filium dei, & cognominatum Iesum Christum. Hunc „passum, hunc mortuum & sepultum secundum scripturas, & „resuscitatum a patre, & in cælos resumtum, sedere ad dexte-„ram patris, venturum iudicare viuos & mortuos. Qui exin-„de miserit secundum promissionem suam a patre spiritum san-„ctum paracletum, sanctificatorem fidei eorum, qui credunt in „patrem & filium & spiritum sanctum„. *Hanc regulam*, inquit, *ab initio euangelii decucurrisse etiam ante priores quosque hæreticos, nedum ante Praxeam hesternum, probabit tam ipsa posteritas omnium hæreticorum, quam ipsa nouellitas Praxeæ hesterni.*

(*h*) Tertull. de præscript. adu. hæreticos, c. XIII.

(*i*) Tertull. ibid. c. XIV.

(*k*) Tertull. aduers. Prax. c. II.

IAM

IAM facile ad obseruandum est, TERTVLIANVM heic non de vlla certa verborum forma, sed de substantia fidei loqui. Nam quædam fidei capita, exempli caussa de *descensu ad inferos* & *communione sanctorum*, heic non expressis verbis memorantur, etiamsi includi possint. Sed dogmata de *trinitate*, *incarnatione*, cetera, heic exprimuntur curateque explanantur, ita quidem, vt fidei explicitæ in his capitibus necessitatem ostendant, doctrinamque de seruatoris nostri diuinitate primarium articulum fidei inde a primis ecclesiæ christianæ initiis fuisse, demonstrent.

## §. IV.

### *Fragmenta symboli in* Cypriano.

PROXIME a TERTVLLIANO CYPRIANVS quasdam symboli fidei reliquias nobis exhibet. Catholicos & *Nouatianos* easdem interrogationes catechumenis baptizandis proponere, ait, quarum quædam speciatim sint istæ: An credant in deum patrem [l] & in Christum ipsius filium, & in spiritum sanctum? An credant remissionem peccatorum & vitam æternam per sanctam ecclesiam? Licet enim, vt obseruat CYPRIANVS, *Nouatiani* mentirentur in interrogatione, non habentes ecclesiam, in qua remissio peccatorum impertiri posset; eamdem tamen verborum formam, quam ecclesia, in symbolo suo seruabant, easdemque interrogationes omnibus ad baptismum venientibus proponebant. Repetit hoc CYPRIANVS in alia epistola, quam concilii *Carthaginensis* [m] nomine ad episcopos scripsit *Numidiæ*, in qua earumdem interrogationum, vt in ba-

(*l*) Cyprian. epist. LXIX. al. LXXVI. ad Magnum p. 183. (p. 296. edit. Fellii Amstelod. MDCC.) Quod si aliquis illud opponit, vt dicat, eamdem Nouatianum legem tenere, quam catholica ecclesia tenet, eodem symbolo, quo & nos, baptizare; eumdem nosse Deum patrem, eumdem filium Christum, eumdem spiritum sanctum, ac propter hoc vsurpare eum potestatem baptizandi posse, quod videatur in interrogatione baptismi a nobis non discrepare: Sciat, quisquis hoc opponendum putat, primum non esse vnam nobis & schismaticis symboli legem, neque eamdem interrogationem: Nam, quum dicunt: Credis remissionem peccatorum & vitam æternam per sanctam ecclesiam, mentiuntur in interrogatione, quando non habeant ecclesiam.

(*m*) Cyprian. epist. LXX. ad episc. Numid. p. 190. (p. 301. edit. Amstelod.) Sed & ipsa interrogatio, quæ fit in baptismo, testis est veritatis. Nam quum dicimus: Credis in vitam æternam & remissionem peccatorum per sanctam

ptiſmo generatim factarum, mentio habetur. Vnde non tantum articulum de *trinitate* ſed alios etiam de *eccleſia*, *remiſſione peccatorum*, & *vita æterna* ſymboli, tempore CYPRIANI in omnibus eccleſiis *Africanis* vſitati, partes fuiſſe apparet. Et excepto *deſcenſu ad inferos* & *communione ſanctorum* (qui articuli ſerius quam CYPRIANI vel TERTVLLIANI temporibus ſymbolo acceſſerunt) reliqua dogmata omnia hiſce duobus vetuſtis ſcriptoribus memorantur.

## §. V.

### *Symbolum* Gregorii Thaumaturgi.

NON multo poſt CYPRIANVM vixit GREGORIVS, eccleſiæ *Neocæſarenſis* antiſtes, vulgo dictus *Thaumaturgus*. Inter eius opera a GERARDO VOSSIO edita, fidei confeſſionem habemus, quam in ſui ipſius populi vſum compoſuit, vel potius, vt GREGORIVS NYSSENVS in vita eius narrat, de cælo per reuelationem accepit, ſacrum miniſterium non ita pridem auſpicatus. Formula [n] ſic habet: „Vnus Deus, pater verbi „viuentis, ſapientiæ ſubſiſtentis & potentiæ ac characteris ſempiterni: perfectus perfecti genitor, pater filii vnigeniti. Vnus „dominus, ſolus ex ſolo, Deus ex Deo. Character & imago „deitatis, verbum efficax. Sapientia, conſtitutionis rerum „vniuerſarum comprehenſiua: & virtus atque potentia vniverſæ creaturæ effectiua. Filius verus, veri patris, inuiſibilis, „eius qui eſt inuiſibilis & incorruptibilis, corruptioni non ob„noxii: ac immortalis, mortis prorſus neſcii: & ſempiternus „ſempiterni. Vnuſque ſpiritus ſanctus, ex Deo exiſtentiam ha„bens; & qui per filium apparuit, ſcilicet hominibus: imago „filii, perfecti perfecta vita, viuentium cauſſa; fons ſanctus, „ſanctitas, ſanctificationis ſuppeditator. In quo manifeſta-

ecclesiam? Intelligimus remiſſionem peccatorum non niſi in eccleſia dari; apud hæreticos autem, vbi eccleſia non ſit, non poſſe peccata dimitti.

(n) Gregor. Neocæſar. oper. p. 1. & apud Gregor. Nyſſen. tom. III. p. 546. Εἷς Θεὸς, πατὴρ λόγου ζῶντος, σοφίας ὑφεστώσης, καὶ δυνάμεως, καὶ χαρακτῆρος ἀϊδίου· τέλειος τελείου γεννήτωρ, πατὴρ υἱοῦ μονογενοῦς· εἷς κύριος, μόνος ἐκ μόνου, Θεὸς ἐκ Θεοῦ· Χαρακτὴρ καὶ εἰκὼν τῆς θεότητος, λόγος ἐνεργής· σοφία τῆς τῶν ὅλων συστάσεως περιεκτική· καὶ δύναμις τῆς ὅλης κτίσεως ποιητική· υἱὸς ἀληθινὸς, ἀληθινοῦ πατρὸς, ἀόρατος τοῦ ἀοράτου· καὶ ἄφθαρτος ἀφθάρτου· καὶ ἀθάνατος ἀθανάτου, καὶ ἀΐδιος ἀϊδίου· καὶ ἓν πνεῦμα ἅγιον, ἐκ Θεοῦ τὴν ὕπαρξιν ἔχον· καὶ διὰ υἱοῦ πεφηνὸς, δηλαδὴ τοῖς ἀνθρώποις· εἰκὼν τοῦ υἱοῦ, τελείου τελεία· ζωὴ, ζώντων αἰτία· πη-

tur

„tur Deus pater, qui ſuper omnia eſt & in omnibus: & Deus „filius, qui per omnia eſt. Trinitas perfecta, quæ gloria ac „æternitate & regno atque imperio non diuiditur, neque aba- „lienatur; Non igitur creatum quid, aut ſeruum in trinitate: „neque ſuperinductitium aliquid & aduentitium, quaſi prius „non exſiſtens, poſterius vero adueniens. Non ergo defuit „vnquam filius patri; neque filio ſpiritus: ſed immutabilis & „inuariabilis, eadem ſemper manet trinitas.

Hoc ſymbolum non plena fidei ſumma eſt, ſed tantum quod ad doctrinam de ſacroſancta trinitate attinet, de qua validiſſimum teſtimonium perhibet, cuiusmodi aliud vix in vllo ex patribus *Ante-Nicænis* inuenias, vtpote contra duas ſibi oppoſitas *Samoſatenianorum* & *Sabellianorum* hæreſes, quorum illi Chriſti diuinitatem, hi perſonalem eius ſubſiſtentiam negabant, ſpeciatim directum. Nonnulli ex recentioribus *Arianis*, qui SANDII placita amplectuntur, non eſſe illud genuinum ſymbolum, dictitant: verum eruditiſſimus antiſtes BVLLVS illius fidem [*o*] firmiſſimis GREGORII NYSSENI & BASILII teſtimoniis abunde vindicauit, cuius ad eximiam diſſertationem lectorem remitto.

---

*γὴ ἁγία, ἁγιότης, ἁγιασμοῦ χορηγός· ἐν ᾧ Φανεροῦται Θεὸς ὁ πατὴρ, ὁ ἐπὶ πάντων καὶ ἐν πᾶσι· καὶ Θεὸς ὁ υἱὸς, ὁ διὰ πάντων. Τριὰς τελεία, δόξῃ καὶ ἀϊδιότητι καὶ βασιλείᾳ μὴ μεριζομένη, μηδὲ ἀπαλλοτριουμένη. οὔτε οὖν κτιστόν τι, ἢ δοῦλον ἐν τῇ τριάδι· οὔτε ἐπείσακτον, ὡς πρότερον μὲν οὐχ ὑπάρχον· ὕστερον δὲ ἐπεισελθόν· οὔτε οὖν ἐνέλιπέ ποτε υἱὸς πατρὶ, οὔτε υἱῷ τὸ πνεῦμα· ἀλλ' ἄτρεπτος καὶ ἀναλλοίωτος, ἡ αὐτὴ Τριὰς ἀεί.*

(*o*) Bull. defenſio fid. Nic. ſect. II. c. XII. n. II. Formulam illam confeſſionis catholicæ de SS. Trinitate a Gregorio reuera profeſſam fuiſſe conſtat. Nam eidem illam tribuit non modo Ruffinus, ſed & ipſius cognominis Gregorius Nyſſenus, qui viri admirabiles res geſtas & ſcripta accurate perſpecta habuit, adeoque vitam eius deſcripſit. Quin & rem hanc ita narrat vir eximius, vt vix quiſquam cordatus de ea dubitare poſſit. Nimirum confeſſionem illam recitaturus, hæc verba præmittit: *δι' ἧς μυσταγωγεῖται μέχρι τοῦ νῦν ὁ ἐκεῖνος λαὸς, πάσης αἱρετικῆς κακίας διαμείνας ἀπείρατος*, i. e. *Per quam* (confeſſionem) *vſque in præſentem diem inſtituitur plebs illa* nempe Neocæſareenſis) *quæ ab omni hæretica malitia intacta remanſit.* Scilicet adeo certum erat, confeſſionem illam fidei a Gregorio Thaumaturgo profeſſam, vt plebs omnis ciuitatis Neocæſareenſis, cuius epiſcopus & immortale decus ille fuit, illam, vt Gregorii indubie genuinam, amplexa, perque ipſam a patrum memoria vſque ad Nyſſeni ætatem inſtitui ſolita fuerit: indeque factum, vt eccleſia Neocæſareenſis, quum totus mundus Arianus fieret, ab hæretica malitia ſe illæſam conſeruauerit. Poſtquam vero confeſſionem

onem recitasset Nyssenus, hæc subiungit: ὅτῳ δὲ φίλον περὶ τούτου πεισθῆναι, ἀκουέτω τῆς ἐκκλησίας, ἐν ᾗ τὸν λόγον ἐκήρυττεν, παρ᾽ οἷς αὐτὰ τὰ χαράγματα τῆς μακαρίας ἐκείνης χειρὸς εἰς ἔτι καὶ νῦν διασώζεται. i. e. *Quod si quis sibi fidem de hac re fieri cupit, audiat ecclesiam, apud quam illa ipsa verba a beata illa manu exarata, adhuc etiam nunc conseruantur.* Appellat ipsum Thaumaturgi αὐτόγραφον, a Neocæsareensibus ad suam ætatem religiose custoditum. Nescio sane, an ad eiusmodi traditionem aliquam confirmandam quidquam amplius desiderari possit. Ceterum Gregorii Nysseni testimonio aperte suffragari mihi videtur Basilius magnus, ipsius frater, qui epist. LXXV. ad Neocæsareenses testatur, se ab auia sua, in tenera ætate, Gregorii Thaumaturgi ipsa verba didicisse, quibus recte de fide in SS. Trinitatem institutus fuerit. Verba eius sunt: Πίστεως δὲ τῆς ἡμετέρας τίς ἂν γένοιτο ἐναργεστέρα ἀπόδειξις, ἢ ὅτι τραφέντες ἡμεῖς ὑπὸ τίτθῃ μακαρίᾳ γυναικὶ, παρ᾽ ὑμῶν ὡρμημένῃ· Μακρῖναν λέγω τὴν περιβόητον· παρ᾽ ἧς ἐδιδάχθημεν τὰ τοῦ μακαριωτάτου Γρηγορίου ῥήματα ὅσα πρὸς αὐτὴν ἀκολουθίᾳ μνήμης διασωθέντα αὐτή τε ἐφύλασσε, καὶ ἡμᾶς ἔτι νηπίους ὄντας ἔπλαττε καὶ ἐμόρφου τοῖς εὐσεβείας δόγμασι. i. e. *Fidei vero nostræ quæ poterit esse euidentior probatio, quam quod a nutrice beata femina, quæ ex vestro gremio progressa est (Macrinam dico, illustrem illam) educati sumus: a quo & beatissimi Gregorii verba didicimus, quæ memoriæ beneficio ad illius vsque ætatem conseruata, & ipsa retinuit, & nos adhuc infantes iisdem tamquam pietatis dogmatibus formauit.* Omnino, inquam, heic Thaumaturgi confessio designari mihi videtur. Nam totidem verbis a Gregorio traditam fidei ὑποτύπωσιν de SS. Trinitate quippe de ea ibi agit) se in infantia sua, ab auia Macrina Neocæsareensi edoctum fuisse, diserte testatur Basilius. Attende lector. Nyssenus refert, populum Neocæsareensem per Thaumaturgi confessionem, a patrum memoria ad suam vsque ætatem, instituí solitum fuisse: ait vero Basilius, se ab auia sua, (nempe dum apud ipsam Neocæsareæ in Ponto vna cum parentibus suis vitam ageret) in tenera ætate (hoc est, ante concilium Nicænum) recte fidem de SS. Trinitate, totidem Gregorii verbis conceptam edidicisse. Quis non existimauerit de eadem fidei confessione vtrumque loqui? Quin & idem Basilius lib. de spiritu S. cap. XXIX. testatur, tantam fuisse Gregorii illius apud Neocæsareenses vsque ad sua tempora existimationem, vt nihil siue in doctrina, siue in ritibus admittere in ecclesia voluerint, nisi quod a maximo illo fundatore suo traditum accepissent. Verba Basilii hæc sunt: Τούτου μέγα ἔτι καὶ νῦν τοῖς ἐγχωρίοις τὸ θαῦμα, καὶ νεαρὰ καὶ ἀεὶ πρόσφατος ἡ μνήμη ταῖς ἐκκλησίαις ἐνίδρυται, οὐδενὶ χρόνῳ ἀμαυρουμένη· οὐκοῦν οὐ πρᾶξίν τινα, οὐ λόγον, οὐ τύπον τινὰ μυστικὸν, παρ᾽ ὃν ἐκεῖνος κατέλιπε, τῇ ἐκκλησίᾳ προσέθηκαν. i. e. *Huius, (Gregorii) & in hodiernum quoque diem magna est apud eius regionis homines admiratio, recensque ac semper vigens memoria sic infixa est ecclesiis, vt nullo tempore obscuretur. Itaque non praxin aliquam, non dictum, non formam vllam mysticam, vltra quam illis reliquit, ecclesiæ (suæ) adiecerunt.* Si dictum nullum, vltra quam illis reliquit Gregorius, certe multo minus symbolum aliquod aut fidei confessionem, quam ab ipso non acceperat, ecclesia Neocæsareensis voluit admittere. Et tamen Basilii ætate confessionem fidei, qua de agimus, in ecclesia illa receptam fuisse, idque vt a Gregorio traditam, certissimum est.

§. VI.

## §. VI.
## *Confessio fidei* Luciani *martyris.*

Eadem ætate cum GREGORIO THAVMATVRGO vixit LVCIANVS martyr, qui in vltima persecutione *Diocletianea* mortem Christi caussa subiit. Fuit ille ecclesiæ *Antiochenæ* presbyter, vbi fidei confessionem *Sabellianis* oppositam scripsit. Forma legitur apud ATHANASIVM [*p*], SOCRATEM [*q*] & HILARIVM, qui in eam commentatur & ab obiectionibus vindicat, quas nonnulli contra eam fecerant, eo quod ab *Arianis* in concilio *Antiocheno* sub *Constantio* an. CCCXLI. adlegata fuerat, quasi ipsorum sententiæ patrocinaretur; quod vero HILARIVS ipsam non facere ostendit, etiamsi nonnulla verba aduersus *Sabellianos* contineat, quæ in hæreticum sensum trahi, (vt quævis verba catholica) contra auctoris sententiam possint. Formula, vt eam exhibet HILARIVS, hæc est: „Consequenter [*r*]

(*p*) Athan. de syn. Arimin. & Seleuc. tom. I. p. 892. (tom. I. p. 73[illegible]. e. edit. Paris. MDCXCVIII.) Πιστεύομεν ἀκολούθως τῇ εὐαγγελικῇ καὶ ἀποστολικῇ παραδόσει, εἰς ἕνα θεὸν πατέρα παντοκράτορα, τὸν τῶν ὅλων δημιουργόν τε καὶ ποιητὴν καὶ προνοητὴν, ἐξ οὗ τὰ πάντα, καὶ εἰς ἕνα κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν υἱὸν αὐτοῦ, τὸν μονογενῆ θεὸν, δι' οὗ τὰ πάντα, τὸν γεννηθέντα πρὸ τῶν αἰώνων ἐκ τοῦ πατρὸς, θεὸν ἐκ θεοῦ, ὅλον ἐξ ὅλου, μόνον ἐκ μόνου, τέλειον ἐκ τελείου, βασιλέα ἐκ βασιλέως, κύριον ἀπὸ κυρίου, λόγον ζῶντα, σοφίαν ζῶσαν, φῶς ἀληθινὸν, ὁδὸν, ἀλήθειαν, ἀνάστασιν, ποιμένα, θύραν, ἄτρεπτόν τε καὶ ἀναλλοίωτον· τῆς θεότητος, οὐσίας τε καὶ βουλῆς καὶ δυνάμεως, καὶ δόξης τοῦ πατρὸς ἀπαράλλακτον εἰκόνα, τὸν πρωτότοκον πάσης τῆς κτίσεως, τὸν ὄντα ἐν ἀρχῇ πρὸς τὸν θεὸν, λόγον θεὸν κατὰ τὸ εἰρημένον ἐν τῷ εὐαγγελίῳ, καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος, δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο, καὶ ἐν ᾧ τὰ πάντα συνέστηκε, τὸν ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν κατελθόντα ἄνωθεν, καὶ γεννηθέντα ἐκ παρθένου, κατὰ τὰς γραφὰς, καὶ ἄνθρωπον γενόμενον, μεσίτην θεοῦ καὶ ἀνθρώπων, ἀπόστολόν τε τῆς πίστεως ἡμῶν, καὶ ἀρχηγὸν τῆς ζωῆς, ὥς φησιν· ὅτι καταβέβηκα ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, οὐχ ἵνα ποιῶ τὸ θέλημα τὸ ἐμὸν, ἀλλὰ τὸ θέλημα τοῦ πέμψαντός με· τὸν παθόντα ὑπὲρ ἡμῶν, καὶ ἀναστάντα τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ, καὶ ἀνελθόντα εἰς οὐρανοὺς, καὶ καθεσθέντα ἐν δεξιᾷ τοῦ πατρὸς, καὶ πάλιν ἐρχόμενον μετὰ δόξης καὶ δυνάμεως, κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς· καὶ εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, τὸ εἰς παράκλησιν, ὁ καὶ ἁγιασμὸν, καὶ τελείωσιν τοῖς πιστεύουσι διδόμενον, καθὼς καὶ ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς διετάξατο τοῖς μαθηταῖς λέγων· πορευθέντες μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ ἁγίου πνεύματος, δηλονότι πατρὸς, ἀληθῶς πατρὸς ὄντος, υἱοῦ δὲ ἀληθῶς υἱοῦ ὄντος, τοῦ δὲ ἁγίου πνεύματος ἀληθῶς ἁγίου πνεύματος ὄντος, τῶν ὀνομάτων οὐχ ἁπλῶς οὐδὲ ἀργῶς κειμένων, ἀλλὰ σημαινόντων ἀκριβῶς τὴν οἰκείαν ἑκάστου τῶν ὀνομαζομένων ὑπόστασίν τε καὶ τάξιν καὶ δόξαν· ὡς εἶναι τῇ μὲν ὑποστάσει τρία, τῇ δὲ συμφωνίᾳ ἕν.

(*q*) Socrat. lib. II. c. X.

(*r*) Hilar. de synodis p. 107. (p. 333. edit. Par. MDCXXXI.)



„euan-

„euangelicæ & apoſtolicæ traditioni credimus in vnum Deum „patrem omnipotentem, cunctorum quæ ſunt ædificatorem & „factorem & prouiſorem, ex quo omnia: & in vnum dominum Ieſum Chriſtum, filium ipſius vnigenitum, Deum, per „quem omnia, qui generatus eſt ex patre; Deum ex Deo, „totum ex toto, vnum ex vno, perfectum de perfecto, regem „de rege, dominum de domino, verbum, ſapientiam, vitam, „lumen verum, viam veram, reſurrectionem, paſtorem, ianuam, inconuertibilem & incommutabilem, diuinitatis eſſentiæque & virtutis & gloriæ patris incommutabilem imaginem, „primum editum totius creaturæ, qui ſemper fuit in principio „apud Deum verbum Deus, iuxta quod dictum eſt in euangelio: Et Deus erat verbum, per quem omnia facta ſunt, & in „quo omnia conſtant, qui in nouiſſimis diebus deſcendit de ſummis, & natus eſt ex virgine ſecundum ſcripturas, & agnus factus eſt mediator Dei & hominum, prædeſtinatus fidei noſtræ „& dux vitæ, dixit quippe; Non enim deſcendi de cælo, vt „facerem voluntatem meam, ſed voluntatem eius, qui me miſit. Qui paſſus eſt, & reſurrexit pro nobis tertia die, & adſcendit in cælos, & ſedet in dextra patris, & iterum venturus „cum gloria iudicare viuos & mortuos. Et in ſanctum ſpiritum, qui in paracleſin & ſanctificationem & conſummationem „credentibus datus eſt, iuxta quod & dominus Ieſus Chriſtus „ordinauit diſcipulis, dicens: Pergite & docete vniuerſas gentes, baptizantes eas in nomine patris & filii & ſpiritus ſancti. „Manifeſta vtique patris, vere patris, certaque filii, vere filii, „notaque ſpiritus ſancti, vere ſpiritus ſancti, hiſce nominibus „non ſimpliciter, neque otioſis propoſitis, ſed ſignificantibus „diligenter propriam vniuſcuiusque nominatorum ſubſtantiam „& ordinem & gloriam, vt ſint quidem per ſubſtantiam tria, „per conſonantiam vero vnum.

Haec eccleſiaſticæ fidei expoſitio olim *Arianiſmi* ſuſpecta fuit, eo quod verba iſta: *Vt ſint quidem per ſubſtantiam tria* in verſione HILARII legantur. Verum HILARIVS eam ab hac ſuſpicione ſatis ſuperque liberauit, oſtendendo, quod hæc verba tantummodo *Sabellianis*, tres perſonas non niſi tria nomina facientibus, opponendi gratia adhibita, cetera vero omnia plane & ſigni-

ſignificanter contra hæreſin *Arianam* dicta ſint. Hinc ſynodum *Antiochenam* non reprehendit tamquam *Arianam*, quæ hunc fidei confeſſionem tantum repetiit & adoptauit a *Luciano*, ſed epiſcopos nonaginta ſeptem illic adfuiſſe dicit, qui catholicam fidem hac ipſa contra *Sabellianos* præcipue tueri animo intenderint, ſufficienti cautione contra *Anomæanos* ſeu *Arianos* haud neglecta. Verba illius hæc ſunt [s]: „Volens congregata ſanctorum ſynodus impietatem eam perimere, quæ veritatem patris, & filii „& ſpiritus ſancti nominum numero eluderet, vt non ſubſiſtente cauſſa vniuscuiusque nominis, triplex nuncupatio obtineret ſub falſitate nominum vnionem, vt pater ſolus atque vnus „idem atque ipſe haberet & ſpiritus ſancti nomen & filii: idcirco tres ſubſtantias eſſe dixerunt, ſubſiſtentium perſonas „per ſubſtantias edocentes: non ſubſtantiam patris & filii & „ſpiritus ſancti diuerſitate diſſimilis eſſentiæ ſeparantes„(quæ erat hæreſis *Arianorum*, ſolum patrem Deum, reliquas duas perſonas tantum creaturas eſſe, ſtatuentium, atque ita ſubſtantiam diuerſitate naturæ ſeu eſſentiæ diuidentium. Quod hæc ſynodus non fecit:) Hinc HILARIVS ait: „Quod autem dictum eſt, „vt ſint quidem per ſubſtantiam tria, per conſonantiam vero „vnum, non habet calumniam: quia cognominato ſpiritu, id „eſt, paracleto, conſonantiæ potius quam eſſentiæ, per ſimilitudinem ſubſtantiæ prædicari conuenit vnitatem„. Verum non obſtante hac iuſta defenſione & apologia, pro hoc concilio ab HILARIO facta, a BARONIO, BINNIO, HERMANTIO aliisque recentioris æui ſcriptoribus tamquam concilium *Arianum* repudiatur. At vero eruditus SHELSTRATVS elaboratiſſimam pro hoc concilio diſſertationem ſcripſit, in qua omnibus illis, quæ BARONIVS eiusque aſſeclæ contra hoc concilium vel confeſſionem LVCIANI martyris oppoſuerunt, reſpondit [t]; id quod a BVLLO [u] etiam, erudito epiſcopo noſtrate, fa-

(s) Hilar. de ſynodis p. 108. (p. 334. edit. cit.)

(t) Schelſtrat. Sacrum Antiochenum concilium pro Arianorum conciliabulo paſſim habitum nunc ex omni antiquitate auctoritati ſuæ reſtitutum, diſſert. III. c. II. p. 109--116.

(u) Bull. defenſ. fid. ſect. II. c. XIII. n. VI (p. 161. edit. Grab.) Vere fuiſſe Luciani hoc ſymbolum, non ab Arianis ipſi affictum, multa euincunt. Primo epiſcopi illi imprudenter admodum, adeoque impudenter, formulam ali-

ctum eſt, cuius ad diſſertationes lectorem curioſum amandamus.

## §. VII.

## *Formula fidei* conſtitutionum apoſtolicarum.

Circa tempora lvciani martyris, ſæculo tertio extre-

quum fidei ſub Luciani nomine, quæ ipſius reuera non fuiſſet, Antiochiæ edidiſſent; vbi & ſancti martyris memoria merito ſacra, & ſcripta eius religioſiſſime cuſtodita fuerunt, vt facillime ab omnibus fraus deprehendi potuiſſet. Deinde, vt ſemel illis tuto mentiri licuiſſet, fieri tamen certe non potuit, vt impoſtura diutius lateret. At ſymbolum illud vt indubie Luciani martyris, venditarunt etiam Ariani, idque ſumma cum fiducia, multis poſt annis, nempe quum, Valentiniano & Valente imperantibus, ſynodus congreganda eſſet in vrbe Tarſo Ciliciæ, referente Sozomeno hiſt. eccleſ. lib. VI. c. XII. Tum enim, inquit ibidem Sozomenus συνελθόντες ἐν Καρίᾳ τῆς Ασίας ἀμφὶ τριάκοντα τέσσαρες τῶν Ασιανῶν ἐπισκόπων, τὴν μὲν ἐπὶ τῇ ὁμονοίᾳ τῶν ἐκκλησιῶν σπουδὴν ἐπῄνουν· παρῃτοῦντο δὲ τὸ τοῦ ὁμοουσίου ὄνομα· καὶ τὴν ἐν Αντιοχείᾳ καὶ Σελευκείᾳ ἐκτεθεῖσαν πίστιν χρῆναι κρατεῖν ἰσχυρίζοντο, ὡς καὶ Λουκιανοῦ τοῦ μάρτυρος οὖσαν, καὶ μετὰ κινδύνων καὶ πολλῶν ἱδρώτων παρὰ τῶν πρὸ αὐτῶν δοκιμασθεῖσαν, i. e. *Quatuor circiter ac triginta Aſiani epiſcopi in Caria Aſiæ prouincia collecti, ſtudium quidem in reſtituenda eccleſiarum concordia poſitum magnopere laudarunt: conſubſtantialis autem vocabulum admittere recuſabant; affirmantes, fidem quæ Antiochiæ & Seleuciæ promulgata fuerat, ratam eſſe oportere, quippe quæ & Luciani martyris fides eſſet, & non ſine multis periculis ac laboribus ab ipſorum anteceſſoribus fuiſſet comprobata.* Porro ſi hoc ſymbolum conſarcinaſſent ipſi Ariani, certe illud ſuis placitis aptius conformaſſent; ſaltem ea non inſeruiſſent, quæ ipſorum hæreſin plane iugularent: cuiusmodi nonnulla in eo reperiuntur, vti mox oſtendemus. Denique hæc fidei confeſſio præcipue dirigitur aduerſus hæreſin Sabellianam, vt ex iis, quæ ſub finem continet, manifeſtiſſimum eſt. Nam poſt explicatam fuſius de SS. trinitate fidem, demum concluditur ſymbolum hoc quaſi epilogo, ſummam & ſcopum totius præcedentis ſermonis explicante: *Patris*, inquam, *vere patris; & filii vere filii; & ſpiritus ſancti reuera ſpiritus ſancti: ita vt hæc vocabula non ſint nuda & ſine re vocabula; ſed quæ accurate exprimant propriam vniuscuiusque perſonam, ordinem, ac gloriam: adeo vt perſonis quidem tres ſint; conſenſu autem vnum.* Quid autem iſta attinebant ad Arianam controuerſiam, quæ in concilio illo Antiocheno agitabatur? A Luciani ætate dogma Sabellii maxime viguit, eiusdemque fertur ipſe Lucianus acerrimus fuiſſe impugnator. His mantiſſæ loco addam obſeruationem Philoſtorgii hiſt. eccleſ. lib. II. c. XV. vbi de Luciani martyris diſcipulis agens, qui magiſtri ſui doctrinam haud illibatam ſeruarunt, ſcribit: καὶ τὸν Αστέριον παρατρέψαι τὸ φρόνημα, ἀπαράλλακτον εἰκόνα τῆς τοῦ πατρὸς οὐσίας εἶναι τὸν υἱὸν, ἐν τοῖς αὐτοῦ λόγοις καὶ γράμμασι διαμαρτυρόμενον. Atqui illud Aſterius ex Luciani ſymbolo totidem verbis mutuatus eſt, vt ex collatione apparebit.

mo,

mo, COTELERIVS auctorem *constitutionum apostolicarum* vixisse autumat, quod mihi vero videtur similius, quam eorum opinio, qui in quinto eum sæculo collocant, vel etiam sententia WHISTONII, qui hunc librum non tantum genuinum CLEMENTIS ROMANI opus, sed opus etiam diuinitus inspirati scriptoris esse, contendit. Quapropter de ipso heic proxime post LVCIANVM loquimur, tamquam eo, qui antiquam quamdam fidei formulam nobis reliquit, tunc temporis probabiliter in quibusdam orientalibus siue *Græcis* ecclesiis vsitatam. Catechumenum enim introducit, fidei suæ professionem his verbis edentem: „Et „adscribor [x] Christo, & credo, & baptizor in vnum ingenitum, solum verum Deum omnipotentem, patrem Christi, „creatorem atque opificem vniuersorum, ex quo omnia; & in „dominum Iesum Christum, vnigenitum illius filium, primogenitum omnis creaturæ, qui ante sæcula beneplacito patris genitus est, non creatus, per quem omnia facta sunt, quæ in „cælis & in terra, visibilia & inuisibilia; qui in nouissimis diebus descendit de cælis, & carnem adsumsit, ac ex sancta virgine *Maria* natus est, sancteque se gessit in vita secundum leges Dei ac patris sui, & crucifixus est sub *Pontio Pilato*, & mortuus est pro nobis; & postquam passus est, tertia die resurrexit a mortuis, adscendit ad cælos, & sedet ad dexteram patris, & iterum venturus est in consummatione sæculi cum gloria ad iudicandos viuos & mortuos, cuius regni non erit finis. „Baptizor etiam in spiritum sanctum, id est paracletum, qui spiritus operatus est in omnibus ab initio mundi sanctis, postea

(x) Constit. apostol. lib. VII. c. XLI. Καὶ συντάσσομαι τῷ Χριστῷ, καὶ πιστεύω καὶ βαπτίζομαι εἰς ἕνα ἀγέννητον, μόνον ἀληθινὸν Θεὸν παντοκράτορα, τὸν πατέρα τοῦ Χριστοῦ, κτιστὴν καὶ δημιουργὸν τῶν ἁπάντων, ἐξ οὗ τὰ πάντα· καὶ εἰς τὸν κύριον Ἰησοῦν τὸν Χριστὸν, τὸν μονογενῆ αὐτοῦ υἱὸν, τὸν πρωτότοκον πάσης κτίσεως, τὸν πρὸ αἰώνων εὐδοκίᾳ τοῦ πατρὸς γεννηθέντα, οὐ κτισθέντα, δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο τὰ ἐν οὐρανοῖς καὶ ἐπὶ τῆς γῆς, ὁρατά τε καὶ ἀόρατα, τὸν ἐπ' ἐσχάτων ἡμερῶν κατελθόντα ἐξ οὐρανῶν καὶ σάρκα ἀναλαβόντα, καὶ ἐκ τῆς ἁγίας παρθένου Μαρίας γεννηθέντα, καὶ πολιτευσάμενον ὁσίως κατὰ τοὺς νόμους τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς αὐτοῦ, καὶ σταυρωθέντα ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου, καὶ ἀποθανόντα ὑπὲρ ἡμῶν, καὶ ἀναστάντα ἐκ νεκρῶν μετὰ τὸ παθεῖν τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ, καὶ ἀνελθόντα εἰς τοὺς οὐρανοὺς, καὶ καθεσθέντα ἐν δεξιᾷ τοῦ πατρὸς καὶ πάλιν ἐρχόμενον ἐπὶ συντελείᾳ τοῦ αἰῶνος μετὰ δόξης κρῖναι ζῶντας καὶ νεκροὺς, οὗ τῆς βασιλείας οὐκ ἔσται τέλος· βαπτίζομαι καὶ εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, τουτέστι τὸν παράκλητον, τὸ ἐνεργῆσαν ἐν πᾶσι τοῖς ἀπ' αἰῶνος ἁγίοις, ὕστερον δὲ ἀποσταλὲν

„vero miſſus quoque eſt apoſtolis a patre ſecundum promiſſio„nem ſaluatoris noſtri domini Ieſu Chriſti, & poſt apoſtolos „etiam omnibus, qui in ſancta eccleſia catholica credunt in „carnis reſurrectionem, in remiſſionem peccatorum, in regnum „cælorum & in vitam futuri ſæculi.

Svnt, quibus hic auctor *Arianiſmi* nomine ſuſpectus eſt, nihil vero iſtius hæreſis in hac confeſſione conſpicitur. Tametſi enim ſolum patrem dicit ἀγέννητον, id tamen nihil eſt aliud, quam quod *Alexander* & *Athanaſius* & reliqui *Arianæ* hæreſis oppugnatores omnes fecerunt, qui numquam δύο ἀγέννητα, hoc eſt, duo abſoluta, coordinata, ingenita principia, quæ propria duorum deorum notio eſt, ſtatuerunt, ſed appellationem τοῦ ἀγεννήτου, *ingeniti*, ſoli ſemper patri, tamquam æterno principio & fonti deitatis, vindicarunt, filium nuncupantes μονογενῆ θεὸν, *vnigenitum Deum*, quæ propria filii Dei notio eſt, qui neque creatus neque ingenitus eſt, ſed ab æterno genitus ex ſubſtantia patris, & hic titulus, quo dicitur μονογενὴς Θεὸς, *vnigenitus Deus*, idem ille eſt, qui ab harum *conſtitutionum* auctore paſſim [y] filio tribuitur, quem non creaturam ſed Deum eſſe dicit, in hoc ſolo a patre diſtinctum, vt non ſit ingenitus; quod ad notionem filii neceſſarium omnino eſt. Nam contradictio foret dicere,

καὶ τοῖς ἀποστόλοις παρὰ τοῦ πατρὸς κατὰ τὴν ἐπαγγελίαν τοῦ σωτῆρος ἡμῶν κυρίου Ιησοῦ Χριστοῦ, καὶ μετὰ τοὺς ἀποστόλους δὲ πᾶσι τοῖς πιστεύουσιν, ἐν τῇ ἁγίᾳ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ, εἰς σαρκὸς ἀνάστασιν, καὶ εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, καὶ εἰς βασιλείαν οὐρανῶν, καὶ εἰς ζωὴν τοῦ μέλλοντος αἰῶνος.

(y) Conſtit. apoſtol. lib. VII. c. XLIII. Εὐλογεῖ καὶ δοξάζει τὸν δεσπότην θεὸν τὸν παντοκράτορα, τὸν πατέρα τοῦ μονογενοῦς Θεοῦ, εὐχαριστῶν ὁ ἱερεύς. Sacerdos benedicit ac laudat dominum Deum omnipotentem, patrem *vnigeniti Dei* & gratias agit.

It. lib. VIII. c. VII. Μονογενὲς θεὲ, μεγάλου πατρὸς υἱέ. *Vnigenite Deus*, magni patris fili.

It. lib. VIII. c. XI. καταξίωσον αὐτοὺς τῆς αἰωνίου ζωῆς, τῆς ἐν Χριστῷ τῷ υἱῷ σου τῷ μονογενεῖ, τῷ θεῷ καὶ σωτῆρι ἡμῶν. Dignare illos æterna vita, quæ in Chriſto filio tuo *vnigenito*, *Deo* ac ſaluatore noſtro.

Cap. XII. ὁ θεὸς καὶ πατὴρ τοῦ μονογενοῦς υἱοῦ σοῦ. Deus & pater *vnigeniti* filii tui.

Cap. XVIII. διὰ τῆς μεσιτείας τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ. mediatore *vnigenito* filio tuo.

Filius

Filius est Dei, & tamen quoque ingenitus. Nos hæc ideo animaduertimus, vt ostendamus, quam parum præsidii præsentes *Ariani* ex hoc auctore habeant, dummodo benignam istam ei interpretationem indulgeamus, quæ iure suo omnibus vetustis catholicis scriptoribus indulgenda est.

PORRO obseruare nobis licebit, quod, quamuis hoc fidei symbolum cum symbolo ecclesiæ *Romanæ*, communiter vocitato *apostolico*, quod ad substantiam vnum idemque sit; verbis tamen & phrasibus multum omnino ab eo discrepet, & ad symbolum ecclesiæ Orientis propius accedat. Et licet tam perfectum sit, quam quoduis aliud istius ætatis, descensus tamen ad inferos & communionis sanctorum nulla in eo fit expressa mentio. Quod hæc dogmata primis ecclesiæ symbolis totidem verbis non inserta fuisse ostendit.

## §. VIII.

### *Symbolum ecclesiæ* Hierosolymitanæ.

HACTENVS dispersas antiquarum fidei confessionum, quæ ante concilium *Nicænum* in diuersarum ecclesiarum vsum compositæ sunt, reliquias congessimus; prout hodieque in priuatorum scriptorum monumentis reperiuntur. Supersunt autem quædam perfectiores formulæ, e. g. *Hierosolymitana*, *Cæsareensis*, *Antiochena* & *Romana*, quibus inter se collatis lector facile intelliget, quomodo fidei vnitas exacte concordarit, & cum quadam verborum varietate conseruata fuerit. Ecclesiæ *Hierosolymitanæ* symbolum in liturgia S. IACOBI imperfectum, perfectius autem in CYRILLI, ecclesiæ *Hierosolymitanæ* antistitis, catechesibus habemus, vtpote in quibus illud exponitur. In liturgia S. IACOBI initium duntaxat symboli [z] habemus: *Credo in vnum Deum patrem, omnipotentem, factorem cæli & terræ, & in vnum dominum Iesum Christum filium Dei:* Reliqua inserta non sunt, vtpote sine recitatione satis nota. Verum in CYRILLI catechesibus capita plenius recensentur, & collecta sic habent:

„CREDO in vnum Deum [a], patrem omnipotentem, „factorem cæli & terræ, visibilium omnium & inuisibilium fa-

(z) Iacobi liturg. in bibl. patr. Græc. Latin. tom. II. p. 7. Πιστεύω εἰς ἕνα Θεὸν πατέρα παντοκράτορα, ποιητὴν οὐρανοῦ καὶ γῆς· καὶ εἰς ἕνα κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ

(a) Cyrill. catech. VI. seqq. Πιστεύω εἰς ἕνα Θεὸν πατέρα παντοκράτορα, ποιητὴν οὐρα-

„cto-

„ctorem. Et in vnum dominum Iesum Christum, filium Dei „vnigenitum, ex patre genitum ante omnia sæcula, Deum ve„rum, per quem omnia facta sunt: incarnatum, & hominem „factum, crucifixum & sepultum, & tertia die resurgentem a „mortuis, & adscendentem in cælos, & sedentem ad dexteram „patris, & qui venturus est iudicare viuos & mortuos, cuius re„gni non erit finis. Et in spiritum sanctum paracletum, qui „loquutus est per prophetas: & in vnum baptismum pœniten„tiæ in remissionem peccatorum; & in vnam sanctam catho„licam ecclesiam, & in carnis resurrectionem, & in vitam æter„nam.

Hoc symbolum non esse ipsum *Nicænum* nec *Constantinopolitanum*, manifestum inde est, quod vocabulum *consubstantialis*, aliaque desunt, quæ in symbolo *Nicæno* de filio prædicantur. Neque plenam characteris spiritus sancti explicationem habet, quæ postea in symbolo *Constantinopolitano* addita est. Id quod mirandum non est, quia *catecheses* CYRILLI aliquot annis ante habitam synodum *Constantinopolitanam* conscriptæ sunt. Quapropter vetus symbolum ecclesiæ *Hierosolymitanæ* sit, necesse est, vti vir quidam eruditus [*b*] recte iudicauit, & hinc etiam obseruauit, symbola, quæ ecclesiæ Occidentis vsurparint, minime desiisse in verba illa, *Et in spiritum sanctum*, sed & alia in

---

νῦ καὶ γῆς, ὁρατῶν τε πάντων καὶ ἀοράτων ποιητήν· καὶ εἰς ἕνα κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ μονογενῆ, τὸν ἐκ τοῦ πατρὸς γεννηθέντα πρὸ πάντων τῶν αἰώνων, θεὸν ἀληθινὸν, δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο· σαρκωθέντα καὶ ἐνανθρωπήσαντα, σταυρωθέντα καὶ ταφέντα καὶ ἀναστάντα ἐκ νεκρῶν τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ, καὶ ἀνελθόντα εἰς τοὺς οὐρανοὺς, καὶ καθίσαντα ἐκ δεξιῶν τοῦ πατρός· καὶ ἐρχόμενον κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς· οὗ τῆς βασιλείας οὐκ ἔσται τέλος· καὶ εἰς ἓν ἅγιον πνεῦμα, τὸ παράκλητον, τὸ λαλῆσαν διὰ τῶν προφητῶν· εἰς ἓν βάπτισμα μετανοίας εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν· εἰς μίαν ἁγίαν καθολικὴν ἐκκλησίαν· καὶ εἰς σαρκὸς ἀνάστασιν, καὶ εἰς ζωὴν αἰώνιον.

(*b*) Bull. indic. eccles. cathol. cap. VI. n. V. (p. 48. edit. Grab.) Hoc symbolum non ipsum esse Nicænum, & Constantinopolitani quoque symboli additionibus de spiritu sancto carere, palam est. Quod posterius nemini mirum videri potest, qui meminerit, catecheses Cyrilli, in quibus symbolum illud recitatur, multis annis ante habitam synodum Constantinopolitanam (quæ demum anno Christi CCCLXXXI. celebrata est) conscriptas fuisse. Restat igitur, vt sit reuera vetus symbolum ecclesiæ Hierosolymitanæ.

§. VII. Quæ in symbolo Hierosolymitano post ista, *in spiritum sanctum*, ex symbolo Constantinopolitano minime desumta, sed in antiquissimis Orientis symbolis, diu ante synodum Constantinopolitanam, adeoque Nicænam, posita fuisse, validissimis argumentis confirmabo. Certum est, symbola quæ

ipsis

ipſis fidei capita, nimirum de *catholica eccleſia*, de *remiſſione peccatorum*, & de *vita æterna* ſubiuncta fuiſſe; ſolis commatibus de *communione ſanctorum* & *deſcenſu ad inferos* omiſſis.

§. IX.

*Symbolum eccleſiæ* Cæſareenſis *in* Palæſtina.

ATQVE ita in ſymbolo fidei eccleſiæ *Cæſareenſis* in *Palæſtina*, quod in catecheſi & in ſacro lauacro ſe accepiſſe narrat EVSEBIVS, *deſcenſus ad inferos* abeſſe, obſeruatur. Differt tamen verbis ab ſymbolo *Hieroſolymitano*, & ex reliquis omnibus ad ſymbolum *Nicænum* proxime accedit. Verba eius, vt ab ipſo EVSEBIO in concilio *Nicæno* recitatum fuit, ſic habent: „Credimus [c] in vnum Deum, patrem omnipotentem, viſibilium omnium & inuiſibilium creatorem: & in vnum dominum Ieſum Chriſtum, Dei verbum, Deum de Deo, lumen „de lumine, vitam ex vita, filium vnigenitum, primogenitum „omnis creaturæ, ante omnia ſæcula ex Deo patre genitum, „per quem omnia facta ſunt: qui propter noſtram ſalutem in„carnatus eſt, & inter homines verſatus: qui paſſus eſt, & re„ſurrexit tertia die: adſcendit ad patrem, & iterum venturus „eſt cum gloria, vt viuos iudicet ac mortuos. Credimus etiam „in vnum ſpiritum ſanctum. Horum vnum quemque ſubſiſte„re credentes: Patrem vere patrem, filium vere filium, & ſpi„ritum ſanctum vere ſpiritum ſanctum: ſicut & dominus noſter, „quum diſcipulos ſuos ad prædicandum mitteret, dixit: Ite ac

ante concilium Conſtantinopolitanum, adeoque Nicænum, eccleſiæ Occidentis vſurparunt, minime deſiiſſe in verba illa *& in ſpiritum ſanctum*; ſed & alia in ipſis fidei capita ſubiecta fuiſſe. Quis vero, qui ea, quæ ſupra obſeruauimus de origine omnium fere hæreſium in Oriente, expenderit, facile credat, ſymbola Occidentalia, Orientalibus fuiſſe auctiora? cetera.

(c) Euſeb. epiſt. ad eccleſ. Cæſar. ap. Socrat. lib. I. c. VIII. p. 24. b. Πιστεύομεν εἰς ἕνα θεὸν, πατέρα παντοκράτορα, τὸν τῶν ἁπάντων ὁρατῶν τε καὶ ἀοράτων ποιητήν· καὶ εἰς ἕνα κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν τοῦ θεοῦ λόγον, θεὸν ἐκ θεοῦ, φῶς ἐκ φωτὸς, ζωὴν ἐκ ζωῆς, υἱὸν μονογενῆ, πρωτότοκον πάσης κτίσεως, πρὸ πάντων τῶν αἰώνων ἐκ τοῦ Θεοῦ πατρὸς γεγεννημένον· δι' οὗ καὶ ἐγένετο τὰ πάντα, τὸν διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν σαρκωθέντα, καὶ ἐν ἀνθρώποις πολιτευσάμενον· καὶ παθόντα, καὶ ἀναστάντα τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ· καὶ ἀνελθόντα πρὸς τὸν πατέρα, καὶ ἥξοντα πάλιν ἐν δόξῃ κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς· πιστεύομεν καὶ εἰς ἓν πνεῦμα ἅγιον· τούτων ἕκαστον εἶναι καὶ ὑπάρχειν πιστεύοντες, πατέρα ἀληθῶς πατέρα, καὶ υἱὸν ἀληθῶς υἱὸν, καὶ πνεῦμα ἅγιον ἀληθῶς ἅγιον πνεῦμα· καθὼς καὶ ὁ κύριος ἡμῶν ἀποστέλλων εἰς τὸ κήρυγμα τοὺς ἑαυ-

„docete omnes gentes, baptizantes eos, in nomine patris, filii „& spiritus sancti.

QVAE alibi sequuntur post ista: *In spiritum sanctum*, heic ex eadem ratione omissa sunt, ex qua in symbolo *Nicæno* omissa esse posthac ostendemus, nimirum quod tunc temporis de illis nulla controuersia agitata, & eatenus duntaxat symbolum iam recitatum esset, quatenus ad opponendum hæresi *Arianæ* memorari oportebat.

## §. X.

### *Symbolum ecclesiæ* Alexandrinæ.

ECCLESIAE *Alexandrinæ* symbolum aliquanto breuius, quam *Cæsareense* illud fuit, & idem esse a viris doctis creditur, „quod *Arius* & *Euzoius Constantino* obtulerunt, *Nicænam* fidem si„mulantes. Formula SOCRATI [*d*] memorata huiusmodi est. „Credimus in vnum Deum, patrem omnipotentem, & in do„minum Iesum Christum, filium eius, qui ex eo factus est an„te omnia sæcula: Deum verbum, per quem omnia facta sunt, „quæ in cælo & quæ in terra: qui descendit & incarnatus est: „qui passus est & resurrexit, & adscendit in cælos, & iterum „venturus est, vt iudicet viuos ac mortuos. Et in spiritum san„ctum, in carnis resurrectionem & in vitam futuri sæculi, re„gnumque cælorum, & in vnam catholicam ecclesiam Dei, quæ „a primis cardinibus ad vltimos vsque terrarum fines porrigitur.

## §. XI.

### *Symbolum ecclesiæ* Antiochenæ.

ECCLESIAE *Antiochenæ* symbolum illud videtur esse, quod in CASSIANO legimus, qui id tradit, quemadmodum in ista ecclesia inde ab apostolorum temporibus receptum esse, probabile est, addito solum vocabulo *consubstantialis*, quod a concilii *Nicæni* tempore fuit interpositum. „Textus & fides An-

τῶ μαθηταῖς, εἶπε· πορευθέντες μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα τῶ πατρὸς, καὶ τῶ υἱῶ, καὶ τῶ ἁγίω πνεύματος.

(*d*) Socrat. lib. I. c. XXVI. Πιστεύομεν εἰς ἕνα Θεὸν, πατέρα παντοκράτορα· καὶ εἰς κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν υἱὸν αὐτῶ, τὸν ἐξ αὐτῶ πρὸ πάντων τῶν αἰώνων γεγεννημένον θεὸν λόγον, δι' ὃ τὰ πάντα ἐγένετο, τά τε ἐν τοῖς ὀρανοῖς, καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς· τὸν κατελθόντα καὶ σαρκωθέντα, καὶ παθόντα, καὶ ἀναστάντα, καὶ ἀνελθόντα εἰς τὸς ὀρανὸς, καὶ πάλιν ἐρχόμενον κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρὸς· καὶ εἰς τὸ ἅγιον πνεῦμα, καὶ εἰς σαρκὸς ἀνάστασιν, καὶ εἰς ζωὴν τῶ μέλλοντος αἰῶνος, καὶ εἰς βασιλείαν ὀρανῶν, καὶ εἰς μίαν καθολικὴν ἐκκλησίαν τῶ Θεῶ, τὴν ἀπὸ περάτων ἕως περάτων.

tio-

„tiocheni ſymboli, inquit, hæc [e] eſt: Credo in vnum „& ſolum Deum patrem omnipotentem, creatorem omnium „viſibilium & inuiſibilium creaturarum. Et in dominum „noſtrum Ieſum Chriſtum, filium eius vnigenitum & pri„mogenitum totius creaturæ, ex eo natum ante omnia ſæ„cula, & non factum, Deum verum ex Deo vero, homou„ſion patri, per quem & ſæcula compaginata ſunt & omnia fa„cta. Qui propter nos venit, & natus eſt ex *Maria* virgine, & „crucifixus ſub *Pontio Pilato*, & ſepultus, & tertia die reſurrexit „ſecundum ſcripturas, & in cælos adſcendit, & iterum veniet „iudicare viuos & mortuos. Et reliqua„.

Non integrum ſymbolum heic recitat CASSIANVS, ſed ea duntaxat capita, quæ contra *Neſtorium* vrgenda erant, qui in hac fide & ſymbolo *Antiochiæ* baptizatus fuerat, cuius eum præuaricatorem factum, a fidei profeſſione, quam ipſe huius ſymboli verbis in baptiſmo ſuo & ordinatione feciſſet, reſiluiſſe oſtendit, reliqua ſymboli capita intacta relinquens.

§. XII.

*Symbolum eccleſiæ* Romanæ, *vulgo* ſymbolum apoſtolorum *dictum*.

Qvisqvis antememorata ſymbola inter ſe contulerit, dogmata de *communione ſanctorum*, & de *deſcenſu ad inferos* in eorum nullo verbis expreſſis memorari facile videbit. Neque vero in ſymbolo *Romano*, quod apoſtolorum ſymbolum communiter audit, ab initio fuerunt, vti non tantum ex teſtimonio RVFFINI, ſed ex vetuſtis quibusdam huius ſymboli exemplis adhuc ſuperſtitibus, videre eſt. VSSERIVS duo exempla in *Anglia* noſtra reperit, in quibus hæc additamenta, nec non illud de vita æterna, deſunt. Alterum *Græce* quidem ſed litteris *Anglo-Saxonicis* expreſſum & pſalterio *Aethelſtani* regis, anno æræ noſtræ DCC. ſcripto coniunctum, aliud vero *Latine* expreſſum, ſed vtrumque [f] eamdem verborum formam exhibens: „Credo in Deum patrem omnipotentem: & in Chriſtum IEſum filium eius vnicum, dominum noſtrum; qui natus eſt de ſpiritu

(e) Caſſian. de incarnat. lib. VI. p. 1272.

(f) Viſer. de ſymbolis p. 6. *Πιστεύω εἰς Θεὸν πατέρα παντοκράτορα· καὶ εἰς τὸν Χριστὸν Ἰησοῦν υἱὸν αὐτοῦ τὸν μονογενῆ, τὸν κύριον ἡμῶν, τὸν γεννηθέντα ἐκ πνεύματος*

„sancto & *Maria* virgine, qui sub *Pontio Pilato* crucifixus est & „sepultus, tertia die resurrexit a mortuis, adscendit in cælos, „sedet ad dextram patris, vnde venturus est iudicare viuos & „mortuos. Et in spiritu sancto, sancta ecclesia, remissione pec-„catorum, carnis resurrectione, Amen„.

QVAE in his antiquis formis a præsentis symboli aposto-lici forma abeunt, dum nonnulla verba, quæ postmodum ac-cesserunt, non habent, notata sunt ab VSSERIO [*ff*], qui id quoque a diuersis auctoribus vetustioribus cum quadam verbo-rum diuersitate ad nos transmissum esse obseruauit. Nam in quibusdam auctoribus, qui hoc symbolo vsi sunt, *vita æterna*

---

*ἁγίου, καὶ Μαρίας τῆς παρθένου· τὸν ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου σταυρωθέντα, ταφέντα, τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἀναστάντα ἐκ νεκρῶν, ἀναβάντα εἰς τοὺς οὐρανοὺς, καθήμενον ἐν δεξιᾷ τοῦ πατρὸς, ὅθεν ἔρχεται κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς· καὶ εἰς πνεῦμα ἅγιον, ἁγίαν ἐκκλησίαν, ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, σαρκὸς ἀνάστασιν. Ἀμήν.*

(*ff*) Vsser. ibid. p. 6. lin. pen. & p. 7. Hoc symbolum illud est, quod - - tum a Maximo Taurinensi, in homilia de traditione symboli explicatur; tum ab Augustino in libello de fide & symbolo competentibus exponitur, & in fine fidelibus omnibus ita commendatur: *Hæc est fides, quæ paucis verbis tenenda in symbolo nouellis christianis datur. Quæ pauca verba fidelibus nota sunt: vt credendo subiugentur, Deo subiugati recte viuant, recte vi-vendo cor mundent, corde mundo, quod credunt, intelligant.* Idemque i-psum Græcum a Marcello Ancyrano professioni fidei suæ ad Iulium Roma-num antistitem insertum, apud Epiphanium in hæresi LXXII. legitur: ver-bo *πατέρα* tantum initio, librariorum vt videtur incuria, omisso; & *vitæ æternæ* articulo in fine superaddito. Quem & in occidentis quibusdam partibus receptum fuisse, & ex Petro Rauennate, & ex auctore libri de sym-bolo ad catechumenos obseruo; symbolum eodem modo, quo a Marcello est propositum, explicantibus. Verum apud alios, omissa *vitæ æternæ* mentione, in *carnis resurrectione* (vt in nostris illis superioribus) termi-natum fuisse symbolum ex Hieronymo & Ruffino intelligitur. Quorum prior in epistola LXI. ad Pammachium, aduersus errores Ioannis Hieroso-lymitani, ita loquitur: *In symbolo fidei & spei nostræ - - concluditur.* Posterior & in apologia aduersus eumdem Hieronymum, Aquileienses suos *in huius carnis resurrectione finem symboli* statuere confirmat; & in ipsius symboli expositione porro addit. *Vltimus iste sermo, qui resurrectionem pronuntiat summam totius perfectionis succincta breuitate concludit.* quem in sua symboli explicatione sequutus est Venantius Fortunatus, Pictauien-sis apud Gallos episcopus; eo capitulo *summam perfectionis concludi* simi-liter repetens. Quod ipsum etiam Maximus Taurinensis illis verbis signi-ficatum voluit. *Hic religionis nostræ finis, hæc summa credendi est.* & au-ctor sermonis CXIX. de tempore (operum Augustini tomo X.) notatione il-la: *Iste iam finis est: sed finis sine fine erit resurrectio carnis.*

post

poſt *reſurrectionem carnis* addita eſt. Vt in homiliis PETRI CHRYSOLOGI [*g*], epiſcopi *Ravennatis*, vbi hoc ſymbolum exponitur. Et in auctore libri de *ſymbolo ad catechumenos* tomo IX operum AVGVSTINI: Et in ſymbolo, quod MARCELLVS epiſcopus *Ancyranus Iulio* epiſcopo *Romano* exhibuit, cuius meminit EPIPHANIVS [*h*]. Apud alios autem, omiſſa *vitæ æternæ* mentione, in *carnis reſurrectione* ſymbolum hoc terminatum eſt; non quod illi articulum fidei eſſe negarint, ſed quod in articulo de *reſurrectione carnis* contineretur, vt illi id recte interpretantur. HIERONYMVS [*i*] expreſſis verbis ait: *In ſymbolo fidei & ſpei noſtræ, quod ab apoſtolis traditum non ſcribitur in charta & atramento, ſed tabulis cordis carnalibus, poſt confeſſionem trinitatis & vnitatem eccleſiæ, omne chriſtiani dogmatis ſacramentum CARNIS RESVRRECTIONE CONCLVDITVR.* Et MAXIMVS TAVRINENSIS [*k*], qui ſingulos eius articulos diſtincte explicat, idem dicit. AVGVSTINVS etiam [*l*] ſymbolum *carnis reſurrectione* finit, ſed *vitam æternam* in iſtius interpretatione includit. Nam *Corporis*, inquit, *reſurrectione facta, a temporis conditione liberati AETERNA VITA ineffabili caritate & ſtabilitate ſine corruptione perfruemur.* Atque ſimilem in modum auctor *ſermonum de tempore* [*m*], qui ſub illius nomine ſcripſit: *Iam finis eſt: ſed finis erit ſine fine reſurrectio carnis.*

## §. XIII.

### *Symbolum eccleſiæ* Aquileienſis.

ITA quoque res ſe habet cum eccleſiæ *Aquileienſis* ſymbolo, quod in aliis momentis a *Romano* & orientalibus ſymbolis diſcrepat. RVFFINVS enim, qui explicationem eius ſcripſit, *in reſurrectione carnis* illud concludit, *æterna vita* non memorata

(*g*) Petr. Chryſolog. homil. LVII -- LXII.

(*h*) Epiphan. hæreſ. LXXII. Marcell. n. III. Πιστεύω εἰς θεὸν παντοκράτορα κ. τ. λ. ‒ ζωὴν αἰώνιον.

(*i*) Hieronym. epiſt. LXI. ad Pammachium.

(*k*) Maxim. Taurin. hom. I. de diuerſis p. 239. Hic religionis cetera. vid. ſub litt. (ff).

(*l*) Auguſtin. de fide & ſymbolo tom. III. opp. p. 66. edit. Pariſ. MDCXXXVII. (p. 150. edit. Baſil. MDLXIX.)

(*m*) Aug. ſerm. CXIX. de tempore tom. X. p. 306. (p. 860.)

nec explicata, nisi tacite dantaxat, quatenus in resurrectione simul comprehenditur. In aliis capitibus quædam ad hoc symbolum accessiones factæ, quæ in *Romano* absunt: Heic enim descensus ad inferos diserte legitur; & non tantum *resurrectio carnis* in genere sed *resurrectio HVIVS carnis* in specie memoratur; & in primo articulo post vocabulum *omnipotentem* adduntur duo, *inuisibilem* & *impassibilem* [n], tamquam appellationes Deo patri peculiares & propriæ. Sic enim habet: „Credo in Deum „patrem omnipotentem, *inuisibilem* & *impassibilem*. Et in Chri„stum IEsum vnicum filium eius, dominum nostrum, qui natus „est de spiritu sancto ex *Maria* virgine, crucifixus sub *Pontio* „*Pilato* & sepultus, descendit ad inferna. Tertia die resurrexit „a mortuis, adscendit in cælos, sedet ad dextram patris: Inde „venturus est iudicare viuos & mortuos. Et in spiritum san„ctum, sanctam ecclesiam catholicam, remissionem peccato„rum, *huius* carnis resurrectionem„. Ratio, ob quam vocabula *inuisibilem* & *impassibilem* huic symbolo adiecta sint, quæ in *Romano* non legebantur, erat, vt hæresi *Sabellii* & *Patripassianæ*, Deum patrem ex *Maria* virgine natum atque ita visibilem factum & passum in carne, somnianti occurreretur. *Vt excluderetur talis impietas* [o] *de patre*, inquit RVFFINVS, *videntur hæc addidisse maiores, & inuisibilem patrem atque impassibilem dixisse.* Descensus ad inferna huic symbolo prorsus peculiaris est. Nam si ab hoc & concilii *Ariminensis* symbolo, SOCRATI [p] memorato, discesseris, hic articulus in nullo alio huius ætatis symbolo expressis verbis legitur; quamquam RVFFINO vis istius eadem esse videtur in eo, quod sepultus dicatur. Quando primum symbolo accesserit, id ex PEARSONIO condisci potest, qui hac de re tamquam ad annum sexcentesimum facta, loquitur.

(n) Ruffin. exposit. symboli ad calcem Cypriani p. 19. (p. 173. in opusculis.)

(o) Ruffin. ibid. Sciendum, quod duo isti sermones in ecclesiæ Romanæ symbolo non habentur: Constat autem apud nos additos hæreseos caussa Sabellii, illius profecto, quæ a nostris Patripassiana appellatur; id est, quæ patrem ipsum vel ex virgine natum dicit, & visibilem factum, vel passum adfirmat in carne. Vt ergo excluderetur talis impietas &c.

(p) Socrat. lib. II. c. XXXVII. Τοῦτον ἴσμεν τὸν μονογενῆ αὐτοῦ υἱὸν - - ἀποθανόντα καὶ εἰς τὰ καταχθόνια κατελθόντα, καὶ τὰ ἐκεῖσε οἰκονομήσαντα· ὃν πυλωροὶ ᾅδου ἰδόντες ἔφριξαν, κ. τ. λ. Hunc vnigenitum filium Dei scimus - - mortuum esse, & *ad inferos descendentem*, quæ illic agenda erant, disposuisse. Quem conspicati inferorum ianitores tremuerunt.

§. XIV.

## §. XIV.

### *Symbolum* Nicænum, *vt primum a concilio* Nicæno *publicatum fuit.*

Hactenvs de istiusmodi symbolis loquuti sumus, quæ in ecclesia ante habitam synodum *Nicænam* obtinuisse censeri poterunt. Nunc de prima symboli *Nicæni* compositione mentionem facturi, & quemadmodum postea in nouam formam a concilio *Constantinopolitano* redactum illud sit, commemoraturi sumus. Symbolum vti primum a concilio *Nicæno* publicatum est, sic habet. „Credimus in vnum Deum, patrem omni„potentem [q], omnium visibilium & inuisibilium creatorem: „& in vnum dominum IEsum Christum, filium Dei, genitum „ex patre, vnigenitum, hoc est, ex substantia patris: Deum „de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero: geni„tum non factum; consubstantialem patri, per quem omnia fa„cta sunt, quæ in cælo sunt & in terra. Qui propter nos ho„mines & propter salutem nostram descendit, incarnatusque „& homo factus est, & passus. Qui resurrexit tertia post die: „adscendit ad cælos, venturus est, vt viuos iudicet & mortuos. „Credimus & in spiritum sanctum, eos autem, qui dicunt, fuit „aliquando tempus, quum non esset, & antequam gigneretur, „non erat: vel quod de non exstantibus factus est; aut qui ex „altera substantia vel essentia dicunt esse filium Dei, aut crea„tum, aut conuersioni mutationique obnoxium, anathemate „ferit sancta catholica & apostolica ecclesia„.

Hoc symbolum in veterum patrum scriptis & conciliis hac ipsa verborum forma expressum frequenter occurrit. Vt

(q) Ap. Socrat. lib. I. c. VIII. p. 22. Πιστεύομεν εἰς ἕνα Θεὸν, πατέρα παντοκράτορα, πάντων ὁρατῶν τε καὶ ἀοράτων ποιητήν· καὶ εἰς ἕνα κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, γεννηθέντα ἐκ τοῦ πατρὸς μονογενῆ, τουτ᾽ ἔστιν ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρὸς, θεὸν ἐκ θεοῦ καὶ φῶς ἐκ φωτὸς, θεὸν ἀληθινὸν ἐκ Θεοῦ ἀληθινοῦ· γεννηθέντα οὐ ποιηθέντα, ὁμοούσιον τῷ πατρὶ δι᾽ οὗ τὰ πάντα ἐγένετο, τά τε ἐν τῷ οὐρανῷ καὶ τὰ ἐν τῇ γῇ, δι᾽ ἡμᾶς τοὺς ἀνθρώπους καὶ διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν κατελθόντα καὶ σαρκωθέντα, καὶ ἐνανθρωπήσαντα· παθόντα καὶ ἀναστάντα τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ, ἀνελθόντα εἰς τοὺς οὐρανοὺς, ἐρχόμενον κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς· καὶ εἰς τὸ ἅγιον πνεῦμα· τοὺς δὲ λέγοντας ὅτι ἦν ποτε ὅτε οὐκ ἦν, καὶ πρὶν γεννηθῆναι οὐκ ἦν, καὶ ὅτι ἐξ οὐκ ὄντων ἐγένετο, ἢ ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως ἢ οὐσίας φάσκοντες εἶναι, ἢ κτιστὸν, ἢ τρεπτὸν, ἢ ἀλλοιωτὸν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, ἀναθεματίζει ἡ ἁγία καθολικὴ καὶ ἀποστολικὴ ἐκκλησία.

in ATHANASII epiſtola ad *Iouianum* [*], in HILARIO [†] de ſynodis, in LEONIS epiſtola XCV *ad Leonem imperatorem.* In concilio *Romano* ſub *Iulio* an. CCCXXXVII. In concilio *Epheſino*, *epiſt. ad Neſtorium.* In concilio *Chalcedonenſi* act. II. In concilio *Hipponenſi* & *Carthaginenſi* ſexto. In præfatione *codicis Africani.* In concilio *Bracarenſi* tertio, & tertio ac decimo tertio *Toletano.* In concilio generali quinto *Conſtantinopolitano* act. XVII. aliisque pluribus.

IAM vero viri quidem docti in ea fuerunt ſententia, antiqua ſymbola ante concilium *Nicænum* non habuiſſe ea doctrinæ capita, quæ dogma de *ſpiritu ſancto* ſequuntur, ſed omnia in illis verbis; *Et in ſpiritum ſanctum*, fuiſſe terminata. Hæc VOSSII & ERASMI fuit opinio, cui etiam VSSERIVS [r] ſe aliquando addictum, ſed inſtituta diligentiore rei conſideratione, ab ea depulſum eſſe dicit. Nam ex plerisque ante recitatis formulis manifeſto apparet, non nullos articulos, qui poſt verba: *Et in ſpiritum ſanctum*, ſequuntur, ſempter fuiſſe partes ſymboli. Cauſſa vero, cur concilium *Nicænum* eos non repetierit, ea ſola fuit, quod tunc temporis non eſſent vocati in controuerſiam: vnde ex priſtinis ſymbolis ea tantummodo recitarunt, quæ ad reprimendam hæreſin *Arianam* requirebantur, cetera ex priſtinis ſymbolis, tunc generatim in eccleſia receptis, ſupplenda relinquentes. Patet hoc ex ſymbolis tum apud *Arianos* tum in eccleſia vſitatis, antequam concilium *Conſtantinopolitanum* nouam ſymboli *Nicæni* formam effinxiſſet, quæ poſtmodum vniuerſaliter in eccleſia fuit recepta. Ita in ſymbolo, ab epiſcopis pſeudoſynodi *Sardicenſis* ſeparatim coactis edito, quod HILARIVS [s]

(*) Athanaſ. tom. I. p. 247. edit. Pariſ. MDCXXVII. (tom. I. p. 781. edit. Pariſ. MDCXCVIII.)

(†) Hilar. de ſynodis p. 114.

(r) Vſſer. de ſymb. p. 17. Sane in ea me aliquando fuiſſe opinione non diffiteor, veterum orientalium eccleſiarum ſymbola in ſimplice perſonæ *ſpiritus ſancti* confeſſione fuiſſe terminata; illius vero amplificationem capituli, & quæ de eccleſia & beneficiis ad eam ſpectantibus ſequebantur omnia, a patribus ſecundæ ſynodi oecumenicæ Conſtantinopoli anno Chriſti CCCLXXXI. habitæ, primum fuiſſe addita. Sed ab ea me depulit ſententia temporis, quo a Cyrillo Hieroſolymitano catechetici ſermones ſunt habiti, & ab Epiphanio Anchoratum fuit editum, diligentior conſideratio, cetera.

(s) Hilar. de ſynodis p. 108. (p. 336. edit. Par. MDCXXXI.)

alii-

[t] aliique nobis tradidere, post articulum spiritus sancti hæc leguntur: *Credimus in sanctam ecclesiam, in remissionem peccatorum, in vitam æternam.* Vel, vt in fragmentis eius perfectius exhibetur: *Credimus in sanctam ecclesiam, in remissionem peccatorum, in carnis resurrectionem, in vitam æternam.* Ita quoque *Eusebiani* in prima fidei formula, in concilio *Antiocheno* publicata, & ATHANASIO pariter & SOCRATI [u] memorata, post articulum *spiritus sancti* addunt: *Credimus carnis resurrectionem & vitam æternam.* Iam vero absurdum foret cogitare, *Arianos* hosce articulos in synbolis suis fuisse retenturos, catholicis illos vel reiicientibus vel negligentibus. Quocirca planum est & euidens, concilium *Nicænum* partem duntaxat antiqui symboli fuisse, quod in baptismo integrum recitatum fuit, etsi heic non repetitum. Cuius rei id, quod antea ex catechesibus CYRILLI obseruauimus, satis perspicuum est testimonium.

## §. XV.

### *Symbolum* Epiphanii.

Hoc porro ex duobus manifestum est fidei professionibus, breuiore altera, altera longiore, quæ ab EPIPHANIO in *anchorato* suo, quem aliquot annis ante celebratum concilium *Constantinopolitanum* scripsit, recitantur. Breuior formula, quam catechumenis omnibus, qui ad baptisimum sese compararent, a tempore concilii *Nicæni* ad decimum *Valentiniani* & *Valentis* h. e. æræ christianæ CCCLXXIII. diligenter inculcari, dicit, hæc est: „Credimus [w] in vnum Deum patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ, visibilium & inuisibilium. Et in vnum dominum IEsum Christum, filium Dei vnigenitum. & ex patre „natum ante omnia sæcula: hoc est ex patris substantia: lu-

(t) Hilar. fragment. p. 140. (p. 448.)

(u) Socrat. lib. II. c. X. Πιστεύομεν καὶ εἰς τὸ ἅγιον πνεῦμα· εἰ δὲ δεῖ προσθεῖναι, πιστεύομεν καὶ περὶ σαρκὸς ἀναστάσεως, καὶ ζωῆς αἰωνίου. Credimus etiam in spiritum sanctum. Et si hoc quoque adiiciendum est, *credimus carnis resurrectionem & vitam æternam.*
Athanas. de synod. Arim. & Seleuc. tom. I. p. 892. edit. Par. MDCXXVII. (p. 735. e. edit. Par. MDCXCVIII.)

(w) Epiphan. anchorat. n. CXX. (tom. II. p. 122.) Πιστεύομεν εἰς ἕνα Θεὸν, πατέρα παντοκράτορα, ποιητὴν οὐρανοῦ τε καὶ γῆς, ὁρατῶν τε πάντων καὶ ἀοράτων· καὶ εἰς ἕνα κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ τὸν μονογενῆ, τὸν ἐκ τοῦ πατρὸς γεννηθέντα πρὸ πάντων τῶν αἰώνων· τουτέστιν ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρὸς, φῶς ἐκ φω-

„men de lumine, Deum verum de Deo vero; genitum non fa-„ctum, consubstantialem patri, per quem omnia facta sunt, quæ „cælo terraque continentur. Qui propter nos homines & pro-„pter nostram salutem descendit de cælis. Et incarnatus est de „spiritu sancto ex *Maria* virgine. Et homo factus est. Cru-„cifixus etiam pro nobis sub *Pontio Pilato*, passus & sepultus est: „Et resurrexit tertia die secundum scripturas. Et ascendit in „cælum, sedet ad dexteram patris. Et iterum venturus est cum „gloria, iudicare viuos & mortuos. Cuius regni non erit finis. „Et in spiritum sanctum dominum & viuificantem. Qui ex pa-„tre procedit. Qui cum patre & filio simul adoratur & con-„glorificatur. Qui loquutus est per prophetas. Et in vnam „sanctam & apostolicam ecclesiam. Confitemur vnum bapti-„sma in remissionem peccatorum. Et exspectamus resurrectio-„nem mortuorum, & vitam futuri sæculi, Amen. Eos vero, „qui dicunt, fuit aliquando, quum non esset, & antequam gi-„gneretur, non erat, siue ex nihilo factus est; vel ex altera hy-„postasi, siue substantia, quique Dei filium fluentem ac muta-„bilem esse defendunt, hos omnes anathemate damnat catho-„lica & apostolica ecclesia„.

*Eiusmodi fidei formula*, inquit *EPIPHANIVS*, *a sanctis apostolis tradita & in ecclesia in sancta vrbe (Nicæa) ab omnibus sanctis episcopis, qui supra trecentos & decem fuerunt, præscripta.* Quibus verbis non vult dicere, hosce articulos hac ipsa verborum forma vel ab apostolis vel a concilio *Nicæno* traditos esse, sed ec-

τὸς, Θεὸν ἀληθινὸν ἐκ Θεοῦ ἀληθινοῦ, γεννηθέντα οὐ ποιηθέντα, ὁμοούσιον τῷ πατρί· δι᾽ οὗ τὰ πάντα ἐγένετο, τά τε ἐν τοῖς οὐρανοῖς, καὶ τὰ ἐν τῇ γῇ· τὸν δι᾽ ἡμᾶς τοὺς ἀνθρώπους, καὶ διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν κατελθόντα ἐκ τῶν οὐρανῶν, καὶ σαρκωθέντα ἐκ πνεύματος ἁγίου, καὶ Μαρίας τῆς παρθένου καὶ ἐνανθρωπήσαντα, σταυρωθέντα τε ὑπὲρ ἡμῶν ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου, καὶ παθόντα, καὶ ταφέντα, καὶ ἀναστάντα τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ, κατὰ τὰς γραφὰς, καὶ ἀνελθόντα εἰς τοὺς οὐρανοὺς, καὶ καθεζόμενον ἐκ δεξιῶν τοῦ πατρὸς, καὶ πάλιν ἐρχόμενον μετὰ δόξης, κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς· οὗ τῆς βασιλείας οὐκ ἔσαι τέλος· καὶ εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, κύριον καὶ ζωοποιὸν, τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον, τὸ σὺν πατρὶ καὶ υἱῷ συμπροσκυνούμενον, καὶ συνδοξαζόμενον, τὸ λαλῆσαν διὰ τῶν προφητῶν· εἰς μίαν ἁγίαν καθολικὴν καὶ ἀποστολικὴν ἐκκλησίαν· ὁμολογοῦμεν ἓν βάπτισμα εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, προσδοκῶμεν ἀνάστασιν νεκρῶν, καὶ ζωὴν τοῦ μέλλοντος αἰῶνος, ἀμήν. Τοὺς δὲ λέγοντας, ἦν ποτε, ὅτε οὐκ ἦν, καὶ πρὶν γεννηθῆναι οὐκ ἦν, ἢ ὅτι ἐξ οὐκ ὄντων ἐγένετο, ἢ ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως, ἢ οὐσίας, φάσκοντας εἶναι ῥευστὸν, ἢ ἀλλοιωτὸν τὸν τοῦ Θεοῦ υἱὸν, τούτους ἀναθεματίζει ἡ καθολικὴ καὶ ἀποστολικὴ ἐκκλησία.

clesiæ

cleſiæ hac formula in baptiſmo vti placuiſſe, tamquam doctrinæ per apoſtolos & patres *Nicænos* traditæ conſentanea. Verum poſtea *Apollinarianis* aliisque hæreticis emergentibus & eccleſiam infeſtantibus ſub *Valentiniani* & *Valentis* imperio, quorum tunc decimus annus agebatur, & *Gratiani* ſextus, a *Diocletiano* vero tyranno nonageſimus, hoc eſt an. CCCLXXIII. fidei confeſſionem ſpecialioribus quorumdam articulorum explicationibus, ad iſtas hæreſes ſufflaminandas, auxerunt. Et tum formula ab iis præſertim, qui baptiſmo initiandi erant, recitari iuſſa, ita ſe habuit, quemadmodum eodem loco narrat: „Credimus „[*x*] in vnum Deum, patrem omnipotentem, omnium inuiſibilium, viſibiliumque factorem: & in vnum dominum IEſum „Chriſtum, filium Dei, genitum a Deo patre, vnigenitum, hoc „eſt, e patris ſubſtantia: Deum de Deo, lumen de lumine, Deum „verum de Deo vero: genitum non factum, conſubſtantialem „patri: per quem omnia facta ſunt, tam quæ cælis quam quæ „terra continentur, viſibilia & inuiſibilia. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit: & incarnatus „eſt, hoc eſt e *Maria* ſemper virgine de ſpiritu ſancto perfecte „genitus. Et homo factus eſt: id eſt, perfectum adſumſit ho„minem, animam, corpus, mentem, & quidquid aliud homo „eſt, excepto peccato, non e virili ſemine, nec ita vt in homi„ne duntaxat ineſſet, ſed in ſe ipſum effictam illam carnem „tranſtulit, & in vnam ac ſanctam ſingularitatem coniunxit. „Non ad eum modum, quo prophetis adſpirauit, & in illis lo„quutus eſt, effecitque quidpiam, ſed homo perfectus eſſe vo„luit: verbum quippe caro factum eſt: neque aut mutationem

(*x*) Epiphan. ibid. p. 123. Πιστεύομεν εἰς ἕνα Θεὸν, πατέρα παντοκράτορα, πάντων ἀοράτων τε καὶ ὁρατῶν ποιητὴν, καὶ εἰς ἕνα κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, γεννηθέντα ἐκ Θεοῦ πατρὸς, μονογενῆ· τουτέστιν ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρὸς, Θεὸν ἐκ Θεοῦ, φῶς ἐκ φωτὸς, Θεὸν ἀληθινὸν ἐκ Θεοῦ ἀληθινοῦ· γεννηθέντα, οὐ ποιηθέντα, ὁμοούσιον τῷ πατρὶ, δι᾽ οὗ τὰ πάντα ἐγένετο, τά τε ἐν τοῖς οὐρανοῖς καὶ τὰ ἐν τῇ γῇ, ὁρατά τε καὶ ἀόρατα· τὸν δι᾽ ἡμᾶς τοὺς ἀνθρώπους καὶ διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν κατελθόντα, καὶ σαρκωθέντα· τουτέστι γεννηθέντα τελείως ἐκ τῆς ἁγίας Μαρίας τῆς ἀεὶ παρθένου, διὰ πνεύματος ἁγίου, ἐνανθρωπήσαντα, τουτέστι τέλειον ἄνθρωπον λαβόντα, ψυχὴν καὶ σῶμα, καὶ νοῦν, καὶ πάντα, εἴ τι ἐστὶν ἄνθρωπος. χωρὶς ἁμαρτίας, οὐκ ἀπὸ σπέρματος ἀνδρὸς, οὐδὲ ἐν ἀνθρώπῳ, ἀλλ᾽ εἰς ἑαυτὸν σάρκα ἀναπλάσαντα, εἰς μίαν ἁγίαν ἑνότητα· οὐ καθάπερ ἐν προφήταις ἐνέπνευσέ τε καὶ ἐλάλησε, καὶ ἐνήργησεν, ἀλλὰ τελείως ἐνανθρωπήσαντα· ὁ γὰρ λόγος σὰρξ ἐγένετο, οὐ τρο-

„vllam est expertus, aut diuinitatem suam in naturam conuer„tit hominis: sed in vnam sanctam perfectionem diuinitatem„que copulauit. Vnus est enim dominus IEsus Christus, non „duo: Idem Deus, idem dominus, idemque rex. Qui passus „est in carne, & resurrexit, & cælum cum eodem corpore „conscendit. Et ad dexteram patris gloriose consedit; Et cum „eodem corpore venturus est cum gloria, iudicare viuos & mor„tuos. Cuius regni non erit finis. Credimus & in spiritum „sanctum, qui loquutus est in lege, & per prophetas prædica„vit; ad *Iordanem* descendit, in apostolis loquutus est & in san„ctis habitat. Ita porro nos in ipsum credimus: spiritum esse „sanctum, Dei spiritum, spiritum perfectum, spiritum paracle„tum, increatum, a patre procedentem, accipientem a filio, „in quem credimus. Præterea credimus in vnam catholicam & „apostolicam ecclesiam, & in vnum pœnitentiæ baptismum, & „in resurrectionem mortuorum, ac iustum animarum corpo„rumque iudicium, & in regnum cælorum, ac vitam æternam. „Eos vero, qui dicunt, fuisse aliquando, quum non esset filius „aut spiritus sanctus, aut e nihilo esse factum, vel ex altera „hypostasi, aut substantia: quique conuersioni aut mutationi „obnoxium esse dicunt Dei filium aut spiritum sanctum; hos „omnes anathemate damnat catholica & apostolica ecclesia, „communis nostrum omnium mater. Condemnamus etiam „illos, qui mortuorum resurrectionem minime confitentur; nec

την ὑποςάς· ἐδὲ μεταβαλὼν τὴν ἑαυτῦ θεότητα εἰς ἀνθρωπότητα· εἰς μίαν συνενώσαντα ἑαυτῦ ἁγίαν τελειότητά τε καὶ θεότητα· εἷς γάρ ἐςιν κύριος Ιησῦς Χριςὸς, καὶ ὐ δύο, ὁ αὐτὸς θεὸς, ὁ αὐτὸς κύριος, ὁ αὐτὸς βασιλεύς· παθόντα δὲ τὸν αὐτὸν ἐν σαρκὶ, καὶ ἀναςάντα, καὶ ἀνελθόντα εἰς τὺς ὐρανὺς ἐν αὐτῷ τῷ σώματι, ἐνδόξως καθίσαντα ἐν δεξιᾷ τῦ πατρὸς, ἐρχόμενον ἐν αὐτῷ τῷ σώματι ἐν δόξῃ κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρύς· ὗ τῆς βασιλείας ὐκ ἔςαι τέλος· καὶ εἰς τὸ ἅγιον πνεῦμα πιςεύομεν, τὸ λαλῆσαν ἐν νόμῳ, καὶ κηρύξαν ἐν τοῖς προφήταις, καὶ καταβὰν ἐπὶ τὸν Ἰορδάνην, λαλῦν ἐν ἀποςόλοις, οἰκῦν ἐν ἁγίοις· ὕτως δὲ πιςεύομεν ἐν αὐτῷ, ὅτι ἐςὶ πνεῦμα ἅγιον, πνεῦμα Θεῦ, πνεῦμα τέλειον, πνεῦμα παράκλητον, ἄκτιςον, ἐκ τῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον, καὶ ἐκ τῦ υἱῦ λαμβανόμενον (al. λαμβάνοντα), καὶ πιςευόμενον· πιςεύομεν εἰς μίαν καθολικὴν, καὶ ἀποςολικὴν ἐκκλησίαν· καὶ εἰς ἓν βάπτισμα μετανοίας, καὶ εἰς ἀνάςασιν νεκρῶν, καὶ κρίσιν δικαίαν ψυχῶν, καὶ σωμάτων, καὶ εἰς βασιλείαν ὐρανῶν, καὶ εἰς ζωὴν αἰώνιον· τὺς δὲ λέγοντας ὅτι ἦν ποτε, ὅτε ὐκ ἦν ὁ υἱὸς, ἢ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἢ ὅτι ἐξ ὐκ ὄντων ἐγένετο, ἢ ἐξ ἑτέρας ὑποςάσεως, ἢ ὐσίας, φάσκοντας εἶναι τρεπτὸν, ἢ ἀλλοιωτὸν τὸν υἱὸν τῦ Θεῦ, ἢ τὸ ἅγιον πνεῦμα· τύτυς ἀναθεματίζει ἡ καθολικὴ καὶ ἀποςολικὴ ἐκκλησία, ἡ μή-

„non

„non & hæreses omnes, quæ huic sanctæ fidei minime consen-„taneæ sunt.

IAM si istæ fidei formulæ ea ætate, quam indicat EPIPHANIVS, in ecclesia obtinuerunt, certum est, symbolum *Nicænum* in vsum catechumenorum ab ecclesia longe ante concilium generale *Constantinopolitanum* fuisse consummatum: & concilium illud de contrahendo potius quam augendo, siue dilatando eo laborasse, quemadmodum vnusquisque facile videbit, qui symbolum *Constantinopolitanum* cum alterutro horum, quæ ex EPIPHANIO exhibuimus, conferre volet.

## §. XVI.

### *Symbolum* Nicænum a *concilio* Constantinopolitano *ann.* *CCCLXXXI. consummatum.*

SYMBOLVM, in concilio generali secundo *Constantinopolitano* propositum, non est aliud atque ipsum *Nicænum*, eiusmodi duntaxat articulis auctum, qui ab ecclesia in interrogationibus baptizandorum semper adhibiti, etsi particulari formæ, a concilio *Nicæno* vsurpatæ, non inserti fuerunt. Formulam istam heic interponere nihil attinet, quia eadem est cum illa, quæ communiter fidei formula *Nicæna* in liturgia nostra audit. Tantummodo vocabulum *filioque* spiritus sancti processionem a patre & filio simul exprimens, postea ab ecclesia *Latina* additum est Prima enim huius formulæ exempla in concilio *Constantinopolitano* [y] & conciliis *Ephesino* ac *Chalcedonensi* [z] habent tantum ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον, *ex patre procedentem*, sine vlla filii mentione. At vero in conciliis *Latinis* vox *filioque* plerumque additur, vt in concilio *Bracarensi* primo ann CCCCXI. & concilio *Toletano* tertio [a] ann. DLXXXIX, vbi symbolum *Constantinopolitanum* recitatur.

---

τῆς ὑμῶν τε καὶ ἡμῶν· καὶ πάλιν ἀναθεματίζομεν τοὺς μὴ ὁμολογοῦντας ἀνάστασιν νεκρῶν, καὶ πάσας τὰς αἱρέσεις, τὰς μὴ ἐκ ταύτης ὀρθῆς πίστεως οὔσας.

(y) Concil. Constantin. (tom. II. concil. p. 953. a.) Καὶ εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, τὸ κύριον, τὸ ζωοποιὸν, τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον, καὶ σὺν πατρὶ καὶ υἱῷ συμπροσκυνούμενον κ. τ. λ. Credimus in spiritum sanctum, dominum, & viuificantem, *ex patre procedentem*, & cum patre & filio adorandum, cetera.

(z) Concil. Chalced. act. II. (tom. IV. concil. p. 341.) vbi eadem verba leguntur.

(a) Concil. Tolet. III. (tom. V. conc. p. 1001. c.) Credimus & in spiritum sanctum, dominum & viuificatorum, *ex patre & filio procedentem*.

## §. XVII.

*De vsu symboli* Nicæni *in antiquo ecclesiæ officio. Et quo tempore primum pars liturgiæ in sacro missæ officio esse cœperit.*

Qvod ad symboli *Nicæni* vsum attinet, certum est, eodem illud modo in ecclesia *Græca*, quo apostolicum & alia symbola in ecclesia *Latina*, adhibitum fuisse, primum quidem in baptismate; postea vero partem liturgiæ in sacro missæ officio esse cœpisse. Nonnulli quidem viri eruditi in ea sunt sententia, symbolum *Nicænum* in baptismi administratione numquam, sed solum symbolum apostolicum, per vniuersam ecclesiam fuisse adhibitum; at manifesto falluntur opinione. I. Quia non patet, symbolum apostolicum, quod est symbolum *Romanum*, vmquam in ecclesia *Græca*, etiam antequam *Nicænum* fieret, fuisse vsitatum: nam diuersa symbola sibi peculiaria & propria habebant, *Romano* quidem quod ad substantiam consentanea, verborum autem forma ab eo discrepantia, & hæc symbola in baptismatis administratione ab ecclesia *Græca* & Orientali adhibita fuere. II. Posteaquam symbolum *Nicænum* formatum fuit, planum est, istam formulam a multis ecclesiis Orientis, tamquam symbolum fidei in baptismo fuisse vsurpatam. Nam patres concilii *Constantinopolitani* sub *Menna*, an. DXXXVI. frequenter id vocant symbolum fidei, in quo ipsi baptizati sint [*b*] & baptizent. Atque ita in epistolis quoque synodalibus conciliorum *Tyrii* & *Hierosolymitani*, quæ in eiusdem concilii actis [*c*] recensentur, nuncupatur. Ita quoque in actis conciliorum generalium *Ephesini* [*d*]

(*b*) Concil. Constantinop. sub Menna act. V. tom. V. concil. p. 165. a. *τὸ ἅγιον σύμβολον τῆς πίστεως - - εἰς ὃ καὶ ἐβαπτίσθημεν καὶ βαπτίζομεν.* vid. eadem verba p. 173. It. p. 180. c. *σύμβολον τῶν τιη' ἁγίων πατέρων, εἰς ὃ βαπτιζόμεθα·* Symbolum trecentorum decem & octo sanctorum patrum, in quo baptizamur.

(*c*) Ibid. pag. 189. c. & p. 200. b.

(*d*) Concil. Ephes. act. VI. (tom. III. p. 689. a.) *ὥρισεν ἡ ἁγία σύνοδος, ἑτέραν πίστιν μηδενὶ ἐξεῖναι προσφέρειν, ἤγουν συγγράφειν, ἢ συντιθέναι παρὰ τὴν ὁρισθεῖσαν παρὰ τῶν ἁγίων πατέρων τῶν ἐν τῇ Νικαέων συνελθόντων σὺν ἁγίῳ πνεύματι· τοὺς δὲ τολμῶντας ἢ συντιθέναι πίστιν ἑτέραν, ἤγουν προκομίζειν, ἢ προσφέρειν τοῖς ἐθέλουσιν ἐπιστρέφειν εἰς ἐπίγνωσιν τῆς ἀληθείας, ἢ ἐξ ἑλληνισμοῦ, ἢ ἐξ ἰουδαισμοῦ, ἢ ἐξ αἱρέσεως οἱασδηποτοῦν· τούτους, εἰ μὲν εἶεν ἐπίσκοποι ἢ κληρικοὶ, ἀλλοτρίους εἶναι τοὺς ἐπισκόπους τῆς ἐπισκοπῆς, καὶ τοὺς κληρικοὺς τοῦ κλήρου· εἰ δὲ λαϊκοὶ εἶεν, ἀναθεματίζεσθαι·* Statuit sancta synodus, alteram fidem nemini licere proferre, aut conscribere, aut componere, præter definitam a sanctis patribus, qui in Nicæa

& *Chal-*

& *Chalcedonensis* [*e*], quorum in priore decretum factum, vt catechumeni fidem *Nicænam*, nec præter eam aliam quamcumque, docerentur. Idem obseruari potest in BASILISCI imperatoris epistola encyclica, EVAGRIO [*f*] memorata, qui de symbolo *Nicæno* loquens, symbolum vocat, in quod ipse & omnes maiores sui credentes baptizati sint. Et EPIPHANIVS [*g*] de duobus symbolis, quæ ipse recitat, obseruat, quod catechumenis ante baptismum inculcari soleant; quæ nihil aliud nisi ipsum symbolum *Nicænum* fuerunt, cum additamento illorum articulorum, quos ecclesia ad conficiendam perfectam fidei summam suppleuerat. Vt adeo nihil euidentius esse possit, quam quod symbolum *Nicænum* illa fidei formula fuerit, quæ in vniuersis ecclesiis Orientis in catechumenorum ad baptismum præparatione fuit vsurpata.

---

cum spiritu sancto congregati fuerunt. Qui vero ausi fuerint aut componere fidem alteram, aut proferre, vel offerre conuerti volentibus, siue ex gentilitate, siue ex iudaismo, siue ex qualicumque hæresi; hos quidem, si sunt episcopi aut clerici, alienos esse episcopos ab episcopatu, & clericos a clericatu decreuit: si vero laici fuerunt, anathemati subiici.

(*e*) Concil. Chalced. act. II. (tom. IV. p. 342. a.) αὕτη ἡ ἀληθινὴ πίστις· αὕτη ἡ ἁγία πίστις· αὕτη αἰωνία πίστις· εἰς ταύτην ἐβαπτίσθημεν· εἰς ταύτην βαπτίζομεν. Hæc vera fides: hæc sancta fides: hæc sempiterna fides: *in hac baptizati sumus: in hac baptizamus.*

(*f*) Euagr. lib. III. c. IV. θεσπίζομεν τὴν κρηπῖδα καὶ βεβαίωσιν τῆς ἀνθρωπίνης εὐζωΐας, τουτέστι τὸ σύμβολον τῶν τιη᾽ ἁγίων πατέρων τῶν ἐν Νικαίᾳ πάλαι μετὰ τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐκκλησιασθέντων, εἰς ὃ ἡμεῖς τε καὶ πάντες οἱ πρὸ ἡμῶν πιστεύσαντες ἐβαπτίσθημεν, μόνον πολιτεύεσθαι, καὶ κρατεῖν ἐν πάσαις ταῖς ἁγιωτάταις τοῦ θεοῦ ἐκκλησίαις τὸν ὀρθόδοξον λαόν. Sancimus, vt basis ac firmamentum felicitatis humanæ, symbolum videlicet trecentorum & octodecim sanctorum patrum, qui olim sancti spiritus instinctu Nicææ congregati sunt, *in quod cum nos, tum maiores nostri credentes baptizati sumus*, solum in cunctis sanctissimis Dei ecclesiis & orthodoxorum populorum conuentibus vsurpetur, atque obtineat.

Ibid. cap. VII. εἰς ἣν τὴν πίστιν, καὶ ἐβαπτίσθημεν καὶ πιστεύομεν.

(*g*) Epiphan. ancorat. num. CXX. tom. II. p. 122. b. c.) Μὴ διαλείπητε οἱ πιστοὶ καὶ ὀρθόδοξοι, ταύτην τὴν ἁγίαν πίστιν τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, ὡς παρέλαβεν ἡ ἁγία καὶ μόνη παρθένος τοῦ θεοῦ ἀπὸ τῶν ἁγίων ἀποστόλων τοῦ κυρίου φυλάττειν· καὶ οὕτως ἕκαστον τῶν κατηχουμένων τῶν μελλόντων τῷ ἁγίῳ λουτρῷ προσιέναι οὐ μόνον ἀπαγγέλλειν ὀφείλετε τὸ πιστεύειν τοῖς ἑαυτῶν υἱοῖς ἐν κυρίῳ ἀλλὰ καὶ διδάσκειν ῥητῶς, ὡς πάντων ἡ αὐτὴ μήτηρ ὑμῶν τε καὶ ἡμῶν, τὸ λέγειν πιστεύομεν εἰς ἕνα θεὸν κ. τ. λ. Pergite, o fideles & catholici viri, sanctam hanc ecclesiæ conser-

NON-

NONDVM autem hoc ſymbolum partem communis liturgiæ eccleſiæ fecerant, vt in quotidianis conuentibus recitaretur. AMBROSIVS [*h*] quidem de eo loquitur, tamquam in priuato Dei cultu vſitato, ſanctisque virginibus id ipſum in horis antelucanis aliisque commodis occaſionibus recitandum præſcribit. Et HABERTVS [*i*] id etiam ab epiſcopis in ipſorum ordinatione requiſitum fuiſſe exiſtimat; quod improbabile non eſt, quia fidei profeſſionem tunc facere debebant. Sed quidquid eius eſt, inde tamen pars quotidianæ liturgiæ eccleſiæ non efficitur. Concordans enim doctorum virorum, tum inter *Pontificios* tum *Proteſtantes*, eſt opinio, ſymbolum non ante ſæculum quintum medium in *Græca*, nec niſi aliquanto poſt in *Latina* eccleſia, per ſingulas ſynaxes fuiſſe recitatum. Ita VALESIVS [*k*], BONA cardinalis [*l*], SCHELSTRA-

vare fidem: quam ſacroſancta ac ſingularis Dei virgo ab apoſtolis domini ſibi creditam accepit: Idemque catechumenis omnibus, qui ad baptiſmum ſeſe comparant, inculcate diligenter. Neque filiis veſtris id præcipere duntaxat, vt credant, oportet: ſed & hanc illis formulam, quam communis noſtrum omnium parens amplectitur, expreſſe diſerteque proponere: Credimus in vnum Deum cetera vid. ſub litt (w) & (x) pag. 105. 106.

(*h*) Ambroſ. de virgin. lib. III. p. 115. (edit. Baſil. MDLXVII.) Symbolum quoque ſpecialiter debemus, tamquam noſtri ſignaculum cordis, antelucanis horis quotidie recenſere. Quod etiam, quum horremus aliquid, animo recurrendum eſt.

(*i*) Habert. archieratic. p. 499. Profeſſionem fidei ac ſymboli pronuntiationem non ſolum in baptiſmo, ſed etiam in aliis myſteriis; in *ordinatione* etiam, præſertim *pontificia* ſeu potius ad illam fieri, vt æquiſſimum, ſic ſolemnem ſemper in eccleſia Latina fuiſſe arbitror.

(*k*) Valeſ. not. in Theodor. Lector. lib. II. p. 566. Quum Petrus Fullo inſtituiſſe dicitur, vt in quauis ſynaxi ſymbolum recitaretur, de miſſarum ſolemnibus id intelligendum eſt: in quibus etiam nunc ſymbolum fidei recitatur. - - Sane ritus iſti, qui a Fullone primum inſtituti eſſe dicuntur, non illico ab omnibus eccleſiis vſurpati ſunt, ſed progreſſu temporis paullatim inoleuerunt.

(*l*) Bona rer. liturgic. lib. II. c. VIII. n. II. Quis omnium primus illud (Symbolum) liturgiæ inſeruerit, aut cantari præceperit, incertum eſt. Radulfus Tungrenſis *prop. 23.* a Marco papa Syluestri ſucceſſore ſancitum fuiſſe ait, vt ſymbolum Nicænum in miſſa diceretur. At Innocentius III. *lib. 2. de myſteriis miſſæ* c. XLIX. & alii paſſim ſcribunt S. Damaſum id recitari iuſſiſſe ad exemplum Græcorum. In hoc autem conueniunt omnes, quod publice cantari cœperit in eccleſiis orientalibus aduerſus prauas hæreticorum opiniones, a quibus poſtea ad occidentales laudabilis vſus transfuſus eſt.

TVS

TVS [m], PAGIVS [n], CHRISTIANVS LVPVS [o], LESTRANGIVS [p], VOSSIVS [q]. THEODORVS LECTOR [r], *Petrum Fullonem* episcopum *Antiochiæ* circa an. CCCCLXXI. primum dicit instituisse, vt *ἐν πάσῃ συνάξει in singulis collectis*, symbolum recitaretur. Et idem auctor [s] *Timotheum* episcopum ecclesiæ *Constantinopolitanæ* ann DXI. primum hanc consuetudinem in istam ecclesiam inuexisse adfirmat; idque in *Macedonii* antecessoris sui odium, quasi ille non susceperit id symbolum: quod antea semel tantum recitatum sit quotannis, die magnæ parasceues, siue dominicæ passionis, dum episcopus baptizandos catechizaret. Ex Orientis ecclesiis mos in Occidentem traductus est, primum quidem in *Hispaniam*

Verum Græcæ viuente Damaso hunc ritum nondum admiserant. Ait enim Theodorus lector lib. II. *collectaneorum*, Timotheum patriarcham anno DX. Constantinopoli instituisse, vt symbolum fidei per singulas synaxes diceretur, quum antea semel tantum in anno diceretur in magno die parasceues, quum episcopus catechumenos instruebat. Eamdem symboli recitationem in omni conuentu Petro Gnapheo tribuit Nicephorus Callistus *lib. XV. c. XXVIII.* Sed hic fortassis in Antiochena, ille in Constantinopolitana ecclesia hunc morem induxerunt; quem postea Hispani primi inter Latinos receperunt. cetera.

(*m*) Schelstrat. concil. Antiochen. c. VI. p. 210. Verissimum est, quod cardinalis Bona animaduertit, recitationem symboli post euangelium esse aliquid recentius liturgiæ additum, cetera.

(*n*) Pagi critic. in Baron. an. CCCXXV. n. XVIII. (al. XXV.) Ex iisdem rationibus aliæ ecclesiæ citius, aliæ serius cœperunt symbolum publice in missarum solemniis dicere aut cantare. E Latinis prima id æmulata est Hispaniarum ecclesia ex consilio Richaredis regis, nouellos suos Gothos in fide Romana firmare cupiens, vt legitur in tertia synodo Toletana; in qua statuitur: *Vt per omnes ecclesias Hispaniæ & Galliciæ secundum formam ecclesiarum orientalium concilii Constantinopolitani symbolum recitetur &c.* Imitatæ id postmodum sunt quædam sub Carolo magno Gallicanæ ecclesiæ, aliæ tamen, ac ipsa capella regia, imitari non sunt ausæ; ideoque a Leone III. pontifice veniam impetrarunt.

(*o*) Lup. scholia in concil. tom. I. c. IV. p. 13.

(*p*) L'Estrange's *Alliance of divine offices*, chap. 5. p. 79. chap. 6. p. 13.

(*q*) Voss. de symbolis §. XVII - XX. pag. 64. 65. 66.

(*r*) Theodor. lector. histor. lib. II. p. 566. *Πέτρον φησὶ τὸν κναφέα ἐπινοῆσαι - - ἐν πάσῃ συνάξει τὸ σύμβολον λέγεσθαι.*

(*s*) Theod. ibid. p. 563. *Τιμόθεος τὸ τῶν τριακοσίων δέκα καὶ ὀκτὼ πατέρων τῆς πίστεως σύμβολον, κατ᾽ ἑκάστην σύναξιν λέγεσθαι παρεσκεύασεν, ἐπὶ διαβολῇ δῆθεν Μακεδονίου, ὡς αὐτοῦ μὴ δεχομένου τὸ σύμβολον ἅπαξ τοῦ ἔτους λεγόμενον πρότερον ἐν τῇ ἁγίᾳ παρασκευῇ τοῦ θείου πάθους, τῷ καιρῷ τῶν γινομένων ὑπὸ τοῦ ἐπισκόπου κατηχήσεων.*

& *Galliciam*, rogatu *Reccaredi* regis per ſynodum *Toletanam* tertiam [*t*] circa ann. DLXXXIX, vbi hiſce eccleſiis ab hæreſis *Arianæ* inundatione recens reparatis, hæc praxis ad præmuniendum illas contra reditum ad priſtinos errores accommodatiſſimum quaſi antidotum eſſe videbatur. LVPVS & PAGIVS hanc conſuetudinem in eccleſias *Gallicanas* non niſi *Caroli magni* demum tempore inuectam eſſe, & *Leonem* papam eam, vtpote in eccleſia *Romana* non vſitatam, denuo omittendam ſuaſiſſe dicunt. Immo *Romanam* eccleſiam nec dum ſub *Ioanne* VIII. ann. DCCCLXX. ſymbolum cantaſſe, ſtatuunt. Tandem vero *Benedicti VIII.* ætate, an. MXIV, vti ex BERNONE AVGIENSI colligitur, hic mos in eccleſiam *Romanam* admiſſus fuit; ideo quidem, *ne* (vt LVPI verbis id exprimamus) *a ſubditis ſibi Hiſpaniarum & Galliarum eccleſiis morem deponere nolentibus diſſonaret.* Atque ita ſymboli *Nicæni* recitatio vniuerſe per omnes eccleſias inualuit.

## §. XVIII.

### *De ſymbolo* Athanaſiano.

RESTAT ſymbolum vnum, de quo heic non nihil dicendum nobis eſt, nimirum illud, quod ſymboli *Athanaſiani* nomine plerumque appellatur. BARONIVS [*u*] illud ab ATHANASIO, quum Romæ ageret fideique ſuæ confeſſionem offerret *Iulio* papæ, conſcriptum eſſe exiſtimat. Quæ circumſtantia quamquam non adeo veriſimilis eſt; quia *Iulius* fidem *Athanaſii* numquam vocauit in dubium: multi tamen viri docti in tantum BARONII amplexi ſunt ſententiam, vt illud ſymbolum ab ATHANASIO compoſitum eſſe credant; vti BONA cardinalis [*x*],

(*t*) Concil. Tolet. III. c. II. Petitione Reccaredi regis conſtituit ſynodus, vt per omnes eccleſias Hiſpaniæ & Galliciæ, ſecundum formam orientalium eccleſiarum, concilii Conſtantinopolitani ſymbolum fidei recitetur: & priusquam dominica dicatur oratio, voce clara populo prædicetur, cetera.

(*u*) Baron. ad ann. CCCXL. n. XI. Hic (Athanaſius) quum Romæ eſſet, illud quoque inſigne fidei ſuæ reliquis occidentalibus monumentum, nempe ſymbolum, quod hactenus Athanaſii nomine in eccleſia catholica publice recitatur.

(*x*) Bona de pſalmod. c. XVI. §. XVIII. (p. 527. edit. Antuerp. MDCCXXIII.) Hic (Athanaſius) teſte Baronio, quum eſſet Romæ anno quarto Iulii ſummi pontificis, ſymbolum ſcripſit, ſuæ fidei memorabile documentum, quod latino idiomate coram pontifice recitauit.

PETA-

PETAVIVS [*y*], BELLARMINVS [*z*] & RIVETVS [*a*] cum multis aliis vtriusque partis ſcriptoribus. SCVLTETVS rem in dubio relinquit. Verum enim vero optimi & recentiſſimi critici, qui rem examinauere ſtudioſius, non dubitant, quin *Latino* cuidam auctori, VIGILIO TAPSENSI, epiſcopo *Africano*, qui ſæculo quinto exeunte ſub perſecutione *Arianorum Vandalica* vixit, adſcribendum ſit. Eruditus VOSSIVS [*b*] & QVESNELLIVS [*c*] peculiares diſſertationes de hoc argumento ſcripſerunt. Argumenta eorum hæc ſunt. I. Quia fere abſit ab ATHANASII codicibus manuſcriptis. II. Quia ſtilus & ſermonis contextus nequaquam *Græcum* aliquem auctorem ſed *Latinum* prodat. III. Quia neque CYRILLVS ALEXANDRINVS, neque concilium *Epheſinum*, neque *Leo* papa, neque concilium *Chalcedonenſe* vllam eius mentionem in iis omnibus fecerint, quæ contra *Neſtorianam* & *Eutychianam* hæreſin loquuntur. IV. Quia hic VIGILIVS TAPSENSIS diuerſa alia ſcripta ſua ſub fictitio ATHANASII nomine edidiſſe cognitus ſit, quibus hoc ſymbolum plerumque iunctum inueniatur. Quibus rationibus PEARSONIVS [*d*], VSSERIVS [*e*], HAMMONDVS,

(*y*) Petau. not. in Epiphan. hæreſ. LXXII. Quin etiam Athanaſii ſymbolum, quum ſit quædam fidei expoſitio ab eo edita, qui τὸ ὁμοούσιον acerrime propugnaret, eiusdem vocabuli mentionem omiſit.

(*z*) Bellarmin. de ſcriptor. eccleſ. p. 81. ( p. 62. edit. Colon. M DC LXXXIV. ) Præter libros, qui in his quatuor tomis continentur, exſtat ſeorſim vita ſancti Antonii, & *ſymbolum*, quod incipit; *Quicumque vult ſaluus eſſe*; quæ ſancti Athanaſii opera eſſe vera & germana, non dubitamus.

(*a*) Riuet. critic. ſacr. lib. III. c. IV. p. 240. edit. Geneu. MDCXXVI. 8uo. ( tom. II. opp. p. 1103. a. edit. Roterodam. MDLII. fol. ) Symbolum *Quicumque vult ſaluus eſſe*, in multis codicibus MSS. non repertum eſt inter Athanaſii opera: in vno legitur; ſed auctoris nomine ſuppreſſo. Inuenitur in fragmentis Hilarii hiſtoricis. Eſt tamen orthodoxum, & in eccleſia magnæ auctoritatis. *Athanaſii eſſe, mihi perſuaſum eſt.*

(*b*) Voſſ. de ſymb. diſſertat. II. p. 37 -- 57.

(*c*) Queſnell. diſſertat. de variis fidei ſymbolis in antiquo codice Romano.

(*d*) Pearſon. in ſymbol. artic. VIII. p. 569. edit. Latin. Ex quibus aliisque ſimilibus teſtimoniis patrum Latinorum ſatis coniicere licet, vtra in eccleſia ſymbolum illud Athanaſio vulgo adſcriptum primitus fabricatum ſit. Vt enim in confeſſo eſt, illud primum latina lingua ſcriptum fuiſſe, ſic valde probabile eſt, illud compoſitum fuiſſe a quodam latinæ eccleſiæ membro propter eum loquendi modum, qui in eo habetur. *Spiritus S. a patre & filio non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens.*

(*e*) Vſſer. de ſymb. Rom. p. I. in præfatione ad Voſſium: Ad ea, quæ de Atha-

L' ESTRANGIVS [*f*], CAVEVS [*g*], SCHELSTRATVS [*h*] PAGIVS [*i*] & DV PINIVS optimæ notæ critici, eo perducti sunt,

nasiano symbolo erudite (vt soles) commentatus es, nihil quod adiiciam habeo, cetera.

(*f*) L' Estrange's *Alliance of divine offices*, chap. 4. p. 99.

(*g*) Cau. histor. litt. vol. I. p. 146. edit. Lond. (p. 104. edit. Gen. MDCXCIII.) Symbolum Athanasii genuinum Athanasii opus non esse satis, indicat, quod nec ipse Athanasius, nec sequentium sæculorum scriptor aliquis ante Theodulphum Aurelianensem libro *de spiritu S.* p. 72. eius meminerit, nec in ecclesiis ante annum millesimum obtinuerit, neque vbique inclarescere cœperit, donec a Gregorii IX. legatis circa an. MCCXXXIII. in disputatione Constantinopoli habita sub Athanasii nomine testimonii loco prolatum fuerit.

(*h*) Schelstrat. concil. Antioch. dissert. III. c. II. p. 109. Huc vsque Petauius de quatuor fidei professionibus, quorum vltima symbolum Athanasii vulgo dicitur, quod licet ab aliquibus recentiori auctori vindicandum credatur, & a Vigilio Tapsensi alioue latino Patre editum, negari tamen non potest, quin fidei confessio Vrsacii & Valentis edita fuerit paucis post concilium Antiochenum annis, cetera.

(*i*) Pagi Critic. in Baron. an. CCCXL. n. VI. Ioann. Vossius lib. de tribus symbolis dissert. II. Quesnellus dissert. de variis fidei libellis in antiquo Romanæ ecclesiæ codice contentis, Vserius aliique tam ex protestantibus, quam catholicis symbolum, quod vulgo dicitur *S. Athanasii* & quod incipit, *Quicumque vult saluus esse*, sancto Athanasio abiudicant, quia in antiquis & probatæ fidei codicibus MSS. pene omnibus operum S. Athanasii hoc symbolum desideratur, & quia stilus, sermonisque contextus nequaquam Græci hominis est, sed Latini. Quod si D. Athanasius Latine scripsisset, vix fieri potuisset, vt ipsi Græcismus aliquis non excideret, quum non nisi imperfecte linguam latinam scire potuerit. Præterea, si symbolum illud Athanasii fuisset, illud laudasset Cyrillus Alexandrinus, Ephesina synodus, S. Leo, & concilium Chalcedonense, dum contra Nestorianam & Eutychianam hæresin loquuntur. His adde Latinorum contra Græcos silentium post schisma Photianum vsque ad Gregorii IX. tempora de processione spiritus sancti disputantium. Si enim tunc pro certo creditum fuisset, istud symbolum esse Athanasii, illo vsi fuissent contra Græcos schismaticos occidentales: quod non leue pondus habuisset ob summam S. Athanasii in vtraque ecclesia auctoritatem. Et tamen primi, quos hoc argumentum adhibuisse legimus, sunt apocrisarii Gregorii IX. postquam hæc controuersia durasset annis prope quingentis. Denique scriptores omnes ante Augustodunensem in Gallia synodum sub S. Leodegario episcopo habitam anno DCLXX. de hoc symbolo Athanasiano silent. In eo vero concilio hic canon legitur: *Si quis presbyter*, &c. vid. sub litt. (*k*).

Du Pin. vol. II. p. 35. edit. Lond. MDCXCII. fol. (p. 71. edit. Colon. MDCXCII. 4to) Symbolum, quod Athanasii nomen præfert, diu sine controuersia germanum Athanasii opus creditum est. Iam tamen inter omnes conuenit,

VT

vt hoc ſymbolum non ab ATHANASIO, ſed a recentiore quodam ſcriptore *Latino* fabricatum eſſe ſtatuant. CAVEVS primum, qui ſub ATHANASII nomine eius mentionem fecerit, THEODVLPHVM *Aurelianenſem* fuiſſe putat, qui circa ann. DCCXCIV, *Carolo Magno* imperante, vixit: ſed in hac opinione fallitur; nam concilium *Auguſtodunenſe* centum fere annis ante, nimirum an. DCLXX. habitum, non tantum ſub hac appellatione eius mentionem facit, ſed ſingulos etiam presbyteros, diaconos, ſubdiaconos, & clericos illud vna cum ſymbolo apoſtolico [*k*] recenſere, aut ab epiſcopo pœna neglectionis adfici iubet. Id quod tunc temporis pro genuino ATHANASII opere habitum, & iam aliquanto prius in eccleſiam receptum fuiſſe indicat. Sed quiscumque auctor eius fuerit, nulli tamen, præter poſteriorum temporum *Samoſatenianos* & *Arianos*, orthodoxum id eſſe dubitarunt. Tantummodo, quod VSSERIO aliisque obſeruatum eſt, præſentes *Græci* eo vtuntur nonnullis additamentis aucto & aliquantum mutato. Nam quum in exemplaribus *Latinis* ſpiritus ſanctus a patre filioque procedere dicatur; *Græci* tamen hodie legunt a patre, vel a patre ſolo; quemadmodum in ſua huius ſymboli expoſitione animaduertit PARAEVS [*l*]. Et in exemplo *Græco* ex Oriente recens adlato & ab VSSERIO in vulgus edito, longa habetur interpretatio ad modum additamenti & explicationis horum verborum, *Homo eſt ex ſubſtantia matris, perfectus Deus & perfectus homo, ex anima rationali & humana carne ſubſiſtens:* cum aliis quibusdam leuioris notæ additamentis, quæ lector huius rei ſtudioſus in modo memorato eruditi iſtius auctoris libello [*m*] inuenire poteſt adnotata.

illud eius non eſſe, ſed cuiusdam auctoris, qui diu poſt illum vixit. Quis is eſſe poſſit, non liquet: Nonnulli id cuidam Franciſco tribuunt; alii, vt pater Quesnellius, contendunt, illud eſſe Vigilii Thapſitani, qui ſub finem quinti eccleſiæ ſeculi viuebat. Quidquid ſit, certum eſt, illud compoſitum fuiſſe a tempore concilii Chalcedonenſis, quia adeo expreſſe reiicit Neſtorianorum & Eutychianorum errores, vt clare pateat, contra duas haſce hæreſes illud confectum fuiſſe.

(*k*) Concil. Auguſtodun. can. vlt. (tom. VI. concil. p. 136.) Si quis presbyter, diaconus, ſubdiaconus, vel clericus, ſymbolum, quod inſpirante ſancto ſpiritu apoſtoli tradiderunt, vel fidem ſancti Athanaſii præſulis irreprehenſibiliter non recenſuerit, ab epiſcopo condemnetur.

(*l*) Paræus not. in ſymbol. Athan. ad calcem Vrſin. catech. p. 124.

(*m*) Vſſer. de ſymbolis p. 28. 29.

Symbolis omnibus hactenus recitatis, non abs re fore existimo, breuem istam narrationem subiungere, quam de primo sermone, ad *Agbarum* regem *Edessæ* ipsiusque populum a *Thaddæo* facto, habet EVSEBIVS, & quem amicus noster LOWTHVS, vir doctus & singulari pollens iudicio, mihi commonstrauit, cuius iucundissimæ consuetudini multas alias curiosas obseruationes, per antiquitatum ecclesiasticarum monumenta hic illic disiectas, me debere fateor. Non quidem proprie dictum symbolum est, sed primi eius sermonis, vel institutionis catecheticæ summam duntaxat & argumentum exhibet, videlicet „de aduentu IEsu Christi, cuiusmodi fuerit, & de eiusdem „legatione, cuius rei caussa a patre missus sit: de potentia il„lius, & de arcanis, quæ inter homines loquutus est, & qua „vi ac virtute tot miracula patrarit: de noua eiusdem prædi„catione: de vilitate & abiectione exterioris eius humanitatis: „quo pacto semetipse depresserit mortemque subierit, & diui„nitatem suam ipse minuerit [n], quod & quanta a *Iudæis* per„pessus, qualiter crucifixus sit, & ad inferos descenderit, clau„strumque ab omni æuo intactum disruperit: quo pacto resur„rexerit, & mortuos, qui multis retro sæculis sepulti iacebant, „secum vna suscitauerit: vtque solus quidem e cælo descende„rit, adscenderit vero ad patrem cum maximo comitatu, & ad „eius dexteram honorifice sedeat in cælo: postremo quo pacto „iterum venturus sit cum gloria, vt de viuis ac mortuis iudici„um ferat„. Duo in hac antiqua primorum elementorum doctrinæ christianæ recensione quam maxime notari merentur, nempe *seruatoris* nostri *diuinitas* & *descensus ad inferos;* quorum vtrumque verbis heic expressum legitur, quam ob caussam inter

(*n*) Euseb. lib. I. c. XIII. *σπερῶ ἐν αὐτοῖς τὸν λόγον τῆς ζωῆς, περί τε τῆς ἐλεύσεως τοῦ Ἰησοῦ, καθὼς ἐγένετο, καὶ περὶ τῆς ἀποστολῆς αὐτοῦ, καὶ ἕνεκα τίνος ἀπεστάλη ὑπὸ τοῦ πατρός· καὶ περὶ τῆς δυνάμεως τῶν ἔργων αὐτοῦ, καὶ μυστηρίων, ὧν ἐλάλησεν ἐν τῷ κόσμῳ· καὶ ποίᾳ δυνάμει ταῦτα ἐποίει· καὶ περὶ τῆς καινῆς αὐτοῦ κηρύξεως· καὶ περὶ τῆς σμικρότητος καὶ εὐτελείας, καὶ περὶ τῆς ταπεινώσεως τοῦ φαινομένου ἔξωθεν ἀνθρώπου· καὶ πῶς ἐταπείνωσεν ἑαυτὸν καὶ ἀπέθανε, ἐσμίκρυνεν αὐτοῦ τὴν θεότητα· ὅσα τε ὑπὸ ἰουδαίων ἔπαθεν, καὶ πῶς ἐσταυρώθη, καὶ κατέβη εἰς τὸν ᾅδην, καὶ διέσχισε φραγμὸν τὸν ἐξ αἰῶνος μὴ σχισθέντα, καὶ ἀνέστη, καὶ συνήγειρε νεκροὺς τοὺς ἀπ' αἰώνων κεκοιμημένους· καὶ πῶς κατέβη μόνος, ἀνέβη δὲ μετὰ πολλοῦ ὄχλου πρὸς τὸν πατέρα αὐτοῦ· καὶ πῶς κάθηται ἐν δεξιᾷ τοῦ θεοῦ πατρὸς μετὰ δόξης ἐν τοῖς οὐρανοῖς· καὶ πῶς ἐλεύσεσθαι μέλλει πάλιν μετὰ δόξης καὶ δυνάμεως κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς.*

symbo-

ſymbola eccleſiæ locum ei adſignare volui. EVSEBIVS hanc narrationem ex publicis eccleſiæ *Edeſſenæ* actis, lingua *Syrorum* conſcriptis, ſe habere dicit, quorum actorum huiusmodi fuerit ſubſcriptio: *Acta ſunt hæc anno quadrageſimo ac trecenteſimo*: qui annus (ſecundum *Edeſſenos*, annos ſuos ab Olympiadis CXVII. anno primo, quo *Seleucus* regnare orſus eſt in *Aſia*, numerantes) in annum XV. *Tiberii Cæſaris* cadit, quo paſſio & adſcenſio Chriſti ex plerorumque veterum ſententia contigit: vti VALESIVS [*o*] & poſt eum PAGIVS [*p*] in ſuis in hunc EVSEBII locum obſeruationibus recte computarunt.

# *LIBRI DECIMI*

## *CAPVT QVINTVM*

## DE ORIGINE, NATVRA ET CAVSSIS RETICENTIAE SANCTORVM ELLESIAE MYSTERIORVM CORAM CATECHVMENIS.

### §. I.

### Romanenſium *errores & vanæ perſuaſiones hac de re.*

VANAE *Romanenſium* perſuaſiones de huius partis diſciplinæ eccleſiaſticæ origine & cauſſis hanc diſquiſitionem inſtituendi nobis imponunt neceſſitatem. BELLARMINVS & alii id tamquam validiſſimum argumentum ſpeciatim pro transſubſtantiatione vrgent, quaſi myſterium euchariſtiæ haud initiatis celandi conſuetudo indicio ſit, quod eccleſia vetus realem corporis ac ſanguinis Chriſti præſentiam crediderit, quam tanto ſtu-

(*o*) Valeſ. in Euſeb. lib. I. c. XIII. Ait Euſebius actorum illorum, quæ in archivis Edeſſæ repererit, huiusmodi fuiſſe ſubſcriptionem: *ἐπράχθη ταῦτα τεσσαρακοστῷ καὶ τριακοσιοστῷ ἔτει.* Id eſt: *Acta ſunt hac anno quadrageſimo ac trecenteſimo.* Annus hic trecenteſimus & quadrageſimus iuxta Edeſſenos, cadit in annum primum Olympiadis CCII. Etenim Edeſſeni annos ſuos numerabant ab Olympiadis CXVII. anno primo, quo Seleucus regnare orſus eſt in Aſia, vt ſcribit Euſebius in Chronico, a quo tempore vſque ad initium Olympiadis ſecundæ ac ducenteſimæ anni ſunt trecenti ac quadraginta. Porro initium Olympiadis CCII. incidit in annum XV. Tiberii Cæſaris, qui duobus Geminis coſſ. eſt inſignitus. Quo quidem anno & paſſionem & adſcenſionem domini contigiſſe, plerique veterum crediderunt. Inter quos eſt Tertullianus, Auguſtinus atque Victorius.

(*p*) Pagi critic. in Baron. an. XLI. n. III. tot.

dio

dio catechumenorum notitiæ occultare adlaborauerit. Sed hoc abunde ab ALBASPINAEO, doctissimo eiusdem partis episcopo, profligatum est, qui in libro suo de *antiqua ecclesiæ politia in administratione eucharistiæ*, lingua *Gallicana* edito [*a*], vti ab aliis [*b*] eum adlegatum reperio, hoc reiicit tamquam argumentum ad *Romanensium* doctrinam de reali præsentia probandam minus idoneum. Nam recte obseruat, veteres ecclesiæ patres non tantum mysterium eucharistiæ, sed sacramentum etiam baptismi cathechumenis occultasse; immo plerosque sacros ritus & cærimonias, sacramenti appellatione lato sensu cohonestatas, vt oleum, ex quo baptizati vngebantur, & sacerdotum ordinationem, non minori studio quam eucharistiæ elementa haud initiatis celari consueuisse. Vt adeo nuda huius mysterii catechumenis occultatio haud maius argumentum pro transsubstantiatione in pane & vino eucharistiæ esse possit, quam in aquis baptismi, vel vlla alia cærimonia, vbi idem silentium & cautionem adhibuerunt.

ERVDITVS SCHELSTRATVS ad nouas doctrinas & consuetudines ecclesiæ suæ dissimulandas atque excusandas ingeniosius generaliorem huius vetustæ praxis vsum fecit. Librum edidit, quem de *disciplina arcani* inscripsit, librum a PAGIO [*c*]

(*a*) Albaspin. Police de l'ancienne Eglise, lib. I. c. II. p. 47. (p. 198. c. ad calcem Optati Par. MDCLXXIX.) Tout le monde allegue cette discipline pour preuve du corps de nostre Seigneur, & pour confondre nos adversaires: mais jamais ils n' ont pris garde que ces anciens Peres de l'Eglise apportoient beaucoup de soin & de diligence à cacher les autres Sacraments aux Catechumenes & aux Estrangers; voir mesme que leur crainte & leur Religion alloit jusques là, que de leur refuser non seulement intelligence, mais aussi la seule prononciation de l'Oraison Dominicale & du Symbole des Apostres. Quant aux ceremonies de l'Eglise, de quelque qualité qu'elles fussent, toute connoissance leur en estoit interdite; comme aussi des Oraisons qu'ils faisoient pour quelque chose que ce pût estre. Et encore cette police passoit plus outre: car les Catechumenes ne voyoient jamais les exorcismes, ny les impositions des mains qu'on faisoit sur les Penitens du troisieme degré: & toutefois ils estoient Estrangers comme les Catechumenes, & ces exorcismes n'estoient pas choses ausquelles il y eut quelque secret ou quelque Mystere qui pût tomber dans le mepris apres avoir esté découvert. Plura huc spectantia vide sis ibid. & pag. 199. 200. 201.

(*b*) Albertin. de eucharist. lib. II. p. 703.

(*c*) Pagi critic. in Baron. an. CXVIII. n. IV. Aliquot sæculis *disciplinam arcani*

aliisque partis suæ scriptoribus magnopere laudatum, tamquam ora *protestantibus* obturantem, quando ex *Romanensibus* quærunt, cur nulla recentiorum doctrinarum & consuetudinum ipsorum vestigia in vetustioribus ecclesiæ patribus reperiantur, vbi responsio semper fit ex hac *disciplina arcani*, ideo videlicet, quod istæ doctrinæ & ritus occultati & sola traditione, non scriptis, propagati sint, ne haud initiati *Iudæi* & gentiles & catechumeni in eorum peruenirent notitiam. Hanc *disciplinam arcani* in caussa fuisse dicit, quod primis ecclesiæ sæculis nulli tractatus de septem sacramentis & sanctorum imaginum cultu scripti sint. Hæc omnia inde ab apostolorum ætate reuera credita & vsitata, sed tamquam arcana religionis mysteria clam habita fuisse, non nisi initiatis & ad ea cognoscenda præparatis reuelanda.

ARTIFICIVM hoc est, quo errores & abusus, quibuscumque ecclesia aliqua scateat, defendi poterunt. Hoc nouo & admirabili instrumento, quod *disciplinam arcani* vocitant, paullulum modo quis operetur, necesse est, sic omnis dissimilitudo & repugnantia, quæ inter antiquas ecclesiæ catholicæ doctrinas consuetudinesque, & nouellas præsentis ecclesiæ *Romanæ* corruptiones apparet, illico euanescet & in ventos abibit. Vnde non est, quod mireris, ab illis, quorum commodis tantopere hoc inseruit, vt nobile aliquod inuentum tantis laudibus efferri, quum tamen reuera non nisi caligo sit, lectoris oculis offusa, quæ facile dispelli poterit, si de huius antiquæ disciplinæ & praxeos origine, natura, vsu & caussis ex vero ipsum erudiamus.

## §. II.

### *Hæc disciplina primis ecclesiæ temporibus non stricte obseruata.*

QVOD ad originem eius attinet, eruditus ALBASPINAEVS recte obseruauit, quod apostolorum ætate & aliquanto post in hac mysteria sua catechumenis celandi disciplina non adeo severi fuerint. Nam contra *constitutionum* sic dictarum *apostolica-*

---

seu occultationem quorumdam mysteriorum religionis catholicæ viguisse, & ex ea disciplina complures patrum sententias, quas protestantes contra catholicos adducunt, exponi posse *docte demonstrat Schelstratus, in dissertatione singulari de disciplina arcani.* Ibid. n. IX. Quæ omnia ex *Schelstratio* in *egregia dissertatione* de disciplina arcani excerpta sunt.

*rum* antiquitatem ita argumentatur [*d*]: *Postrema verba, quibus cauetur, ne octo libri constitutionum apostolicarum publicentur, aperte indicant, eas primis sæculis factas non esse, quum primi sæculi christiani sua lubentes mysteria, vt vel ex IVSTINO constat, enuntiarent.* Idem ex ATHENAGORA & TATIANO obseruauit ALBERTINVS [*e*]. DALLAEVS [*f*] in sententiam pedibus it ALBASPINAEI, eius-

(*d*) Albaspin. obseruat. lib. I. c. XIII. p. 38. Paris. MDCXXXI. fol. (p. 89. ed. Par. MDCXXIII. 4to.)

(*e*) Albertin. de eucharist. lib. II. p. 700. Incertissimum est, vtrum Iustini temporibus iam de more fuisset, sacramentalia signa haud initiatis occultare. Nec enim, vel ipse, vel *Tatianus* eius discipulus, vel *Athenagoras*, vel Theophilus, vel Irenæus, huiusce occultationis vllibi, quod equidem sciam, meminerunt.

(*f*) Dall. de scriptis Ignatii lib. I. c. XXII. p. 142. Nullæ vsquam in horum sæcuculorum, ac ne in tertii quidem veris certisque auctoribus, quum verba de sacramentis faciunt, huiusmodi reperiuntur aposiopeses, siue reticentiæ; quod ego quidem meminerim. Hi & baptismi aquam, & lotionem, & oleum, postquam in vsu esse cœpit, & vnctionem, & eucharistiæ panem, ac vinum, esum & potum liberrime, quoties fert occasio, sine vllis ambagibus efferunt, neque quicquam auditoribus vel lectoribus suis de iis rebus diuinandum relinquunt; vt ex Iustini in apologia locis videre est, in quibus vtrumque sacramentum totum apud homines non modo non initiatos, sed etiam profanos & gentiles, Augustos scilicet & senatores Romanos planissime exposuit. Neque Tertullianus aliter baptismum in libro, qui totus huius tituli est, explicauit; nullo dissimulato, aut obscuris vocibus adumbrato huius sacramenti ritu. Sed neque vel in Irenæo, Clemente Alexandrino, Origene, aliisque Græcis, vel in Cypriano, & Latinis anno domini CCLX. anterioribus vllum vspiam deprehenditur illius arcani vestigium. Vnde certo ac necessario concludimus, totam hanc illius arcani, quarto adulto, & toto quinto sæculo solennem & notissimam disciplinam primis & apostolorum proximis sæculis nondum apud nostros fuisse cognitam; quam scilicet, si iam tum obtinuisset, plane est incredibile vel violaturos fuisse Iustinum & Tertullianum, homines religiosissimos, vel ceteros eorumdem temporum scriptores, qui satis multi sunt, penitus tacituros, indictamque prætermissuros fuisse. Albaspinæus Aurelianensis non ita pridem episcopus, antiquitatis ecclesiasticæ solertissimus indagator, assentitur, scribens *primi sæculi christianos sua lubentes mysteria*, vt vel ex Iustino constat, *enuntiasse.* Atque hinc ille probat constitutiones, quæ vulgo dicuntur *apostolicæ*, *primis sæculis factas non esse*, quia scilicet *postremis harum verbis cautum est, ne octo earum libri publicentur.* Ergo, inquam, qui hoc sacramentorum arcanum tam diligenter, & aliis præcipit & ipse seruat hierarchiæ scriptor, non modo non Areopagitici, id est apostolici, sed ne tertii quidem sæculi homo fuit; vel hoc vno indicio satis prodit, se vel quarto exeunte, vel quinto sæculo vixisse; quo maxime illa viguit sacramentalis arcani religio,

que

que testimonium cum approbatione adlegat. Et BASNAGIVS [g] tantum abest, vt apostolos mysteria sua cathechumenis celasse existimet, vt potius sacramenta in illorum conspectu eos administrasse statuat. Quo posito tota fabrica, qua *disciplinam arcani* superstruxit SCHELSTRATVS, vno motu labefactata penitus concidit. Certum enim est, apostolos non ita metuisse vel cauisse, ne catechumeni in christianorum rituum & doctrinarum notitiam peruenirent, vti quidem fecisse falso dicuntur. Et certe quisquis apostolorum scripta obiter tantum inspexerit, facile videbit, ipsos a celanda sua opinione de angelorum, sanctorum & imaginum cultu longissime abfuisse: quem contra expresse scripserunt. Et si de mysteriis baptismi & eucharistia loquuntur, magna cum sermonis libertate id faciunt, nihil metuentes, ne catechumenorum animi offendantur.

## §. III.

*Sed circa* Tertulliani *aetatem ex aliis omnino caussis, quam quas* Romanenses *adferunt, introducta.*

IMMO vero, quando etiam hæc disciplina in ecclesiam primum introducta fuit, planum est & euidens, ex aliis plane caussis, quam quas *Romanenses* adferunt, id factum esse. Prima initia sua hic mos cepisse videtur circa tempora TERTVLLIANI; nam primus ille omnium scriptor est, qui vllam eius mentionem facit [h]. *Omnibus mysteriis*, inquit, *silentii fides adhibetur.* Et hæreticos sui temporis reprehendit, quod nullam huius disciplinæ rationem habeant. *Quis catechumenus*, inquit [i], *quis fidelis, incertum est: Pariter audiunt, pariter orant. Etiam ethnici si superuenerint, sanctum canibus & porcis margaritas, licet non veras, iactabunt.* Hinc planum est, ecclesiam inter catechumenos & fideles iam discrimen aliquod fecisse, quod hæretici non fecerint: Locum catechumenorum iam separatam ecclesiæ partem fuisse; audisse eos sermones, sed non omnes, quos fidelibus audire licuerit; habuisse eos precationes sibi proprias, sed ad fidelium precationes audiendas non fuisse admissos, quippe quæ celebrationi

(g) Basnag. Exercitat. in Baron. p. 419. Alta de mysteriis silentia non agebant apostoli, nec catechumenos arcebant a sacramentorum conspectu.

(h) Tertullian. apologetic. c. VII.

(i) Tertullian. de præscript. aduers. hæretic. c. XLI.

euchariſtiæ, a qua catechumeni excludebantur, peculiares eſſent. Sed hæc omnia facta ſunt & fieri potuerunt ſine vllo, ad recentiores arcani inuentores hinc redundante, emolumento. Nam in hiſce omnibus nullum conſilium celandi catechumenis iſtiusmodi myſteria, cuiusmodi cultus ſanctorum, angelorum & imaginum eſſe perhibetur, obſeruamus. Quid? quod TERTVLLIANVS de huiusmodi cultibus aperte loquatur, eosque tamquam ſuperſtitioſos indignabundus damnet, vtpote qui ad gentiles tantum vel hæreticos, non ad eccleſiæ myſteria, ſpectent.

§. IV.

*Quod probatur e particulari earum rerum recenſione, quas catechumenis celarunt. Quæ erant:* Primo, *Modus adminiſtrandi baptiſmum.*

NEQVE vero ſequentibus temporibus ſcriptor quispiam, huius diſciplinæ faciens mentionem, ex illis omnibus, qui, quæ a catechumenorum notitia vel inſpectione remota fuerint, particulatim recenſent, cultum ſanctorum vel imaginum in myſteriorum catechumenis celatorum cenſu fuiſſe, vel vno verbo ſignificat. Myſteria vero, quæ ſtudioſe quodammodo illis occultabantur, erant. 1. Modus adminiſtrandi baptiſmum. 2. Vnctio ſeu chriſma. 3. Ordinatio ſacerdotum 4. Liturgia, ſiue publicæ precationes eccleſiæ. 5. Modus celebrandi euchariſtiam. Et 6. ad certum tempus myſterium ſacroſanctæ trinitatis, ſymbolum & oratio dominica, donec maiores profectus feciſſent & ad baptiſmum recipiendum eſſent idonei. Primo, de occultando catechumenis modo adminiſtrandi baptiſmum ſollicitos eos fuiſſe, inde apparet, quod catechumenis ne quidem intrare [k], vel inſpicere baptiſterium, ſiue locum, vbi baptiſmus adminiſtrabatur, ſecundum regulam concilii *Arauſicani* primi, permiſſum fuit. Hinc BASILIVS [l] baptiſmum, euchariſtiam, & oleum chriſmatis res eſſe dicit, quas non intueri fas ſit haud initiatis. Et AVGVSTINVS [m] interrogans: *Quid eſt, quod occultum eſt & non publicum in eccleſia?* reſpondet, *ſacramentum baptiſmi,*

(k) Concil. Arauſican. I. can. XIX. (tom. III. concil. p. 1450.) Ad baptiſterium catechumeni numquam admittendi.

(l) Baſil. de Spirit. S. c. XXVII. tom. II. p. 352. ἃ οὐδὲ ἐποπτεύειν ἔξεστι τοῖς ἀμυήτοις.

(m) Auguſtin. comment. in pſalm. CIII. concio I. tom. VIII. p. 434. (tom. VIII. p. 1151. edit. Baſil. MDLXIX.)

ſacra-

*ſacramentum euchariſtiæ. Opera noſtra bona vident & pagani, ſacramenta vero occultantur illis.* Quemadmodum vero catechumenos ad intuendam baptiſmi adminiſtrationem non admittebant, ita apud illos de baptiſmo non plane & perſpicue, ſed tecte & occulte loquebantur, vel eos tamquam auditores minus aptos & idoneos prorſus excludebant. *De myſteriis*, inquit CYRILLVS HIEROSOLIMYTANVS [n], *apud catechumenos aperte non loquimur, ſed multa ſæpe loquimur obtecte, vt fideles, qui rem tenent, intelligant, & qui non tenent, haud lædantur.* Ita THEODORETVS [o]: *Obſcure propter non initiatos de diuinis myſteriis diſſerimus, his vero ſemotis perſpicue initiatos docemus.* Similiter NAZIANZENVS [p] loquens de baptiſmo, *Habes*, inquit, *de myſterio, quæ foras exportare, atque ad vulgi aures efferre licet. Cetera intus, trinitate iuvante, addiſces, quæ etiam ipſa, apud te ipſum occultabis baptiſmo retenta.* Et CHRYSOSTOMVS loquens de diacono quodam, eos, qui baptiſmum licet nondum inſtructi acceperant, docere auſo, *Ad eos*, inquit, [q] *diſſerebat, nihil autem quam quæ ad myſteria pertinebant, eos docebat, nec haud initiatos intereſſe permittebat.* Et THEODORETVS: *Hæc nos de ſancto baptiſmate ſentire docuit divinus apoſtolus, quod conſepultis Chriſto reſurrectionis participes erimus* [r]. *Verum heic magis myſtico ſermone opus eſt.* Et CYRILLVS ALEXANDRINVS [s]: *Ne ad haud initiatorum aures arcana deferens offendam Chriſtum - - relinquam ea, quæ ſunt altioris intelligentiæ.* Denique auctor ſub nomine DIONYSII AREOPAGI-

(n) Cyrill. catech. VI. n. XVI. ὐδὲ τῶν μυστηρίων ἐπὶ κατηχυμένων λευκῶς λαλῦμεν, ἀλλὰ πολλὰ πολλάκις λέγομεν ἐπικεκαλυμμένως, ἵνα οἱ εἰδότες πιστοὶ νοήσωσι, καὶ οἱ μὴ εἰδότες μὴ βλαβῶσι

(o) Theodoret. quæſt. XV. in Numer. tom. I. p. 149. ἀσήμως διὰ τὺς ἀμυήτυς περὶ τῶν θείων διαλεγόμεθα μυστηρίων, τύτων δὲ χωριζομένων σαφῶς τὺς μεμυημένυς διδάσκομεν

(p) Nazianz. orat. XI. de bapt. (tom. I. p. 672.) ἔχεις τῦ μυστηρίυ τὰ ἐκφορα, καὶ ταῖς τῶν πολλῶν ἀκοαῖς ὐκ ἀπόρρητα· τὰ δὲ ἄλλα εἴσω μαθήσῃ, τῆς τριάδος χαριζομένης, ἃ καὶ κρύψεις παρὰ σεαυτῷ σφραγίδι κρατύμενα.

(q) Chryſoſtom. hom. XLVI. in acta (p. 868. edit. Seuil.) ἄλλο μὲν ὐδὲν, τὰ δὲ τῶν μυστηρίων μόνον, ὡς μηδὲ τοῖς ἀμυήτοις συγχωρεῖν παρεῖναι.

(r) Theodoret. hæret. fabul. lib. V. c. XVIII. ἀλλὰ μυστικωτέρων δεῖ λόγων ἐνταῦθα.

(s) Cyrill. Alexandr. adu. Iulian. lib. VII. (tom. VI. p. 247. Par. MDCXXXVIII.) ἵνα τοίνυν μὴ εἰς τὰς τῶν ἀμυήτων ἀκοὰς ἐκφέρων τὰ κεκρυμμένα προσκρύσαιμι λέγοντι τῷ Χριστῷ - - τῶν βαθυτέρων ἀφέμενος.

TAE [t]: *Diuina deinceps natiuitatis diuinæ symbola inspiciamus. Nemo autem haud initiatus spectatum veniat.* Ex quibus locis omnibus aliisque, quæ in *canonibus apostolicis* [u] & aliis auctoribus in hanc sententiam leguntur, discimus, quod, licet veteres de doctrina baptismi catechumenos in tantum erudiuerint, vt spiritualem eius indolem & scopum cognoscerent, numquam tamen ad intuendam externam cærimoniam, vel ad audiendos planos & perspicuos sermones de modo illum administrandi illos admiserint, priusquam ad ipsum recipiendum digne essent præparati.

§. V.

Secundo, *Modus administrandi sanctam vnctionem seu confirmationem.*

EAMDEM disciplinam obseruarunt respectu *sanctæ vnctionis chrismatis*, quam *Latini* impositionem manuum seu confirmationem vocant. BASILIVS [x] loquens de oleo vnctionis, quod conseruari solebat, ex illis id esse dicit, quæ haud initiatis non sit fas intueri. Et INNOCENTIVS I. pontifex *Romanus* ad alium scribens episcopum de *confirmatione* deque verborum forma in eo vsitata, *Verba*, inquit [y], *dicere non possum, ne magis prodere videar, quam ad consultationem respondere.*

§. VI.

Tertio, *Sacerdotum ordinatio.*

PORRO sacerdotum ordinationem inter ea reperimus, quæ catechumenis celabantur. Concilium *Laodicenum* [z] canonem habet huc spectantem: *Quod non oporteat ordinationes sub conspectu audientium* (hoc est, catechumenorum) *celebrari.* Et CHRYSOSTOMVS de hoc officio precationibusque solemnibus, in consecratione vsitatis, verba faciens obscure & tecte propter catechumenos loquitur. *Is*, inquit, [a] *qui ordinandi mu-*

(t) Dionys. eccles. hierarch. c. II. p. 251. ἑξῆς τὰ θεῖα τῆς θεογενεσίας ἐποπτεύσωμεν σύμβολα· καί μοι μηδεὶς ἀτέλεστος ἐπὶ τὴν θέαν ἴτω.

(u) Canon. apost. c. LXXXV. αἱ διαταγαὶ - - ἃς οὐ χρὴ δημοσιεύειν ἐπὶ πάντων, διὰ τὰ ἐν αὐταῖς μυστικά. Constitutiones - quas non oportet coram omnibus diuulgare, ob mystica, quæ in eis sunt.

(x) Basil. de spirit. S. c. XXVII. vid. sub litt. antec. (l)

(y) Innocent. epist. I. ad Decentium Eugubin. c. III. (tom. II. concil. p. 1246.)

(z) Concil. Laodic. can. V. (tom. I. concil. p. 1498.) Μὴ δεῖν τὰς χειροτονίας ἐπὶ παρουσίᾳ ἀκροωμένων γίνεσθαι.

(a) Chrysost. hom. XVIII. in 2 Cor. p. 872. (tom. V. p. 673. e. edit. Francof.) ὁ

nus

*nus obiturus est, illorum preces tum poscit, atque ipsi calculum suum addunt, acclamantque ea, quæ norunt, qui mysteriis initiati sunt. Neque enim fas est coram profanis cuncta detegere.*

§. VII.

Quarto, *Liturgia, siue publicæ precationes ecclesiæ, quales erant, quæ pro energumenis, pœnitentibus & fidelibus fiebant.*

Pvblica liturgia, siue solemnes ecclesiæ precationes, itidem catechumenis occultabantur. Nam vni catechumenorum ordini, qui *audientes* vocabantur, solum stare & sermones, non autem precationes ecclesiæ, audire permissum erat. Alius ordo, quos *genuflectentes* siue *substratos* appellabant, preces ecclesiæ sibi ipsis quidem peculiares, non autem alias habebant. Et *competentes* stabant tantummodo ad audiendas precationes, quæ pro ipsis & *energumenis* fiebant, & tum dimittebantur. Ne quidem eas audire preces poterant, quæ pro pœnitentibus, multo minus quæ pro ecclesia militante vel vllis aliis, ad sacram communionem vadentibus, offerebantur. Nam ante, quam preces istæ initium caperent, diaconi, siue sacri ecclesiæ præcones, exclamabant: *Ne quis audientium*! vel; *Ite, missa est.* Vnde porro facile ad colligendum est, solemne officium absoluendi pœnitentes numquam præsentibus catechumenis fuisse peractum. Non enim tempus absoluendi erat, priusquam omnes essent dimissi, ipsis *pœnitentibus* exceptis, qui absoluendi erant; id quod fiebat proxime ante, quam ad altare iretur, ad ordiendam sacræ eucharistiæ celebrationem. Quemadmodum ex verbis Optati liquet, vbi hac de re, tamquam consuetudine in ecclesia pariter & apud *Donatistas* [b] vsitata, loquitur. *Inter vicina momenta*, inquiens, *dum manus imponitis & delicta donatis, mox ad altare conuersi dominicam orationem prætermittere non potestis.* Hæc omnia igitur catechumenis celabantur: Numquam enim horum quidquam vel audiendi vel spectandi habebant potestatem.

μέλλων χειροτονεῖν, καὶ τὰς ἐκείνων εὐχὰς καλεῖ τότε, καὶ αὐτοὶ ἐπιψηφίζονται, καὶ ἐπιβοῶσιν ἅπερ ἴσασιν οἱ μεμυημένοι· οὐ γὰρ δὴ θέμις ἐπὶ τῶν ἀμυήτων ἐκκαλύπτειν ἅπαντα.

(b) Optat. contr. Parmen. lib. II. p. 57. (p. 52. edit. Paris. MDCI XXIX.) Vid. constitut. apostolic. lib. VIII. c. VI. VII. VIII. tot.

§. VIII.

## §. VIII.

### Quinto, *Modus celebrandi eucharistiam.*

VERVM, vt eucharistia summum christianæ religionis mysterium erat, ita de eo catechumenis occultando omnium maxime laborabant. Et in hoc discrimen aliquod inter vnum *pœnitentium* ordinem & *catechumenos* statuebant. Nam supremo pœnitentium ordini, qui *consistentes* vocabantur, precibus eucharisticis interesse, & oblationem dari & recipi a fidelibus videre licitum erat, tametsi eam cum illis participare non possent. Catechumeni autem omnium ordinum ab hisce omnibus penitus erant exclusi. Semper ante dimittebantur, quam hæ preces inchoarentur, & ianuæ ecclesiæ a ministris custodiebantur, quibus negotium datum erat cauere, ne quis haud initiatus introiret. *Mysteria clausis ianuis celebramus*, inquit CHRYSOSTOMVS [*c*], *& eos, qui nondum initiati sunt, adesse prohibemus.* Erat hoc sacramentum vnum ex occultatis & non publicis in ecclesia, quemadmodum AVGVSTINVM de eo loqui, antea [*d*] audiuimus. Ex iis erat, quæ non fas erat intueri haud initiatis, secundum BASILIVM [*e*]. Hinc *constitutionum apostolicarum* auctor [*f*] inter alia & id diaconis iniungit, vt non tantum ipsos abire iubeant, sed portas etiam custodiant, ne quis eorum, durante eucharistiæ celebratione, ingrediatur. EPIPHANIVS [*g*] & HIERONYMVS [*h*] hoc nomine *Marcionitas* reprehendunt, quod

(*c*) Chrysostom. hom. XXIII. in Matth. p. 23.. hom. XXIV. p. 2.. c. edit. Francof.) *Τὰ μυστήρια διὰ τοῦτο τὰς θύρας κλείσαντες ἐπιτελοῦμεν, καὶ τοὺς ἀμυήτους εἴργομεν.*

(*d*) Augustin. in psalm. CIII. vid. supra §. IV. litt. (m) p. 124.

(*e*) Basil. de spirit. S. c. XXVII. vid. ibid. litt. (l) ibid.

(*f*) Constit. apost. lib. II. c. LVII. *φυλαττέσθωσαν αἱ θύραι, μή τις ἄπιστος εἰσέλθοι, ἢ ἀμύητος.* Portæ custodiantur, ne quis insidelis, aut nondum baptismo initiatus ingrediatur. Ibid. lib. VIII. c. XI. *Οἱ διάκονοι ἱστάσθωσαν εἰς τὰς τῶν ἀνδρῶν θύρας, καὶ οἱ ὑποδιάκονοι εἰς τὰς τῶν γυναικῶν· ὅπως μή τις ἐξέλθοι, μήτε ἀνοιχθῇ ἡ θύρα, κἂν πιστός τις ᾖ, κατὰ τὸν καιρὸν τῆς ἀναφορᾶς.* Diaconi stent ad ianuas virorum, & subdiaconi ad ianuas mulierum; vt nemo egrediatur, neue aperiatur ianua tempore oblationis, licet adueniat quisquam fidelis.

(*g*) Epiphan. hæres. XLII. num. III. *μυστήρια δὲ ἔμπροσθεν παρ' αὐτῷ ἐπιτελεῖται, τῶν κατηχουμένων ὁρώντων.* Mysteria catechumenis cernentibus apud illum celebrantur.

(*h*) Hieron. comment. in Galat. VI. tom. IX. p. 199. (tom. VI. p. 156. d. edit. Par.

quod hac disciplina contemta catechumenos indiscriminatim cum fidelibus ad omnia mysteria sua admittant. Idem PALLADIVS [*i*] inimicis CHRYSOSTOMI imputat, quod in excitato aduersus eum tumultu haud initiatis occasionem dedissent in ecclesiam irrumpendi eaque videndi, quæ illis nefas esset intueri. Immo vero ecclesia huius disciplinæ tantopere studiosa erat, vt ATHANASIVS *Meletianos* falsi testimonii contra se conuinceret, quum illi testimonio cuiusdam catechumeni probare adlaborarent, quod *Macarius* mensam sacram tempore oblationis euertisset. Rem ita se habere non posse, dicebat; quia si intus fuissent catechumeni [*k*], tempus oblationis esse non potuisset.

NEQVE vero catechumenos ab horum mysteriorum inspectione tantum excludebant, sed ab omnibus etiam sermo-

MDCXLIII.) *Communicet*] Marcion hunc locum ita interpretatus est, vt putaret fideles & catechumenos simul orare debere.

(*i*) Pallad. vit. Chrysostom. c. IX. Not. Non inuenio heic, quæ huc referri possint, nisi quæ proxime subiicio, quæ tamen non dicunt, vidisse non initiatos ea, *quæ oculis eorum subiici nefas fuerit.* Ἔχων θρᾶκας ξιφήρεις νεοστρατεύτους κατὰ τὸν Ἠσαῦ τετρακοσίους, ἀναιδεῖς περισσῶς, ἐπεπήδησεν αἰφνίδιον κατὰ τὴν νύκτα, σὺν τοῖς ἐπιδεικνῦσι κληρικοῖς καὶ τοῖς στρατιώταις ἰταμῶς, ὡς ἅτε λύκος, σιδήρῳ στίλβοντι διασχίσας τοὺς ὄχλους, χωρήσας δ' ἔνδον τῶν μακαρίων ὑδάτων ἐπὶ κωλύσει τῶν μυουμένων τὴν ἀνάστασιν τοῦ σωτῆρος· καὶ τῷ μὲν διακόνῳ θρασέως ἐντιναχθεὶς, τὰ σύμβολα ἐκχέει· τοὺς δὲ πρεσβυτέρους ἤδη που καὶ ἡλικιώτας, ῥοπάλοις κατὰ κρανίου παίσας, αἵματι κιρνᾷ τὴν κολυμβήθραν. Ipse (Lucius gentilis ab Acacio, Chrysostomi aduersario, inductus) tirones habens, districtos gladios gestantes, instar Esau quadringentos, egregie impudentes, cum indicibus clericis (ex parte Acacii) & militibus, insolenter vt lupus, coruscante ferro multitudinem perrumpens, penetrat vsque ad sanctas aquas, vt prohiberet eos, qui initiabantur sacramento dominicæ resurrectionis. Et in diaconum procaciter illius symbola effudit: Presbyteros vero grandæuos fustibus in capite feriens, sacrum fontem cruore conspersit.

Eadem querela apud ipsum Chrysostomum legitur epist. I. ad Innocent. papam Tom. IV. p. 681. (p. 596. edit. Francof.) ἀλλ' ἔνθα τὰ ἅγια ἀπέκειντο εἰσελθόντες οἱ στρατιῶται, ὧν ἔνιοι, καθ' ὡς ἔγνωμεν, ἀμύητοι ἦσαν, πάντα τε ἑώρων τὰ ἔνδον. Et locum, in quo sancta condita seruabantur, ingressi sunt milites, quorum aliquos scimus nullis iniatos mysteriis, & viderunt omnia, quæ intus erant.

(*k*) Athan. apol. II. tom. I. p. 747. (p. 148. a. b. edit. Par. MDCXCVIII.) πῶς οἷόν τε ἦν προσφορὰν προκεῖσθαι, ἔνδον ὄντων τῶν κατηχουμένων; εἰ γὰρ ἔνδον ἦσαν οἱ κατηχούμενοι, οὔπω ἦν ὁ καιρὸς τῆς προσφορᾶς. Qui potuit oblatio appolita esse, quum intus essent catechumeni? Si enim intus erant catechumeni, nondum oblationis tempus erat.

nibus, qui de mysteriis illis publice habebantur. Distinguebant inter argumenta moralia & mystica, catechumenos ad illa non ad hæc admittentes, quemadmodum alio iam loco [*l*] ex testimoniis THEODORETI [*m*], AVGVSTINI [*n*] & AMBROSII [*o*] demonstrauimus. Quibus CYRILLI HIEROSOLYMITANI [*p*] testimonium addere placet, *Fueras & tu aliquando*, inquientis, *catechumenus, neque proposita mysteria tibi enarrabantur: quando autem sublimitatem eorum, quæ nunc traduntur, experientia didiceris, tunc plane intelliges, dignos non esse catechumenos, qui ea audiant:* Nec non GAVDENTII, episcopi *Brixiensis*, qui in sermone suo ad neophytos [*q*] ea se illis nunc aperturum dicit mysteria, quæ præsentibus catechumenis explanari non possint. Interdum quidem de eucharistia coram catechumenis in sermonibus suis popularibus loquebantur; tum vero tam obscuro & tecto loquendi vtebantur genere, vt a solis fidelibus non autem a catechumenis intelligi possent. Secundum illud CHRYSO-

(*l*) Lib. I. c. IV. §. VIII. volum. I. p. 40.

(*m*) Theodoret. quæst. XV. in Numer. Ἀσήμως διὰ τοὺς ἀμυήτους περὶ τῶν θείων διαλεγόμεθα μυστηρίων· τούτων δὲ χωριζομένων, σαφῶς τοὺς μεμυημένους διδάσκομεν. Obscure propter non initiatos disserimus de diuinis mysteriis: his vero semotis, initiatos aperte docemus.

(*n*) August. serm. I. ad neophyt. in append. tom. X. p. 845. Dimissis iam catechumenis, vos tantum ad audiendum retinuimus: quia præter illa, quæ omnes christianos conuenit in commune seruare, specialiter de cælestibus mysteriis loquuturi sumus, quæ audire non possunt, nisi qui ea donante iam domino perceperunt. Tanto ergo maiore reuerentia debetis audire, quæ dicimus, quanto maiora ista sunt, quæ solis baptizatis & fidelibus auditoribus committuntur; quam illa, quæ etiam catechumeni audire consueuerunt.

(*o*) Ambros. de his, qui mininsteriis initiantur c. I. De moralibus quotidianum sermonem habuimus, quum vel patriarcharum gesta, vel prouerbiorum legerentur præcepta: vt his informati atque instituti adsuesceretis maiorum ingredi vias, eorumque iter carpere, ac diuinis obedire mandatis, quo reuocati per baptismum eius vitæ vsum teneretis, quæ ablutos deceret. Nunc de mysteriis dicere admonet, atque ipsam sacramentorum rationem edere: quam ante baptismum si putassemus insinuandam nondum initiatis, prodidisse potius quam edidisse æstimaremur.

(*p*) Cyrill. catech. præfat. n. VII. Ἦς ποτὲ καὶ σὺ κατηχούμενος, οὐ διηγησάμην σοι τὰ προκείμενα· ὅταν τῇ πείρᾳ λάβῃς τὸ ὕψωμα τῶν διδασκομένων, τότε ἂν γνώσῃ ὅτι ἀνάξιοι οἱ κατηχούμενοι τῆς ἀκοῆς.

(*q*) Gaudent. serm. II. ad neophytos bibl. patr. tom. II. p. 14. Ea solum aperienda neophytis, quæ præsentibus catechumenis explanari non possunt.

STOMI

STOMI [r]; *Volo quidem aperte id dicere, non audeo vero propter eos, qui non sunt initiati. Ii enim difficiliorem nobis faciunt expositionem, cogentes aut non perspicue loqui, aut eis arcana enuntiare.* Hoc intuitu EPIPHANIVS, de verbis institutionis loquens coram catechumenis, nolebat dicere, *hic panis corpus meum est, hoc vinum sanguis meus est*; sed *hoc meum est*, *hoc & hoc* [s], initiatis permittens suam cognoscere sententiam, non vero catechumenis. Hinc est, quod tam frequenter ista vtantur phrasi *ἴσασιν οἱ μεμυημένοι*, *Iniati sciunt quod dicitur.* Et, *Norunt fideles*; quam formulam CASAVBONVS [t] apud vnum CHRYSOSTOMVM non minus quinquagies occurrere obseruauit. Aliam scitam obseruationem in hanc materiam facit CASAVBONVS, quam eruditus ALBERTINVS [u] ex ipso adsumit & strenue defendit, quod „quum in sacramentis tria occurrant consideranda; 1. „symbola significantia; 2. res symbolis significatæ; & 3. ritus „celebrandorum sacramentorum; veteres non adeo res in sa„cramentis significatas & efficaciam illorum siluerint, quam „symbola ipsa & ritus celebrandi ac rituum caussas„. Non enim dubitabant, coram haud initiatis de eucharistia tractantes, corpus & sanguinem Christi frequentissime nominare, eodem quidem tempore, quum panem & vinum nominare, vel de modo eucharistiam administrandi loqui refugerent, quemadmodum ALBERTINVS EX THEODORETO aliisque pluribus probat. Quæ satis euincunt, rationem celandi catechumenis mysteria non fuisse eam, quod transsubstantiationem crediderint, vt *Romanenses* statuunt: Ita enim potius nomina *corporis* & *sanguinis* Christi, quam externorum symbolorum nomina, &

(r) Chrysostom. hom. XL. in 1 Cor. (p. 688. tom IV. edit. Saul.) *βούλομαι σαφῶς τοῦτο εἰπεῖν, οὐ τολμῶ δὲ διὰ τοὺς ἀμυήτους· οὗτοι γὰρ δυσκολωτέραν ἡμῖν ποιοῦσι τὴν ἐξήγησιν, ἀναγκάζοντες ἢ μὴ λέγειν σαφῶς, ἢ εἰς αὐτοὺς ἐκφέρειν τὰ ἀπόρρητα.*

(s) Epiphan. anchorat. n. LVII. *ἀνέστη ἐν τῷ δείπνῳ καὶ ἔλαβε τάδε, καὶ εὐχαριστήσας εἶπε τοῦτό μου ἐστὶ τόδε.* A cœna surgens hæc accepit, & gratias agens dicit: *Hoc meum est hoc.*

(t) Casaub. exercit. XVI. in Baron. p. 490. Quis ita hospes in patrum lectione, cui sit ignota formula, in mentione sacramentorum potissimum vsu trita, *ἴσασιν οἱ μεμυημένοι*, *norunt initiati quod dicitur*, quæ formula in vnius Chrysostomi homiliis aut aliis scriptis, minimum quinquaginta locis potest obseruari.

(u) Albertin. de euchar. lib. II. p. 708.

myſticos celebrandi ritus occultaturi fuiſſent, quorum poſteriora non priora ſtudioſe celarunt. Qui hac de re plura legere geſtiunt, elaboratiſſimam iſtam acutiſſimi & eruditiſſimi illius auctoris diſſertationem conſulant, in qua ad omnes COFFETELLI obiectiones contra præſentem adſertionem reſpondet.

§. IX.

Sexto, *Myſterium trinitatis*, *ſymbolum fidei*, *& oratio dominica primo catechumenorum ordini.*

VLTIMVM earum rerum, quas ad certum tempus imperfectioribus catechumenis occultabant, genus ſublimiora chriſtianæ religionis capita erant, vti myſterium ſacroſanctæ trinitatis & vnionis hypoſtaticæ, vna cum ſymbolo ipſo & oratione dominica, quam catechumeni non docebantur, niſi iamiam baptizandi. Ita enim THEODORETVS [x] nobis narrat, *Hanc orationem*, inquiens, *haud nondum initiatos*, *ſed iam iam baptizandos condocemus.* Nemini enim eorum, qui nondum baptizati erant, dicere permiſſum erat: *Pater noſter*, *qui es in cælis*, quod donum adoptionis nondum eſſent adepti. Qui vero baptiſmi participes facti erant, deum patrem ſuum vocare poterant, vtpote inter filios gratiæ adoptati. CHRYSOSTOMVS eodem modo loquitur [y]. *Quod fidelibus*, inquiens, *oratio iſta conueniat*, *& eccleſiæ regula ipſa teſtatur*, *& ipſius orationis exordium. Nondum quippe initiatus baptiſmatis ſacramento non poteſt deum patrem vocare.* Hæc oratio tunc temporis ſanctæ euchariſtiæ peculiaris erat & propria, nec vmquam in eccleſia ſed tantum ad altare vſitata, vbi nulli catechumeni, ſed tantum fideles præſentes erant, ideoque εὐχὴ πιςῶν, *oratio fidelium*, vocitata. Et vna illius orationis petitio ad euchariſtiam magis ſpeciatim pertinere credebatur, *Da nobis hodie panem noſtrum quotidianum*, ἄρτον ἐπιούσιον, *panem ſupra-*

(x) Theodoret. epitom. diuin. decret. lib. V. hæret. fabul. c. XXVIII. Ταύτην τὴν προσευχὴν οὐ τοὺς ἀμυήτους, ἀλλὰ τοὺς μυσταγωγουμένους διδάσκομεν.

(y) Chryſoſtom. hom. XX. al. XIX. in Matth. p. 200. (tom. I. p. 243. fin. ed. Francof.) Ὅτι πιςοῖς αὕτη ἡ προσευχὴ προσήκει, καὶ οἱ νόμοι τῆς ἐκκλησίας διδάσκουσι, καὶ τὸ προοίμιον τῆς εὐχῆς· ὁ γὰρ ἀμύητος οὐκ ἂν δύναιτο πατέρα καλεῖν τὸν Θεόν. Chryſoſtom. hom. II. in 2 Cor. p 740. (pag. 516. b. edit. Francof.) οὐδέπω εὐχὴν ἔχουσι τὴν νενομισμένην καὶ εἰσενεχθεῖσαν ὑπὸ τοῦ Χριστοῦ, οὐδέπω παῤῥησίαν κέκληνται, ἀλλ' ἑτέρων δέονται τῶν μυσταγωγηθέντων. Nondum lege ſancitam atque a Chriſto inuectam precationem habent, nondum liberius orandi poteſtatem nacti ſunt, ſed aliorum, qui myſteriis initiati ſunt, ope indigent.

*ſub-*

*substantialem* siue *supracælestem*, vt non pauci veterum id reddunt. Quam ob caussam orationem dominicam nullum catechumenum, nisi de supremo competentium ordine, paucis diebus ante baptismum, docebant. Quemadmodum ex verbis AVGVSTINI [z] discimus, *Tenete*, inquientis, *hanc orationem, quam reddituri estis ad octo dies. Quicumque autem vestrum non bene symbolum reddiderunt, habent spatium, teneant: quia die sabbathi audientibus omnibus, qui aderunt, reddituri estis die sabbathi nouissimo, quo die baptizandi estis. Ad octo autem dies ab hodierno die reddituri estis hanc orationem, quam hodie accepistis. Cuius caput est, Pater noster, qui es in cælis.* Ita hanc orationem tantum pridie *dominicæ palmarum* accipiebant, reddituri illam pridie paschatos, qui dies baptismatis eorum erat.

EAMDEM disciplinam ratione symboli fidei obseruabant, quod catechumenis non nisi eodem tempore, quo orationem dominicam, nempe paullo ante baptismum tradebant. Hoc non semper in charta & atramento scribebant, sed in tabulis cordis carneis, vti HIERONYMVS [a] loquitur, verbo oris alii aliis tradentes, ne haud initiatis & infidelibus innotesceret. Quæ ratio est, quam SOZOMENVS [b] adfert, cur verba symboli *Nicæni* in historia sua non exhibeat, quia verisimile sit, quos-

(z) Augustin. hom. XLII. tom. X. p. 19. (pag. 126. d. edit. Basil. MDLXIX.)

(a) Hieronym. epist. LXI. ad Pammachium c. IX. Symbolum fidei & spei nostræ, quod ab apostolis traditum, non scribitur in charta & atramento, sed in tabulis cordis carnalibus.

(b) Sozom. lib. I. c. XX. ἵνα δὲ καὶ εἰς τὸν ἑξῆς χρόνον βέβαιον καὶ δῆλον τοῖς ἰσομένοις ὑπάρχῃ τὸ σύμβολον τῆς τότε συναρεσάσης πίστεως, ἀναγκαῖον ᾠήθην εἰς ἀπόδειξιν τῆς ἀληθείας, αὐτὴν τὴν περὶ τούτων γραφὴν παραθέσθαι· εὐσεβῶν δὲ καὶ φίλων καὶ τὰ τοιαῦτα ἐπιστημόνων, οἷα δὲ μύσταις καὶ μυσταγωγοῖς μόνοις δέοντα λέγειν καὶ ἀκούειν ὑφηγουμένων ἐπῄνεσα τὴν βουλήν· οὐ γὰρ ἀπεικὸς καὶ τῶν ἀμυήτων τινὰς τῇδε τῇ βίβλῳ ἐντυχεῖν· ὡς ἔνι δὲ τῶν ἀπορρήτων ἃ χρὴ σιωπᾶν ἀποκρυψάμενος· ὡς μὴ πάμπαν ἀγνοεῖν τὰ δόξαντα τῇ συνόδῳ. Vt posteris in perpetuum ratum ac manifestum esset eius fidei symbolum, in quam vniuersi tum consenserunt, initio quidem existimaueram, exemplum illius fidei ad veritatis demonstrationem hic necessario apponendum esse. Sed quum quidam ex amicis, viri pii & harum rerum notitia præditi suasissent mihi, vt ea quidem, quæ a solis initiatis ac sacerdotibus dici audirique fas est, silentio inuoluerem, eorum consilium probaui. Quippe verisimile est, quosdam sacramentis fidei nostræ minime initiatos, hunc librum lecturos esse. Verum occultatis a me, quantum fieri potuit, arcanis, quæ reticenda sunt, ne lectores ea, quæ a concilio decreta sunt, penitus ignorent. cetera.



dam

dam sacramentis fidei christianæ minime initiatos librum suum lecturos, a quibus ea legi audirique non conueniat. Sollicite cauebant, ne cum incipientibus profunda trinitatis & incarnationis mysteria communicarentur, donec ad ea recipienda præmissis institutionibus digne essent præparati. Hinc, obseruante HIERONYMO [c], consuetudo erat ecclesiæ, vt hac institutionis parte seposita, nihil harum doctrinarum illis traderetur, nisi per quadraginta dies ante baptismum, etiamsi institutiones catecheticæ duobus vel tribus annis ante essent continuatæ.

Hoc totum & vniuersum est, quicquid de hac catechumenis sancta mysteria celandi disciplina apud veteres legimus. In quibus omnibus ne minimum quidem indicium datum inuenimus, quod colendi imagines, vel sanctos & angelos adorandi consuetudo, vel doctrina de septem sacramentis mysteria illa fuerint, quæ catechumenis occultatum iuerint. Nam isthac ætate istiusmodi mysteria ecclesia christiana ignorabat. Adeoque nouum SCHELSTRATI inuentum mera fictio est & sophisma, quo præsentis ecclesiæ *Romanæ* nuditatem tegere adlaborat. Et opinatio BONAE [d], quando canonem concilii *Illiberritani*, quo picturæ in ecclesia prohibentur, ideo tantum factum esse putat, ne religionis christianæ arcana infidelibus proderentur, vana est & absurda, quam neque ALBASPINAEVS neque PETAVIVS concoquere potuerunt, quemadmodum alio

(c) Hieron. epist. LXI. ad Pammach. c. IV. Consuetudo apud nos istiusmodi est, vt his, qui baptizandi sunt, per quadraginta dies publice tradamus sanctam & adorandam trinitatem.

(d) Bona rer. liturgiæ. lib. I. c. XVI. n. II. Ex hac disciplina emanasse puto canonem XXXVII. concilii Illiberritani, quem Baronius supposititium suspicatur: alii vero multum se torquent, vt congruam eius atque orthodoxam interpretationem inueniant. Verba canonis hæc sunt: *Placuit picturas in ecclesia esse non debere, ne quod colitur & adoratur in parietibus depingatur.* Quibus verbis frustra abutuntur sectarii, vt huius concilii auctoritate sacrarum imaginum vsum & cultum conuellant. Alia enim fuit illorum patrum mens, quæ ex more illius sæculi, sollicite cauentis, *ne religionis nostræ arcana infidelibus proderentur*, æstimanda est. Vetuerunt ergo, ne id, quod colitur & adoratur, in parietibus pingeretur; id vero quod pingendum non erat, obscure explicarunt illis verbis, *quod colitur & adoratur*, vt soli fideles intelligerent, eo canone prohiberi imagines Dei & Christi saluatoris, ne a gentilibus irruentibus sæpe in ecclesias contumelia adficerentur, & irriderentur christiani, ac si hominem colerent tamquam Deum: neue catechumeni Deum, quem incircumscriptum, immensum & materiæ expertem prædicari audiebant, humana figura pictum videntes aliquid alienum ab eius maiestate conciperent.

loco

loco [e], vbi de ecclesiarum antiquarum ornamentis loquuti sumus, pluribus demonstrauimus.

§. X.

*Caussæ reticentiæ harum rerum coram catechumenis.* Primo, *vt ne earum euidentia & simplicitas contemneretur.*

VERAE caussæ, quamobrem istiusmodi res, quas reuera occultabant, catechumenis celatas esse vellent, erant primo quidem, Ne christianorum rituum euidentia & simplicitas contemtui haberetur, neue scandali illis daretur occasio, antequam de horum mysteriorum natura satis essent eruditi. Nam *Iudæi* pariter & gentiles, ex quibus recens ad fidem *CHRISTI* conuersis catechumeni adoptabantur, christianæ religionis, splendidis istis cærimoniis, quibus aliæ religiones abundabant, destitutæ, nuditatem simplicitatemque facile poterant videre. Christiana religio non nisi lauationem in aqua, & panis ac vini oblationem tot cruentorum sacrificiorum loco præscribebat. Ne igitur harum paucarum cærimoniarum simplicitas catechumenorum mentes, præiudicatis opinionibus imbutas, offenderet, antequam de illis satis essent instituti, doctores christiani hæc mysteria grandibus ac magnificis ornabant titulis, talibus videlicet, qui hominum mentibus præclaras cogitationes de spirituali eorum effectu inspirare poterant, reliquis nominibus, ne istarum rerum simplicitate offenderentur, occultatis. De eucharistia si loquebantur, numquam panis ac vini, sed sacrificii corporis ac sanguinis Christi iniiciebant mentionem: & baptismum vocabant illuminationem & vitam, sacramentum fidei ac remissionis peccatorum, pauca interim verba de externo aquæ elemento facientes. Hæc vna ratio erat, cur catechumenis sacramentorum negarent conspectum, & semper mystico dicendi genere coram ipsis vterentur. *Mysteria clausis ianuis celebramus*, inquit CHRYSOSTOMVS [f], *& eos, qui nondum initiati sunt, adesse prohibemus, non quia infirmitatem mysteriorum aliquam deprehendimus: Sed quia ad participationem eorum illi adhuc, quos arcemus, infirmi sunt.* Ita quoque CYRILLVS [g] loco supra memorato:

(e) Lib. VIII. c. VIII. §. VI. volum. III. pag. 297. 298.

(f) Chrysostom. hom. XXIII. in Matth. p. 236. hom. XXIV. p. 258. c. edit. Francof.) Τὰ μυστήρια διὰ τοῦτο τὰς θύρας κλείσαντες ἐπιτελοῦμεν, καὶ τοὺς ἀμυήτους εἴργομεν· οὐκ ἐπειδὴ ἀσθένειαν καταγινώσκομεν τῶν τελουμένων, ἀλλ' ἐπειδὴ ἀτελέστερον οἱ πολλοὶ πρὸς αὐτὰ ἔτι διάκεινται.

(g) Cyrill. catech. VI. n. XVI. vid. græc. supra §. IV. sub litt. (n) p. 125.

De

*De mysteriis apud catechumenos aperte non loquimur, sed multa sæpe loquimur obtecte, vt fideles, qui rem tenent, intelligant, & qui non tenent, haud lædantur.* In eumdem modum patres synodi *Alexandrinæ* [*b*], reprehendentes *Meletianos*, quod non pudeat eos coram catechumenis, & quod peius sit, coram ethnicis mysteria traducere: Quum oporteat, vt scriptum sit, sacramentum regis abscondere, neque sanctum dare canibus, vel proiicere margaritas ante porcos, addunt: *Nefas enim est mysteria apud non initiatos traducere, ne ethnici quidem horum ignari irrideant; catechumeni vero ad curiositatem deducti scandalizentur.* Hinc vetus regula ecclesiæ erat vt si quis nondum initiatus per ignorantiam sacram eucharistiam participasset, is cito instrueretur ac baptismo initiaretur, ne contemtor exiret, quemadmodum *constitutionum apostolicarum* [*i*] auctor id reddit. Et concilium *Toletanum* quartum similem rationem [*k*] reddit, cur *iudæi*, qui vi vel necessitate baptismum suscepissent, fidem christianam tenere debeant, *ne* videlicet *nomen domini blasphemetur, & fides, quam susceperint, vilis ac contemtibilis habeatur*: Tametsi seuere interdicit, vt nemini *iudæo* in posterum ad recipiendum baptismum vis inferatur.

§. XI.

Secundo, *vt reuerentia illis conciliaretur.*

Alia caussa, huic silentii disciplinæ adsignata, erat, vt in mentibus hominum reuerentiam erga hæc mysteria, quæ ita coram illis reticebantur, conciliarent. Nam, obseruante Basilio [*l*], *mysteriorum veneratio silentio conseruatur.* Et sicut res vsu tritæ & vndecumque parabiles expositæ sunt contemtui, ita ei, quod sepositum est, quodque rarum est, natura coniuncta est summa admiratio & studium. Propterea apostolos & pa-

(*b*) Apud Athan. apol. II. tom. I. p. 131. (p. 133. b. edit. Paris. MDCXCVIII., Οὐ χρὴ τὰ μυστήρια ἀμυήτοις τραγῳδεῖν, ἵνα μὴ ἕλληνες μὲν ἀγνοοῦντες γελῶσι, κατηχούμενοι δὲ περίεργοι γενόμενοι, σκανδαλίζωνται

(*i*) Constitut. apostol. lib. VII. c. XXV. Εἴ τις κατὰ ἄγνοιαν μεταλάβοι, τοῦτον τάχιον στοιχειώσαντες μυήσατε, ὅπως μὴ καταφρονητὴς ἐξέλθοι. Si quis per ignorantiam participauerit, hunc cito instruite ac baptismo iniate, ne contemtor exeat.

(*k*) Concil. Tolet. IV. c. LVII. (tom. V. concil. p. 1719) De Iudæis hoc præcipit sancta synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferre. - - - Qui autem iam pridem ad christianitatem venire coacti sunt, - - oportet vt fidem etiam, quum vi vel necessitate susceperunt, tenere cogantur, ne nomen diuinum blasphemetur, & fides, quam susceperunt, vilis ac contemtibilis habeatur.

(*l*) Basil. de spirit. sanct. c. XXVII. Καλῶς ἐκεῖνοι δεδιδαγμένοι τῶν μυστηρίων τὰ σεμνὰ σιωπῇ διασώζεσθαι.

tres, qui in primordiis ecclesiæ certos ritus præscripserunt, in occulto silentioque mysteriis suam seruasse dignitatem, ipse ille existimat. AVGVSTINVS [m] eamdem huius consuetudinis dat rationem, quando *Non mirari debetis*, inquit, *fratres carissimi, quod inter ipsa mysteria de mysteriis nihil diximus, quod non statim ea, quæ tradidimus, interpretati sumus. Adhibuimus enim tam sanctis rebus atque diuinis honorem silentii.*

Ms. fr. 121.

## §. XII.

### Tertio, *Vt ea cognoscendi desiderium in catechumenis tanto magis acueretur.*

TERTIAM hisce rationem AVGVSTINVS addit, quod baptismi & eucharistiæ sacramenta ideo præcipue catechumenos celentur, vt eorum excitetur curiositas & inflammetur zelus, vt ad ea participanda & ipso vsu ac experientia cognoscenda tanto studiosius sollicitiusque festinent. *Si catechumenis*, inquit, [n] *sacramenta fidelium non produntur, non ideo fit, quod ea ferre non possint, sed vt tanto ardentius ab iis concupiscantur, quanto eis honorabilius occultantur.* Et alio loco [o]: *Iudæi non agnoscunt sacerdotium secundum ordinem Melchisedeck. Fidelibus loquor, si quid non intelligunt catechumeni, auferant pigritiam, festinent ad notitiam.* Et rursus alibi [p]: *Qui nondum manducant, ad tales epulas inuitati festinent. Ecce pascha est, da nomen ad baptismum. Si non te excitat festiuitas, ducat ipsa curiositas, vt scias, quid dictum sit, qui manducat carnem meam & bibit sanguinem meum, manet in me, & ego in eo.*

HAE fuerunt caussæ, quæ veteres ad celandum catechumenis mysteria sua induxerunt: Quæ, vt manifesto videmus, cum placitis istis de transsubstantiatione, de septenario sacramentorum numero, de superstitiosa imagines vel sanctos & angelos adorandi ratione, vtpote quæ mere nouitia ecclesiæ *Romanensis* inuenta sunt, nihil commercii habent.

ATQVE ita omnia, quæ ad catechumenorum ad baptismum præparandorum disciplinam spectant, breuiter a nobis percursa sunt. Sequitur nunc, vt baptismum ipsum consideremus, & dispiciamus, quemadmodum ecclesia eum administrauerit, & quinam ritus in eius celebratione fuerint obseruati.

(m) Aug. serm. I. inter XL. edit. a Sirmondo tom. X.
(n) August. homil. XCVI. in Ioan. (tom. IX. opp. p. 479. a. edit. Basil. MDLXIX.)
(o) Augustin. homil. in psalm. CIX. (tom. VIII. p. 1286. b. edit. citat.)
(p) Id. de verbis domini homil. XLVI. (tom. X. p. 175. a. edit. cit.)

# LIBER VNDECIMVS

# DE RITIBVS ET CONSVETVDINIBVS IN ADMINISTRATIONE BAPTISMI IN ANTIQVA ECCLESIA OBSERVATIS.

## CAPVT PRIMVM

## DE DIVERSIS BAPTISMI NOMINIBVS ET APPELLATIONIBVS IN ECCLESIA PRIMITIVA.

### §. I.

*Nomina baptismi vt plurimum a spiritualibus eius effectis petita.*



VLTAE quæstiones circa doctrinam de baptismo agitantur, quas mihi non est animus vllam huius libri partem facere, quod ea in omnibus auctoribus inueniantur, qui hoc de argumento dogmatice vel polemice scripserunt, præsertim vero in elaboratissimis VOSSII *disputationibus de baptismo*, in quibus omnes quæstiones huc spectantes exacte examinantur, atque ex veterum doctrina erudite determinantur. Heic lector omnes eas quæstiones satis fuse recensitas inueniet, quæ de mystica significatione & spiritualibus effectis baptismi agunt; cuiusmodi sunt *1. Regeneratio. 2. Adoptio. 3. Receptio in fœdus gratiæ.* In quibus etiam *remissio peccatorum, renouatio spiritus & vita æterna* continentur, tamquam egregii fructus, qui omnibus digne eum recipientibus conferuntur. Heic quæstiones etiam deciduntur, quomodo, si in baptismo peccata omnia remittantur, remaneat in baptizatis concupiscentia, peccati omnis fomes, & vnde sit, quod post baptismum quoque tot morbis & calamitatibus adfligamur per omnem vitam? Immo hoc in infantibus etiam conspiciamus, qui nullum commisere peccatum actuale? Quo iure magistratus puniat peccata ante baptismum commissa, quum tamen per baptismum perfecta fiat peccatorum omnium remissio? cum multis aliis similibus quæstionibus, quas in hanc nostram dissertationem vocare nihil attinet. Omittemus quoque quæstionem de

de indelebili baptiſmi charactere, qui animæ imprimi dicitur; & quæſtiones de miniſtro baptiſmi, de baptiſmo laicorum & hæreticorum, quod eas nuper in prima & ſecunda parte libelli, *Scholaſtical Hiſtory of Lay-Baptiſm*, diſtincte & fuſe ſatis conſideravimus. Quæ igitur hoc loco expendenda remanent, ea duntaxat ſunt, quæ ad antiquæ eccleſiæ conſuetudines, in adminiſtratione baptiſmi obſeruari ſolitas, ſpectant, vtpote de quibus nondum loquuti ſumus. Atque heic ante omnia de antiquis baptiſmatis nominibus non nihil dicendum erit; quorum alia ab internis & ſpiritualibus effectis; alia ab indole & ſubſtantia actionis; alia a conditionibus in recipientibus baptiſmum requiſitis: alia denique ab externis circumſtantiis & ritibus, in adminiſtratione eius obſeruatis, mutuata ſunt.

§. II.

*Hinc baptiſmus vocatus* indulgentia, *ſiue* abſolutio.

Ab vno aliquo inſignium ſuorum effectuum baptiſmus non numquam vocabatur *indulgentia*, ſiue *abſolutio* & *remiſſio peccatorum*. Ita in concilio *Africano* ſub *Cypriano* habito [*a*] PRIVATIANVS A SVFFETVLA *diuinam indulgentiam* vocat. Et in ſynodo *Romana*, COTELERIO [*b*] memorata, dicitur *Paſchæ tempore presbyter & diaconus per parochias dare REMISSIONEM PECCATORVM* (hoc eſt *baptiſmum*) *& miniſterium implere conſueverunt, etiam præſente epiſcopo.* Verum quum abſolutio ſiue remiſſio peccatorum non ſemper neceſſario baptiſmo coniuncta ſit, ſed culpa vel adminiſtrantis vel recipientis poſſit impediri, ipſo baptiſmo nihilo ſecius vero baptiſmo manente: hinc AVGVSTINVS aduerſus *Donatiſtas* diſputans, baptiſmum *ſacramentum gratiæ* [*c*], quam *gratiam* & *abſolutionem*, vocare maluit quod ſacramentum baptiſmi homines etiam male recipere poſſint, non

(*a*) Concil. Carthag. ap. Cyprian. n. XIX. p. 234. (p. 1 1. edit. Fell. Amſtelod. MDCC.) Qui hæreticos poteſtatem baptizandi habere dicit, dicat prius, quis hæreſin condiderit. Si enim hæreſis a Deo eſt, habere & *indulgentiam diuinam* poteſt. Si vero a Deo non eſt, quomodo gratiam Dei habere aut conferre alicui poteſt?

(*b*) Concil. Roman. can. VII. ap. Coteler. not. in conſtit. apoſt. lib. III. c. IX.

(*c*) Auguſtin. de bapt. lib. V. c. XXI. Sacramentum gratiæ dat Deus etiam per malos: ipſam vero gratiam non niſi per ſe ipſum vel per ſanctos ſuos. -- Baptiſmum vero, quod eſt ſacramentum remiſſionis peccatorum, nulli dubium eſt habere etiam homicidas poſſe, cetera.

autem *gratiam* baptiſmi, quæ eſt *abſolutio* ſeu *remiſſio peccatorum*; hanc enim Deus nulli, niſi ſincera fide & vera pœnitentia ad ipſum ſe conuertenti, indulget. Quotiescumque igitur veteres *baptiſmum* nomine *abſolutionis*, vel *indulgentiæ* appellant, cum hac conditione intelligendi ſunt, quod illis duntaxat id ſit, qui digne eum recipiant. Et hinc obſeruari licet, quod vera, antiqua & propria abſolutionis & indulgentiæ notio ſit diuina peccatorum condonatio, per miniſterialem ſacramentorum ſuorum applicationem, quæ ſigilla ſunt fœderis ipſius, *remiſſionem peccatorum* conferentis. Vnde *baptiſmus*, homines in fœdus gratiæ intromittens, *ſacramenti abſolutionis & indulgentiæ* nomine dignatus fuit.

## §. III.

### *Et παλιγγενεσία, regeneratio & χρίσμα, vnctio.*

ALIVS præclarus baptiſmi effectus erat *regeneratio*, ſiue noua natiuitas ex morte *peccatorum* in vitam *iuſtitiæ*. Nam chriſtianus quiſque aquis baptiſmi denuo naſci credebatur, ſecundum illud TERTVLLIANI [*d*]: *Nos piſciculi ſecundum ἰχθὺν noſtrum Ieſum Chriſtum in aqua naſcimur:* quod nomen ἰχθὺς, vt alio iam loco [*e*] adnotauimus, nomen erat ex initialibus litteris *Græcorum* ſeruatoris noſtri nominum, ἰησοῦς, χριστὸς, Θεοῦ υἱὸς, σωτὴρ artificialiter compoſitum, quod *piſcem* ſignificat, ad quod non tantum heic TERTVLLIANVS, ſed PROSPER [*f*] etiam & OPTATVS [*g*] adludunt. Hinc baptiſmus in catecheſibus CYRILLI dicitur παλιγγενεσία ψυχῆς, [*h*], *regeneratio animæ*; &

(*d*) Tertull. de bapt. c. I.

(*e*) Lib. I. cap. I. §. II. volum. I. p. 4.

(*f*) Proſp. de prædict. & promiſſis part. II. c. XXXIX. Qui tributum pro ſe & pro Petro, & cæcato lumen reddidit Paulo, ſatians ex ſe ipſo in littore diſcipulos, & toti ſe offerens mundo ἰχθύν. Namque latine piſcem ſacris litteris, maiores noſtri hoc interpretati ſunt ex Sibyllinis verſibus colligentes, quod eſt *Ieſus Chriſtus, filius Dei, ſaluator*, piſcis in ſua paſſione decoctus, cuius ex interioribus remediis quotidie illuminamur & paſcimur.

(*g*) Optat. lib. III. p. (2. p. 61.) Hic eſt piſcis, qui in baptiſmate per innocationem fontalibus vndis inſeritur, vt quæ aqua fuerat, a piſce etiam piſcina vocitetur. Cuius piſcis nomen ſecundum appellationem græcam in vno nomine per ſingulas litteras turbam ſanctorum nominum continet ἰχθὺς, quod eſt latine *Ieſus Chriſtus, filius Dei, ſaluator*.

(*h*) Cyrill. catech. præfat. n. X. Μέγα τὸ προκείμενον βάπτισμα· αἰχμαλώτοις λύτρον·

ὕδωρ

*ὕδωρ ζωῆς*, *vitæ aqua* apud IVSTINVM MARTYREM [*i*]; & *fons diuinus* apud CASSIODORVM [*k*], vnde nomen noſtrum *Anglicanum Font*, cum pluribus eiusdem valoris appellationibus aliis, deſcendit. Et quum hæc noua natiuitas virtute & efficientia ſpirius ſancti producatur, hinc *ſpiritualis natiuitas* dicebatur, qua qui ſæculo antea natus erat, iam ſpiritualiter Deo renatus eſſet. Atque ſic, vt OPTATVS loquitur [*l*], fiebat hominum pater Deus; ſancta ſic fiebat mater eccleſia. Nam priusquam homines baptiſmo donarentur, non erant perfecta corporis Chriſti, hoc eſt eccleſiæ, membra, nec proprie in familiam Dei adoptati, neque adeo adhuc Deum patrem ſuum, vel eccleſiam matrem ſuam, vocandi iure gaudebant. Et quum diuinæ ſpiritus ſancti operationes per ſanctificantem gratiam in ſcripturis non numquam dicantur *vnctio*, ideo baptiſmus etiam *chriſma* ſeu *vnctio* ab inſigni, qui eum conſequebatur, effectu vocabatur. GREGORIVS NAZIANZENVS huius nominis inter multas alias honorificas appellationes meminit. *Donum vocamus*, inquit [*m*], *gratiam*, *baptiſmum*, *VNCTIONEM*, *illuminationem*, *incorruptionis indumentum*, *regenerationis lauacrum*, *ſigillum*, *ac denique excellentiſſimo quouis nomine appellamus.* Et in horum nominum explicatione ſpeciatim obſeruat, quod *vnctio* dicatur, quia ſacer & regius ſit, huiusmodi enim ea fuiſſe, quæ vngi conſueuerint. Vnde

ἁμαρτημάτων ἄφεσις· θάνατος ἁμαρτίας· παλιγγενεσία ψυχῆς κ. τ. λ. Magnum eſt ſane, quod vobis propoſitum eſt, hoc baptiſma: captiuis libertas, peccatorum remiſſio, mors peccati, *animæ regeneratio.*

(*i*) Iuſtin. dialog. p. 231. *διὰ τοῦ λουτροῦ τῆς μετανοίας καὶ τῆς γνώσεως τοῦ Θεοῦ, ὃ ὑπὲρ τῆς ἀνομίας τῶν λαῶν τοῦ Θεοῦ γέγονεν, ὡς Ἡσαΐας βοᾷ, ἡμεῖς ἐπιστεύσαμεν, καὶ γνωρίζομεν, ὅτι τοῦτ' ἐκεῖνο, ὃ προεκήρυσσε* τὸ βάπτισμα, *τὸ μόνον καθαρίσαι τοὺς μετανοήσαντας δυνάμενον, τοῦτό ἐστι* τὸ ὕδωρ τῆς ζωῆς. Per lauacrum pœnitentiæ & cognitionis Dei, quod propter iniquitates populorum Dei inſtitutum eſt, quemadmodum Iſaias clamat, nos credimus, & ſcimus atque prædicamus: illud ipſum inquam, ab eo promulgatum *baptiſma*, quod ſolum luſtrare atque purificare poteſt pœnitentiam agentes, *aquam eſſe vitæ.*

(*k*) Caſſiodor. in Cantic. c. VII.

(*l*) Optat. lib. II. p. 52. Par. MDCXXXI. (p. 44. Par. MDCLXXIX.) Dum trinitas cum fide concordat, qui natus fuerat ſæculo, renaſcitur ſpiritualiter Deo. Sic fit hominum pater Deus, ſancta ſic fit mater eccleſia.

(*m*) Naz. orat. XL. de bapt. p. 638. *Δῶρον καλοῦμεν, χάρισμα, βάπτισμα, χρίσμα, φώτισμα, ἀφθαρσίας ἔνδυμα, λουτρὸν παλιγγενεσίας, σφραγῖδα, πᾶν ὅτι τίμιον.*

 Vnus-

vnusquisque certo sensu rex & sacerdos Deo per Christum in baptismo fiebat, quo intuitu HIERONYMVS [n] baptismum *sacerdotium laici* vocat in distinctione a *sacerdotio clerici*, quod per solam ordinationem conferebatur.

## §. IV.

### *Et* Φώτισμα *siue* Φωτισμὸς, *illuminatio.*

ALIVS baptismi effectus erat, quod hominum mentes diuina cognitionis luce perfunderet. Hinc baptismus Φωτισμὸς, *illuminatio* vocabatur, quemadmodum id nomen in CHRYSOSTOMO [o], NAZIANZENO [p], DIONYSIO AREOPAGITA [q], concilio LAODICENO [r] aliisque scriptoribus frequenter occurrit. Ratio istius nominis petenda esse videtur partim ex præuia catechumenorum institutione in præparatione eorum ad baptismum, secundum illud IVSTINI MARTYRIS [s]: *Vocatur lauacrum hoc illuminatio, quod eorum, qui hoc discunt, mentes illuminentur.* Partim etiam inde, quod esset introitus in statum illu-

(n) Hieronym. dialog. aduers. Lucifer. c. II. Sacerdotium laici, id est baptisma. Scriptum est enim, Regnum quippe nos & sacerdotes Deo & patri suo fecit. Et iterum, Gentem sanctam, regale sacerdotium.

(o) Chrysostom. hom. XIII. in Hebr. pag. 1848. (p. 504. edit. Eton. MDCXII.) πολλὺς οἶδα τῦτο παθόντας ἐγὼ, οἳ προσδοκίᾳ μὲν τῦ Φωτίσματος πολλὰ ἡμάρτανον· πρὸς τῇ ἡμέρᾳ τῆς τελευτῆς ἀπῆλθον κενοί· ὁ γὰρ Θεὸς διὰ τῦτο τὸ βάπτισμα δέδωκεν, ἵνα λύσῃ τὰς ἁμαρτίας, ὐχ ἵνα αὐξήσῃ. Noui multos, quibus hoc accidit, qui propter *illuminationis* (h. e. *baptismi*) exspectationem multa peccabant: in die autem mortis excesserunt inanes. Deus enim propterea dedit baptisma, vt soluat peccata non vt ea augeat.

(p) Nazianz. orat. XL. de bapt. p. 638. Vid. sub litt. antec. (m).

(q) Dionys. hierarch. eccles. c. III. (p. 233. edit. Paris. MDCXXXIV.) τὴν ἱερὰν τῆς θεογενεσίας τελετὴν, ἐπειδὰν πρώτυ φωτὸς μεταδίδωσι καὶ πασῶν ἐστιν ἀρχὴ τῶν θείων φωταγωγιῶν, ἐκ τῦ τελεμένυ τὴν ἀληθῆ τῦ Φωτίσματος ἐπωνυμίαν ὑμνῦμεν. *Sacram diuinæ regenerationis initiationem*, quod primam lucem conferat, omniumque diuinorum illustrationum principium existat, ex effectu *illustrationis nomine celebramus.*

(r) Concil. Laodic. c. XLVII. (tom. I. concil. p. 1505.) Ὅτι δεῖ τὺς ἐν νόσῳ παραλαμβάνοντας τὸ Φώτισμα, καὶ εἶτα ἀναστάντας, ἐκμανθάνειν τὴν πίστιν, καὶ γινώσκειν, ὅτι θείας δωρεᾶς κατηξιώθησαν. Quod oporteat eos, qui in morbo baptismum accipiunt, & deinde resurgunt, fidem ediscere, & nosse, quod diuino munere digni habiti sunt.

(s) Iustin. apol. II. p. 94. ed. Paris. MDCXXXVI. καλεῖται δὲ τῦτο τὸ λυτρὸν φωτισμὸς, ὡς φωτιζομένων τὴν διάνοιαν τῶν ταῦτα μανθανόντων.

mina-

minatum & introductio in diuinam cognitionem, quæ gradatim perfectior euadat. Nam IVSTINI verba de illuminatione baptiſmum conſequente intelligi poſſunt. Atque hoc modo rationem huius appellationis reddunt CLEMENS ALEXANDRINVS [t] & PSEVDO-DIONYSIVS [u], quod quum baptiſmus primam lucem conferat, omniumque diuinarum illuſtrationum principium exiſtat, ex effectu *illuſtrationis* nomine celebretur. Fortaſſis ita etiam vocari potuit, eo quod baptizati nunc ad omnes myſticas partes & reconditam notitiam religionis admitterentur, quæ ex diſciplina eccleſiæ illis, dum eſſent catechumeni, celabantur. Forte etiam reſpectus quidam habitus eſt ad plenam ſpiritus ſancti effuſionem per donum linguarum, cognitionis & prophetiæ, quod æuo apoſtolico per impoſitionem manuum ab apoſtolis in ipſo baptiſmo impertiebatur.

### §. V.

### *Et* ſalus.

ALIVS baptiſmi effectus æterna erat ſalus, ſicuti ordinarium medium is erat, non tantum obtinendi remiſſionem peccatorum, ſed homines etiam per gratiam & ſanguinem Chriſti perducendi ad regni cæleſtis gloriam. Vnde, AVGVSTINO [x] obſeruante, valde vſitatum inter chriſtianos *Punicos* ſeu *Africanos* erat, baptiſmum *ſalutem*, vt ſacramentum corporis Chriſti *vitam*, vocitare, quod hæc duo ſacramenta ad conſequendam *ſalutem* ſeu *vitam æternam* neceſſaria eſſe credebantur. Quocirca GREGORIVS NAZIANZENVS hominem quemdam, qui procraſtinandi baptiſmi libertatem ſibi vindicare ſatagit, introducens ita loquentem exhibet : *Abi & redi, & cras baptizabor. Adſit mihi mater, adſit mihi pater, fratres, vxor, liberi, amici, atque omnes, quos*

(t) Clem. Alex. pædagog. lib. I. c. VI. p. 93. (113.) Καλεῖται δὲ πολλαχῶς τὸ ἔργον τοῦτο χάρισμα, καὶ φώτισμα, καὶ τέλειον, καὶ λουτρόν· - - φώτισμα δὲ, δι' οὗ τὸ ἅγιον ἐκεῖνο φῶς τὸ σωτήριον ἐποπτεύεται, τουτέστιν δι' οὗ τὸ θεῖον ὀξυωποῦμεν. Multis modis vocitur hoc opus, gratia, *illuminatio*, perfectum & lauacrum. - - *Illuminatio* autem, per quam ſanctum illam & ſalutarem lucem intuemur, hoc eſt, per quam Deum perſpicimus.

(u) Dionyſ. eccleſ. hierarch. c. III. p. 283. vid. ſub litt. (q).

(x) Auguſt. de pecc. merit. lib. I. c. XXIV. tom. VII. p. 204. Pariſ. MDCXXXVII. Optime Punici chriſtiani baptiſmum ipſum nihil aliud quam *ſalutem* & ſacramentum corporis Chriſti, nihil aliud quam *vitam* vocant.

*caros habeo:* & *tum SALVTEM accipiam,* τηνικαῦτα σωθήσομαι [*y*]; quorum vltimorum verborum ſenſus ſit, neceſſe eſt, quod tum baptiſmum recepturus ſit ad ſalutem obtinendam. Iſtiusmodi honorificas appellationes huic baptiſmi ſacramento tribuerunt veteres, ab egregiis petitas effectis, quæ omnibus digne ipſum recipientibus conferri exiſtimabantur.

## §. VI.

## *A natura & ſubſtantia ſua vocatus* myſterium, ſacramentum, & σφραγίς.

A NATVRA & ſubſtantia ſua *myſterium*, *ſacramentum* & σφραγὶς nuncupabatur. Quorum nominum duo priora adeo in vulgus nota ſunt, vt iis explanandis tempus terere neceſſe non ſit. Hoc tantum notabimus, vocabula *myſterium* & *ſacramentum*, latiore interdum ſenſu accepta, ſacram quamcumque cærimoniam vel partem quamlibet religionis, quæ ſpiritualem ſiue myſticam quamdam ſignificationem admittit, denotare. Qua de re commodior dicendi locus erit, vbi de *confirmatione* tractabimus. Nomen σφραγὶς & *ſignaculum* minus vulgare eſt, quatenus baptiſmo applicatur, adeoque errores aliquot inter viros doctos peperit, qui illud ſæpiuſcule vel pro ſigno *crucis* vel pro *obſignatione* & *vnctione* in confirmatione vſitata, falſo accipiunt. Si in celebratiſſimo CLEMENTIS ALEXANDRINI libro, quem inſcripſit *Quis diues ſaluetur*, cuius portio in EVSEBIO [*z*] exſtat, integer autem a COMBEFISIO [*a*] editus eſt, epiſcopus, cui *Ioannes* apoſtolus iuuenem quemdam, recens ad Chriſti fidem perductum, commendauerat, adoleſcentem ſibi traditum

(*y*) Nazianz. orat. XL. de bapt. p. 655. b. ἀπελθὼν ἐπωνύμησε, καὶ ἄυριον βαπτισθήσομαι· παρέστω μοι μήτηρ, παρέστω μοι πατήρ, ἀδελφοὶ, γυνὴ, τέκνα, φίλοι, πᾶν ὅ, τι μοι τίμιον, καὶ τηνικαῦτα σωθήσομαι.

(*z*) Euſeb. lib. III. c. XXIII. vid. ſub ſequ. litt. (a).

(*a*) Combeſiſ. auctar. nouiſſ. p. 185. b. ὁ πρεσβύτερος ἀναλαβὼν οἴκαδε τὸν παραδοθέντα νεανίσκον, ἔτρεφε, συνεῖχεν, ἔθαλπε, τὸ δὲ τελευταῖον ἐφώτισε· καὶ μετὰ τοῦτο ὑφῆκε τῆς πλείονος ἐπιμελείας καὶ παραφυλακῆς, ὡς τὸ τέλειον αὐτῷ φυλακτήριον ἐπιστήσας, τὴν σφραγίδα τοῦ κυρίου. Presbyter adoleſcentem ſibi traditum in domum ſuam ſuſcipiens, educando, continendo, fouendo operam dabat, ac tandem ſacro baptiſmate initiauit. Deinceps ſacerdos de priſtina cura atque cuſtodia paullatim remiſit, vt qui perfectum ei tutamen, ac quo illi cautum omnino foret, *domini ſignaculum* adhibuiſſet.

in domum ſuam ſuſcepiſſe, ſuſceptum inſtituiſſe & educaſſe, & tum perfectum ei tutamen, ac quo illi contra peccatum cautum omnino foret, *domini ſignaculum*, τὴν σφραγίδα τȣ̃ κυρίȣ, adhibuiſſe dicitur. Iam CHRISTOPHORSONVS & BELLARMINVS & poſt hunc alii per *ſignaculum domini* intelligunt *confirmationem*, SELDENVS [*b*] & alii quidam ſignum crucis id fuiſſe volunt; VALESIVS [*c*] autem & DALLAEVS [*d*] verius de baptiſmo interpretantur, qui *ſignaculum domini* vocabatur, quia in

(*b*) Seller, *Life of* Iuſtin. Mart. p. 102.

(*c*) Valeſ. not. in Euſeb. lib. III. c. XXIII. Veteres chriſtiani baptiſmum vocabant σφραγίδα, vt præter ceteros docet Gregorius Nazianzenus (vid. §. III. litt. (m) pag. 141.) Cauſſam cur baptiſmum vocarent σφραγίδα idem Gregorius ſubiungit, quod ſcilicet baptiſmus ſit conſeruatio & nota dominii. Male ergo Chiſtophorſonus hunc Euſebii locum de ſacramento *confirmationis* interpretatus eſt. cetera.

(*d*) Dallæus de confirmat. lib. II. c. I. p. 110. *Aperte* (inquit Bellarminus) *loquitur Clemens de ſacramento confirmationis.* Fateor, inquam, ſi verum, ac vere a domino inſtitutum confirmationis ſacramentum intelligis; baptiſmum nimirum, quod verbo ἐφώτισε Græcis in ea re familiari, expreſſit, ſin de tuo chriſmate capis (vt certe capis) nihil de ea Clemens; nedum vt aperte de eo loquutus ſit. At (inquit) id, de quo loquitur, & quo velut perfecta cuſtodia munitum adoleſcentem narrat, id τὴν σφραγίδα τȣ̃ κυρίȣ, *domini ſigillum*, vel *ſignaculum* vocat. Fateor; ſed eo nomine Chriſti baptiſmum, quem ab adoleſcente ſuſceptum dixerat, intelligi aio; tuam chriſmationem, de qua verbum nullum fecerat, intelligi nego. Nimium bonus ille presbyter adoleſcente ſemel tincto, atque initiato, putauit, non eſſe poſthac ſibi diligentius in eo cuſtodiendo laborandum; quod in hoc ſanctiſſimo, quo domino Chriſto conſecratus, & ab eo conſignatus erat, myſterio ſatis ipſi præſidii ad omnem hoſtium vim amoliendam datum eſſe exiſtimaret. Sic intellexit Ruffinus; *poſthæc* (inquit) *velut confidens gratiæ, qua fuerat communitus, paullo indulgentius iuuenem habere cœpit.* Cuinam *gratiæ confidebat?* Qua (inquit) *fuerat communitus.* Fuiſſe autem communitum non chriſmate (quod heic nullum apparet) ſed baptiſmo dixerat. Quin immo vt id ſignificaret Ruffinus, non baptiſmum, ſed baptiſmi gratiam dixerat; *Ad vltimum* (inquit) *baptiſmi gratiam tradit*; vt quod addit continenter, *Poſt hæc iam velut confidens gratiæ*, non de alia, quam de baptiſmi gratia poſſit intelligi. Et ſane baptiſmus domini σφραγὶς *ſigillum*, vel *ſignaculum* multo rectius, quam chriſma dicitur. Illum enim a domino inſtitutum ad oues ſuas obſignandas patet ex omnibus euangeliis; De hoc nihil tale vſpiam legitur. Baptiſmo vero *ſignaculi*, ſiue *ſigilli* nomen conuenire, & Paulus ſatis docet, & vetus eccleſia loquitur. Paulus quidem, qui cum circumciſionem, qua Moſaicæ legi vetus initiabatur populus, σφραγίδα τῆς δικαιοσύνης τῆς πίστεως, *ſignaculum iuſtitiæ fidei* vocat; quanto magis id nominis dandum putauerit baptiſmo; quo dominico euangelio ini-

ipſa eius natura fœdus Deum inter & homines ictum continetur; adeoque quum baptiſmus huius fœderis ſigillum ſit, maxime propria loquendi ratione *ſignaculum domini* dicitur. Hoc ſenſu vetuſtus auctor *actorum Pauli* & *Theclæ* hoc nomine σφραγῖδος pro *baptiſmo* vtitur. Da mihi, ait *Thecla Paulo*, *ſignaculum in Chriſto* [e], *nec vlla me tanget tentatio.* Similiter HERMAS PASTOR de baptizatis quibusdam, regnum cælorum ingreſſis, loquens eadem verborum formula vtitur. *Illi defuncti*, inquit, *SIGILLO filii Dei* [f] *ſignati ſunt, & intrauerunt in regnum Dei. Antequam enim accipiat homo nomen filii Dei, morti deſtinatus eſt: at vbi accipit illud SIGILLVM, liberatur a morte & traditur vitæ. Illud autem SIGILLVM aqua eſt, in quam deſcendunt homines morti obligati, adſcendunt vero vitæ adſignati. Et illis igitur prædicatum eſt illud SIGILLVM, & vſi ſunt eo, vt intrarent in regnum Dei.* In omnibus illis locis nulla diſerta mentio baptiſmi habetur, vocatur autem *ſigillum* & *nomen Chriſti*, ideo quod ſignaculum & nomen chriſtianorum nobis imprimit, noſque a iudæis & gentilibus ſeparatos ad dominium CHRISTI poſſeſſionemque pertinere oſtendit. Hinc TERTVLLIANVS frequenter eum *ſignaculum fidei* [g] vocat, noſque hoc *corporis ſignaculo* [h] a *iudæis* diſtingui dicit, quia eorum ſignaculum circumciſio, noſtrum autem baptiſmus ſit. Ad eumdem modum GREGORIVS NAZIANZENVS rationem huius appellationis explicans, baptiſmum *ſigillum* vocari dicit, quia dominationis ſignificatio [i] & noſtri ad vitam æternam obſignatio ſit. Quo reſpectu CONSTANTINVS paullo ante ſuum ex vita exitum beneficium baptiſmi ab epiſcopis ipſum circum-

tiatur nouus populus? Eccleſia vetus hanc Pauli auctoritatem & nomenclaturam ſequuta, baptiſmum ſignaculum vocat. cetera.

(e) Acta Theclæ ap. Grab. ſpicileg. tom. I. p. 106. *δός μοι τὴν ἐν χριστῷ σφραγῖδα, καὶ οὐκ ἅψεταί μου πειρασμός.*

(f) Herm. paſt. lib. III. ſimil. IX. n. XVI. apud Coteler. volum. I. p. 117.

(g) Tertull. de ſpectac. c. IV. Ad principalem auctoritatem conueniar ipſius *ſignaculi* nomen. It. c. XXIV. Hoc erit pompa diaboli, aduerſus quam in *ſignaculo fidei* ieramus.

(h) Tertull. apol. c. XXI. Neque de ipſo *ſignaculo corporis*, neque de conſortio nominis cum Iudæis agimus.

(i) Naz. orat. XL. de bapt. p. 639. *σφραγῖδα δὲ ὡς συντήρησιν καὶ τῆς δεσποτείας σημείωσιν.*

ſtanti-

ſtantibus ſibi conferri cupiens, EVSEBIO [*k*] dicitur his verbis poſtulaſſe: *Iam tempus eſt, vt SIGNVM illud, quod immortalitatem confert, nos quoque percipiamus; tempus eſt, vt ſalutaris SIGNACVLI participes fiamus.* Inde quoque *ſigillum ſpiritus* appellabatur, quia vnusquisque dignus receptor vna cum externo aquæ elemento primitias ſpiritus in baptiſmo recipere credebatur: Secundum illud CHRYSOSTOMI [*l*]: *Quemadmodum nota quædam militibus, ita fidelibus quoque ſpiritus imponitur: quo fit, vt ſi ordinem deſerueris, omnibus perſpicuus fias, Iudæi enim ſigni loco circumciſionem habebant: nos autem arrham ſpiritus.* Et hæc diſtinctio inter internum & externum baptiſmi ſignaculum neceſſario facienda erat, quod multi externum baptiſmi ſignaculum, ſeu externum elementum recipiebant, qui ſua ipſorum culpa internum ſpiritus ſigillum recipere non poterant. Ita *conſtitutionum apoſtolicarum* auctor [*m*] ipſum *Simonem Magum ſigillum domini* recepiſſe dicit, intelligens externam formam *baptiſmi*, ſed neque hic, neque alius quiſpiam auctor eum internum ſigillum, ſeu gratiam ſpiritus ſancti, indeptum eſſe adſerit. Ad eumdem modum OPTATVS [*n*] *Donatiſtis*, tam illos ipſos, quam catholicos vno eodemque ſigillo ſignari, dicit, quod de externa baptiſmi forma exponit, in quo vtrique conueniant & ſimiliter baptizati ſint. Verum & OPTATVS & AVGVSTINVS & reliqui ſcriptores vetuſti omnes in eo conſentiunt, quod hæreticorum & ſchiſmaticorum baptiſmus, cuiusmodi *Donatiſtarum*

(*k*) Euſeb. de vita Conſt. lib. IV. c. LXII. ἄρα καὶ ἡμᾶς ἀπολαῦσαι τῆς ἀθανατοποιοῦ σφραγῖδος· ἄρα τοῦ σωτηρίου σφραγίσματος μεταχεῖν.

(*l*) Chryſoſt. hom. III. in 2 Cor. fin. Καθάπερ στρατιώταις σφραγὶς, οὕτω καὶ τοῖς πιστοῖς τὸ πνεῦμα ἐπιτίθεται· κἂν λειποτακτήσῃς, κατάδηλος γίνῃ πᾶσιν· Ἰουδαῖοι μὲν γὰρ εἶχον σφραγῖδα τὴν περιτομὴν, ἡμεῖς δὲ τὸν ἀῤῥαβῶνα τοῦ πνεύματος.

(*m*) Conſtit. apoſtol. lib. II. c. XIV. Σίμων ὁ μάγος τὴν ἐν κυρίῳ σφραγῖδα ἔλαβε. Auguſt. de bapt. lib. VI. c. XII. (tom. VII. p. 461. d. edit. Baſil. MDLXIX.) Aliud eſt, omnis qui intrabit in regnum cælorum, prius naſcitur ex aqua & ſpiritu, quia niſi renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non intrabit in regnum cælorum: quod dominus dixit & verum eſt: Aliud autem, omnis qui naſcitur ex aqua & ſpiritu, intrabit in regnum cælorum: quod vtique falſum eſt. Nam & Simon ille magus natus erat ex aqua & ſpiritu, & tamen non intrauit in regnum cælorum.

(*n*) Optat. lib. III. p. 72. Pares credimus & vno ſigillo ſignati ſumus: nec aliter baptizati quam vos.

erat, internum sigillum seu sanctificantem spiritus sancti gratiam conferre non possit, quia hæc solo ecclesiæ catholicæ ministerio conferatur, qua de re alio loco [o] diximus copiosius. Vt adeo hoc intuitu semper necessarium creditum sit, vt inter internum & externum baptismi sigillum distingueretur, quia licet plerumque coniuncta sint, vti in omnibus vere credentibus, interdum tamen separata sunt, vt in istiusmodi fidem & probitatem simulantibus ac indignis receptoribus, qualis *Simon Magus* aliique eiusdem furfuris homines erant.

§. VII.

*Et* character dominicus.

AVGVSTINO plerumque *character regius & character dominicus* vocatur. Qua appellatione non internam aliquam qualitatem seu spiritualem virtutem, a baptismo distinctam & animæ impressam, quemadmodum recentiores scholastici id reddere amant, intelligit; sed externam tantum baptismi formam communem omnibus, siue digne siue indigne recipientibus, qui recte in nomine sacrosanctæ trinitatis baptizantur. In tantum nota siue *charactere domini* signati sunt, vt a non baptizatis *iudæis*, ac gentilibus, christianam religionem re ipsa numquam professis, nec externum quidem eius characterem siue indicium adeptis, distingui possint. Et hic character ab AVGVSTINO catenus indelebilis quoque habetur, vt religionis christianæ desertori, quamuis ad *iudaismum* vel gentilitatem reuerso, baptismi iteratione non opus sit, sed resipiscentia tantum & absolutione, vt in cuncta ecclesiæ christianæ priuilegia restituatur. Qua de re quum in alio libro [p] iam verbosius disseruimus, plura hoc loco dicere nihil attinet.

§. VIII.

*Cur* sacramentum fidei *&* pœnitentiæ *vocetur.*

ALIA quædam baptismo data nomina, a conditionibus petita erant, quæ in omnibus cum recipientibus requirebantur, quæ erant veræ fidei & sinceræ resipiscentiæ professio. Quam ob caussam baptismus quandoque *sacramentum fidei* & *sacramentum pœnitentiæ* nuncupatur. AVGVSTINVS hoc nomine vtitur, explicaturus,

(o) *Schol. hist. of Lay-Baptism.* part. I. chap. I. n. XXI.
(p) Ibid. part. II. chap. VI.

quem-

quemadmodum paruuli [q] fidem habere dici queant, tametsi ad formalem fidei professionem per se ipsos edendam non sint idonei. *Sicut*, inquit, *secundum quemdam modum sacramentum corporis Christi corpus Christi est, & sacramentum sanguinis Christi sanguis Christi est, ita SACRAMENTVM FIDEI fides est. - - Ac per hoc, quum respondetur paruulus credere, qui nondum fidei habet adfectum, respondetur, fidem habere propter FIDEI SACRAMENTVM, & conuertere se ad Deum propter CONVERSIONIS SACRAMENTVM.* Eamdem appellationem adhibet FVLGENTIVS [r] de baptismi loquens necessitate: *Firmissime tene & nullatenus dubites, exceptis illis, qui pro nomine Christi suo sanguine baptizantur, nullum hominem accepturum vitam æternam, qui non heic a malis suis fuerit per pœnitentiam fidemque conuersus & per SACRAMENTVM FIDEI & POENITENTIAE, id est per baptismum liberatus.* Ex quibus perspicere possumus, quid veteres intelligant, de pœnitentia & absolutione, seu remissione peccatorum, tamquam sacramento, loquentes. Ipsimet enim baptisma se intelligere declarant, quod sacramentum est, pœnitentiam vt conditionem requirens, & absolutionem tamquam effectum & priuilegium omnibus digne ipsum recipientibus impertiens.

## §. IX.

### *Quod vocabula* baptismus, tinctio, lauacrum *cetera, non vniuersaliter denotent immersionem.*

DENIQVE a cærimoniis, in ipso administrationis actu vsitatis, peculiaria nomina *baptismi*, *tinctionis*, & *lauacri regenerationis* arcessita sunt, quæ proprie vel immersionem in aquam, vel lauationem siue adspersionem denotant, quæ inter *Iudæos* certis in casibus & christianos, si vrgente necessitate homines ægrotos & moribundos baptizarent, vsitata erat. Tunc enim baptismus tantum per adspersionem, non vero per immersionem, administrabatur, quemadmodum videbimus, vbi magis speciatim de clinicorum baptismo sumus loquuturi. Atque adeo notandum est, baptismum antiquo ecclesiæ stilo non absolute & necessario immersionem significare, etiamsi hæc vsitatior esset cærimonia, olim in infantibus non minus quam adultis factitata. Sed exceptio locum heic habebat in infirmitate

(q) August. epist. XXIII ad Bonifac.
(r) Fulgent. de fide ad Petrum cap. XXX.

aliisque istiusmodi necessitatis casibus, vbi omnimoda immersio adhiberi non poterat. Quibus in casibus baptismi substantia conseruari credebatur, minutioribus licet circumstantiis haud obseruatis.

## §. X.

### *De aliis quibusdam nominibus baptismo adsignatis.*

PRAETER hæc nomina, a rebus ad baptismi administrationem propius spectantibus petita, alia nonnulla erant ad circumcisionem alludentia, rursus alia ad magnum eius auctorem institutoremque dominum nostrum IEsum Christum respicientia, alia denique a remotioribus eius effectis desumta, quorum, quia posthac nobis non dabitur iterum de illis loquendi occasio, non abs re fuerit hoc loco facere mentionem. Quandoquidem baptismus in locum circumcisionis successit, & christiani fœderis sigillum est, vt hæc fœderis cum *Abrahamo* facti sigillum fuit, ideo ex analogia quadam nonnumquam *magna circumcisio* dicitur. Vt quum EPIPHANIVS, alteram alteri comparans, ait [s]: *Circumcisio tamdiu suum tempus habuit, donec maior circumcisio eius est locis substituta, nempe illa lotio regenerationis*, quæ peccata nobis resecat, & nos nomine signat Dei. Ita quum baptismus Christum auctorem habeat, non hominem, olim quoque *δῶρον* & *χάρισμα κυρίε*, *donum domini* nuncupatus fuit. Vt in vetustis *actis Pauli* & *Theclæ*; quando *Thecla* sigillum domini sibi dari cupit, *Paulus* ei respondet: *Patienter exspecta & accipies δωρεὰν τε̃ χριςε̃*, *donum Christi*, qua voce, vt eruditus editor [t] obseruat, sacramentum baptismi itidem denotatur. In-

(s) Epiphan. hæres. VIII. al. XXVIII. Cerinth. n. IV. *διήρκεσε δὲ ἡ περιτομὴ χρόνῳ ὑπηρετήσασα, ἕως ἡ μείζων περιτομὴ παρεγένετο, τετέςι τὸ λȣτρὸν τῆς παλιγγενεσίας.*

Iustin. Mart. dialog. cum Tryph. p. 261. *ἡμεῖς, οἱ διὰ τȣ́τȣ (Χριςȣ̃) προσχωρήσαντες τῷ Θεῷ, ȣ̓ ταύτην τὴν κατὰ σάρκα παρελάβομεν περιτομὴν, ἀλλὰ πνευματικὴν, ἣν Ἐνὼχ καὶ οἱ ὅμοιοι ἐφύλαξαν· ἡμεῖς δὲ, διὰ τȣ̃ βαπτίσματος αὐτὴν, ἐπειδὰν ἁμαρτωλοὶ ἐγεγόνειμεν, διὰ τὸ ἔλεος τὸ παρὰ τȣ̃ Θεȣ̃ ἐλάβομεν.* Nos qui per hunc (Christum) aditum nacti sumus ad Deum, non istam *secundum carnem* suscepimus *resectionem* sed *spiritualem*, quam Enoch & similes custodierunt. Eam vero nos per *baptismum*, quandoquidem peccatores fueramus, propter misericordiam ipsius Dei accepimus.

(t) Grab. spicileg. patr. tom. I. p. 106. *καὶ εἶπεν ὁ Παῦλος τῇ Θέκλᾳ· μακροθύμη-*

terdum

terdum ſimpliciter δῶρον, ſine vllo additamento per modum eminentiæ vocabatur, quia & gratuitum & ſingulare donum *CHRISTI* erat. *Donum vocamus*, inquit NAZIANZENVS [u], *quia iis, qui nihil prius contulerunt, datur.* Et BASILIVS ait: Δεόν ἐπιτρέχειν τῷ δώρῳ, *Occurrendum eſt ad hoc donum* [x], intelligens baptiſmum. Et CASAVBONVS porro obſeruauit [y], quod quum ſpiritus ſimiliter in baptiſmo donetur, ideo ipſe ſpiritus ſanctus nonnumquam *donum* & *munus* appelletur. Euchariſtia etiam, ſeu ſacramentalis corporis ac ſanguinis Chriſti oblatio, tum ante tum poſt conſecrationem hoc nomine venit, δῶρα & μυστικὰ δῶρα, cuius appellationis varia exempla ex antiquis libris ritualibus ab hoc erudito ſcriptore collecta ſunt, quæ heic interponere nihil attinet. Baptiſmus etiam ἐφόδιον, *viaticum* dictus fuit, non minus quam euchariſtia, quæ vox proprie quodlibet ad iter neceſſarium denotat: quo intuitu ambo iſta ſacramenta *viatica* dicta, quod æquabiliter neceſſarius commeatus & armatura ad homines in itinere ſuo per hunc mundum in vitam æternam alendos, conducendos & tuendos exiſtimaretur. BASILIVS cuiuscunque ætatis & conditionis homines ad baptiſmum recipiendum adhortans, his illos verbis alloquitur [z]: *Iuuenis es? Iuuentutem fræno baptiſmi retine. Flos abeſt ætatis? vide ne ſenectuti VIATICVM deſit, ne ARCEM & PROPVGNACVLVM per inconſiderantiam & ignauiam amittas.* Ad quod nomen GREGORIVS NAZIANZENVS [a] alludit, quum de miniſtri baptizantis munere loquens id ἐφοδιάζειν nominat, hoc eſt, viatico homines in alte-

σον, καὶ λήψῃ τὴν δωρεὰν τοῦ Χριστοῦ. Et Paulus reſpondet Theclæ: Patienter exſpecta & accipies *donum Chriſti.*
Grab. in h. l. p. 333. Hac voce ſacramentum baptiſmi denotatur.

(u) Naz. orat. XL. p. 638. d. δῶρον καλοῦμεν, ὡς καὶ μηδὲν προσενεγκοῦσι διδόμενον.

(x) Baſil. hom. XIII. de bapt. p. 411. c.

(y) Caſaubon. exercitat. XVI. in Baron. n. I I. p. 10?. Quin etiam ipſe ſpiritus ſanctus vnicus tanti myſterii effector, appellatur *donum & munus* κυρίως.

(z) Baſil. ibid. p. 413. νέος εἶ; ἀσφάλισαι τὴν νεότητα τῷ τοῦ βαπτίσματος χαλινῷ· παρέδραμεν ἡ ἀκμή; μὴ ζημιωθῇς τὰ ἐφόδια, μὴ ἀπολέσῃς τὸ φυλακτήριον.

(a) Nazianz. orat. XL. p. 644. b. ἕως οὐ μάχη βαπτιστοῦ καὶ χρηματιστοῦ, τοῦ μὲν ὅπως ἐφοδιάσῃ φιλονεικοῦντος, τοῦ δὲ ὅπως γραφῇ κληρονόμος. quamdiu inter eum, qui baptizandi munere fungitur, & quæſtuarium nulla pugna eſt, dum ille *morientem viatico inſtruere*, hic hæres ſcribi contendit.

rum

rum mundum demigraturos instruere. Respectu habito ad id, quod homines consummata corporis Christi, hoc est ecclesiæ, membra faceret baptismus, τελείωσις etiam & τελετὴ, *consummatio* appellabatur; hominibus enim perfectionem christianorum & ius participandi τὸ τέλειον, quo nomine eucharistiam vocabant, impertiebat. Nominabatur μύησις & μυσταγωγία, *initiatio*, quod homines ad quosuis ritus sacros & mysteria religionis christianæ admitteret. Et quemadmodum eucharistia a mortis *CHRISTI* per externa panis & vini elementa repræsentatione *sacra symbola* dicebatur, ita baptismus nonnumquam idem nomen habebat, vti in ISIDORO PELVSIOTA & auctore disputationis contra *Arium* in concilio *Nicæno* sub nomine ATHANASII videre est. *Is, qui initiatur*, inquit ISIDORVS [*b*], *quantum ad SALVTARIA SYMBOLA spectat, ex improba sacerdotis vita nullo damno afficitur, verum ipse prorsus (asseueratione quippe vti oportet) diuinis atque omni dicendi facultate præstantioribus beneficiis fruitur.* Et alter ille [*c*] pro spiritus sancti diuinitate ita argumentatur: *Si spiritus sanctus non est substantia patris & filii, quare ipsum dei filius annumerauit in SYMBOLO SANCTIFICATIONIS? Ait enim ad discipulos dominus: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, filii & spiritus sancti.* In quo vtroque loco planum est, per *symbola sanctificationis* & *salutis* nihil aliud quam baptismum posse intelligi. Et hinc apparet, eadem honorifica nomina aquis baptismi æque ac elementis panis ac vini in eucharistia tribui; & quæcumque mutatio per inuocationem spiritus sancti in vnis fieri credita fuerit, eamdem alteris etiam adscribi; & tamquam egregia effecta ex baptismo non minus quam cœna dominica deriuari consueuisse, quod mors *CHRISTI* in baptismo & cœna dominica æqualiter repræsentetur eius-

(*b*) Isidor. Pelus. lib. II. epist. XXXVII. ὁ τελούμενος οὐδὲν παραβλάπτεται εἰς τὰ σωτηριώδη σύμβολα, εἰ ὁ ἱερεὺς μὴ εὖ βιοὺς εἴη, ἀλλὰ αὐτὸς πάντως· χρὴ γὰρ διαβεβαιώσασθαι· ἀπολαύσει τῶν θείων ἐκείνων καὶ λόγου κρειττόνων εὐεργεσιῶν.

(*c*) Athanas. disput. contr. Arium in concil. Nic. tom. I. p. 141. (tom. II. p. 225. c.) Εἰ οὖν οὐκ ἔστι τῆς τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ οὐσίας τὸ ἅγιον πνεῦμα, τίνος ἕνεκεν συνηρίθμησεν αὐτὸ ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ ἐν τῷ συμβόλῳ τοῦ ἁγιασμοῦ; φησὶ γὰρ ὁ κύριος πρὸς τοὺς μαθητάς· πορευθέντες, μαθητεύσατε κ. τ. λ.

que beneficia omnibus digne recipientibus vtrobique perinde conferantur. Quocirca in examinandis explanandisque diuersis honorificis nominibus, quæ baptiſmo veteres tribuerunt, paullo ſtudioſior fui, vt ſub hiſce eminentibus characteribus perſpiciamus, quas opiniones & ideas eccleſia *CHRISTI* de hoc venerabili myſterio habuerit, quod nonnulli hodie contemtim *baptiſmum aquæ* vocitant, quaſi ſpiritui nihil cum eo eſſet negotii. Quæ doctrinæ non ex generali antiquæ eccleſiæ catholicæ ſenſu, ſed ex particularibus ſectis & hæreſibus ab ea auulſis, promanare facile noſcuntur, de quibus capite ſequenti haud inconſultum fuerit non nihil dicere.

# *LIBRI VNDECIMI*
## *CAPVT SECVNDVM*
## DE MATERIA BAPTISMI, DEQVE HAERETICIS, QVI BAPTISMVM AQVAE VEL REIECERVNT VEL CORRVPERVNT.

### § I.

*Baptiſmus in totum repudiatus ab hæreticis* Aſcodrutis, Marcoſianis, Valentinianis *&* Quintillianis.

QVAMQVAM eccleſia honorificam ſemper opinionem de baptiſmo, tamquam diuino quodam & cæleſti inſtituto, ſeruauit, non defuerunt tamen ſectæ & hæreſes, quæ primis ſæculis ignominioſe & contemtim de baptiſmo loquerentur, & vel ex toto vel ex parte variis de cauſſis illum reiicerent, vel corrumperent. *Aſcodrutæ*, qui genus quoddam *Gnoſticorum* erant, religionem omnem in cognitione ponebant, & ſpiritualis cultus obtentu omnia externa vel corporea ſymbola quæcumque admittere nolebant. Dicebant, narrante THEODORETO [a], non debere diuina myſteria, quæ inuiſibilia ſint ſigna, per res viſibiles perfici, neque incorporea per ſenſiles & corporeas. Propterea nec baptizabant eos, qui accedebant, nec apud eos

(a) Theodoret. hæret. fabul. lib. I. c. X. Οὔπω δὲ φασιν, μὴ χρῆναι τὰ θεῖα μυστήρια, ἀοράτων ὄντα σύμβολα, δι' ὁρωμένων ἐπιτελεῖσθαι πραγμάτων, καὶ τὰ ἀσώματα δι' αἰσθητῶν καὶ σωματικῶν· — διὰ τοῦτο, οὔτε βαπτίζουσι τοὺς προσιόντας οὐδὲ ἐπιτελεῖται παρ' αὐτοῖς τοῦ βαπτίσματος τὸ μυστήριον· λύτρωσιν γὰρ καλοῦσι, τὴν τῶν ὅλων ἐπίγνωσιν

celebrabatur baptismatis mysterium. Redemtionem quippe appellabant vniuersorum cognitionem. IRENAEVS & [b] EPIPHANIVS eamdem consuetudinem ex eodem principio spiritualis redemtionis per solam cognitionem, inter quosdam ex sic dictis hæreticis *Marcosianis* vsitatam, obseruarunt, dum eorum alii, baptismum aliquem retinentes, miras formas ad eum corrumpendum sibi excogitarent, qua de re capite sequente §. VIII. dictari sumus. De *Valentinianis* eadem narrat IRENAEVS [c], quorum alii baptismum omnino repudiabant, alii miris formis, quas sibi ipsi inuenerant, æque ac *Marcosiani* corrumpebant, qui eiusdem hæresis surculi sub diuersis ducibus videntur fuisse. Eiusdem erroris TERTVLLIANVS [d] *Quintillam* quamdam mulierem, quæ sibi ius docendi paullo ante ipsius tempora *Carthagine* arrogarat, incusat, quod baptismum aquæ tamquam inutilem destructum iuerit, solam fidem ad saluandos homines sufficere professa, quia *Abrahamus* salutem consequutus sit deoque placuerit nullius aquæ nisi fidei sacramento. Contra hanc hæresin TERTVLLIANVS librum suum de baptismo scripsit, vt necessitatem eius ex institutione seruatoris vindicaret, & sophismatibus, quibus licentiores huius nouæ sectæ homines eum destruere conabantur, responderet.

§. II.

*Et ab* Archonticis.

ARCHONTICI baptismum ex alia ratione reiiciebant, vt fidem nobis faciunt EPIPHANIVS [e] & THEODORETVS [f]. Monstrosas & diuino numini contumeliosas alebant opiniones, mundum non a supremo rerum omnium Deo, sed a certis principatibus seu potestatibus, quas ἄρχοντας vocabant, creatum esse contendentes; inde dicti *Archontici*. Hos principatus seu

(b) Iren. lib. I. c. XVIII. n. I. II. tot. p. 88. 91.

(c) Iren. lib. III. c. II. †

(d) Tertull. de bapt. c. I. Nuper conuersata istic quædam de Caiana hæresi vipera venenatissima doctrina sua plerosque rapuit, in primis baptismum destruens &c. It. c. XIII. Adeo dicunt, baptismus non est necessarius, quibus fides satis est: nam & Abraham nullius aquæ nisi fidei sacramento Deo placuit.

(e) Epiphan. hæres. XL. de Archonticis n. II. tot.

(f) Theodoret. hæret. fabul. lib. I. c. XI. tot.

pote-

poteſtates ſeptem numero per totidem cælorum orbes diſtributas, & vnicuique principi certos angelorum & miniſtrorum ordines deſcriptos eſſe opinabantur, eorumque præcipuum nominabant *Sebaoth.* Iam vero baptiſmum in nomine tantum *Sebaoth*, non in ſupremi Dei nomine, fieri dictitabant, adeoque & illum & euchariſtiam damnabant, tamquam fictitia inſtituta Dei *iudæorum Sebaoth*, auctoris legis, quem a ſummo Deo impie diſtinguebant.

### §. III.

### *Et a* Seleucianis *&* Hermianis.

SELEVCIANI & *Hermiani* baptiſmum in aqua repudiabant, vt AVGVSTINVS [g] narrat. Rationem, cur id facerent, dabant eam, quod baptiſmus in aqua a *CHRISTO* non eſſet inſtitutus, quia *Ioannes baptiſta* baptiſmum ſuum *CHRISTI* baptiſmo comparans dixerit: *Ego vos baptizo aqua, is vero, qui pone me venit, baptizabit vos ſpiritu ſancto & igne* [h]. Animas hominum de igne & ſpiritu eſſe, adeoque baptiſmum ignis earum naturæ magis conuenire, exiſtimabant. Cuiusmodi autem hic baptiſmus fuerit, veterum nullus memoriæ prodidit; niſi forte ex iis coniicere nobis liceat, quæ CLEMENS ALEXANDRINVS [i] ex HERACLEONE de quibusdam narrat, quod igne obſignarint eorum aures, qui baptiſmatis intinctione ſigilla accepiſſent, baptiſmum in aqua &, vt ipſis videbatur, baptiſmum in igne coniungentes: tametſi hoc ſatis longe abeſſet a baptiſmo ignis, quo de *Ioannes* loquitur, quem veterum alii de ordinariis ſpiritus, peccatorum noſtrorum ſordes abſumentis, operationibus; alii de extraordinaria & miraculoſa ſpiritus ſub ſpecie ignis in apoſtolos die pentecoſtes effuſione: alii denique de igne iudicii extremi intelligunt. De quibus interpreta-

(g) Auguſt. de hæreſ. c. LIX. Seleuciani & Hermiani baptiſmum in aqua non recipiunt.

(h) Philaſtr. de hæreſ. n. VIII. Seleucus & Hermius hæretici, animas hominum de igne & ſpiritu eſſe exiſtimantes, iſto baptiſmo non vtuntur, propter verbum hoc, quod dixit Ioannes baptiſta: Ipſe vos baptizabit in ſpiritu & igne.

(i) Clem. Alexandr. electa ex ſcriptur. ap. Combefiſ. auctar. nouiſſ. part. I. p. 202. ἔνιοι δὲ, ὥς φησιν Ἡρακλέων, περὶ τὰ ὦτα τῶν σφραγιζομένων κατεσημήναντο. Iren. lib. I. c. XXIV. aliquid ſimile de Carpocratianis narrat. Alii, inquiens, ex ipſis ſignant, cauteriantes ſuos diſcipulos in poſterioribus partibus exſtantiæ dextræ auris.

tionibus plura apud SVICERVM [*k*], quisquis volet, legere potest. Nos tantum porro obseruamus ex auctore anonymo libri de *baptismo hæreticorum*, a RIGALTIO & FELLO ad calcem CYPRIANI publicati, fuisse hæreticos, qui solum aquæ baptismum imperfectum esse contenderint, quia *Ioannes* dixerit, nos baptizandos esse in spiritu & igni. *Tentant nonnulli*, inquit [*l*] auctor ille, *iterum, tractare se solos integrum atque perfectum, non sicuti nos, mutilatum & decurtatum baptisma tradere. Quod taliter dicantur adsignare, vt quam mox in aquam descenderunt, statim super aquam ignis appareat. Quod si aliquo lusu perpetrari potest, sicut adfirmantur plerique huiusmodi lusus Anaxilai esse, siue naturale quid est, quo pacto possit hoc contingere, siue illi putant hoc se conspicere, siue maligni opus & magicum virus ignem potest in aqua exprimere: illi tamen fallaciam & stropham prædicant perfectum baptisma esse, quod fideles homines, si coacti fuerunt accipere, vtique non dubitabitur eos id, quod habuerant, amisisse.* Hanc suam sententiam ex apocrypho quodam libro, a se ipsis propter hunc eumdem errorem conficto, qui inscribatur PETRI vel PAVLI *prædicatio*, confirmatum eos ire dicit, in quo scriptum exstet, quum *CHRISTVS* baptizaretur, ignem super aquam esse visum. Quem vero istorum hæreticorum baptismum auctor ille anonymus *adulterinum* immo *internecinum* appellat.

## §. IV.

## *Et a* Manichæis *ac* Paulicianis.

ALIVD hæreticorum baptismum in aqua damnantium genus *Manichæi* erant, qui inter multos alios, quos fouebant, errores baptismum in aqua nihil cuiquam perhibebant salutis adferre, nec quemquam eorum, quos in societatem suam cooptabant, baptizandum statuebant [*m*], vti AVGVSTINVS & auctor *hæresis Prædestinatorum* [*n*], a SIRMONDO in lucem editus nar-

(*k*) Suicer. thesaur. eccles. tom. I. p. 629. 630.

(*l*) Anonym. de baptismo hæreticor. ad calcem Cypriani p. 30. (p. 27. b. edit. Amstelod. MDCC.)

(*m*) Augustin. de hæres. c. XLVI. Baptismum in aqua nihil cuiquam perhibent salutis adferre: Nec quemquam eorum, quos decipiunt, baptizandum putant.

(*n*) Prædestinatorum hæres. c. XLVI. apud Sirmond. p. 486. edit. Par. MDCXCVI. Baptismum in aqua nihil cuiquam perhibent salutis adferre: nec quemquam eorum, quos decipiunt, baptizandos putant.

rant.

rant. Num vero aliud baptiſmi genus admiſerint & quibus rationibus iſtum reiecerint, non conſtat. Nobis coniecturare tantum licet, ex peſſimo iſto ſuo id eos feciſſe principio, quod res materiales ſint mali cuiusdam dei opera, adeoque tamquam pollutæ & profanæ deteſtandæ. Vnam aliquam huius hæreſis propaginem poſtea *Paulicianos*, a *Paulo* quodam & *Ioanne*, primis illius auctoribus, vocarunt. EVTHYMIVS ex ſcriptis PHOTII, patriarchæ *Conſtantinopolitani*, fuſe eos deſcribit, & inter alia ait [o]: *Quum baptiſmum aſpernentur, illum tamen ſe fingunt ſuſcipere: Nam euangelii verba baptiſmum exiſtimant, quoniam dominus, Ego ſum, inquit, aqua viua.* Eruditus VOSSIVS [p] *Paulicianos* ſola verborum, *Ego ſum aqua viua*, pronuntiatione: loco formulæ in eccleſia vſitatæ, baptiſmum ſuum perfeciſſe putat: ſed manifeſto perperam EVTHYMIVM interpretatur, qui iſtos hac verborum formula in baptiſmo vſos eſſe non dicit: nam nullum omnino baptiſmum, adeoque nec vllam verborum formulam in baptizandi actu vſitatam habebant: Sed ipſorum opinio erat, quod fides Chriſto, ſiue verbo & veritati euangelii, habita baptiſmus omnis ſit, ab hominibus requiſitus, & id quidem, quia *CHRISTVS* dixerit: *Ego ſum aqua viua.* Sed tamen interdum paruulos baptiſmo eccleſiæ catholicæ offerebant, qua vero ratione, eodem loco narrat EVTHYMIVS [q], *Liberos etiam ſuos*, inquiens, *ab eccleſiæ presbyteris ſalutari baptiſmo volunt aliquando luſtrari; exiſtimant enim, crucem & baptiſmum corpori prodeſſe. Hanc tamen vim ad animæ purgationem peruenire non putant, nec vllam aliam afferre vtilitatem.* Et iſtiusmodi opinio multorum aliorum mentibus inſederat, qui baptiſmum non alio habebant loco, quam quod corpus ab infirmitate quadam vel impuritate liberaret. AVGVSTINVS [r] bis vel ter hanc quæſtionem de iſtiusmodi hominibus mouet, qui non ex alia ratione cupiebant baptizari. Et

(o) Euthym. panoplia part. *II.* titul. XXI. p. 48.

(p) Voſſ. de bapt. diſput. I. theſ. *II.* p. 28. Præter iſtos (Seleucianos & Hermianos) etiam aquæ vſum refugerunt Pauliciani: quippe qui in ſacramentis aversarentur res materiales, ſolaque pronuntiatione verborum ſacramentum perficerent. Quemadmodum nec verba dicebant, quæ eccleſia vſurpat; ſed iſta: *Ego ſum aqua viua.* Auctor Euthymius panopliæ parte II. tit. XXI.

(q) Euthymius ibid.

(r) Auguſt. epiſt. XXIII. ad Bonifac. Nec illud te moueat, quod quidam non ea fide ad baptiſmum percipiendum paruulos ferunt, vt gratia ſpiritali ad vi-

MATTHAEVS BLASTARES [s] de *Agarenis* narrat „moris apud „plerosque eorum fuisse, vt infantes suos non prius circumci„derent, quam christiani sacerdotes, qui iis tributarii essent, „etiam inuiti eos baptizassent; Qua de re controuersum fuisse, „dicit, in synodo *Trullana*, *Luca Chrysoberge* thronum patriar„chalem tenente, vtrum nimirum eos ad veram christianorum „fidem accedentes rebaptizare an vnguento duntaxat inunge„re oporteret; & decretum fuisse, eos sine controuersia reba„ptizandos esse; eo quod baptismo, quo loti essent, non ex „pio instituto, sed vt veneficio & incantamento vsi fuerint, ne „circumcisis temperamentum corporis morbosum & male olens „euaderet„. Hæc exempla EVTHYMII narrationem de *Paulicianis* valde probabilem reddunt, quod licet baptismum non honorauerint tamquam sacramentum a *CHRISTO* institutum, nihilo secius tamen non nunquam eo, perinde ac *Saraceni* faciebant, vsi fuerint vt incantamento & veneficio; quæ vna sola ratio videtur fuisse, cur eum non quidem in suis ipsorum conventiculis (vbi nulla prorsus sacramenta, siue baptismum, siue eucharistiam habebant) sed in ecclesia e catholicorum sacerdotum manibus receperint. Obiter obseruare lector potest, hosce *Paulicianos* non *Pauli Samosatensis* antistitis *Antiocheni* fuisse sectatores, qui vulgo *Paulianistæ & Samosateniani* dicuntur (etsi BALSAMON vtrosque confundat); sed ab alio *Paulo Samosatensi* & *Ioanne* quodam, *Manichæorum* hæreseos instauratoribus, nomen accepisse, vti ex EVTHYMIO palam est. Et IVSTELLVS [t]

tam regenerentur æternam; sed quod eos putant hoc remedio temporalem retinere vel recipere sanitatem.

(s) Blastar. syntagm. canon. litt. B. cap. III. ap. Beuereg. pand. tom. II. p. 42. *Ἔθος ἐςὶ τῶν Ἀγαρηνῶν τοῖς πλείστοις, μὴ πρότερον τὰ σφέτερα περιτέμνειν βρέφη, πρὶν ἂν οἱ ὑποτελεῖς ὄντες αὐτοῖς τῶν χριστιανῶν ἱερεῖς καὶ ἄκοντες ἀναγκασθῶσι ταῦτα βαπτίσαι· ἐζητήθη τοίνυν τὰ περὶ τούτου ἐν τῇ κατὰ τὴν βασιλεύουσαν συνόδῳ, Λουκᾶ τοῦ ἱεροῦ τὸν πατριαρχικὸν ἰθύνοντος θρόνον, εἰ δεῖ τοὺς τοιούτους τῇ ἀληθινῇ τῶν χριστιανῶν πίστει προσερχομένους, ἀναβαπτίζειν, ἢ μόνον χρίειν τῷ μύρῳ· καὶ ἐψηφίσθη, τούτους ἀναντιῤῥήτως αὖθις βαπτίζειν, ὅπερ γὰρ ἐλούσαντο βάπτισμα, οὐ κατὰ σκοπὸν εὐσεβῆ, ἀλλ' ὡς φαρμακείᾳ ἢ ἐπαοιδίᾳ τινὶ τούτῳ ἐχρήσαντο· ἐφ' ᾧ μὴ νοσώδης ἢ δυσώδης ἡ κρᾶσις τῶν σωμάτων τοῖς περιτμηθησομένοις γενήσεται.*

(t) Iustell. not. in can. XIX. codicis eccles. vniuersæ. p. 74. b. post med. Fuit & alius Paulus Samosatenus Manichæorum hæreseos instaurator, a quo Pauliciani, quos Balsamo perperam confundit cum Paulinianistis. Cedrenus recte, *Παυλινιανοὶ οἱ καὶ Μανιχαῖοι, μετωνομάσθησαν δὲ ἀντὶ Μανιχαίων Παυλικιανοὶ ἀπὸ*

ac

ac VOSSIVS [u] idem e CEDRENO, THEOPHANE, MATTHAEO BLASTARE, NICEPHORO aliisque recentioribus *Graecis* ſcriptoribus animaduerterunt, quibus lectori hoc loco moram iniicere neceſſe non eſt.

### §. V.

### *Quid* Meſſaliani *ſeu* Euchetæ *de baptiſmo ſenſerint.*

SVNT, qui antememoratis ſectis, baptiſmum repudiantibus, hæreſin *Meſſalianorum* ſeu *Euchetarum* addunt, qui ita dicti fuere a vocabulo *Graeco* εὐχὴ, quod *precationem* ſignificat, & *Meſſaliani* a voce *Syriaca Metſalach*, quæ eamdem habet ſignificationem, quod omnem religionem in precibus ponerent. Baptiſmi autem ſacramentum eos prorſus reieciſſe, non liquet. Nam ſic eccleſia eos redeuntes non minus quam *Iudaeos* & gentiles, baptizari iuſſura fuiſſet; quod tamen non fecit, ſed eos tantum ad eiurandum errores ſuos obligabat, ſi ad communionem recipi vellent, vt ex decreto concilii generalis *Ephesini* [x], in iſtorum clericorum & laicorum, qui ab illis reuertebantur, gratiam facto, colligi poteſt Error autem eorum in eo verſabatur, vt præcipuam ſpiritualis efficacitatis baptiſmi partem negarent. Donare quidem eum remiſſionem veterum peccatorum, robur autem & virtutem a ſpiritu ad reſiſtendum nouis

---

Παύλου τινὸς Σαμοσατέως, υἱοῦ γυναικὸς μανιχαίας Καλλινίκης τοὔνομα. Idem tradit Matthæus Blaſtares in ſynopſi, vbi aperte Paulianiſtas a Paulicianis diſtinguit. Hiſtoria miſcella in Nicephoro lib. XXIV. *Manichaeorum vero, qui nunc Pauliciani dicuntur, amicus erat.* Paulicianorum hæreſim in Thracia propagatam fuiſſe ſub Conſtantino Copronymo, Theophanes auctor eſt, eamque a Michaële imperatore damnatam teſtatur eadem hiſtoria miſcella in eius vita: *Diuino ſane zelo imperator piiſſimus motus contra Manichaeos, qui nunc Pauliciani dicuntur, capitalem animaduerſionem promulgauit.* Sed & Montaniſtæ baptizari iubentur c. CXII.

(u) Voſſ. de baptiſm. diſput. XX. p. 241. Ab hoc Paulo Samoſateno *Paulianiſtæ* vocabantur: vti ab altero Paulo Samoſateno Pauliciani, qui Manichæi erant: etſi Balſamo confundat. Sed diuerſos eſſe, conſtat ex Cedreno, Matthæo Blaſtare in ſynopſi, hiſtoria miſcella in Nicephoro & Michaële imperatore. cetera.

(x) Concil. Epheſ. act. VII. (tom. III. concil. p. 809.) Placuit - - vt omnes, qui per vniuerſam prouinciam hæretici Meſſaliani vel Enthuſiaſtæ ſunt, vel de eius hæreſeos morbo ſuſpecti, ſiue clerici ſiue laici ſint, conueniantur: & ſi quidem anathematizauerint, iuxta ea quæ in prædicta ſynodo ſcripto pronuntiata ſunt, in ſcriptis; ſi clerici fuerint, maneant clerici; ſi laici, ad communionem admittantur.

pecca-

peccatis non impertiri dicebant. Hoc ex THEODORETO didiscimus, qui ecclesiæ catholicæ doctrinam doctrinæ *Messalianorum* de hoc capite comparans, mentem suam sic exprimit: „Non „[y] nouaculam, vt amentes putant *Messaliani*, tantum imitatur baptismus, præcedentia auferens peccata. Hoc enim ex „superabundanti largitur. Si enim hoc solum opus erat baptismatis, quorsum infantes baptizamus, qui peccatum nondum „gustarunt? Non enim hoc solum pollicetur sacramentum, sed „his maiora & perfectiora. Est enim arrha futurorum bono„rum & typus futuræ resurrectionis, & dominicæ passionis com„municatio & dominicæ resurrectionis participatio, & pallium „salutis & tunica lætitiæ & stola luminosa, vel potius lux ipsa. Vt adeo THEODORETVS ipse optimus verborum suorum interpres habendus sit, quando de *Messalianis* alio quodam loco durius loqui videtur, describens eos vt homines, [z] „qui baptisma „dicant suscipientibus nihil prodesse, perpetuam autem oratio„nem & peccati radicem funditus euellere & malum dæmonem, „qui ab initio datus sit, ab anima expellere.„ Hæc enim cum ante memorata limitatione intelligenda sunt, quod baptismum in tantum vtilem esse concesserint, vt omnia antegressa peccata abluat, sed ampliorem perfectionem haud largiatur. Atque in hunc modum ipsorum doctrinam repræsentat HARMENOPVLVS [a], *Masaliani*, inquiens, *Manichæorum erroribus infecti, quædam insuper alia magis impura excogitarunt. Quippe mentem hominum a dæmonibus occupatam dicunt: naturam humanam in dæmonum*

(y) Theodoret. epitom. diuin. decret. siue de fabul. hæretic. lib. V. c. XVIII. οὐ γὰρ, ὡς οἱ φρενοβλαβεῖς Μεσσαλιανοὶ νομίζουσι, ξυρὸν μόνον μιμεῖται τὸ βάπτισμα, τὰς προγεγενημένας ἀφαιροῦμενον ἁμαρτίας· τοῦτο γὰρ ἐκ περιουσίας χαρίζεται· εἰ γὰρ τοῦτο μόνον ἔργον ἦν τοῦ βαπτίσματος, ἀνθ᾽ ὅτου τὰ βρέφη βαπτίζομεν, οὐδέπω τῆς ἁμαρτίας γευσάμενα· οὐδὲ γὰρ τοῦτο μόνον ἐπαγγέλλεται τὸ μυστήριον, ἀλλὰ καὶ τούτων μείζω, καὶ τελειότερα· ἀρραβὼν γάρ ἐστι τῶν μελλόντων ἀγαθῶν, καὶ τῆς ἐσομένης ἀναστάσεως τύπος, καὶ κοινωνία τῶν δεσποτικῶν παθημάτων, καὶ μετουσία τῆς δεσποτικῆς ἀναστάσεως, καὶ ἱμάτιον σωτηρίου, καὶ χιτὼν εὐφροσύνης, καὶ στολὴ φωτοειδὴς, μᾶλλον δὲ αὐτὸ φῶς.

(z) Theodor. hæret. fab. lib. IV. c. XI. Μεσσαλιανοὶ - - τὸ μὲν βάπτισμα φασὶ μηδὲν ὀνεῖν τοὺς προσιόντας· - - ἡ δὲ ἐνδελεχὴς προσευχὴ, καὶ τὴν ῥίζαν τῆς ἁμαρτίας πρόῤῥιζον ἀνασπᾷ, καὶ τὸν ἐξ ἀρχῆς συγκληρωθέντα πονηρὸν δαίμονα τῆς ψυχῆς ἐξελαύνει.

(a) Harmenop. de sectis c. XVIII. Bibl. patr. gr. lat. tom. I. p. 53[?]. Οἱ Μασαλιανοὶ, τὰ τῶν Μανιχαίων νοσοῦντες προσεξεῦρον καὶ ἄλλ᾽ ἄττα μιαρώτερα· τὸν γὰρ νοῦν τῶν

esse

*esse consortio: nec BAPTISMVM, nec perceptionem sacramentorum HOMINEM PVRIFICARE: SED SOLAM IPSIS FAMILIAREM PRECATIONEM.* Similiter EVTHYMIVS [*b*] eos describit: „Negant, inquiens, diuinum baptismum posse radices euellere „peccatorum. Sed dominus noster Iesus Christus ait: *Nisi quis „renatus fuerit ex aqua, & spiritu sancto, non intrabit in regnum Dei.* „Itaque quum ignis diuinus sit spiritus sanctus, nam & in specie „ignearum linguarum super discipulos descendit, de quo & præ„cursor dicebat turbis, Christi testificans excellentiam, *ille vos „baptizabit in spiritu sancto, & igne*, quemadmodum ignis sensibus „expositus, si siluam corripit, omnia comburit, quæ sunt super „faciem terræ, & radices exsiccat, & locum a sordibus expur„gat, sic & spiritus sanctus, ac multo etiam magis. Ignis enim „est consumens nequitiam eorum, qui baptizantur. Has enim „arbitror ab istis radices peccatorum existimari. Quod si & „aqua purgat omnino corpora hominum, quis dubitet, quin „spiritus sanctus multo magis sine vlla comparatione cicatrices „& maculas, & sordes animarum expurget ac deleat? Neque „solum expurget & deleat, verum etiam illustret, nec illustret „modo, sed munera largiatur, vt docent apostoli, inprimisque „*Paulus* in distributionibus gratiarum spiritus sancti, quibus af„ficiuntur illi, qui baptizantur.„ Ex qua narratione de *Messalianis* apparet, eos neque *Anabaptistas* fuisse neque *Quakeros*. Neque enim adultorum neque infantium baptismum reiiciebant. Nam verus status controuersiæ inter ipsos & ecclesiam catholicam non erat de externi elementi aquæ vsu in baptismate, sed de internis & spiritualibus eius effectis, quæ *Messaliani* remissione peccatorum terminabant, ecclesia autem ad multa alia egregia beneficia & dona spiritus sancti extendebat. Quam ob caussam ecclesia *Messalianos* numquam rebaptizauit, quod legamus, vti *Manichæos* aliosque hæreticos, vsum aquæ, quæ externum a Christo præscriptum elementum erat, repudiantes. Si hoc vel neglectum, vel aliud quoddam elementum eius in locum substitutum esset, tum baptismus non solum illegitimus sed etiam nul-

ἀνθρώπων ὑπὸ τῶν δαιμόνων κατέχεσθαι λέγουσι τὴν ἀνθρωπείαν φύσιν, τῶν δαιμόνων εἶναι κοινωνικήν· τὸ βάπτισμα, μὴ τελειοῦν τὸν ἄνθρωπον, μηδὲ τὴν μετάληψιν· ἀλλὰ μόνην τὴν παρ' αὐτοῖς εὐχήν.

(*b*) Euthym. panopl. part. II. tit. XXII. p. 55. (p. 215. b. tom. XIX. biblioth. max. patr. Lugdun. MDCLXXVII.)

lus eſſe credebatur, vtpote neceſſaria & eſſentiali quadam parte deſtitutus, quæ non niſi nouo baptiſmo ſuppleri poterat. Hinc quem certus quidam adoleſcens *Hebræus* ter effuſa ſuper caput eius arena, quod aqua in ſolitudine deeſſet, baptizatus eſſet, *Dionyſius* epiſcopus *Aſcalonenſis* eum denuo baptizari iubebat, quemadmodum hiſtoriam narrat IOANNES MOSCHVS [c]. Et hoc fiebat, non quia ab homine laico, extrema vrgente neceſſitate, baptizatus fuerat, ſed quia, vt WHITGIFTIVS [d] archiepiſcopus noſtras poſt *Centuriatores* [e] obſeruauit, baptiſmus aquam non habuerat. Iſtiusmodi erat eccleſiæ opinio de neceſſitate baptiſmi in aqua, vt, vbi haberi poterat, numquam in eius neglectu vel contemtu conniueret; adeoque neceſſitatem eius contra hæreticos contemtores vrgebat eo ipſo tempore, quando de catechumenis, qui ſine baptiſmo, non ex contemtione ſed ineuitabili neceſſitate, obiiſſent, benigne iudicabat: Qua de re libro proxime antecedente cap. II. §. XX. ſeqq. ex inſtituto egimus.

VNA tamen heic exceptio in quibusdam legis canonicæ collectionibus inuenitur. Nam decretum ibi habemus ſub nomine SIRICII papæ [f] in hanc ſententiam: *Presbyter, qui in vi-*

(c) Moſch. prat. ſpirit. cap. CLXXVI. tot. (tom. II. bibl. patr. gr. lat. p. 1132. 1133.)

(d) Whitgift's *Defence*, tract. IX. p. 519.

(e) Centuriat. Magdeb. centur. II. c. VI. p. 82. Quum Iudæus quiſpiam, eo tempore, quo Romæ imperium Marcus Aurelius Antoninus tenuit, in arido forte & deſerto loco cum chriſtianis iter faceret, & pſalmos vna cum iis caneret; euenit, vt morbo repentino & graui Iudæus eo in itinere corriperetur: adeo vt de ſalute ſua, cum ipſe, tum hi, quorum comes erat, deſperarent. Multis igitur precibus ſollicitat ille chriſtianos: ne ſe ita in extremis conſtitutum relinquerent; ſed ſacrum lauacrum ſibi conferrent. Illi vero cum hoc ei ſe facere poſſe negarent; quia & ſacerdote & aqua deſtituerentur, ſine quibus baptiſmus fieri non poſſet: magis Iudæus & impenſius obſecrare, & adiuratione eos, ne hoc ſibi negarent, adigere. Ad quod illi, detractis homini veſtibus, arena eum pro aqua ter conſperſere; addentes: Baptizare ſe eum in nomine patris, & filii, & ſpiritus ſancti. Quam rem continuo miraculum conſecutum eſt: vt nimirum is, qui, propter affectionem grauem & periculoſam, pedibus pridem inſiſtere non poſſet, nunc reſtitutus reliquum, quod ſupereſſet itineris, firmus, & validus cum illis conficeret. Quum igitur ad locum ſuum rediiſſent; epiſcopus Alexandriæ, ab illis conſultus, de ſententia eccleſiæ reſpondit: baptiſatum eſſe Iudæum; ſi modo aqua denuo perfunderetur.

(f) Vid. Antonius Auguſtinus de emendat. Gratiani p. 200. & Baluz. not. in Anton. p. 431.

*no baptizat proxima necessitate, vt æger non periclitetur, pro tali re nulla ei culpa adscribatur. Si vero aqua aderat, & necessitas talis non vrgebat, hic communione priuetur. Infans vero ille, si in sancta trinitate baptizatus est, in eo baptismo permaneat.* Enim vero ANTONIVS AVGVSTINVS & BALVZIVS obseruarunt, non esse hoc decretum SIRICII, sed STEPHANI II., qui octauo sæculo medio vixit. Vt adeo tamquam idoneum testimonium, quo, quæ veteris ecclesiæ consuetudo fuerit, ostendatur, adlegari non possit. ANTONIVS AVGVSTINVS ecclesiæ primitiuæ eiusmodi morem fuisse, disertis verbis negat. Et ex AMBROSIO plane evidens esse videtur, quod demta aqua baptismus consistere nequeat, quando [g] ait: *Quid est aqua sine cruce Christi? Elementum commune, sine vllo sacramenti effectu. Nec iterum sine aqua regenerationis mysterium.* Sed ex recentioribus BEZA [h] & de scholasticis quidam FRANCISCVS TOLETVS & GREGORIVS DE VALENTIA rem aliter determinant: quorum contra sententiam disputare nostri non est instituti, sed tantum declarare, quam communissimam & tritissimam antiquorum ecclesiæ scriptorum sententiam fuisse, iudicemus.

# *LIBRI VNDECIMI*

## *CAPVT TERTIVM*

## DE ANTIQVA BAPTIZANDI FORMVLA, ET DE HAERETICIS, QVI EAM VEL MVTARVNT, VEL CORRVPERVNT.

### §. I.

*Vsitata baptizandi formula* in nomine patris, filii & spiritus sancti.

PROXIME post materiam baptismi consideranda est verborum formula, qua ille olim administratus est. Atque hæc generatim istiusmodi verborum formula erat, quæ expressam trium personarum sacrosanctæ trinitatis mentionem faciebat,

(g) Ambros. de iis, qui initiantur c. IV.

(h) Beza epist. II. ad Thomam Tilium (p. 196. volum. III. tractat. Theologic. Geneuæ MDLXXXII. fol.) Desit etiam aqua, & tamen baptismus alicuius differri cum ædificatione non possit nec debeat, ego certe quouis alio liquore non minus rite quam aqua baptizarim.



secun-

ſecundum primam ſeruatoris noſtri inſtitutionem, quando diſcipulos in nomine *patris*, *filii & ſpiritus ſancti* baptizare iuſſit. Hoc ipſum auctor *recognitionum* [a] intelligit, quando homines *ſub appellatione triplicis ſacramenti*; & alio loco [b], *nomine trinæ beatitudinis inuocato ſuper ſe*, baptizari dicit. TERTVLLIANVS [c] hoc ipſum ad inſtitutionem Chriſti refert, dicens: *Lex tingendi, impoſita eſt & forma præſcripta, Ite, inquit, docete nationes, tingentes eas in nomine patris & filii & ſpiritus ſancti.* Et alio loco [d] Chriſtum, dicit, mandaſſe diſcipulis ſuis, *vt tingerent in patrem & filium & ſpiritum ſanctum.* Et addit: *Nec ſemel, ſed ter, ad ſingula nomina, in ſingulas perſonas tinguimur.* CYPRIANVS hanc conſuetudinem itidem ex inſtitutione *CHRISTI* deriuat, *Dominus*, inquiens [e], *poſt reſurrectionem diſcipulos ſuos mittens, quemadmodum baptizare deberent, inſtituit & docuit, dicens: Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra. Ite & docete gentes omnes, baptizantes eas in nomine patris & filii & ſpiritus ſancti. Inſinuat trinitatem, cuius ſacramento baptizarentur.* Et porro contra iſtos hæreticos, qui in ſolius *IESV CHRISTI* nomine baptizabant, ex eodem fundamento diſputat [f], quod Chriſtus non in vna perſona ſed in *plena & adunata trinitate* baptizari gentes iuſſerit. Hinc OPTATVS [g] baptiſmum lauacrum vocat, quod Chriſtus in *TRINITATE* celebrandum eſſe mandarit, & aquam ſanctam, quæ de trium nominum fontibus inundet. Vt plura teſtimonia, (quæ

(a) Clem. Rom. recognit. lib. VI. c. IX. (apud Coteler. vol. I. p. 551.) Eſt in aquis illis miſericordiæ vis quædam; quæ ex initio ferebatur ſuper eas, & agnoſcit eos, qui baptizantur *ſub appellatione triplicis ſacramenti*, & eripit eos de ſuppliciis futuris; quaſi donum quoddam offerens Deo animas per baptiſmum conſecratas.

(b) Id. lib. III. c. LXVII. Baptizabitur vnusquiſque veſtrum in aquis perennibus, *nomine trinæ beatitudinis inuocato ſuper ſe.*

(c) Tertull. de bapt. c. XIII.

(d) Id. contr. Praxeam c. XXVI.

(e) Cyprian. epiſt. LXXIII. ad Iubaian. p. 200. (p. 307. edit. Fell. Amſtelod.)

(f) Ibid. p. 206. (p. 311.) Quomodo quidam dicunt, foris extra eccleſiam immo & contra eccleſiam, modo in nomine Ieſu Chriſti vbicumque. & quomodocumque gentilem baptizatum, remiſſionem peccatorum conſequi poſſe: quando ipſe *Chriſtus gentes baptizari iubeat in plena & adunata trinitate.*

(g) Optat. lib. V. p. 85. (p. 101. edit. Pariſ. MDCLXXIX.) Chriſti vox eſt, Qui ſemel lotus eſt, non habet iterum neceſſitatem lauandi: Quia eſt mundus

innu-

innumera sunt) ne memorem, AVGVSTINVS [b] hanc non tantum generalem ecclesiæ catholicæ, sed plerorumque etiam hæreticorum praxin fuisse, obseruat. *Quis nesciat*, inquit, *non esse baptismum Christi, si verba euangelica, quibus symbolum constat, illic defuerint? Sed facilius inueniuntur hæretici, qui omnino non baptizent, quam qui non illis verbis baptizent.*

## §. II.

### *Hæc verborum formula generatim credita in baptismo necessario adhibenda.*

ET hinc apparet, quod AVGVSTINVS & alii isti scriptores hanc ipsam verborum formulam in baptismi administratione, ob primam constitutionem & mandatum, necessario adhibendam esse crediderint. Hancque vniuersalem sententiam veterum, si ab vno alteroue discesseris, fuisse porro demonstrari potest. *Canones apostolici* [i], *Si quis episcopus*, inquiunt, *aut presbyter, secundum domini constitutionem non baptizauerit in nomine patris, filii, & spiritus sancti, deponatur.* Et ATHANASIVS [k] de tali baptismo vt nullo loquitur, qui alio quocumque modo peractus sit. *Qui aliquid de trinitate detrahit, & in solo patris, vel filii nomine baptizatur aut sine spiritu, in patre & filio, nihil accipit, sed vacuus nec initiatus ipse & is, qui dare videtur, manet; siquidem initiatio non nisi in trinitate sita est.* Et alio loco [l] ait: *Sanctum baptisma, in quo totius nostræ fidei posita est constitutio, non in verbum, sed in patrem, filium & sanctum spiritum datur.* DIDYMVS ALEXANDRINVS [m] ATHANASII vestigia premit. „Non arbi-

totus, & de eo *lauacro* pronuntiauit, *quod de trinitate celebrandum esse mandauerat:* non de Iudæorum aut hæreticorum, qui dum lauant, sordidant: *sed de aqua sancta, quæ de trium nominum fontibus inundat.*

(b) Augustin. de bapt lib. VI. c. XXV.

(i) Canon. apostol. c. XLIX. Εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, κατὰ τὴν κυρίου διάταξιν μὴ βαπτίσῃ εἰς πατέρα, καὶ υἱὸν, καὶ ἅγιον πνεῦμα - καθαιρείσθω.

(k) Athan. epist. ad Serapion. tom. I. p. 204. Par. MDCXXXVII. (p. 678. c. edit. Par. MDCXCVIII.) ὁ ὑπεξαιρούμενός τι τῆς τριάδος, καὶ ἐν μόνῳ τῷ τοῦ πατρὸς ὀνόματι βαπτιζόμενος, ἢ ἐν μόνῳ τῷ ὀνόματι τοῦ υἱοῦ, ἢ χωρίς γε τοῦ πνεύματος ἐν πατρὶ καὶ υἱῷ, οὐδὲν λαμβάνει, ἀλλὰ κενὸς καὶ ἀτελὴς αὐτός τε καὶ ὁ δοκῶν διδόναι· ἐν τῇ τριάδι γὰρ ἡ τελείωσις ἐστι.

(l) Id. orat. V. contra Arian. p. 535. (orat. IV. tom. I. p. 633. b.) τὸ ἅγιον βάπτισμα, ἐν ᾧ πάσης πίστεως ἡμῶν ἡ σύστασις ὁρμεῖ, οὐκ εἰς λόγον, ἀλλ' εἰς πατέρα καὶ υἱὸν, καὶ ἅγιον πνεῦμα δίδοται.

(m) Didymus de spirit. sanct. lib. II. (bibl. patr. tom. IX. p. 37. edit. Par. MDCLIV.)

„tror, inquit, quemquam tam vecordem, atque insanum fu-„turum, vt perfectum baptisma putet, quod datur in nomine „patris, & filii, sine adsumtione spiritus sancti: aut rursus in „nomine patris & spiritus sancti, filii vocabulo prætermisso: aut „certe in nomine filii & spiritus sancti, non præposito vocabu-„lo patris. Licet enim quis posset esse saxei, vt ita dicam, cor-„dis, & penitus mentis alienæ, qui ita baptizare conetur, vt „vnum de præceptis nominibus prætermittat, videlicet contra-„rius legislator *CHRISTO*; tamen sine perfectione baptizabit; „immo penitus a peccatis liberare non poterit, quos a se ba-„ptizatos existimauerit„. Idem adfirmat IDACIVS CLARVS [*n*], contra *Varimundum Arianum* pro diuinitate spiritus sancti sic argumentans: *Si spiritus sanctus deitatis substantia patri & filio non coæquatur, cur sacramento sacri baptismatis nihil absque illo completur?* BASILIVS [*o*] integrum caput hac de re habet. Ipsa inscriptio est *aduersus eos, qui dicunt, sufficere baptisma tantum in nomine domini.* Et quamuis vrgeant, quod in diuersis scripturæ locis baptisma tantum in nomine *CHRISTI* datum dicatur, respondet tamen, quod in omnibus istis locis, etiamsi solius Christi nomen memoretur, tota trinitas intelligenda sit. Quod in similibus loquutionibus de spiritu sancto confirmat, 1 Cor. XII, 13. „*Omnes in vno corpore, & in vno spiritu baptizati sumus.* Rursum „Act. I, 5. *Vos baptizabimini spiritu sancto non multis istis post diebus.* Vbi spiritus tantum in baptismate fecisse mentionem videntur apostoli. *At non ideo*, inquit, *quis dixerit, perfectum esse baptisma, in quo solum spiritus nomen inuocatum est. Oportet enim inuiolabilem manere traditionem, quæ in viuifica gratia data est.* Formam baptizandi, mandato *CHRISTI* Matth. XXVIII. præscriptam, intelligit. Vnde infert: *Sicut credimus in patrem & filium & spiritum sanctum, sic & baptizamur in nomine patris & filii & spiritus sancti.* Hinc VOSSIVS [*oo*] pariter & PETAVIVS [*p*] insigniter fallun-

(*n*) Idacius lib. III. contr. Varimundum, (bibl. patr. tom. IV. p. 300.)

(*o*) Basil. de spirit. sanct. (tom. II. p. 316. edit. MDCXXXVII.) ἀλλ' οὐ παρὰ τοῦτο τέλειον ἄν τις εἴπῃ βάπτισμα, ᾧ μόνον τὸ ὄνομα τοῦ πνεύματος ἐπεκλήθη· χρὴ γὰρ ἀπαράβατον μένειν τὴν ἐν τῇ ζωοποιῷ χάριτι διδομένην παράδοσιν· - - ὡς γὰρ πιστεύομεν εἰς πατέρα καὶ υἱὸν καὶ ἅγιον πνεῦμα, οὕτω καὶ βαπτιζόμεθα εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος.

(*oo*) Voss. de bapt. disput. II. thes. V. p. 51. Secutus hac parte (Ambrosius) vt facere solet, Basilium; cuius ista verba περὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος: Ἡ τοῦ χριστοῦ προ-

tur,

tur, quando BASILIVM illis adnumerant, qui baptismum in solius Christi nomine ratum esse statuerunt, quum hic tam manifesto contrarium tueatur. Multa alia testimonia ex THEODORETO [q], GREGORIO NAZIANZENO [r], GREGORIO NYSSENO [s], THEOPHYLACTO [t] aliisque heic interponere poteramus, sed decretum tantum VIGILII episcopi *Romani* adde-

---

ηγορία τοῦ παιδός ἐστιν ὁμολογία· δηλοῖ γὰρ τόν τε χρίοντα θεὸν, καὶ χρισθέντα υἱὸν, καὶ τὸ χρίσμα τὸ πνεῦμα.

(p) Petau. de trinit. lib. II. c. XIV. n. VI. In ea esse Basilius sententia videtur, baptismum in solo spiritus sancti nomine tributum, perinde ac Christi solius, ratum ac validum fuisse.

(q) Theodoret. epist. CXLVI. ad Ioan. oecon. (tom. III. p. 1038. a.) διά τοι τοῦτο τοῦ κυρίου προστεταχότος βαπτίζειν εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, ὁ τρισμακάριος Πέτρος τοῖς τὸ κήρυγμα δεδεγμένοις, ἐρομένοις τί χρὴ ποιῆσαι, πιστεύσατε, ἔφη, καὶ βαπτισθήτω ἕκαστος ὑμῶν εἰς τὸ ὄνομα τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ· ὡς ταυτησὶ τῆς προσηγορίας πᾶσαν ἐχούσης τοῦ θείου κηρύγματος τὴν δύναμιν. Propterea quum dominus praeceperit baptizare in nomine patris & filii & spiritus sancti, beatissimus Petrus ab iis, qui praedicationem susceperant, interrogatus, quid facere oporteret, *Credite*, inquit, *& baptizetur vnusquisque vestrum in nomine domini nostri Iesu Christi*, quasi nomen hoc vim omnem diuini mandati contineret.

(r) Nazianz. orat. XXIV. p. 431. ἐπιδημεῖ τοῖς περὶ Κορνήλιον πρὸ τοῦ βαπτίσματος, ἄλλοις μετὰ τὸ βάπτισμα διὰ τῶν ἀποστόλων· ὥστε ἀμφοτέρωθεν, ἔκ τε ὧν ἐπιφοιτᾷ δεσποτικῶς, ἀλλ' οὐ δουλικῶς, καὶ ἐξ ὧν ἐπιζητεῖται πρὸς τὴν τελείωσιν, τὴν θεότητα μαρτυρεῖσθαι τοῦ πνεύματος. Ad Cornelium ante baptismum accedit: ad alios, apostolorum opera, post baptismum. Ita vtrimque, nempe & ex eo quod herili, non autem seruili modo accedit, & ex eo quod ad baptismum omnibus numeris absoluendum requiritur, spiritus sancti diuinitas testanda relinquitur.

(s) Nyssen. de bapt. Christi, (tom. III. p. 372. c.) καταλιπὼν δὲ ἐμοὶ συμπλέκεσθαι, ἀντίστηθι ταῖς τοῦ κυρίου φωναῖς, εἰ δύνασαι, αἳ τὴν ἐπίκλησιν τοῦ βαπτίσματος τοῖς ἀνθρώποις ἐνομοθέτησαν· τί δέ φησι τὸ τοῦ δεσπότου παράγγελμα; βαπτίζοντες αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος. Omitte mecum confligere & oppone te, si potes, domini vocibus, quae & inuocationem & cognominationem baptismatis hominibus instituerunt. Et quae sunt verba dominici praecepti? Baptizantes eos in nomen patris & filii & spiritus sancti.

(t) Theophyl. in Luc. XXIV. (p. 545. d. Paris. MDCXXXI. d.) πῶς δὲ τὸ βάπτισμα νοήσομεν ἐπὶ τῷ ὀνόματι τοῦ Χριστοῦ μόνον γίνεσθαι, καὶ ταῦτα ἀλλαχοῦ διδασκόμενοι εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος τελεῖν τοῦτο; πρῶτον μὲν οὖν τοῦτο φαμὲν, ὅτι τὸ βάπτισμα ὅταν λέγωμεν ἐπὶ τῷ ὀνόματι τοῦ Χριστοῦ γίνεσθαι, οὐ τοῦτο λέγομεν, ὅτι δεῖ ἐπὶ μόνῳ τῷ χριστοῦ ὀνόματι τοῦτο τελεῖν, ἀλλ' ὅτι τὸ τοῦ χριστοῦ βάπτισμα, ὃ χριστὸς ἐβαπτίσατο, τουτέστι πνευματικὸν οὐκ Ἰουδαϊκόν. κ. τ. λ. Quomodo baptisma in nomine solius Christi fieri intelligemus, prae-

mus,

mus, quod & morem ecclesiæ, & seueritatem censuræ eius erga quoscumque, hanc præsciptam baptizandi regulam migrare ausos, ostendit. *Si quis episcopus*, inquit [u] *aut presbyter iuxta præceptum domini non baptizauerit in nomine patris & filii & spiritus sancti, sed in vna persona trinitatis, aut in tribus patribus, aut in tribus filiis, aut in tribus paracletis, proiiciatur de ecclesia.*

§. III.

*Num baptismus, in solius Christi nomine tributus, in ecclesia vmquam ratus & validus fuerit.*

EQVIDEM inter omnes scriptores veteres non nisi duos inueni, qui plane & directe vllam aliam baptizandi formam, præter eam, quæ a Christo præscripta fuit, approbent. GENNADIVS [x] *Vrsini* cuiusdam monachi *Africani* mentionem facit, eumque dicit scripsisse „aduersus eos, qui rebaptizandos hære-

sertim quum alias doceamur baptizare in nomine patris & filii & spiritus sancti? Igitur primum quidem dicimus, quod quando dicimus, baptisma fieri in nomine Christi, non dicimus, quod oporteat in solius Christi nomine fieri, sed quod Christi baptisma, quo Christus baptizatus est, spirituale sit, non Iudaicum. cetera.

Fulgent. de incarnat c. XI. p. 298. n. 21. (edit. Par. MDCLXXXIV. 4to) Omnis qui in nomine patris & filii & spiritus sancti sacramento sanctæ regenerationis abluitur, non nisi in Christi morte ac nomine baptizatur, vt euidenter appareat, illi nos consepultos esse per baptismum in morte, in cuius vno cum patris & spiritus sancti constat nomine baptizatos.

Cyrill. Alex. dialog VII. de trinit. tom. V. p. 633. οὐχ ὧδ' μυσταγωγεῖν τοῖς ἁγίοις ἀποστόλοις κεκέλευκεν ὁ σωτήρ; πορευθέντες γὰρ, φησὶ, μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος· τοι γάρ τοι καὶ ὁ μακάριος Παῦλος, τῶν πεπιστευκότων ἤρετό τινας· εἰ πνεῦμα ἅγιον ἐλάβετε πιστεύσαντες; ἀποφησάντων δὲ τοῦτο ἐκείνων, καὶ ἀναφανδὸν εἰρηκότων, ἀλλ' οὐδὲ εἰ πνεῦμα ἅγιον ἐστὶν, ἠκούσαμεν, ἐπετίμα λέγων· εἰς τί οὖν ἐβαπτίσθητε; οὐκ ἐν καλῷ γενέσθαι τὴν πίστιν εἰδὼς, οὔτε μὴν ἀρτίως ἔχειν δύνασθαι ποτὲ, εἰ μὴ πράττοιτο τελείως εἰς Θεὸν πατέρα, καὶ τὸν υἱὸν, καὶ τὸ πνεῦμα ἅγιον, τὴν ὁμολογίαν ἐκφέρουσα. Annon ita nos doceri per sanctos discipulos seruator voluit, euntes enim, inquit, docete omnes gentes, baptizantes eas in nomine patris, & filii & spiritus sancti. Quo circa beatus Paulus nonnullos fideles rogabat: Num spiritum sanctum accepistis credentes? Quod quum illi negarent, palamque dicerent: Sed neque, si spiritus sanctus est, audiuimus, increpauit dicens: In quo ergo baptizati estis? quum nosset fidem rectam non esse, neque adeo recte se habere vmquam posse, nisi perfecta fieret in Deum patrem & filium & spiritum sanctum confessione edita.

(u) Vigil. epist. II. ad Eutherium c. VI. (tom. V. concil. p. 313.)

(x) Gennad. de scriptor. eccles. c. XXVII.

ticos

„ticos decernant, docentem, nec legitimum, nec Deo dignum „rebaptizari illos, qui in nomine vel simpliciter Christi, vel in „nomine patris, filii & spiritus sancti, quamuis prauo sensu, „baptizentur: Iis autem post sanctae trinitatis & Christi simplicem confessionem sufficere ad salutem manus impositionem „catholici sacerdotis.„ Hic auctor manifesto distinguit inter duas baptizandi formulas, alteram cum explicita trium personarum trinitatis mentione, alteram vero in solius Christi nomine; vtramque legitimam pronuntiat & sensu eamdem, etsi verbis aliam ab alia discrepantem. Et AMBROSIVS, fateor, in eadem fuisse sententia videtur. Nam omnes illas phrases scripturae, quae de baptismo in nomine *CHRISTI* loquuntur, eo accipit, vt vsum eiusmodi formulae denotent, qualis haec est: *Ego baptizo te in nomine Christi*, sine vlla expressa trium personarum mentione, tametsi tota trinitas simul in ea esset comprehensa. *Qui benedicitur in Christo*, inquit [z], *benedicitur in nomine patris & filii & spiritus sancti, quia vnum nomen, potestas vna. - - Aethiops eunuchus Candacis reginae baptizatus in Christo, plenum mysterium consequutus est. - - Quemadmodum si vnum in sermone comprehendas, aut patrem aut filium, aut spiritum sanctum, fide autem nec patrem, nec filium nec spiritum abneges, plenum est fidei argumentum: ita etiam quamuis & patrem & filium & spiritum dicas, & aut patris, aut filii, aut spiritus sancti minuas potestatem, vacuum est omne mysterium.* Et porro: *Qui vnum dixerit, trinitatem signauit. Si Christum dicas, & deum patrem, a quo vnctus est filius, & ipsum, qui vnctus est, filium, & spiritum, quo vnctus est, designasti. Et si patrem dicas, & filium eius & spiritum oris eius pariter indicasti, si tamen id etiam corde comprehendas. Et si spiritum dicas, & Deum patrem, a quo procedit spiritus, & filium, quia filii quoque est spiritus, nuncupasti.* Atque ita secundum AMBROSIVM sufficiens fuit baptisma, etiamsi vnius duntaxat personae, patris, filii, vel spiritus sancti expressa mentio in illius administratione facta esset, quia sub vnius appellatione reliquae duae sensu orthodoxo comprehendi credebantur. Sed haec plane singularis AMBROSII opinio videtur fuisse, vniuerso antiquorum scriptorum agmini contraria. Quamuis enim PETAVIVS BASILIVM ei iungat; & VOSSIVS CYPRIANVM & ATHANASIVM &

(z) Ambros. de spirit. sancto lib. I. c. III.

*operis imperfecti* auctorem, qui ſub nomine ſcripſit CHRYSOSTOMI, eidem ſententiæ fauiſſe dicat; ex iis tamen, quæ ex CYPRIANO, ATHANASIO & BASILIO in medium protulimus, euidenter apparet, diuerſum eos ſenſiſſe, erroremque & primæ inſtitutionis migrationem vocaſſe, ſi quis in ſolius *CHRISTI* nomine baptiſmum dediſſet. Vnde porro patet, eos iſta loca ſcripturæ, quæ de baptiſmate, in nomine IEſu, vel domini vel Chriſti tributo, loquuntur, non tamquam nouas baptizandi formulas, a prima formula per *CHRISTVM* tradita diuerſas, ſpectaſſe; ſed ita, vt EVLOGIVS apud PHOTIVM [a] ea interpretatus eſt, *In Chriſto IEſu baptizari*, inquiens, *ſignificat, ſecundum præceptum & traditionem IEſu Chriſti baptizari: hoc eſt in patre, filio & ſpiritu ſancto.* Secundum quem ſenſum ſequitur, vt formula baptizandi a Chriſto tradita, non, vt quidam ſibi perſuadent, mutata, ſed ab ipſis apoſtolis, & poſt ipſos generali eccleſiæ catholicæ conſenſione & praxi curate obſeruata ſit.

## §. IV.

### *De mutationibus in forma baptiſmi factis.* Primo *a* Tritheiſtis *&* Priſcillianiſtis.

VERVM ENIM VERO ſectis ſubnaſcentibus & increſcentibus in eccleſia, quædam variationes hac in re inter illas factæ ſunt. Licet enim, AVGVSTINO obſeruante, plerique hæretici, qui omnino aliquem baptiſmum retinebant, illis in eccleſia vſitatis verbis baptizarent; erant tamen, qui iis relictis nouas verborum formulas inueherent, prout a ſua ipſorum imaginatione vel hæreſium ſuarum genio agerentur. Iam primis ſæculis non-

(a) Eulog. ap. Phot. cod. CCLXXX. p. 1608. Τὸ εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν βαπτισθῆναι, σημαίνοι ἂν τὸ κατὰ τὴν ἐντολὴν καὶ παράδοσιν τοῦ Χριστοῦ Ἰησοῦ βαπτισθῆναι· τουτέστιν, εἰς πατέρα καὶ υἱὸν καὶ ἅγιον πνεῦμα.

Auguſtin. contr. Maximin. lib. III. c. XVII. Si autem, quia non eſt nominatus (Spirit. S.), quod etiam per illum facta ſit creatura, quando de filio dictum eſt, omnia per ipſum facta ſunt: ideo putas, Dei ſpiritum non eſſe creatorem, procul dubio nec in eius nomine poteris baptizatos dicere, quibus ait Petrus: Agite pœnitentiam & baptizetur vnusquiſque veſtrum in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti, quia non ait, & ſpiritus ſancti: nec in patris nomine, quia nec ipſe ibi eſt nominatus. Si autem etiam non nominatis patre & ſpiritu ſancto, in nomine Ieſu Chriſti iuſſi ſunt baptizari: & tamen intelliguntur non baptizati, niſi in nomine patris & filii & ſpiritus ſancti: cur non ſic audis de filio Dei, omnia per ipſum facta ſunt: vt & non nominatum intelligas ibi etiam ſpiritum ſanctum?

nulli

nulli doctrinam de *trinitate* in *tritheismum* conuertebant, & trium personarum loco, sub œconomia patris, filii & spiritus sancti, tria collateralia, coordinata & initii expertia entia introducebant, facientes ea tria absoluta & independentia principia, sine vlla relatione ad patrem & filium; quæ maxime propria trium deorum notio est. Sic facta mutatione doctrinæ de sacrosancta trinitate, mutationem quoque formulæ baptizandi, illi mutationi respondentem, faciebant. Nam loco formulæ baptizandi in nomine patris, filii & spiritus sancti prorsus aliam adhibebant, baptizantes in nomine trium sine initio principiorum, vti ex canone quodam de sic dictis *apostolicis*, qui directe contra eos factus est, discimus: *Si quis episcopus* [*b*] *aut presbyter, secundum domini constitutionem non baptizauerit in nomine patris, & filii, & spiritus sancti, sed in tria sine initio principia, aut in tres filios, aut in tres paracletos, deponatur.* Hic canon hæreticos nominatim non appellat, ex alio tamen canone concilii *Bracarensis* colligere nobis licet, fuisse *Gnosticos*, qui primi hoc *tritheismi* genus, seu doctrinam de tribus diis in mundum inuexerint, quam postea *Priscillianistæ* adsumserunt, qui simul cum illis in hoc concilio damnantur. Canon enim iste sic habet [*c*]. *Si quis extra sanctam trinitatem alia, nescio quæ, diuinitatis nomina introducit; dicens, quod in ipsa diuinitate sit trinitas trinitatis, sicut Gnostici & Priscillianistæ dixerunt, anathema sit.* Hæc assertionis trium ingenitorum principiorum consequentia erat. Nam hoc ipso tres patres, & tres filios & tres spiritus sanctos faciebant, quæ erat trinitas trinitatis, vti concilium ipsos incusat. Quo grandi errore ducti in nomine trium patrum, vel trium filiorum, vel trium spirituum sanctorum nonnumquam baptizabant: Quemadmodum ex decreto VIGILII papæ, contra omnes istiusmodi hæreticas innovationes facto, liquido apparet: *Si quis episcopus aut presbyter iuxta preceptum domini non baptizauerit* [*d*] *in nomine patris & filii & spiritus sancti, sed in vna persona trinitatis, aut in duabus, aut in tribus patribus, aut in tribus filiis, aut in tribus paracletis, proiiciatur de ecclesia Dei.*

(*b*) Can. apost. c. XLIX. Εἴ τις ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος κατὰ τὴν τοῦ κυρίου διάταξιν μὴ βαπτίσῃ εἰς πατέρα, καὶ υἱὸν, καὶ ἅγιον πνεῦμα, ἀλλ' εἰς τρεῖς ἀνάρχους, ἢ εἰς τρεῖς υἱοὺς, ἢ εἰς τρεῖς παρακλήτους, καθαιρείσθω.

(*c*) Concil. Bracar. I. can. II. (Labbæo concil. I. c. II. tom. V. concil. p. 837.)

(*d*) Vigil. epist. II. ad Euther. (tom. V. concil. p. 313.)

## §. V.

## Secundo, *a* Menandro *eiusque sectatoribus.*

ALIA baptismatis corruptio a *Menandro* introducta est, qui discipulus fuit *Simonis Magi*, & omnibus magistri sui hæresibus hanc propriam addidit, vt negaret, habere posse quemquam salutem, nisi in nomine suo baptizatus fuisset, vti fidem nobis facit TERTVLLIANVS [*e*]. Cuius corruptionis ratio ab IRENAEO [*f*] & EPIPHANIO [*g*] indicatur, qui ipsum se pro Messia venditasse dicunt: „docuisse enim, se ad humani generis salutem emissum, atque vt nonnullos suum ad mysterium „contraheret, ne angelorum ac principatuum potestatumque, „quæ mundum condidissent, dominationi subessent„. Et THEODORETVS [*h*] eadem de illo narrat. Nam *Seruatorem*, inquit, *se ipsum appellauit. Saluari autem dixit eos, qui in ipsum baptizentur, & potentiores etiam in hac vita effici, potestatemque accipere, vt mundi effectrices potestates facillime superent.* Sed hæc adeo absurda hæresis erat, vt, quemadmodum EPIPHANIVS obseruat, in ecclesiam numquam inualuerit. *Menander*, vt TERTVLLIANVS [*i*] auctor est, suis promiserat, fore, vt qui in ipsius nomine baptizarentur, immortales & incorruptibiles & statim resurrectionis compotes fierent: sed breuis temporis experientia hanc

(*e*) Tertull. de præscript. c. XLVI. Quidquid se Simon dixerat, hoc se Menander esse dicebat, negans habere posse quemquam salutem, nisi in nomine suo baptizatus fuisset.

(*f*) Iren. lib. I. c. XXI. Huius (Simonis) successor fuit Menander, Samarites genere, qui & ipse ad summum magiæ peruenit. Qui primam quidem virtutem incognitam ait omnibus; se autem eum esse, qui missus sit ab inuisibilibus saluatorem pro salute hominum. Mundum autem factum ab angelis; quos & ipse similiter, vt Simon, ab Ennoia emissos dicit.

(*g*) Epiphan. hæres. XXII. n. I. *ἔλεγεν ἑαυτὸν πεπέμφθαι εἰς σωτηρίαν δῆθεν, καὶ εἰς τὸ συνάγειν τινὰς εἰς τὸ ἑαυτοῦ μυστήριον, διὰ τὸ μὴ ὑπὸ τῶν τὸν κόσμον πεποιηκότων ἀγγέλων καὶ ἀρχῶν καὶ ἐξουσιῶν κατακυριευθῆναι.*

(*h*) Theodoret. hæret. fab. lib. I. c. II. *σωτῆρα ἑαυτὸν προσηγόρευε· -- σώζεσθαι δὲ τοὺς εἰς αὐτὸν βαπτιζομένους, καὶ κρείττους ἀποτελεῖσθαι, κἀν τῷ δὲ τῷ βίῳ, καὶ λαμβάνειν δύναμιν εἰς τὸ ῥᾷστα τῶν κοσμοποιῶν δυνάμεων περιγίνεσθαι.*

(*i*) Tertull. de anima c. L. In hoc scilicet se a suprema & arcana potestate legatum, vt immortales & incorruptibiles & statim resurrectionis compotes fiant, qui baptisma eius induxerint. -- At vbi sunt illi, quos Menander ipse perfudit, quos in stygem suam mersit? Apostoli perennes veniant, adsistant: videat illos meus Thomas, audiat, contrectet, & credat.

ſtoliditatem confutauit. Nam circumacto centum annorum tempore, nullus ex perennibus eius apoſtolis apparuit, qui de iactatæ illius reſurrectionis veritate dubitantes conuinceret. Atque ita nefaria iſta baptiſmi *CHRISTI* deprauatio mox ſua ipſius abſurditate concidit.

## §. VI.

## Tertio, *ab* Elceſæis.

Non minus abſurda mutatio ab *Elceſæis* facta eſt. Hi ab *Elceſai* quodam, qui hæreſim incepit, nomen ſortiti & docti, carminibus dæmonumque inuocationibus vtebantur & baptiſmatibus in elementorum confeſſione, quemadmodum eos repræſentat THEODORETVS [*k*]. Tametſi, quale illud baptiſma fuerit, non facile ad colligendum eſt, quum præter THEODORETVM vix ſint, qui huius hæreſeos faciant mentionem. Fuerunt autem magni aſtrologiæ & magiæ admiratores, vnde forte euenit, vt elementa, compoſitis certis litteris & numeris, quibus in magicis operationibus vſi ſunt, in baptiſmum ſuum inueherent.

## §. VII.

## Quarto, *a* Montaniſtis *&* Sabellianis.

MONTANISTAE ſiue *Cataphryges* nouam quoque baptiſmi formam introduxerunt, *Montanus* enim, ipſorum anteſignanus, ſpiritum ſanctum ſe eſſe aiebat, duabus vatibus *Priſcilla* & *Maximilla* ſibi conſtitutis, quas ex inſpiratione libros ſcribere dictitabat. Itaque ſectatores eorum, magni eos facientes, corrupta vetere baptiſmi forma, in patrem & filium & *Montanum Priſcillamue* baptizabant, vt BASILIVS [*l*] auctor eſt, qui idcirco eorum baptiſmum nullum & neceſſario iterandum eſſe iudicat, ſi qui ex illis in catholicam eccleſiæ communionem recipi vellent. THEOPHYLACTVS [*m*] eadem de illis memoriæ prodi-

(*k*) Theodoret. hæretic. fabul. lib. II. c. VII. *ἐπαοιδαῖς δὲ καὶ δαιμόνων ἐπικλήσεσι καὶ οὗτοι κέχρηνται, καὶ βαπτίσμασιν ἐπὶ τῇ τῶν στοιχείων ὁμολογίᾳ*

(*l*) Baſil. epiſt. can. I. c. i. *τίνα λόγον ἔχει, τὸ τούτων βάπτισμα ἐγκριθῆναι, τῶν βαπτιζόντων εἰς πατέρα, καὶ υἱὸν, καὶ Μοντανὸν ἢ Πρίσκιλλαν; οὐ γὰρ ἐβαπτίσθησαν οἱ εἰς τὰ μὴ παραδεδομένα ἡμῖν βαπτισθέντες* Quamnam habet rationem, verum eorum baptiſma iudicari, qui in patrem & filium & Montanum Priſcillamue baptizant? Non enim ſunt baptizati, qui non in ea, quæ nobis ſunt tradita, baptizati ſunt.

(*m*) Theophyl. in Luc. XXIV. p. 546. *Ποῦ λοιπὸν αἱ βορβορώδεις γλῶσσαι τῶν βαπτ-*

dit, narrans, fœtulentas ipſorum linguas baptizaſſe in *Montanum*, & *Priſcillam* & *Maximillam*. Quo ipſo non hoc dicere velle cenſendus eſt, quod his tribus nominibus loco trinitatis vſi ſint, ſed loco ſpiritus ſancti nomina *Montani* vel *Priſcillæ* vel *Maximillæ* patri & filio addiderint. Quam ob cauſſam maxime probabile eſt, concilium *Laodicenum* [n] ipſos ab eccleſiæ epiſcopis & presbyteris baptizari iuſſiſſe, non obſtante, quod eorum aliqui in clero ſic credito apud illos fuerint, non tantum ad dignitatem epiſcoporum euecti, ſed titulo etiam patriarcharum & *maximorum*, vti concilium illud loquitur, inſigniti. Idem decretum in primo concilio generali *Conſtantinopolitano* [o] & aliis quibusdam contra illos factum eſt. HIERONYMVS videtur ſignificare, hoſce *Montaniſtas* in doctrina de trinitate fuiſſe reuera *Sabellianos*. Licet enim trinitatem perſonarum diuinarum credere præ ſe ferrent, ſenſu tamen æquiuoco tantum, perinde ac *Sabellius* antea fecerat, eam admittebant, vt tres perſonæ non niſi tria nomina, vel diuerſæ vnius eiusdemque perſonæ apparentiæ eſſent. Hinc HIERONYMVS eccleſiæ catholicæ doctrinam cum *Montaniſtarum* placitis conferens; *Primum*, inquit [p], *in fidei regula diſcrepamus. Nos patrem & filium & ſpiritum ſanctum in ſua vnumquemque perſona ponimus, licet ſubſtantia copulemus. Illi Sabellii dogma ſectantes, trinitatem in vnius perſonæ anguſtias cogunt.* Hoc

ζόντων εἰς Μοντανὸν, καὶ Πρίσκιλλαν, καὶ Μαξιμίλλαν. Vbi fœtulenta lingua baptizantium in Montanum, & Priſcillam, & Maximillam?

(n) Concil. Laodic. can. VIII. (tom. I. conc. p. 1497.) περὶ τοῦ, τοὺς ἀπὸ τῆς αἱρέσεως τῶν λεγομένων Φρυγῶν ἐπιστρέφοντας, εἰ καὶ ἐν κλήρῳ νομιζομένῳ παρ᾽ αὐτοῖς τυγχάνοιεν, εἰ καὶ μέγιστοι λέγοιντο· τοὺς τοιούτους μετὰ πάσης ἐπιμελείας κατηχεῖσθαί τε καὶ βαπτίζεσθαι ὑπὸ τῶν τῆς ἐκκλησίας ἐπισκόπων τε καὶ πρεσβυτέρων. Eos, qui ab eorum hæreſi, qui Phryges dicuntur, conuertuntur, ſiue ſint in clero, qui apud illos exiſtimatur, ſiue *maximi* dicantur; omnes eos cum omni ſtudio catechizari ſeu initiari & *baptizari* ab eccleſiæ epiſcopis & presbyteris.

(o) Concil. Conſtantinop. I. can. VII. (tom. II. concil. pag. 951. c.) Μοντανιστὰς τοὺς ἐνταῦθα λεγομένους Φρύγας, καὶ Σαβελλιανοὺς - - ὡς ἕλληνας δεχόμεθα· καὶ οὕτως κατηχοῦμεν αὐτοὺς, καὶ ποιοῦμεν αὐτοὺς χρονίζειν εἰς τὴν ἐκκλησίαν, καὶ ἀκροᾶσθαι τῶν γραφῶν· καὶ τότε αὐτοὺς βαπτίζομεν. Montaniſtas, qui heic dicuntur Phryges, & Sabellianos - - vt Græcos admittimus. - - Et ſic eos catechiſamus ſiue initiamus, & curamus, vt longo tempore verſentur in eccleſia, & audiant ſcripturas, & tunc eos baptizamus.

(p) Hieron. epiſt. LIV. ad Marcellam adu. Montanum.

eſt,

eſt, vti paullo poſt interpretatur, dicunt, *Deum primum voluiſſe in veteri teſtamento per Moyſem & prophetas ſaluare mundum, ſed, quia non potuerit explere, corpus ſumſiſſe de virgine, & in Chriſto ſub ſpecie filii prædicantem, mortem obiiſſe pro nobis, & quia per duos gradus mundum ſaluare nequiuerit, ad extremum per ſpiritum ſanctum in Montanum, Priſcam & Maximillam inſanas feminas deſcendiſſe & plenitudinem, quam Paulus non habuerit, dicens: Ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus, & nunc videmus per ſpeculum in ænigmate: abſciſſum & femininum habuiſſe Montanum.* Ex hac HIERONYMI narratione planum eſt, *Montaniſtas*, quod ad doctrinam de trinitate, puros putos fuiſſe *Sabellianos*, vnam duntaxat credentes perſonam in deitate, ſub diuerſis apparitionibus ſeu manifeſtationibus, quas *πρόσωπα*, *perſonas* ſenſu æquiuoco vocitabant, quo pacto multis imponebant catholicis, & inter alios THEODORETO [q], vt eos homines bonos & orthodoxos eſſe ſibi perſuaderent, quum tamen tres perſonas non ſenſu alio admitterent, niſi quo *Simon Magus*, *Praxeas*, *Noëtus*, *Sabellius* & omnes *Patripaſſiani* ante ipſos illas admiſerant. Iam vero *Sabellianos* nouam baptizandi formulam principiis ſuis conuenientem introduxiſſe, valde eſt probabile, vnde omnia concilia, quæ eorum faciunt mentionem, denuo eos iubent baptizari [r]: Et *Montaniſtæ*, *Sabellii* doctrinam ſequentes, eidem cenſuræ ſuberant. Vnde adeo ex omnibus narrationibus, ipſos formam baptiſmatis, in eccleſia catholica receptam, immutaſſe concludi oporteat.

## §. VIII.

## Quinto, a Marcoſianis.

ALIA prorſus inſolita formula excogitata fuit a *Marcoſianis*, ſic appellatis a *Marco* quodam, homine magicarum præſtigiarum peritiſſimo, qui diſcipulos ſuos baptizare docuit, in nomine ignoti patris [ſ] vniuerſorum, in veritatem matrem

(q) Theodor. hæret. fab. lib. III. c. II. *Τὸν περὶ τῆς θείας τριάδος οὐκ ἐλυμήνατο λόγον*, doctrinam de diuina trinitate non corrupit (Montanus).

(r) Concil. Conſtantin. I. can. VII. vid. ſub litt. (o). Conf. concil. Trullan. c. XCV. vbi eadem verba leguntur.

(ſ) Theodoret. hæret. fab. lib. I. c. IX. *εἰς ὄνομα ἀγνώστου πατρὸς τῶν ὅλων, εἰς ἀλήθειαν μητέρα πάντων, εἰς τὸν κατελθόντα Ἰησοῦν, εἰς ἕνωσιν καὶ ἀπολύτρωσιν καὶ κοινωνίαν τῶν δυνάμεων.* Ita quoque Irenæus lib. I. c. XVIII. n. II. & Epiphan. hæreſ. XXXIV. n. XX.

omnium

omnium, & in IEſum, qui deſcendit (vel, vt EVSEBIVS [t] legit, in eum, qui deſcendit in IEſum) ad vnionem & redemtionem communionemque poteſtatum. Quod intelligi poteſt, quaſi nomina harum poteſtatum in formam baptiſmatis ſui receperint. Sed IRENAEVS, & ex eo EPIPHANIVS, narrant, diuerſas eos habuiſſe formulas baptiſmatis, & quosdam certa difficiliora *Hebraica* nomina pronuntiaſſe, vt ſtupori eſſent catechumenis, vel initiandos perterrerent, quæ lector ſtudioſus in his ſcriptoribus euoluere ipſe, ſi lubet, poteſt. Contra alii ex illis baptiſmum tamquam inutilem prorſus repudiabant, „negantes eius virtutis [u], quæ nec oculis cerni, nec ſermo„ne declarari poſſit, myſterium per viſibiles & corruptibiles „creaturas poſſe perfici: eorum, inquam, quæ cogitationem „omnem fugiunt, corporisque ſunt expertia, ad ea, quæ ſen„ſibus percipiuntur, corporeaque ſunt, oportere demitti. Eſſe „autem perfectam redemtionem, ipſam agnitionem inenarra„bilis magnitudinis„. Et in hoc cum *Aſcodrutis* idem ſentiebant, de quibus capite vltimo loquuti ſumus.

## §. IX.

## Sexto, *a* Paulianiſtis.

PAVLIANISTAE, ſiue *Pauli Samoſatenſis* epiſcopi *Antiocheni*, qui diuinitatem Chriſti negabat, ſectatores itidem nouam baptiſmatis formam inuexiſſe videntur, quamquam nullum vetuſtum ſcriptorem noui, qui, qualis illa fuerit, nobis commemoret. Verum AVGVSTINVS id eos feciſſe colligit, quando ſic argumentatur: *Iſtos [w] ſane Paulianos baptizandos eſſe in eccleſia catholica Niceno concilio conſtitutum eſt. Vnde credendum eſt, eos regulam baptiſmatis non tenere, quam [illegible]um multi heretici, quum de catholicis diſcederent, abſtulerunt, eamque cuſtodiunt.* Et INNOCENTIVS pontifex *Romanus* eamdem huic patrum *Nicenorum* decreto rationem adſignat, cur *Nouatianorum*, non autem *Pauliniſtarum*, baptiſmum ratum eſſe debere iudicauerint, *Idcirco*, inquiens [x] *diſtinctum eſſe*

(t) Euſeb. lib. IV. c. XI. habet εἰς τὸν κατελθόντα εἰς τὸν Ἰησοῦν.

(u) Iren. lib. I. c. XVIII. φάσκουσι, μὴ δεῖν τὸ τῆς ἀῤῥήτου καὶ ἀοράτου δυνάμεως μυστήριον δι᾽ ὁρατῶν καὶ φθαρτῶν ἐπιτελεῖσθαι κτισμάτων, καὶ τῶν ἀνεννοήτων καὶ ἀσωμάτων δι᾽ αἰσθητῶν, καὶ σωματικῶν· εἶναι δὲ τελείαν ἀπολύτρωσιν, αὐτὴν τὴν ἐπίγνωσιν τοῦ ἀῤῥήτου μεγέθους.

(w) Auguſtin. de hæreſ. c. XLIV.

(x) Innocent. epiſt. XXII. ad epiſcopos Macedoniæ c. V. (tom. II. conc. p. 1275.)

*ipsis duabus hæresibus, ratio manifesta declarat: quia Paulianistæ in nomine patris, & filii, & spiritus sancti minime baptizarent. Et Nouatiani iisdem tremendis venerandisque nominibus baptizant: nec apud istos de vnitate potestatis diuinæ, hoc est, patris & filii, & spiritus sancti, quæstio aliquando mota est: & ita omnibus segregatis, hæc sola electa est, cui istud crederet concedendum, quia nihil in patris & filii & spiritus sancti sacramento peccarent.*

## §. X.

## Septimo, *ab* Eunomianis *& aliis, qui in mortem Christi baptizarunt.*

Alivd genus hæreticorum erat, qui pro nomine patris, filii, & spiritus sancti hac baptizandi formula vtebantur: *Baptizo te in mortem Christi.* Inter *canones apostolicos* quidam reperitur, qui ad hanc illicitam praxin [y] respicit: *Si quis episcopus aut presbyter, non tres mersiones vnius initiationis seu baptismi fecerit, sed vnam mersionem, quæ detur in morte domini; deponatur. Non enim dixit dominus; In mortem meam baptizate: sed; Euntes docete omnes gentes; baptizantes eas in nomine patris, & filii, & spiritus sancti.* Paulus quidem aliquoties de baptizatis in mortem Christi loquitur: sed tum, vt ORIGENES recte obseruat, hoc ipso non nouam baptismi formam denotat. „Requiras [z] fortassis, inquit, hoc, „quod ipse dominus dixit ad discipulos, vt baptizarent omnes „gentes in nomine patris, & filii, & spiritus sancti, cur heic apo-„stolus solius Christi in baptismo nomen adsumsit, dicens: *Qui-„cumque baptizati sumus in Christo*, quum vtique non habeatur le-„gitimum baptisma, nisi sub nomine trinitatis. Sed intuere „prudentiam *Pauli*, quoniam in præsenti loco non tam bapti-„smatis rationem quam mortis Christi discutere cupiebat, ad „cuius nos similitudinem etiam suaderet mori debere peccato, „& consepeliri Christo. Et non vtique conueniens, vt vbi de „morte dicebat, vel patrem nominaret, vel spiritum sanctum. „Verbum enim caro factum est, & merito, vbi caro est, ibi de

(y) Can. apost. c. L. Εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, μὴ τρία βαπτίσματα μιᾶς μυήσεως ἐπιτελέσῃ, ἀλλὰ ἓν βάπτισμα τὸ εἰς τὸν θάνατον τοῦ κυρίου διδόμενον, καθαιρείσθω· οὐ γὰρ εἶπεν ὁ κύριος, εἰς τὸν θάνατόν μου βαπτίσατε· ἀλλὰ, πορευθέντες μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος.

(z) Origen. comment. Roman. VI. p. 540. edit. Basil. (p. 351. a. edit. Par. MDCIV.)

„morte tractatur. Nec conueniebat, vt diceret, quicumque „baptizati sumus in nomine patris, vel in nomine spiritus san„cti, in morte ipsius baptizati sumus. Vnde obseruanda est in „hoc loco & in ceteris consuetudo apostoli, quod non sem„per, quum aliquid ex scripturis assumit, integrum textum „verborum, vt in suo loco positus est, assumit, sed ea tantum, „quæ præsentis caussæ requirit assertio, sicut in præsenti sermo„ne diximus: quia de morte Christi docere cupiebat, sufficit ei „dicere, quicumque baptizati sumus in Christo, in morte ipsius „baptizati sumus„. Non obstante hac iusta ORIGENIS obseruatione, *Eunomius Arianus* hanc illegitimam illorum antiquorum hæreticorum consuetudinem instaurabat, & abolita vetere baptismi forma nouas excogitabat, impiis suis erroribus & opinionibus magis conuenientes. Nam quum filii & spiritus sancti negaret diuinitatem, non amplius trina immersione vti, nec in trinitatem, sed in mortem tantum Christi, baptizare volebat, vt SOCRATES [*a*] fidem nobis facit. De *Anomœis*, sectatoribus *Eunomii*, obseruat EPIPHANIVS [*b*], quod aliam etiam baptismi formulam adhibuerint: *In nomine Dei increati, & in nomine filii creati, & in nomine spiritus sanctificantis, & a creato filio procreati.* Cui formæ ab se ipsis excogitatæ adeo pertinaciter ipsos adhæsisse dicit, vt eos, qui baptizati iam fuerant, iterum baptizarent, non modo qui a catholicis aut ab aliis hæresibus; sed eos etiam, qui ab ipsismet *Arianis* deficerent. Et GREGORIVS NYSSENVS ex ipsius EVNOMII libris demonstrat, quod legem domini, legem seu traditionem diuinæ institutionis, peruertens, docuerit, non in patrem & filium & spiritum sanctum baptisma fieri oportere, sicut præceperit discipulis tradens mysterium: Sed [*c*] in

(*a*) Socrat. lib. V. c. XXIV. *πλὴν ὅτι τὸ βάπτισμα παρεχάραξαν· οὐ γὰρ εἰς τὴν τριάδα, ἀλλ' εἰς τὸν τοῦ χριστοῦ βαπτίζουσι θάνατον.* Hoc vnum dicam, eos sacrum baptisma adulterasse. Non enim in trinitatem baptizant, sed in mortem Christi.

(*b*) Epiphan. hæres. LXXVI. Anomœan. p. 992. *ἀναβαπτίζει τοὺς ἤδη βαπτισθέντας, οὐ μόνον τοὺς ἀπὸ ὀρθοδόξων πρὸς αὐτὸν ἐρχομένους, καὶ αἱρέσεων, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἀπὸ αὐτῶν τῶν Ἀρειανῶν· ἀναβαπτίζει δὲ αὐτοὺς εἰς ὄνομα θεοῦ ἀκτίστου, καὶ εἰς ὄνομα υἱοῦ κεκτισμένου, καὶ εἰς ὄνομα πνεύματος ἁγιαστικοῦ, καὶ ὑπὸ τοῦ κεκτισμένου υἱοῦ κτισθέντος.*

(*c*) Nyssen. contr. Eunom. lib. XI. (tom. II. p. 706.) *μὴ εἰς πατέρα τε καὶ υἱὸν καὶ ἅγιον πνεῦμα καθὼς ἐνετείλατο τοῖς μαθηταῖς, παραδιδοὺς τὸ μυστήριον, ἀλλὰ εἰς δημιουργὸν καὶ κτιστὴν, καὶ οὐ μόνον πατέρα τοῦ μονογενοῦς, ἀλλὰ τὸν θεόν.*

*opifi-*

*opificem & creatorem, & non solum patrem vnigeniti, sed etiam Deum.* Quocirca ipsum incusat, quod turbauerit cœnosa adiectione & inquinauerit diuinam veritatem: quia nusquam patrem creatorem & conditorem vnigeniti esse sermo docuerit, neque in verbis primæ institutionis filius esse creatura vel seruus Dei dicatur.

## §. XI.

### *Num omnes* Ariani *eiusdem deprauationis rei fuerint.*

Iam vero hæc deprauatio discipulis *Eunomii* peculiaris fuit, quamquam BARONIVS [*d*] & alii quidam viri docti *Arianis* generatim eam imputent, falso nixi ATHANASII & HIERONYMI auctoritate. ATHANASIVS eos in nomine [*e*] *creatoris* & *rei creatæ* baptismum dare dicit; & HIERONYMVS [*f*] ipsos, ait,

(*d*) Baron. an. CCCXXV. num. LXXXVII.) Admiratione res digna est considerare, quibus dolis atque vafritie idem (humani generis hostis diabolus) christianam religionem, quam opera tot imperatorum extinguere non poterat, vnius horæ arte pessundare ac penitus abolere studuerit, dum diuinum mysterium, baptismum inquam, quo omnes consignantur ac nominantur pariter christiani, Arii hæresi auferre molitus est. Athanasii enim hæc iusta est querela, dum ait: „Ariani autem in periculum veniunt, ne „ammittant integritatem mysterii: loquor autem de baptismate. Si enim „in nomine patris & filii datur perfectio, plenaque initiatio: Patrem autem „verum illi non pronuntiant, eo quod negent aliquem ex ipso existere, & „similem esse illius substantiæ; negantque verum filium, aliumque ex non „entibus conditum sibi comminiscentes in baptismate proferunt: qui quæ„so, igitur non plane vanum ac inutile fuerit baptisma, quod ab illis da„tur, quum non nisi species sit & inane simulacrum, ipsique ea re nihil „solidæ opis afferant ad pietatem? Non enim in patre & filio tribuunt ba„ptisma Ariani, sed in creatore & creatura, factore & factura, cetera.„ En vides, quibus cuniculis vna simul & idololatriam in ecclesiam introducere, & ab ea auferre sacrum baptisma per Arium hostis humani generis nisus sit; vt merito Porphyrio comparandus; nisi quod in hoc Arius illo deterior, dum Porphyrius aperte comparatis vndique muralibus machinis, quatere tentauit christianam religionem: hic vero proditione, sub nomine christiano, dolose eam prorsus perdere conatus est.

(*e*) Athanas. orat. III. contr. Arian. tom. I. p. 413. edit. Par. MDCXXVII. (tom. I. p. 510. c. edit. Par. MDCXCVIII.) οὐ γὰρ εἰς πατέρα καὶ υἱὸν διδόασιν οἱ Ἀρειανοὶ, ἀλλ' εἰς κτιστὴν, καὶ κτίσμα καὶ ποίημα. Nec enim Ariani in patris & filii nomine dant baptismum, sed in nomine creatoris & rei creatæ, effectoris & rei factæ.

(*f*) Hieron. dial. aduers. Lucifer. c. IV. Arianus quum nihil aliud crediderit - - nisi in patre solo vero Deo, & in Iesu Christo saluatore creatura, & in spiritu

credere in patrem solum verum Deum, & in IEsum Christum saluatorem creaturam, & in spiritum sanctum vtriusque seruum. Non dicunt autem, eos hac formula baptismi vti, sed tantum ipsorum baptisma, licet in nomine *patris, filii* & *spiritus sancti* datum, re ipsa nihil esse amplius, quam si in nomine rei creatæ datum esset, eo quod filium & spiritum sanctum pro meris rebus creatis habeant. Fidem quidem corruperant *Ariani* catholicam, baptismi tamen regulam retinebant, donec *Eunomius* nouam inter illos formam inueheret. Et hæc vera ratio est, quamobrem concilium primum generale *Constantinopolitanum* [g] & concilium *Trullanum* [h] *Eunomianos* rebaptizari iusserit, eo ipso tempore, quo reliquos *Arianos*, solis impositis manibus sine nouo baptismo, recipiendos esse decreuit. Idem de *Bonosiacis*, seu *Bonosi* episcopi *Sardicensis* sectatoribus, qui *Arianorum* erant propago, concilium *Arelatense* secundum statuit, quod, quum baptismum formæ catholicæ, sicut [i] *Ariani*, retineant, satis sit, fidem catholicam ex toto corde confessos chrismate & manus impositione, citra baptismi iterationem, in ecclesiam recipi. Id quod argumento est, nec veteres *Arianos* ante *Eunomium*, nec *Bonosiacos* post ipsum, quicquam hac in re mutasse, sed licet fidem corrupissent, antiquam tamen baptizandi formulam, in ecclesia catholica vsitatam, retinuisse. Aliter enim si fuisset, eorum etiam baptismum (vt SVICERVS [k] ex VOS-

sancto vtriusque seruo: quo modo spiritum sanctum ab ecclesia recipiet, qui nec dum peccatorum remissionem consequutus est?

(g) Conc. Constant. I. c. VII. Εὐνομιανοὺς μὲν τοι, τοὺς εἰς μίαν κατάδυσιν βαπτιζομένους - - οὕτως κατηχοῦμεν αὐτούς, καὶ ποιοῦμεν αὐτοὺς χρονίζειν εἰς τὴν ἐκκλησίαν, καὶ ἀκροᾶσθαι τῶν γραφῶν, καὶ τότε αὐτοὺς βαπτίζομεν. Eunomianos, qui in vnam demersionem baptizantur, - - sic catechizamus, sic initiamus, & curamus, vt longo tempore versentur in ecclesia & audiant scripturas & tunc eos baptizamus.

(h) Concil. Trullan. c. XCV. eadem verba habet.

(i) Concil. Arelat. II. c. XVII. Bonosiacos autem ex eodem errore venientes (quos, sicut Arianos, baptizari in trinitate manifestum est) dum interrogati fidem nostram ex toto corde confessi fuerint, chrismate & manus impositione in ecclesia recipi sufficit.

(k) Suicer. thes. eccles. tom. I. p. 630. Ad baptismi formulam, ab Arianis vsurpatam in genere quod attinet, eruditis quibusdam viris; vt cl. Vossius monet, disp. II. de bapt. thes. V. persuasum est, eos ex impio dogmate suo formulæ baptismi quædam adiecisse. Vt ita sentiant, adducuntur verbis

SIO

sio [*l*] recte obseruauit) antiqua concilia refecissent, vt *Eunomianorum* baptismum reiecerunt, iubentes eos, ad ecclesiam catholicam redeuntes, denuo baptizari. Formulæ enim baptismi obseruatio tam necessaria institutionis pars & ad essentiam sacramenti ita pertinere semper fuit credita, vt cui deesset, baptismus imperfectus, & vacuus, & repetendus ex omnibus regulis, contra hæreticos in ecclesia catholica factis, haberetur.

## §. XII.

### *Num formulæ baptismi quædam ab ecclesia catholica adiecta fuerint.*

VNA quæstio, quæ ad formulam baptismi attinet, reliqua est, quam hoc loco discutere non abs re fuerit: nimirum, num vmquam in ecclesia catholica receptæ baptizandi formulæ

Athanasii orat. III. contra Arianos (vid. litt. [e]) & Hieronymi aduersus Luciferianos (vid. litt. [f]). At si formula eiusmodi his verbis concepta, eos vsos fuisse vellent, eorum etiam baptismum, vt κίβδηλον, ecclesia orthodoxa reiecisset, id vero non fuisse factum, supra demonstrauimus. Quid igitur patres isti volunt? Hoc tantum, quum verba intelligenda sint ex animo dicentis; quamuis patrem, filium & spiritum sanctum nominent Ariani, tamen id tantumdem esse, ac si baptizare se dicant *in nomen creaturæ*; vtpote qui Christum dicunt κτίσμα & ποίημα.

(*l*) Voss. de bapt. disput. II. thes. V. p. 54. Etiam Arianos ex impio dogmate suo formulæ quædam adiicere solere; & catholicos item, ad explicationem eius, quædam adiicere solere consueuisse; eruditis aliquot viris persuasum esse video. De Arianis, auctores sententiæ suæ laudant magnum Athanasium orat. III. contra Arianos, & B. Hieronymum aduersus Luciferianos: quibus in locis Athanasius quidem ait, εἰς κτιστὴν, καὶ κτίσμα, εἰς ποίημα καὶ ποιητήν: Hieronymus vero dicit, *baptizare eos in patre solo vero Deo, & in Iesu Christo saluatore creatura, & in spiritu S. vtriusque seruo.* Sed non assecuti sunt patrum horum mentem. Nam si hoc vellent, hæreticos istos eiusmodi formula vsos esse: quorsum attinebat, Athanasium non ostendere, nihil referre, si Ariani, patris, filii & spiritus sancti nomina retineant; cum alia tamen ea, quam ecclesia, intelligant? vel quo pacto Hieronymus ibidem eo pugnaret argumento, quod Luciferiani non minus, quam catholici, reciperent baptizatos ab Arianis? aut qua fronte Hilarium, vrbis diaconum, exagitaret, quod dogmate de rebaptizandis, qui ab Arianis venirent, orbem alter quasi Deucalion se tueri sibi videbatur. vnde Deucalion orbis ab Hieronymo ibidem appellatur? Quare illud solum patres isti volunt, cum verba intelligi oporteat ex animo dicentis; vt, et si patrem, filium, & spiritum S. nominent Ariani: tamen id tantumdem esse, ac si baptizare se dicant in nomen creaturæ: quippe qui Christum habeant pro mera creatura.

quædam adiicere licuerit? Eruditis aliquot viris persuasum est, additamenta, si tantum explicationis & illustrationis caussa, & ad confirmandam veritatem aduersus hæreticos adhibita fuerint, in baptismi formula æque ac in symbolo rata fuisse. Verum VOSSIVS ex melioribus rationibus & testimoniis maiorique cum iudicio contrarium tueri mihi videtur. Duo auctores in gratiam istius adserti adlegari solent, nimirum IVSTINVS MARTYR & auctor *constitutionum apostolicarum*, sed neuter eorum satis ad rem propositam facit. Nam IVSTINO [m], vt VOSSIVS obseruat, solum propositum fuit baptismi formulam *παραφράζειν* propter gentiles, christianæ religionis ignaros, quibus scripsit, narrans, quemadmodum christiani in nomine rerum cunctarum parentis & domini & Dei, & seruatoris nostri IEsu Christi, & spiritus sancti baptizentur. Et auctor *constitutionum* adhuc clarius loquitur. Primo enim omnium episcopum & presbyterum quemque monet, ita eos baptizare [n] debere, sicut dominus iniunxerit nobis, dicens; *Euntes docete omnes gentes; baptizantes eas in nomine patris, & filii, & spiritus sancti; docentes eas seruare omnia, quæcumque mandaui vobis.* Et tunc pergit explicare diuersa trium istarum personarum nomina, *In nomine patris*, inquiens, *qui misit; Christi, qui venit; spiritus sancti, qui testimonium perhibuit.* Vt adeo manifesta hæc sit tantum paraphrasis seu explanatio formulæ baptismi, non ipsa formula tunc temporis in ecclesia vsitata. Neque demonstrari potest, » ecclesiam in formula, a seruatore nostro tradita, quicquam im- » mutasse, licet VOSSIVS [o] formulam cum orthodoxo eius-

(m) Iustin. apol. II. p. 94. a. (edit. Par. MDCXXXVI.) ἐπ' ὀνόματος τοῦ πατρὸς τῶν ὅλων καὶ δεσπότου Θεοῦ, καὶ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ πνεύματος ἁγίου, τὸ ἐν τῷ ὕδατι τότε λουτρὸν ποιοῦνται.

(n) Constit. apostol. lib. VII. c. XXII. οὕτω βαπτίσεις, ὡς ὁ κύριος διετάξατο ἡμῖν, λέγων, πορευθέντες μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος — τοῦ ἀποστείλαντος πατρὸς, τοῦ ἐλθόντος Χριστοῦ, καὶ μαρτυρήσαντος παρακλήτου.

(o) Voss. ibid. p. 55. Demus istud viris illis eruditis, tum Arianos, tum catholicos, iis, quas dicunt, formulis vti solere. Sane sic Arianorum quidem baptismus, qui de hæresi aliquid adiungit formulæ, non erit verus baptismus, cum proposito id Christi e diametro aduersetur, vt quis in creaturæ baptizetur nomen. Catholicorum vero baptismus, qui tantum explicationis caussa apponit aliquid, nihilo secius baptismus erit; quia sententiam formulæ reseruat.

modi

modi additamento baptiſmi eſſentiam non eſſe deſtructuram exiſtimet, quemadmodum iſtæ formulæ hæreticæ certiſſime faciant, quæ fidei catholicæ veritatem corrumpunt.

# *LIBRI VNDECIMI*

## *CAPVT QVARTVM*

## DE OBIECTO BAPTISMI, SIVE DE BAPTIZANDIS, SPECIATIM DE PAEDOBAPTISMO.

### §. I.

*Cur quæſtio de miniſtris baptiſmi heic omittatur.*

DE materia & forma baptiſmi loquuto mihi nunc homines conſiderandi eſſent, a quibus hoc ſacramentum antiquis temporibus fuerit adminiſtratum: Sed quando nuper hoc argumentum in duabus diſſertationibus [a], methodo ſcholaſtica ex inſtituto tractaui, ſatis fuerit hoc loco hanc rei ſummam dare. Oſtendi nempe illic, quod epiſcopi, vtpote apoſtolorum ſucceſſores, fuerint præcipue homines iſthac poteſtate inſtructi: Quod hi ipſi presbyteris poteſtatem baptizandi dederint in caſibus ordinariis; diaconis nonnumquam etiam in extraordinariis caſibus; laicis ſolum extra ordinem in extremæ neceſſitatis caſibus: Quod vſurpatus laicorum baptiſmus ratus & validus habitus ſit eatenus, vt non fuerit repetendus, etſi præter regulam datus; Quod baptiſmus mulierum omnino fuerit prohibitus; Quod baptiſmus *Iudæorum* & infidelium numquam ratus fuerit, etſi nunc in eccleſia *Romana* admiſſus; Quod hæreticorum & ſchiſmaticorum baptiſmus a *Cyprianiſtis* & paucis quibusdam aliis non minus veram fidem, quam veram formulam ad completum baptiſmum requirentibus, irritus declaratus ſit; ſed quod hæc opinio a maxima eccleſiæ catholicæ parte reiecta ſit, quæ defectus baptiſmi hæreticorum impoſitione manuum, ſine baptiſmi iteratione, ſuppleri poſſe docebat; Quod tamen inter *Cyprianiſtas* & alios quoscumque conuenerit, hæreticos & ſchiſmaticos non habere poteſtatem ſacerdotum, quia eorum alii, vt *Nouatiani*, numquam iuſtam & legitimam vocationem ad ſacerdotium habuerint; alii autem poteſtate ſua per legi-

(a) *Scholaſtical Hiſtory of Lay-Baptiſm, 1ſt and 2d* part, 1712, & 1714.

legitimum ecclesiæ auctoritatem, quæ prius hanc illis potestatem concredidit, exuti fuerint; vt hinc non pro veri nominis sacerdotibus, sed pro lupis & antichristis, loco pastorum & ductorum gregis *CHRISTI*, habiti sint; Quod ecclesia potestatem habuerit non tantum functionibus eorum ponendi obicem, sed quoque negotium eis datum abolendi, potestatemque sacerdotii prorsus illis auferendi; Quod tum ad statum & conditionem laicorum reducti; & interdum non tantum sacerdotio exuti, sed etiam ad gradum quemdam laicorum gradu inferiorem deturbati fuerint, dum fulmine anathematis perculsi & ecclesiæ communione proiecti fuerunt: Quod tamen, his omnibus non obstantibus, ecclesia non consultum duxerit, baptismum ab istiusmodi hominibus ex sola vsurpatione & sine vlla sacerdotii auctoritate tributum, penitus abolere siue irritum declarare, quoad debita formula, nimirum *in nomine patris & filii & spiritus sancti* datus nosceretur. Quæ omnia quum in antememoratis duabus dissertationibus satis abunde demonstrauerim, ea heic repetere, vel longius isti argumento immorari me oportere, non puto. Quare progredior, prout huius dissertationis ordo requirit, homines, quibus baptismus priscis temporibus conferri consueuerit, consideraturus.

§. II.

*Quinam olim proprium baptismi obiectum fuerint. Vbi de perversa res inanimatas, (verbi caussa campanas) baptizandi consuetudine in ecclesia* Romanensi.

Atqve heic ante omnia certum est & exploratum, baptismum non nisi hominibus iisque viuis, adulti fuerint siue infantes, & quidem qui pro se ipsis baptizarentur, in ecclesia primitiua fuisse tributum. Profana illa rebus inanimatis, vt campanis & similibus, baptismum in superstitiosa earum consecratione tribuendi consuetudo, veteribus prorsus ignota fuit. Prima istius rei mentio in *capitularibus* CAROLI MAGNI [*b*] & quidem cum censura habetur. Verum postea in officia *Romana* gradatim irrepsit, (vti alio loco [*c*] ex BARONIO, BONA &

(*b*) Capitular. Caroli magni, cit. a Duranto de ritibus ecclesiæ catholicæ lib. I. c. XXII. n. II. Vt clocas non baptizent.

(*c*) Vid. supra lib. VIII. c. VII. §. XV. fin. volum. III. p. 285. 286.

MENAR-

MENARDO adnotauimus) vsqvedum in tantam superstitionem excreuit, vt in centum sedis *Romanæ* grauaminibus, quæ *Germani* in publicis imperii comitiis *Norimbergæ* an. MDXVIII. exhibuerunt, querimoniam de eo fieri necesse esset. Hoc enim libello (post descriptam cærimoniam baptizandi campanas cum adhibitis compatribus, qui, vt in paruulorum baptismo fieri solet, pro illis respondeant & campanarum nomina ingeminent, vesteque noua, quemadmodum & christianis fieri soleat, campanas induant, vt hac ratione ad tempestates dæmonesque pellendos idoneæ fiant) hanc rem [*d*] non solum superstitiosam sed etiam christianæ religioni contrariam, ac simpliciorum seductionem & meram exactionem esse concludunt. Rem igitur tam nefandam & illicitam aboleri debere declarant. Qui plura hac de re legere cupiunt, HOSPINIANVM [*e*], vel WOLFIVM [*f*], vel SLEIDANVM [*g*] consulant, qui hanc cærimoniam ex vetere

(*d*) Centum grauam. n. LI. in fasciculo rer. expetend. tom. I. p. 366. Quæ res non solum superstitiosa, sed etiam christianæ religioni contraria ac simpliciorum seductio, & mera exactio. -- Res igitur tam nefanda & illicita merito aboleri debet.

(*e*) Hospin. de templis lib. IV. c. IX. p. 113. seq. ed. Tigur. (p. 391. seqq edit. Geneu.)

(*f*) Wolf. lection. memorab. centur. XVI. an. MDL. pag. 593. 504. Perquam prudenter & pie Cæsar Maximilianus inter grauamina sedis Romanæ, a Germanis non toleranda, campanarum consecrationem recensuit in hæc verba: Suffraganei excogitauerunt, vt solum ipsi, & nullus alius sacerdos laicis campanas baptizarent. Credunt deinde simpliciores, ita affirmantibus suffraganeis, tales campanas baptizatas dæmones & tempestates pellere. Quapropter innumeri plerumque adhibentur compatres, præcipue vero, qui fortuna pollent, exorantur, qui baptizationis tempore funem, quo campana ligata est, tangunt, ac suffraganeo præcinente (quemadmodum in paruulorum baptizatione fieri solet) omnes pariter respondent, ac campanæ nomen ingeminant, vesteque noua, quemadmodum & christianis fieri solet, campana induitur. Inde ad sumtuosa properatur conuiuia, quibus præcipue compatres, vt eo largius munera offerant, adhibentur; nec non suffraganei, & eorum capellani, cum multis aliis ministris regaliter pascuntur. Nec hoc satis est, sed & suffraganeo mercedem persoluere necesse est, quam illi munusculum vocare solent. Inde euenit, vt aliquando, etiam in paruis villis, centum floreni in tali absumantur & expendantur baptizatione. Quæ res non solum superstitiosa, sed etiam christianæ religioni contraria, ac simpliciorum seductio & mera est exactio. Verum etiam episcopi, vt suffraganeos vel vilissima obtinere possint mercede, talia & adhuc absurdiora tolerant. Res igitur tam nefanda & illicita merito aboleri debet.

(*g*) Sleidan. commentar. lib. XXI. p. 388. (p. m. 659.) Vid. volum. III. pag. 286. vbi verba exscripta leguntur.

*pontificali Romano* fuſe tradunt. Nos enim ad eccleſiam primitiuam neceſſe eſt reuertamur.

## §. III.

*Baptiſmus non tribuendus mortuis.*

ET heic praxin paullo antiquiorem, ſed non minus ſuperſtitioſam quam priorem illam, oſtendimus, nimirum conſuetudinem baptiſmum dandi mortuis, quæ inter populos quosdam ſimpliciores *Africæ* cœpit obtinere. Concilium *Carthaginenſe* tertium [h] de ea loquitur, tamquam re, qua chriſtianorum imperitiorum vulgus quodammodo delectetur, adeoque prudenter hanc praxin imminuere adlaborat. Et hoc ipſum in codice eccleſiæ *Africanæ* [i] repetitur. Superſtitioſæ huius opinionis mentionem etiam facit GREGORIVS NAZIANZENVS [k], quando ſenes baptiſmum differentes ſic compellat: *An tu etiam exſpectas, dum mortuus abluaris, non iam miſericordiam tui magis, quam odium mouens?* PHILASTRIVS [l] id etiam tamquam generalem *Montaniſtarum* ſeu *Cataphrygum* errorem notat, quod mortuos baptizent. Hæc praxis vana opinione videtur fundata, quod ſi quis baptiſma recipere in vita neglexiſſet, hic defectus quodammodo poſt mortem illud recipiendo compenſari poſſit. Ex eadem ratione euchariſtiam quoque corporibus defunctorum dabant, quam conſuetudinem æquabiliter in ante memoratis canonibus patres *Africani* damnant, vtpote ex grandi presbyterorum quorumdam ignorantia, & minus recta veri finis harum inſtitutionum cognitione oriundam; quorum in gratiam bis ſingulis quibusque annis concilium prouinciale conuocari iubent, vt congregato conuentu melius poſſint erudiri.

## §. IV.

*Nec viuis pro mortuis. Vbi de ſenſu phraſeos apoſtolicæ*, pro mortuis baptizari.

ALIA abſurda praxis, inter quosdam ex antiquis hæreti-

(h) Conc. Carth. III. c. VI. Cauendum, ne mortuos baptizari poſſe fratrum infirmitas credat.

(i) Cod. eccleſ. Afric. c. XVIII. μὴ τοὺς ἤδη τελευτῶντας βαπτισθῆναι ποιήσῃ ἡ τῶν πρεσβυτέρων ἄγνοια.

(k) Naz. orat. XL. de bapt. p. 649. ἢ καὶ σὺ μένεις νεκρὸς λουθῆναι; οὐ μᾶλλον ἐλεούμενος ἢ μισούμενος;

(l) Philaſtr. de hæreſ. cap. II. de Cataphryg. Hi mortuos baptizant.

cis

cis inuecta, erat genus quoddam baptiſmatis vicarii, vt, ſi quis morte præuentus eſſet citra baptiſma, alius pro ipſo in nomen ipſius baptizaretur. Inter *Marcionitas* hunc morem cum multis ridiculis cærimoniis obſeruatum fuiſſe, tradit CHRYSOSTOMVS [m]. *Poſtquam catechumenus quiſpiam*, inquit, *apud eos exceſſerit, ſub lecto mortui abſconſo aliquo, qui viuit, accedunt ad mortuum & alloquuntur & rogant, velitne accipere baptiſmum. Deinde nihil illo reſpondente, qui eſt abſconſus inferne, pro illo dicit, ſe velle baptizari: & ſic eum baptizant pro eo, qui exceſſit, perinde ac ſi in ſcena luderent: tantum valuit diabolus in ignauorum animis. Deinde quum accuſantur, adducunt hoc verbum dicentes, apoſtolum dixiſſe, qui baptizantur pro mortuis.* Contra quod CHRYSOSTOMVS ſcite vrget: *Si hoc diceret Paulus: cur minatus eſt Deus ei, qui non baptizatur? Non poteſt enim fieri, vt quiſquam deinceps non baptizetur, hoc excogitato. Alioqui vero non eſt culpa eius, qui exceſſit, ſed eius qui viuit.* Et paullo poſt: *Si hoc permittitur, nec opus eſt voluntate & inſtituto eius, qui accipit; nec aſſenſu, qui eſt in vita; quid vetat, quo minus & ethnici & Iudæi ſic fiant fideles, aliis poſt illorum deceſſum pro illis hæc facientibus.* Tangit hanc *Marcionitarum* conſuetudinem quoque TERTVLLIANVS [n], eamque gentilium luſtrationibus, quæ kalendis Februariis pro mortuis fieri ſolebant, comparat. *Viderit*, inquit, *inſtitutio iſta, kalendæ ſi forte Februariæ reſpondebunt illi, pro mortuis petere. Noli ergo apoſtolum nouum ſtatim auctorem, aut confirmatorem eum denotare, vt tanto magis ſiſteret carnis reſurrectionem, quanto illi, qui vane pro mortuis baptizarentur, fide reſurrectionis*

(m) Chryſoſt. homil. XL. in 1 Cor. p. 688. (p. 449. edit. Francof.) ἐπειδὰν γάρ τις κατηχούμενος ἀπέλθῃ παρ' αὐτοῖς, τὸν ζῶντα ὑπὸ τὴν κλίνην τοῦ τετελευτηκότος κρύψαντες, προσίασι τῷ νεκρῷ, καὶ διαλέγονται, καὶ πυνθάνονται, εἰ βούλοιτο λαβεῖν τὸ βάπτισμα· εἶτα ἐκείνου μηδὲν ἀποκρινομένου, ὁ κεκρυμμένος κάτωθεν ἀντ' ἐκείνου φησίν, ὅτι δὴ βούλοιτο βαπτισθῆναι, καὶ οὕτω βαπτίζουσιν αὐτὸν ἀντὶ τοῦ ἀπελθόντος, καθάπερ ἐπὶ τῆς σκηνῆς παίζοντες· τοσοῦτον ἴσχυσε ταῖς τῶν ῥαθύμων ψυχαῖς ὁ διάβολος· εἶτα ἐγκαλούμενοι, ταῦτι παράγουσι τὸ ῥῆμα λέγοντες, ὅτι καὶ ὁ ἀπόστολος εἴρηκεν, οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν. — — εἰ τοῦτο ἔλεγε Παῦλος, τίνος ἕνεκεν ἠπείλησεν ὁ Θεὸς τῷ μὴ βαπτιζομένῳ; οὐ γάρ ἐστί τινα μὴ βαπτισθῆναι λοιπόν, ἐπινοηθέντος τούτου· ἄλλως δὲ τὸ ἔγκλημα οὐκέτι παρὰ τὸν ἀπελθόντα γίνεται, ἀλλὰ παρὰ τὸν ζῶντα· — — εἰ γὰρ τοῦτο ἐφεῖται, καὶ οὐ χρεία γνώμης τῆς τοῦ λαμβάνοντος, οὐδὲ συγκαταθέσεως τῆς ἐν τῷ ζῆν, τί κωλύει καὶ Ἕλληνας καὶ Ἰουδαίους οὕτω γενέσθαι πιστούς, ἑτέρων μετὰ τὴν τελευτὴν ἐκείνων ὑπὲρ ἐκείνων ταῦτα ποιούντων.

(n) Tertull. contr. Marcion. lib. V. c. X.

*hoc facerent. Habemus illum alicubi vnius baptismi definitorem.* Atque alio loco idem *Afer* [o] ad eamdem consuetudinem respicit, & baptisma huiusmodi *vicarium* appellat. *Si*, inquit, *& baptizantur quidam pro mortuis, videbimus, an ratione. Certe illa praesumtione hoc eos instituisse contendit, qua alii etiam carni VICARIVM BAPTISMA profuturum existimarent ad spem resurrectionis, quae nisi corporalis, non alias sic baptismate corporali obligaretur.* SVICERVS *Cerinthianos* primos huiusmodi baptismatis auctores fuisse putat, quo pacto ad apostolorum aetatem haec consuetudo referenda foret. Verum EPIPHANIVS, cuius ille ab auctoritate dependet, id non narrat tamquam ex certo quodam documento, vel ex suo ipsius ingenio, sed tantum ex incerta traditione [p] ad se deuenisse, dicit, de nonnullis haereticis in *Asia* apostolorum aetate, quod, si qui citra baptismum excessissent, alios pro iis substitutos baptizauerint, ne quum extrema demum resurrectione reuocati ad vitam essent, praetermissi baptismatis poenas dependerent, atque eius, qui mundum condidit, potestati subessent. Et quod eadem traditio, quae ad se deuenerit, dicat, sanctum apostolum hinc occasionem arripuisse dicendi: *Si omnino mortui non resurgant, cur & baptizantur pro ipsis?* EPIPHANIVS vero hanc opinionem prorsus reiicit, neque vllum ex antiquis scriptoribus inuenimus, qui hunc apostoli locum ita interpretetur, praeter eum, qui sub nomine scripsit AMBROSII, auctorem, qui in ea versatur opinione, apostolum ad istiusmodi consuetudinem respexisse, tunc temporis vsitatam. *In tantum*, inquit [q], *ratam & stabilem vult ostendere resurrectionem mortuorum, vt*

(o) Tertull. de resurrect. carnis c. XLVIII.

(p) Epiphan. haeres. XXVIII. Cerinth. n. VI. Καὶ τι παραδόσεως πρᾶγμα ἦλθεν εἰς ἡμᾶς, ὡς τινῶν παρ' αὐτοῖς προφθανέντων τελευτῆσαι ἄνευ βαπτίσματος, ἄλλους δὲ ἀντ' αὐτῶν εἰς ὄνομα ἐκείνων βαπτίζεσθαι, ὑπὲρ τοῦ μὴ ἐν τῇ ἀναστάσει ἀναστάντας αὐτοὺς δίκην δοῦναι τιμωρίας, βάπτισμα εἰληφότας, γίνεσθαι δὲ ὑποχειρίους τῆς τοῦ κοσμοποιοῦ ἐξουσίας· καὶ τούτου ἕνεκα ἡ παράδοσις ἡ ἐλθοῦσα εἰς ἡμᾶς, φησὶ, τὸν ἅγιον ἀπόστολον εἰρηκέναι· εἰ ὅλως νεκροὶ οὐκ ἐγείρονται, τί καὶ βαπτίζονται ὑπὲρ αὐτῶν; A maioribus traditum accepimus, nonnullos eorum citra baptismum excessisse, ac pro illis alios baptismum eorumdem suscepisse nomine, vt ne, vbi resurrexerint, illi in resurrectione poenas dent, eo quod non acceperunt baptisma, & subditi fiant potestati, quae mundum fecit. Cuius rei gratia vsurpatum illud ab apostolo eadem ad nos traditione perlatum est: *Si omnino mortui*, cetera.

(q) Ambros. commentar. in 1 Cor. XV, 29.

exem-

*exemplum det eorum, qui tam securi erant de futura resurrectione, vt etiam pro mortuis baptizarentur, si quem forte mors praeuenisset, timentes, ne aut male, aut non resurgeret, qui baptizatus non fuerat, viuus nomine mortui tingebatur.* At vero CHRYSOSTOMVS meliorem argumentationis, qua apostolus vtitur, dat rationem. Ipsum enim putat respicere ad consuetudinem catholicam, secundum quam catechumenus quisque iam iam baptizandus, ore suo se credere mortuorum resurrectionem profiteri teneatur, recitando symbolum, cuius illud fidei caput pars sit, atque ita in fidem & spem resurrectionis mortuorum baptizetur. Hoc ergo in memoriam *Corinthiis* reuocaturum *Paulum* [r] dicere: „*Si non est resurrectio, cur baptizaris pro mortuis? Propter hoc enim baptizaris, mortui corporis credens resurrectionem, nempe quod non maneat mortuum.* Vt adeo *baptizari pro mortuis* sit locutio elliptica, pro baptizari in fidem & professionem resurrectionis mortuorum. Atque ita TERTVLLIANVM intelligendum esse, puto, quando aduersus *Marcionitarum* errorem scribens, ait [s]: *Pro mortuis tingui, pro corporibus est tingui; mortuum enim corpus ostendimus. Quid facient, qui pro corporibus baptizantur, si corpora non resurgunt?* Hoc est, baptizamur in fidem & professionem resurrectionis corporum, quorum & mors & resurrectio in baptismo repraesentatur. Cui proxime accedit interpretatio, quam nobis exhibet EPIPHANIVS, *Alii*, inquiens [t], *commode hoc apostoli dictum interpretantur de iis, qui instante morte, si quidem catechumeni sint, ea spe freti sacra lauatione purgantur: ac mortuos surrecturos esse demonstrant, ob idque condonatione illa scelerum, quae per baptismum obtinetur, indigere.* Idem sensus istis verbis a THEODORETO [u], THEO-

(r) Chrysostom. homil. XL. in 1 Cor. p. 689. (p. 452. edit. Francof.) εἰ μὴ ἔστιν ἀνάστασις, τί καὶ βαπτίζῃ ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, τουτέστι, τῶν σωμάτων; καὶ γὰρ ἐπὶ τούτῳ βαπτίζῃ, τοῦ νεκροῦ σώματος ἀνάστασιν πιστεύων, ὅτι οὐκέτι μένει νεκρόν.

(s) Tertull. contr. Marcion. lib. V. c. X.

(t) Epiphan. haeres. XXVIII. n. VI. καλῶς δὲ ἄλλοι τὸ ῥητὸν ἑρμηνεύοντες, φασὶν, ὅτι οἱ μέλλοντες τελευτᾶν, ἐὰν ὦσι κατηχούμενοι, ἐπὶ ταύτῃ τῇ ἐλπίδι πρὸ τῆς τελευτῆς λουτροῦ καταξιοῦσθαι· δεικνύντες ὅτι ὁ τελευτήσας καὶ ἀναστήσεται, καὶ διὰ τοῦτο ἐπιδεῖσθαι τῆς διὰ τοῦ λουτροῦ ἀφέσεως ἁμαρτημάτων.

(u) Theodor. commentar. 1 Cor. XV, 29. ὁ βαπτιζόμενος, φησι, τῷ δεσπότῃ συνθάπτεται, ἵνα τοῦ θανάτου κοινωνήσας, καὶ τῆς ἀναστάσεως γένηται κοινωνός· εἰ δὲ νεκρόν ἐστι τὸ σῶμα, καὶ οὐκ ἀνίσταται, τί δήποτε καὶ βαπτίζεται; Qui, inquit, baptizatur, domino consepelitur, vt quum mortis fuerit particeps, fit etiam

PHYLACTO [x], BALSAMONE & ZONARA [y], & MATTHAEO BLASTARE [z] inter *Graecos* tribuitur, quem & PATRICIVS [a] & HAMMONDVS [b], tamquam maxime nati-

particeps resurrectionis. Si autem corpus est mortuum & non resurgit, cur etiam baptizatur?

(x) Theophyl. in eumd. loc. *οἱ μέλλοντες βαπτισθῆναι πάντες ἀπαγγέλλουσι τὸ σύμβολον τῆς πίστεως, ἐν ᾧ μετὰ τῶν ἄλλων καὶ τοῦτο πρόκειται· πιστεύω εἰς ἀνάστασιν νεκρῶν· φησὶν οὖν ὅτι οἱ πιστεύοντες, ὅτι ἐστὶν ἀνάστασις νεκρῶν σωμάτων, καὶ βαπτισθέντες ἐπὶ ταιαύταις ἐλπίσι, τί ποιήσουσιν ἀπατηθέντες;* Qui sunt baptizandi, omnes recitant symbolum fidei, vbi cum aliis hoc quoque exstat: credo resurrectionem mortuorum: dicit ergo apostolus: qui credunt, fore resurrectionem mortuorum corporum, & baptizantur in eam spem, quid facient decepti?

(y) Balsam. in can. XVIII. concil. Carthag. apud Beuereg. pandect. tom. I. p. 541. *οὐ βαπτίζεσθαι τοὺς ἀποθανόντας ὁ ἀπόστολος λέγει, οὐ ἄλλους ἀντ᾽ ἐκείνων· ἀλλ᾽ ἐπεὶ οἱ βαπτιζόμενοι, μανθάνοντες τοῦ καθ᾽ ἡμᾶς μυστηρίου τὴν δύναμιν, μετὰ τῶν ἄλλων καὶ ἀνάστασιν νεκρῶν ἐλπίζειν διδάσκονται, καὶ τὴν ἐν τῇ κολυμβήθρᾳ κατάδυσιν τὸν θάνατον παραδηλοῦν, τὴν δὲ ἀνάστασιν αὖθις διὰ τῆς ἀναδύσεως ὑπεμφαίνεσθαι· φησὶν ὁ ἀπόστολος πρὸς τοὺς ἀμφιβάλλοντας περὶ τῆς ἀναστάσεως, ὅτι εἰ μὴ ἀνάστασις ἐστὶ, τί ποιήσουσιν οἱ βαπτιζόμενοι ἐπ᾽ ἐλπίδι τοῦ ἀναστῆναι τοὺς νεκρούς; καὶ τί βαπτίζονται, ὡς προσδοκῶντες νεκρῶν ἀναζώωσιν; λοιπὸν ματαιοποιοῦσιν οἱ βαπτιζόμενοι, εἴγε περὶ τῆς ἀναστάσεως ἀμφιβάλλουσι διὰ μὲν τοῦ βαπτίζεσθαι καὶ καταδύεσθαι εἰς τὸ τῆς κολυμβήθρας ὕδωρ καὶ ἀναδύεσθαι, τὸν θάνατον καὶ τὴν ἀνάστασιν καταγγέλλοντες, δι᾽ ὧν δὲ λέγουσιν ἀπιστοῦντες αὐτῇ.* Neque enim apostolus dicit, baptizari mortuos, vel alios pro illis: sed quia, qui baptizantur, vim nostri mysterii discentes, cum aliis mortuorum quoque resurrectionem sperare docentur, & demersionem in lauacrum mortem significare, resurrectionem rursus per emersionem ostendi; dicit apostolus iis, qui de resurrectione dubitabant; Si non est resurrectio, quid facient, qui sub hac spe baptizantur, quod mortui resurgunt? Et quid baptizantur vt exspectantes resurrectionem mortuorum? Deinceps frustra laborant qui baptizantur, si de resurrectione dubitant; quum eo, quod baptizantur & in aquam lauacri immerguntur & emergunt, mortem & resurrectionem adnuntiantes, per ea, quae dicunt ei, non credant.

(z) Blastar. syntag. can. ibid. tom. II. part. II. p. 41. *οὐ τοὺς ἤδη τεθνηκότας ὁ ἀπόστολος κελεύει βαπτίζειν, ἢ ἀντ᾽ ἐκείνων ἄλλους· - - βαπτίζονται γὰρ ὑπὲρ τῶν νεκρῶν τῇ φύσει σωμάτων εἰς ἀφθαρσίαν καὶ αὐτὰ μετασκευασθῆναι πιστεύοντες.* Non iubet apostolus eos, qui mortui sunt, baptizari, vel alios pro illis. - - Baptizantur pro corporibus natura mortuis, eadem in incorruptibilitatem transmutari credentes.

(a) Patrick aqua genitalis p. 453.

(b) Hammond. in 1 Cor. XV, 29. In paraphrasi: Verum ab iis, qui inter vos negant resurrectionem mortuorum, adeoque vllum, adueniente Christo, excitatum iri, hoc vnum quaesiuero; quare ergo ii professi sint sese haec credere, quum sit certum, resurrectionem mortuorum esse, ex potissimis fidei capitibus, in quae baptizati fuerunt, & cuius baptismus (immersione ba-

vam

vam & genuinam difficilioris huius loci expositionem, amplexi sunt. Nonnulli quidem ad aliam consuetudinem baptizandi super sepulcris martyrum, qui pro fide in spem futuræ resurrectionis mortui sint, respici putant. Verum hæc consuetudo vix satis antiqua fuerit, vt apostolorum tempore ad eam alludi potuerit, licet VOSSIVS [c] & alii quidam viri docti in eam sententiam propendeant. Vtcumque vero res se habet, non probabile est, apostolum ex tam absurda pessimorum hæreticorum consuetudine argumentum petere voluisse. Igitur quæcumque demum interpretatio maxime propria & recipienda videtur, ista certe vna cum errore *Marcionitarum*, baptismum suum vicarium huius loci apostolici auctoritate fundantium, reiicienda est, vtpote contraria sensui & consuetudini totius ec-

ptizandi & emersione) symbolum est; primum quidem resurrectionis Christi, deinde etiam nostræ? Quare hi homines, in baptismo professi sunt hoc fidei christianæ caput a se credi, si non credebant? Baptizari, instar christiani, nec credere resurrectionem, est res & absurda & dissimulatio, quam numquam nec Deo, nec hominibus probabunt, ac propter quam omnibus baptismi beneficiis excident. Vid. etiam not. in h. l. p. 130. a. fin. & b. fin. edit. Cleric. Amstelod. MDCXCIX.

(c) Voss. thes. theol. disput. XV. p. 221. edit. Bellosit. Dobunor. MDCXXVIII. (disput. XII. p. 180. edit. Hag. Comit. MDCLVIII.) Quo loco 1 Cor. XV, 29. quamquam minime eorum sententiam damnamus, qui τὸ βαπτίζεσθαι (vt interdum sumitur) de afflictione intelligunt, ac τὸ ὑπὲρ (vt interdum accipi Eustathius docet) ἕνεκα vel ὑπὲρ exponunt: vt nempe intelligantur, qui eo persecutionem patiuntur, quod obdormientes in Christo resurrecturos æternumque beate doceant victuros: tamen, quum τὸ βαπτίζεσθαι obscuriori hac notione raro admodum vsurpetur in scripturis, ac tum, vnico Lucæ loco excepto, additam habeat ἐξήγησιν, magis placet hoc verbum proprie accipi, ac τὸ ὑπὲρ, vt sæpe fit, *super* seu *supra*, quod & inde descendit, significare: vt nempe sententia sit, qui baptismi aqua tingui amant super cadauera, h. e. super sepulchra. Quæ interpretatio eo confirmatur, quod non Hieronymi tantum vel Augustini æuo ad memoriam martyrum conuenirent, quod nemo in dubium vocat: sed iam ætate eorum, qui Iohannem euangelistam audire potuissent: vt fratrum Smyrnensium litteris ab Eusebio recitatis ostendimus thesibus historicis de inuocatione sanctorum. Vt igitur iam antiquissimis ecclesiæ temporibus christiani instituere amabant conuentus sacros in martyrum cœmiteriis, quo fideles hoc pacto ad eorum sequendum exemplum magis inflammarentur: ita iisdem temporibus, ipsoque, vt videtur, apostolorum æuo, gaudebant multi super martyrum aliorumque fidelium sepulchra baptizari, quo ita tum peccato se mori, tum & suam & eorum, super quibus baptizarentur, resurrectionem se credere hoc signo testarentur.

clesiæ

clesiæ catholicæ, quæ numquam baptismum viuo pro mortuo dari permisit, nec alium baptismum, nisi hominibus viuis tributum, & quidem qui pro se ipsis baptizati essent, approbauit.

§. V.

*Baptismatis paruulorum probatio ex antiquis ecclesiæ monimentis.*

IAM vero eorum, qui ad baptisma recipiendum idonei habebantur, duo erant genera, infantes & homines adulti. Infantes erant tales, qui vel parentibus christianis vel ethnicis erant procreati, diuina autem prouidentia in ecclesiæ christianæ possessionem & dominium, vt ita loquar, venerant. Horum neutri a baptismo excludebantur, si idonei sponsores illis procurari poterant. Hoc ex antiquis ecclesiæ monimentis adeo manifestum est, vt mirum sit, qui viri quidam docti in contrariam ire sententiam, & ex antiquitate rationes in constantis ecclesiæ praxeos fraudem adferre potuerint. WALLVS in elaborata sua de *baptismo infantum* dissertatione [*d*] in multos eiusmodi scriptores non iniuste animaduertit, qui imprudenti sua concessione nostri æui *Anabaptistis* suffuderunt frigidam. Sunt & alii quidam, quos ille non vidit, qui pædobaptismum pro re antiquæ praxi ignota venditant. Nam SALMASIVS, ex eoque SVICERVS [*e*] hac de re tamquam de historia indubia loquuntur, „*Primis duobus sæculis*, inquientes, *nemo baptismum accipiebat*, „*nisi qui in fide instructus & doctrina christiana imbutus testari posset, se* „*credere, propter illa verba, Qui crediderit & baptizatus fuerit.* Quod reuera nihil aliud est quam dicere, primus duobus sæculis nullum infantem ad christianum baptisma fuisse admissum. Postea autem pædobaptismum introductum esse fatentur, quando nimirum opinio inualuerit, neminem saluari posse, nisi qui baptizatus fuisset. Neque vero confutandæ isti opinioni falsoque supposito, quo illa fundatur, conuellendo longius immorari me oportere existimo, quum toties & tam solide id fecerint VOSSIVS [*f*], FORBESIVS [*g*], HAMMONDVS [*h*], WALKE-

(*d*) Wall *Histor. of Infant-Baptism.* Part. 2. chap. 2.
(*e*) Suicer. thes. eccles. tom. II. p. 1136.
(*f*) Voss. de bapt. disput. XIV. tot.
(*g*) Forbes. instruct. histor. theol. lib. X. c. V.
(*h*) Hammond. *def. of Infant-Bapt.* cap. IV.

RVS

RVS [*i*], & inprimis WALLVS [*k*], qui teſtimonia antiquiſſimorum ſcriptorum, qui hac de re quidquam prodiderunt memoriæ, exacte conſiderauit. Verum ne quis, qui haſce collectiones legerit, penitus ignoret, quid, quum alii auctores ipſi deſint, faciat, breuem probatiſſimorum, quæ in tribus primis ſæculis occurrunt, teſtimoniorum ſyllabum heic ſubiungam.

§. VI.

*Ex* Clemente Romano *&* Herma paſtore.

VETVSTISSIMVS ſcriptor, quem habemus, CLEMENS ROMANVS eſt, qui apoſtolorum vixit tempore. Hic licet non expreſſam pædobaptiſmi faciat mentionem, dicit tamen aliquid, quod per conſequentiam eum probat. Infantes enim peccato originali obnoxios pronuntiat, quod re ipſa eſt dicere, quod baptiſmo ad purgandum ſe ſe ab eius ſordibus indigeant. Nam de *Iobo* loquens, *Iobus erat*, inquit [*l*], *iuſtus & ſine crimine, verax, colens Deum, abſtinens ab omni malo: Sed ille ſe ipſum accuſans dicit; Nemo mundus a ſorde, etſi vnius diei ſit vita eius.* Iam ſi infantes in peccato naſcuntur, regeneratione opus eſt illis, quæ regni cælorum eos faciat compotes. HERMAS PASTOR eadem tempeſtate cum CLEMENTE vixit, & diuerſa habet loca, ex quibus vniuerſalis aquæ, hoc eſt baptiſmi, neceſſitas ad ſaluandos homines demonſtrari poteſt. Vno loco eccleſiam repræſentat vt turrim ſuper aquas ædificatam, & ait [*m*]: *Quare igitur ſuper aquas ædificatur turris, audi. Quoniam vita veſtra per aquam ſalua facta eſt & fiet.* Alio loco baptiſmum aquæ ita neceſſarium omnibus facit, vt in viſione quadam apoſtolos repræſentet tamquam poſt mortem [*n*] vadentes ad baptizandos, qui ſub veteri teſtamento vixerunt, ſanctos ſpiritus, vt in regnum Dei transferri poſſint. *Neceſſe eſt*, inquit, *vt per aquam habeant aſcendere, vt requieſcant: Non poterant enim aliter in regnum Dei intrare, quam vt deponerent mortalitatem prioris vitæ. Illi igitur defuncti SIGILLO*

(*i*) Walker. *Plea for Infant-Baptiſm.* c. XXVII. &c.
(*k*) Wall. *Hiſtor. of Infant-Baptiſm.* part. I. cap. I. &c.
(*l*) Clem. Rom. ep. I. ad Corinth. n. XVII. Ἰὼβ ἦν δίκαιος καὶ ἄμεμπτος, ἀληθινὸς, θεοσεβὴς, ἀπεχόμενος ἀπὸ παντὸς κακοῦ· ἀλλ' αὐτὸς ἑαυτοῦ κατηγορῶν λέγει· οὐδεὶς καθαρὸς ἀπὸ ῥύπου, οὐδ' εἰ μιᾶς ἡμέρας ἡ ζωὴ αὐτοῦ.
(*m*) Herm. Paſt. lib. I. viſion. III. c. III.
(*n*) Id. lib. III. ſimil. IX. n. XVI.

*filii Dei signati sunt, & intrauerunt in regnum Dei. Antequam enim accipiat homo nomen filii Dei, morti destinatus est: at vbi accipit illud signum, liberatur a morte, & traditur vitæ. Illud autem sigillum aqua est, in quam descendunt homines morti obligati, adscendunt vero vitæ adsignati. Et illis igitur prædicatum est illud sigillum & vsi sunt eo, vt intrarent in regnum Dei.* Manifestus huius loci scopus est, vt baptismatis repræsentet necessitatem, citra quod nemo ordinarie regnum Dei intrare possit. Neque dubium esse potest, quin, qui ipsis etiam patriarchis, ante aduentum Christi denatis, illud tam necessarium crediderit, non minus omnibus sub œconomia euangelii viuentibus necessarium esse statuerit: Tametsi, vtrum baptismus heic memoratus litterali & proprio, an vero metaphorico solum & mystico, sensu intelligendus sit, quodammodo disputari potest. Et propterea COTELERIVS [o] pro posteriore sensu opinionem suam declarat, *Quandoquidem,* inquiens, *lauatio corporibus competit, non animis, noster necessario intelligit baptismum metaphoricum & mysticum, bona videlicet, quæ in baptismate a Deo conceduntur.* Horum bonorum præcipuum est ius vitæ æternæ, cuius patriarchæ post mortem participes facti existimantur per fidem, euangelio sibi adnuntiato habitam. Hæc erat spiritualis aqua, qua defunctorum animæ baptizatæ fuerunt, perinde ac viuentium corpora communi aqua tinguntur; ex cuius rei analogia par est, concludamus, baptismum aquæ omnibus ad recipiendum eum aptis, hoc est inter viuos adhuc agentibus, necessarium esse, si quidem æternæ vitæ compotes fieri cupiant. Deus quidem, si ipsi ita libeat, baptismum spiritus & baptismum fidei, qui est baptismus verbi, sine isto dare potest: atque ita veterum nonnulli apostolos sine aqua baptizatos fuisse iudicant, ex illo seruatoris dicto: *Iam vos puri estis propter sermonem, quem loqutus sum vobis.* Ita TERTVLLIANVS [p]

(o) Cotel. in loc. p. 117.

(p) Tertull. de bapt. c. XII. Quum praescribitur, nemini sine baptismo competere salutem, ex illa maxime pronuntiatione domini, qui ait: *nisi natus ex aqua qui erit, non habet vitam,* suboriuntur scrupulosi, immo temerarii tractatus quorumdam, quo modo ex ista præscriptione apostolis salus competat, quos tinctos non inuenimus in domino, præter Paulum. Immo quum Paulus solus ex illis baptismum Christi induerit, aut præiudicatum esse de ceterorum periculo, qui careant aqua Christi, vt præscriptio

& alii.

& alii. Communior vero opinio [q] est, ab ipso Christo

salua sit, aut rescindi praescriptionem, si etiam non tinctis salus statuta est. Audiui, domino teste, eiusmodi, ne quis me tam perditum existimet, vt vltro exagitem libidinem stili, quae aliis scrupulum incutiat. Et nunc illis, vt potero, respondebo, qui negant apostolos tinctos. Nam si humanum Ioannis baptismum inierant, & dominicum desiderabant, quatenus vnum baptismum definierat ipse dominus, dicens Petro perfundi nolenti: *qui semel lauit, non habet necesse rursum:* quod vtique non tincto non omnino dixisset: & haec est probatio exerta aduersus illos, qui adimunt apostolis etiam Ioannis baptismum; vt destruant aquae sacramentum. An credibile videri potest, in his personis viam tunc domini non praeparatam, id est baptismum Ioannis, quae ad viam domini per totum orbem aperiendam destinabantur? Ipse dominus nullius poenitentiae debitor tinctus est, peccatoribus non fuit necesse? Quid ergo, alii tincti non sunt? non tamen comites Christi, sed aemuli fidei, legis doctores & Pharisaei. Vnde & suggeritur, quum aduersantes domini tingui noluerint, eos qui dominum sequebantur, tinctos fuisse, nec cum aemulis suis sapuisse, maxime quando dominus, cui adhaerebant, testimonio Ioannem extulisset, *nemo*, dicens, *maior inter natos foeminarum Iohanne baptizatore.* Alii plane satis coacte iniiciunt, tunc apostolos baptismi vicem implesse, quum in nauicula fluctibus adspersi operti sunt; ipsum quoque Petrum per mare ingredientem, satis mersum. Vt opinor autem, aliud est adspergi vel intercipi violentia maris, aliud tingui disciplina religionis. Nunc siue tincti quoquo modo fuerunt, siue inloti perseuerauerunt, vt & illud dictum domini de vno lauacro sub Petri persona ad nos tantummodo spectet, de salute tamen apostolorum satis temerarium est aestimare, quia illis vel primae adlectionis, & exinde indiuiduae familiaritatis praerogatiua compendium baptismi conferre posset. Cum illo opinor, sequebantur illum, qui credenti cuique salutem pollicebatur. *Fides tua te* (aiebat) *saluum fecit, & remittuntur tibi peccata*, credenti vtique, nec tamen tincto.

(q) Augustin. epist. CVII. Tunc quando ab Hierosolymis exiit cum discipulis suis in Iudaeam terram & illic morabatur cum eis, baptizabat, non per se ipsum; sed per discipulos suos; *quos intelligimus iam fuisse baptizatos*, siue baptismo Ioannis, sicut nonnulli arbitrantur, siue, quod magis credibile est, *baptismo Christi.* Neque enim ministerio baptizandi defuit, vt haberet baptizatos seruos, per quos ceteros baptizaret, qui non defuit memorabilis illius humilitatis ministerio, quando eis lauit pedes & petenti Petro, vt non tantum pedes, verum etiam manus & caput ei lauaret, respondit: *Qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet; sed est mundus totus;* vbi intelligitur, quod iam Petrus baptizatus fuerat.

Anon. auctor. de non iterando bapt. ad calcem Cypriani p. 23. edit. Oxon. (p. 21. edit. Amstelod.) Quoniam quidem & ipsi apostoli & discipuli, qui etiam alios baptizabant, *qui etiam a domino baptizati* non statim spiritum sanctum acceperint. cetera.

Clem. Alexandr. hypotypos. lib. V. ap. Ioan. Mosch. prat. spirit. cap. CLXXVI.

eos fuisse baptizatos. Similiter Deus legem de baptismo aquæ in casibus extraordinariis laxare, eiusque defectum vel martyrio vel fide & pœnitentia supplere potuit in illis, qui istius lauacri non potuerunt fieri participes; quemadmodum hanc generalem veterum hac de re sententiam fuisse, libro vltimo [r] ostendimus. Verumtamen in omnibus ordinariis casibus, vbi baptismus aquæ haberi poterat, patres in vniuersum omnes eius necessitatem vrgent ex illo *CHRISTI* effato: *Nisi quis fuerit genitus ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei*. Hæc non tertii vel quarti duntaxat sæculi doctrina fuit, vti SALMASIVS & SVICERVS fidem nobis facere satagunt, sed doctrina ipsorum primorum temporum, quæ apostolorum ætatem proxime sunt insequuta. Nam HERMAN PASTOREM, qui æuo vixit apostolico, vniuersalem baptismatis necessitatem videmus ipso isto seruatoris pronuntiato fundare. Adeoque qui hanc doctrinam de baptismatis necessitate tamquam nouationem vel errorem, AVGVSTINI demum ætate contra hæreticos *Pelagianos* in ecclesiam inuectum, proponunt, ipsi doctrinæ, & AVGVSTINO, & veteribus, qui eam professi ante ipsum sunt & posteris tradiderunt, iniuriam inferunt. Atque id iis, qui pædobaptismum impugnant, haud necessarium subsidium præbet, quod recta huius rei cognitio ipsis omnino adimit. Vtile igitur quodammodo duxi, hæc aduersus SALMASIVM & SVICERVM obseruare, iisque obseruationibus, quas in HERMAE PASTOREM fecit WALLVS, adiicere.

## §. VII.
## *Ex* Iustino Martyre.

ALIVS antiquus scriptor, qui sæculo secundo vixit, IVSTINVS MARTYR est, qui de baptismo infantum, tamquam

Ναὶ ἀληθῶς ἐβαπτίσθησαν, καθὼς Κλήμης ὁ Στρωματεὺς, ἐν τῷ πέμπτῳ τόμῳ ὑποτυπώσεων μέμνηται· φησὶ γὰρ, τὸ ἀποστολικὸν ῥητὸν ἐξηγούμενος τὸ λέγον· εὐχαριστῶ τῷ θεῷ ὅτι οὐδένα ὑμῶν ἐβάπτισα) ὁ χριστὸς λέγεται Πέτρον μόνον βεβαπτικέναι, Πέτρος δὲ Ἀνδρέαν, Ἀνδρέας Ἰάκωβον καὶ Ἰωάννην· ἐκεῖνοι δὲ τοὺς λοιπούς. Ita sane illi (apostoli) baptizati sunt, sicut & Clemens Stromateus meminit in quinto hypotyposeon. Apostolicum enim illud dictum exponens, quod dicitur; *Gratias ago Deo, quia neminem vestrum baptizaui*: Christus, inquit, dicitur, Petrum solum baptizasse, Petrus Andream, Andreas Iacobum & Ioannem; illi autem reliquos.

(r) Vid. lib. X. cap. II. §. XX. pag. 44.

ab

ab apoſtolorum inde tempore vſitato, ſatis euidenter loquitur. Nam in apologia ſua ſecunda [s] ait: *Permulti ſexus vtriusque & ſexaginta & ſeptuaginta nati annos (apud nos), qui a pueris diſciplinam Chriſti ſunt adſectati* (οἱ ἐκ παίδων ἐμαθητεύθησαν τῷ χριςῷ, qui pueri Chriſti diſcipuli facti ſunt) *incorrupti & cælibes perdurant.* Iam vero IVSTINVS hanc apologiam ſcripſit circa annum a nato Chriſto CXLVIII, ſæculo ſecundo medio, adeoque ii, quos ante ſaxaginta vel ſeptuaginta annos in infantia ſua baptizatos eſſe dicit, ſæculo primo, quibusdam apoſtolorum adhuc viuentibus, baptizati fuerint oportet. Alio eiusdem apologiæ loco [t] baptiſmi neceſſitatem probaturus hæc ſeruatoris verba vrget: *Niſi regenerati fueritis, non introibitis in regnum cælorum.* Io. III, 3. 5. Et in dialogo cum *Tryphone Iudæo* de vniuerſo genere humano loquitur, vt quod per *Adam* [u] in mortem & fraudem ſeductionemque ſerpentis conciderit, & propria pro ſe quiſque maligne agens culpa teneatur. Iam ſi omnes homines cum peccato originali naſcuntur, ad infantes etiam hoc extenditur, qui idcirco regeneratione ſiue baptiſmo indigent, vt ab eo liberentur. Et hoc adſertum in IVSTINO per iuſtam conſequentiam baptiſmi neceſſitatem in infantibus æque ac aliis probat, vt a peccato originali redimantur. In alio loco eiusdem dialogi [x] baptiſmum cum circumciſione comparans *Nos*, inquit, *non iſtam ſecundum carnem ſuſcepimus circumciſionem, ſed ſpiritualem, quam Enoch & ſimiles ſuſtinuerunt. Eam vero nos per baptiſmum, quandoquidem peccatores fueramus, propter miſericordiam ipſius Dei accepimus, omnibusque adeo illum ex æquo accipere integrum eſt.* Iam ſi baptiſma circumciſioni reſpondet, eius-

(s) Iuſtin. apol. II. p. 62. Πολλοί τινες καὶ πολλαὶ, ἑξηκοντοῦται καὶ ἑβδομηκοντοῦται, οἱ ἐκ παίδων ἐμαθητεύθησαν τῷ χριςῷ, ἄφθοροι διαμένουσι.

(t) Ibid. p. 94. a.

(u) Iuſtin. dialog. c. Tryph. p. 31?. lin. vlt. p. 31?. - - ὑπὲρ τοῦ γένους τοῦ τῶν ἀνθρώπων, ὃ ἀπὸ τοῦ Ἀδὰμ, ὑπὸ θάνατον καὶ πλάνην τὴν τοῦ ὄφεως ἐπεπτώκει, παρὰ τὴν ἰδίαν αἰτίαν ἑκάςου αὐτῶν πονηρευσαμένου. - - humani generis cauſa, quod per Adam in mortem & fraudem ſeductionemque ſerpentis conciderat, vt interim propriam pro ſe maligne agentis cuiusque culpam taceam.

(x) Iuſtin. dial. p. 2?1. Ἡμεῖς οὐ ταύτην τὴν κατὰ σάρκα παρελάβομεν περιτομὴν, ἀλλὰ πνευματικὴν, ἣν Ἐνὼχ καὶ οἱ ὅμοιοι ἐφύλαξαν· ἡμεῖς δὲ διὰ τοῦ βαπτίσματος αὐτὴν, ἐπειδὴ ἁμαρτωλοὶ ἐγεγόνειμεν, διὰ τὸ ἔλεος τὸ παρὰ τοῦ Θεοῦ, ἐλάβομεν, καὶ πᾶσιν ἐφετὸν ὁμοίως λαμβάνειν.

que in locum ſucceſſit, & neceſſario recipi debet tamquam medium, quo vera cordis circumciſio obtineatur; ſequitur, vt ſicut infantes ad circumciſionem fuerunt admiſſi, ita quoque ad baptiſma admittendi ſint, vtpote quod ordinarium gratiam euangelii illis applicandi ipſosque a culpa peccati originalis purgandi medium eſt.

## §. VIII.

### *Ex auctore* recognitionum, *eiusdem cum* Iuſtino Martyre *ætatis.*

IVSTINO MARTYRI proxime ſubiungimus vetuſtum auctorem libri, qui inſcribitur *recognitiones*, vel *liber itinerarius prædicationis* PETRI; quia licet non genuinum CLEMENTIS ROMANI, cuius nomen præ ſe fert, opus ſit, antiquum tamen ſcriptum & eiusdem cum IVSTINO MARTYRE ætatis, ORIGENI *in philocalia* memoratum & a nonnullis BARDESANI SYRO, qui ſæculo ſecundo medio vixit, adſignatum. Hic auctor de baptiſmi neceſſitate iisdem plane verbis ac IVSTINVS MARTYR loquitur, ipſum ad peccatum originale expurgandum hominemque ad regnum cælorum idoneum reddendum vniuerſaliter neceſſarium eſſe, ſtatuens. Obiectionem enim per modum quæſtionis faciens, *Quid confert aquæ baptiſmus* [y] *ad Dei cultum?* reſpondet: *Primo quidem quod Deo placuit, impletur; ſecundo quia regenerato ex aquis & Deo renato fragilitas prioris natiuitatis, quæ tibi per hominem facta eſt, amputatur; & ita demum peruenire poteris ad ſalutem. Aliter vero impoſſibile eſt. Sic enim nobis cum ſacramento verus propheta teſtatus eſt, dicens; Amen dico vobis: niſi quis denuo renatus fuerit ex aqua, non introibit in regnum cælorum.* Non quidem de baptiſmo infantum ſpeciatim hic auctor loquitur, rationes autem illius eiusmodi ſunt, vt ſermonem eius ad eos extendi, oſtendant. Si enim baptiſmus neceſſarius eſt ob haſce duas

(y) Recognit. lib. VI. n. IX. p. 521. ap. Coteler. tom. I. Quid confert &c. Hæc repetuntur in Græca Clementina homilia XI. num. XXVI. p. 698. Τί συμβάλλεται πρὸς εὐσέβειαν τὸ βαπτισθῆναι ὕδατι; πρῶτον μὲν, ὅτι τὸ δόξαν θεῷ πράττεις· δεύτερον δὲ, ἐξ ὕδατος ἀναγεννηθεὶς θεῷ, αἰτίᾳ φόβῳ, τὴν ἐξ ἐπιθυμίας πρώτην σοι γενομένην καταλλάσσεις γένεσιν, καὶ οὕτως σωτηρίας τυχεῖν δύνῃ· ἄλλως δὲ ἀδύνατον· οὕτως γὰρ ἡμῖν ὤμοσεν ὁ προφήτης, εἰπών· ἀμὴν ὑμῖν λέγω, ἐὰν μὴ ἀναγεννηθῆτε ὕδατι ζῶντι, εἰς ὄνομα πατρὸς, υἱοῦ, ἁγίου πνεύματος, οὐ μὴ εἰσέλθητε εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν.

ratio-

rationes, primo vt concupiscentia seu labes originalis, quæ est prioris natiuitatis fragilitas, amputetur, & deinde vt regnum Dei intrare valeamus; hæ sunt generales baptismatis recipiendi caussæ, quæ ipsum non minus infantibus, quam adultis quibuscumque necessarium efficiunt, quandoquidem secundum hunc auctorem cum peccato originali nascuntur, neque adeo regnum cælorum ingredi possunt, nisi a peccato per aquas baptismi depurgati. Habemus itaque heic in primis duobus sæculis alterum auctorem, adserto SALMASII & SVICERI directe contradicentem, qui doctrinam de baptismi ad salutem necessitate non primorum duorum sæculorum doctrinam, sed opinionem tantum, fuisse dicunt, quæ postea inualuerit, ex quo fundamento pædobaptismus in ecclesiam introductus sit. Nemo enim pro baptismi ad salutem necessitate mentem suam planius declarare potest, nec vmquam declarauit, quam hic ipse auctor fecit, ex verbis seruatoris nostri *CHRISTI*, quæ ipse cum omnibus veteribus scriptoribus ante & post se de ordinaria baptismi aquæ necessitate ad salutem interpretatus est. Vt adeo, si baptismus infantum, quomodo SALMASIVS contendit, opinione de baptismi ad salutem necessitate fundatus est; hic auctor baptismi infantum adsertor sit, oporteat, quia sine vlla controuersia generalis baptismi ad salutem necessitatis adsertor fuit. Cuius auctoris opinioni expendendæ eo lubentius paullulum immorati sumus, quod ignoramus, an hoc testimonium hac in re ab alio quopiam iam productum sit.

## §. IX.
### *Et* Irenæo.

NON longo post IVSTINI MARTYRIS & auctoris modo memorati tempora IRENAEVS episcopus *Lugdunensis* vixit, qui vt DODWELLVS euidenter demonstrat [z], ex eoque CAVEVS [a] adlegat, primo sæculo extremo circa annum XCVII. na-

(z) Dodwell. dissert. in Irenæum.

(a) Cau. histor. litter. vol. I. p. 41. edit. Londin. (p. 30. edit. Geneu.) Cl. Dodwellus dissertatione de *ætate Irenæi*, quam vna cum aliis ad nouam Irenæi editionem parat, aliter plane quam vulgo fieri solet, Irenæi tempora disponit. - - Statuit, Irenæum natum esse sub Nerua ann. Christi XCVII. Quod quidem ex ipsis verbis colligi posse videtur lib. V. c. XXX. vbi exitum imperii Domitiani vocat σχεδὸν τὴν ἡμέραν γενεὰν, seu vt habet antiqua ver-

tus,

tus, & POLYCARPI, qui *Ioannem* apostolum vidit & audiuit, discipulus fuit. Circa annum CLXXVI. librum suum *aduersus hæreses* scripsit, natus annos circiter octoginta, & non multis annis post diem suum obiit. Atque ita idoneus opinionis & praxis ecclesiæ testis, durante sæculo secundo, agnoscendus omnino est. Iam tria sunt ad hanc materiam spectantia, quæ ex scriptis eius euidenter apparent. I. Ecclesiam tunc temporis peccatum originale credidisse. II. Ordinaria media hoc peccatum expurgandi fuisse baptismum. III. Infantes non minus quam reliquos ad remissionem peccatorum obtinendam & redemtionem *CHRISTI* eis applicandam, re ipsa fuisse baptizatos. Quod ad doctrinam de peccato originali attinet, non numquam illud *peccatum* [*b*] *protoplastorum* nominat, quod in Christo ablatum sit, vinculis illis resolutis, per quæ adligati eramus morti: peccatum, quo Deum [*c*] in primo quidem *Adam* offendimus, non facientes eius præceptum, in secundo autem *Adam* reconciliatos nos esse dicit, obedientes vsque ad mortem factos. Vt adeo infantes æque ac reliqui homines peccati culpa teneantur & redemtore cum ceteris indigeant, qui ipsos eo liberet. Iam viam ordinariam, qua a culpa originali vindicemur, baptismum esse dicit, quem *in Deum* [*d*] *regenerationem* vocat. Et hanc regenerationem infantibus æque ac adultis contingere, diserte adfirmat. Ait enim, *Christus* [*e*] *omnes venit per se ipsum saluare. Omnes inquam, qui per eum renascuntur in Deum,*

sio, *pene nostrum sæculum.* Sæculum vero suum a suis natalibus ipsum deducere, nulli dubium esse potest. Circa annum videtur, CXXII. dum adhuc ἐν τῇ πρώτῃ ἡλικίᾳ erat, lib. I.I. c. III. Polycarpum vidit & audiuit. cetera.

(*b*) Iren. lib. V. c. XIX. Adhuc protoplasti peccatum per corruptionem primogeniti emendationem accipiens, & serpentis prudentia deuicta in columbæ simplicitate, vinculis autem illis resolutis, per quæ adligati eramus morti.

(*c*) Id. lib. V. c. XVI. Deum in primo quidem Adam offendimus, non facientes eius præceptum, in secundo autem Adam reconciliati sumus, obedientes vsque ad mortem facti.

(*d*) Id. lib. I. c. XVIII. Καὶ ὅτι μὲν εἰς ἐξάρνησιν τοῦ βαπτίσματος τῆς εἰς θεὸν ἀναγεννήσεως, καὶ πάσης τῆς πίστεως ἀπόθεσιν ὑποβέβληται τὸ εἶδος τοῦ ὑπὸ τοῦ Σατανᾶ, ἐλέγχοντες αὐτοὺς ἀπαγγελοῦμεν ἐν τῷ προσήκοντι τόπῳ. Quia ad negationem baptismatis, *eius quæ est in Deum regenerationis*, & vniuersam fidei destructionem remissa est species hæc in Satana, arguentes eos referemus aptiori loco.

(*e*) Id. lib. II. c. XXXIX.

*infan-*

*infantes, & paruulos, & pueros, & iuuenes, & seniores. Ideo per omnem venit ætatem, & infantibus infans factus, sanctificans infantes: in paruulis paruulus, sanctificans hanc ipsam habentes ætatem,* cetera. Hic locus nulla arte eludi potest, quamdiu per regenerationem baptisma intelligi fateare. Et pro hoc sensu ipsius IRENAEI habemus explicationem, qui baptismum nomine regenerationis appellat; atque ita veteres communiter nominant, vti SVICERVS (contra quem iam disputamus) non dubitat fateri, IVSTINVM MARTYREM [*f*], CHRYSOSTOMVM & GREGORIVM NYSSENVM in hanc sententiam adlegans. Quæ res baptismum infantum ætate IRENAEI, hoc est sæculo secundo, communem ecclesiæ praxin fuisse satis abunde euincit.

§. X.

## *Et* Tertulliano.

SAECVLO secundo exeunte & ineunte tertio vixit TERTVLLIANVS, ecclesiæ *Carthaginensis* presbyter, qui quamquam singulares quasdam cogitationes hac de materia habet, de ecclesiæ tamen praxi sufficienter testatur. Priuata eius opinio erat, differendum esse infantum baptismum, si præsertim nullum mortis periculum esset, donec ad eam ætatem pertinge-

(*f*) Suicer. thesaur. eccles. voce ἀναγέννησις tom. I. p. 243. Quia baptismus est inter caussas *regenerationis* instrumentales, quo regenerationis gratia nobis significatur & obsignatur, vsitatissime græcis patribus ἀναγέννησις vocatur. Gregor. Nyssen. orat. de bapt. III. p. 368. Βάπτισμα τοίνυν ἐστὶν ἁμαρτιῶν κάθαρσις, ἄφεσις πλημμελημάτων, ἀνακαινισμοῦ καὶ ἀναγεννήσεως αἰτία. *Baptismus* peccatorum ablutio est, remissio delictorum, renouationis & *regenerationis caussa.* Chrysostom. in cap. IV. ad Galat. t. III. p. 742. (edit. Eton. MDCXII.) ἐπὶ τῆς ἀναγεννήσεως τῆς ἡμετέρας τὰ ῥήματα τοῦ θεοῦ διὰ τοῦ ἱερέως λεγόμενα, ἅπερ ἴσασιν οἱ πιστοὶ, διαπλάττει καὶ ἀναγεννᾷ τὸν βαπτιζόμενον. In nostra regeneratione verba Dei per sacerdotem prolata, quæ fideles sciunt, formant & *regenerant eum, qui baptizatur.* Iustin. Martyr apol. II. vbi administrationem baptismi describit inter alia: ἔπειτα ἄγονται ὑφ' ἡμῶν ἔνθα ὕδωρ ἐστὶ, καὶ τρόπον ἀναγεννήσεως, ὃν καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ ἀνεγεννήθημεν, ἀναγεννῶνται· Ἐπ' ὀνόματος γὰρ τοῦ πατρὸς τῶν ὅλων καὶ δεσπότου θεοῦ, καὶ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ πνεύματος ἁγίου, τὸ ἐν τῷ ὕδατι τότε λουτρὸν ποιοῦνται. Deinde eo adducuntur, (nempe baptizandi) a nobis, *vbi aqua est*; atque eo *regenerationis* modo, quo ipsi regenerati sumus, *regenerantur.* Nam in nomine rerum cunctarum parentis & domini Dei, & seruatoris nostri Iesu Christi, & spiritus sancti in aqua tum lauantur.

rent, qua recta a prauis diiudicare possent. Ita enim hanc in rem argumentatur, vt ecclesiæ praxin aliam fuisse, simul significet, quando ait: „[g] Pro cuiusque personæ conditione ac „dispositione, etiam ætate, cunctatio baptismi vtilior est: præ„cipue tamen circa paruulos. Quid enim necesse est, si non „tam necesse, sponsores etiam periculo ingeri? qui & ipsi per „mortalitatem destituere promissiones suas possunt, & prouen„tu malæ indolis falli. Ait quidem dominus, *Nolite illos pro„hibere ad me venire.* Veniant ergo dum adolescunt, veniant „dum discunt, dum quo veniant, docentur: Fiant christiani, „dum Christum nosse potuerint. Quid festinat innocens ætas „ad remissionem peccatorum? Cautius agetur in sæcularibus; „vt, cui substantia terrena non creditur, diuina credatur? No„rint petere salutem, vt petenti dedisse videaris. Non minore „de caussa innupti quoque procrastinandi, in quibus tentatio „præparata est tam virginibus per maturitatem, quam viduis „per vagationem, donec aut nubant, aut continentia corrobo„rentur.„ Modus argumentationis TERTVLLIANI hac in re manifesto ostendit, de introducenda noua consuetudine ipsum laborasse; adeoque ecclesiæ morem ipsius memoria fuisse, vt infantibus non minus quam adultis hominibus baptismum tribueret, ipsiusque argumenta non eo tantum spectant, vt infantes, sed vt personæ etiam quæuis innuptæ vel in viduitate constitutæ metu tentationis excludantur. Quæ eiusmodi sunt regulæ, quæ præter ipsum nulli in mentem venerunt, multo minus vlla ecclesiæ praxi fuerunt confirmatæ. Sed hæc ipsa TERTVLLIANI monitio, quantumuis singularis, ad istiusmodi tantum casus pertinere videtur, vbi nullum periculum siue formido mortis fuit: Alias enim ipse pro necessitate baptismi, si quisquam alius, pugnat, tum ex istis seruatoris [h] verbis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non intrabit in regnum cælorum;* tum ex vniuersali corruptione peccati originalis, quod vnumquemque *Adæ* filium immundum reddat, donec christianus effi-

(g) Tertullian. de baptismo c. XVIII.

(h) Tertull. de anima c. XL. Ita omnis anima eo vsque in Adam censeatur, donec in Christo recenseatur: tam diu immunda, quam diu recenseatur. Peccatrix autem, quia immunda, recipiens ignominiam suam ex carnis societate. cetera. Item de bapt. c. XIII.

ciatur:

ciatur: id quod in baptiſmo ſolum fiat; Quandoquidem homines non naſcantur chriſtiani, ſed fiant. Hinc neceſſitate vrgente chriſtianum quemlibet poteſtatem potius dandi baptiſmum habere arbitrabatur, quam vt quispiam ſine eo decederet. Quod arguere videtur, opinionem eius de infantum aliorumque baptiſmo differendo ad eos tantummodo caſus reſpexiſſe, vbi nulla mortis formido fuerit. Verum in his ipſis caſibus eccleſia aliam ſequebatur conſuetudinem, infantes enim ſimul ac nati eſſent, nullo licet mortis periculo eis imminente, baptizabat, vti ex ipſo TERTVLLIANI ſermone apparet, qui hac in re innouationem facere, ſed ſine ſucceſſu, adlaborabat; nam eadem praxis in eccleſia ſequentibus temporibus durauit.

§. XI.

*Et* Origene.

ORIGENES ſæculo tertio ineunte vixit, nec teſtimoniis ex ipſo adlegatis quicquam eſt euidentius. Loco quodam hominem in peccato naſci, dicit, idque verbis demonſtrat *Dauidis*, „Audi, inquiens, *Dauid* dicentem, *in iniquitatibus conceptus ſum & „in peccatis* [i] *peperit me mater mea*: Oſtendens, quod, quæcumque anima in carne naſcatur, iniquitatis & peccati ſorde polluatur: & propterea dictum eſſe illud, quod iam ſuperius memorauimus; quia nemo mundus a ſorde, nec ſi vnius diei fuerit vita „eius. Addi his etiam illud poteſt, vt requiratur, quid cauſſæ ſit, „quum baptiſma eccleſiæ in remiſſionem peccatorum detur, ſecundum eccleſiæ obſeruantiam etiam paruulis baptiſmum dari? „Quum vtique ſi nihil eſſet in paruulis, quod ad remiſſionem deberet & indulgentiam pertinere, gratia baptiſmi ſuperflua videretur. Et alio loco [k] ait: „Paruuli baptizantur in remiſſionem peccatorum. Quorum peccatorum? Vel quo tempore peccauerunt? Aut quomodo poteſt vlla lauacri in paruulis ratio „ſubſiſtere, niſi iuxta illum ſenſum, de quo paullo ante diximus. Nullus mundus a ſorde, nec ſi vnius diei quidem fuerit „vita eius ſuper terram. Et quia per baptiſmi ſacramentum natiuitatis ſordes deponuntur, propterea baptizantur & paruuli. „*Niſi enim quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt intrare in*

(i) Origen. homil. VIII. in Leuit. tom. I. p. 146. edit. Baſil.

(k) Origen. in Luc. hom. XIV. tom. II. p. 223.

„*regnum caelorum*„. Vbi non tantum paedobaptismum consuetudinem ecclesiae facit, sed ab institutione etiam diuina eum deriuat. Quemadmodum alio loco [*l*] ab apostolica traditione illum deducit, *Ecclesia*, inquiens, *ab apostolis traditionem suscepit, etiam paruulis baptismum dare. Sciebant enim illi, quibus mysteriorum secreta commissa sunt diuinorum, quia essent in omnibus genuinae sordes peccati, quae per aquam & spiritum ablui deberent: propter quas etiam corpus ipsum corpus peccati nominatur.*

§. XII.

*Et e* Cypriano *cum concilio* Carthaginensi *sub ipso habito.*

Hoc saeculo medio CYPRIANVS vixit, cuius aetate quaestio de die, quo infantes baptizandi essent, mouebatur. *Fidus* enim quidam episcopus *Africanus* quaestionem ei proposuerat, vtrum infantes, necessitate ita vrgente, simul atque nati essent, baptizari deberent, an vero non nisi post octiduum, secundum regulam de circumcisione datam? Ad hanc quaestionem CYPRIANVS & ceteri episcopi, qui in concilio adfuerant, numero sexaginta sex, ita respondebant [*m*]: „Quantum ad caussam „infantium pertinet, quos dixisti intra secundum vel tertium „diem, quo nati sint, constitutos, baptizari non oportere, & „considerandam esse legem circumcisionis antiquae, vt intra „octauum diem eum, qui natus est, baptizandum & sanctificandum non putares: longe aliud in concilio nostro omnibus vi„sum est. In hoc enim, quod tu putabas esse faciendum, nemo „consensit; sed vniuersi potius iudicauimus, nulli hominum „nato misericordiam Dei & gratiam denegandam. Porro si „etiam grauissimis delictoribus & in Deum multum ante pec„cantibus, quum postea crediderint, remissa peccatorum datur, „& a baptismo atque a gratia nemo prohibetur; quanto magis „prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccauit; „nisi quod secundum *Adam* carnaliter natus, contagium mortis „antiquae prima natiuitate contraxit? Qui ad remissam pecca„torum accipiendam hoc ipso facilius accedit, quod illi remit„tuntur non propria, sed aliena peccata„. Heic & consuetudinem ecclesiae habemus & consuetudinis istius simul rationem.

(*l*) Origen. in Roman. lib. V. c. VI. p. 543.
(*m*) Cyprian. epist. LIX. al. LXIV. ad Fidum p. 158. (p. 279. edit. Amstelod.)

Infan-

Infantes videlicet baptizatos fuiſſe intelligimus, quod cum peccato originis eſſent nati, adeoque baptiſmo indigerent, per quem ab iſtius culpa & pollutione purgarentur. Huic CYPRIANI loco alium ex eodem auctore addere licebit, vbi grandem eorum, qui tempore perſecutionis lapſi erant, improbitatem deſcribens, hunc in modum crimen ipſorum exaggerat: *Ne quid deeſſet* [*n*] *ad criminis cumulum, infantes quoque parentum manibus vel impoſiti vel attracti, amiſerunt paruuli, quod in prima, ſtatim natiuitatis exordio fuerant conſequuti;* nimirum baptiſmi ſui beneficia. Hinc eos introducit de parentibus ſuis in extremi iudicii die eleganti quodam vocum concentu in hunc modum querentes. *Nos nihil fecimus, nec derelicto cibo & poculo domini ad profana contagia ſponte properauimus: perdidit nos aliena perfidia, parentes ſenſimus parricidas. Illi nobis eccleſiam matrem, Illi patrem Deum negauerunt; vt, dum parui & improuidi, & tanti facineris ignari, per alios ad conſortium criminum iungimur, aliena fraude caperemur.* Heic obſeruandum eſt, infantes euchariſtiæ, (quam CYPRIANVS *cibum & poculum domini* vocat) participes factos fuiſſe, idque ex aliis eiusdem auctoris locis patet: quæ res itidem baptiſmi infantum tunc vſitati teſtimonium eſt: Certum enim eſt, non niſi baptizatis ordinarie permiſſum fuiſſe euchariſtiam de menſa domini participare. Non opus fuerit hoc ipſum pluribus concilii *Illiberritani*, OPTATI, GREGORII NAZIANZENI, BASILII, AMBROSII, CHRYSOSTOMI, PAVLINI, conciliorum *Carthaginenſium*, AVGVSTINI, HIERONYMI aliorumque ſæculi quarti ſcriptorum teſtimoniis comprobare, quæ collecta & aptis obſeruationibus illuſtrata apud WALLVM lector inuenire poteſt. Ad inſtitutum meum ſatis eſt, aduerſus SALMASIVM & SVICERVM demonſtraſſe, quod pædobaptiſmus non pro noua doctrina, ſæculo demum tertio orta, habendus ſit, ſed ex antiquioribus principiis deriuatus & per duo priora ſæcula ex apoſtolorum praxi per manus traditus fuerit.

§. XIII.

***Baptiſmus infantum non ad octauum vſque diem exemplo circumciſionis procraſtinandus. Neque in tertium vſque annum ex ſententia*** Gregorii Nazianzeni.

(*n*) Cypr. de lapſis p. 125. (p. 90. edit. Amſtelod.)

 NVNC

Nvnc pauca quædam alia de pædobaptismo considerabimus, inter eos, qui infantibus, ex quo nati fuerint, istud lauacrum tribuendum esse iudicarunt. Erant in ecclesia *Africana*, quemadmodum ex modo memoratis CYPRIANI locis percepimus, qui baptismum octauo die præcise adstringebant, quod hæc regula de circumcisione data esset. Verum CYPRIANVS & concilium *Carthaginense* ad omnia argumenta respondebant, quæ in medium pro hac innouatione proferebantur, quæ res tantum problema fuisse, & vix vmquam in praxin deducta videtur. Qui isti sententiæ fauebant, *vestigium infantis in primis partus sui diebus constituti*, *mundum non esse* dicebant, *quod vnusquisque nostrum adhuc horreat exosculari.* Quibus CYPRIANVS respondebat: „Non hoc putamus [o] ad cælestem gratiam dandam „impedimentum esse oportere, scriptum est enim: *omnia mun-* „*da sunt mundis*, nec aliquis nostrum id debet horrere, quod „Deus dignatus est facere. Nam etsi adhuc infans a partu no- „vus est, non ita est tamen, vt quisquam illum in gratia dan- „da atque in pace facienda horrere debeat osculari; quando „in osculo infantis vnusquisque nostrum pro sua religione ipsas „adhuc recentes Dei manus debeat cogitare, quas in homine „modo formato & recens nato quodammodo exosculamur, „quando id, quod Deus fecit, amplectimur.„ Ad alterum, quod octauum diem in circumcisione obseruatum fuisse, dicebant, ita respondet: „Quod in *Iudaica* circumcisione carnali „octauus dies obseruabatur, sacramentum est in vmbra atque „in imagine ante præmissum, sed veniente Christo veri- „tate completum. Nam quia octauus dies, id est, post sab- „bathum primus dies futurus erat, quo dominus resurge- „ret, & nos viuificaret, & circumcisionem nobis spiritua- „lem daret: hic dies octauus, id est, post sabbathum primus „& dominicus præcessit in imagine, quæ imago cessauit, super- „veniente postmodum veritate, & data nobis spirituali circum- „cisione. Propter quod neminem putamus a gratia conse- „quenda impediendum esse ea lege, quæ iam statuta est, nec „spiritualem circumcisionem impediri carnali circumcisione de- „bere, sed omnem omnino admittendum esse ad gratiam *CHRI-*

(o) Cypr. epist. LIX. al. LXIV. ad Fidum p. 160. (p. 251. edit. Amstelod.)

*STI*;

„*STI*; quando & *Petrus* in actis apostolorum loquatur & dicat: „*Dominus mihi dixit, neminem hominum communem dicendum & im-* „*mundum*.„ Hic vnus solus locus est, in quo hanc quaestionem factam legimus; & post datam hanc responsionem numquam eam denuo propositam inuenimus. Vt adeo haec temporis circumstantia numquam in ecclesia inualuisse videatur. GREGORIVS NAZIANZENVS singularem quoque opinionem fouit ratione temporis, quo infantes baptizandi essent, nullo mortis periculo vrgente. Ita namque satius esse credebat, baptismum ad tertium aetatis annum differri, sed si quod periculum intercederet, simul ac nati essent, baptizari eos oportere statuebat, vt ne sine baptismo decederent. Verba ipsius haec sunt: „Quid „de iis dices, [p] qui adhuc tenera aetate sunt, nec aut damnum „aut gratiam sentiunt? An eos quoque baptizabimus? Ita prorsus, si quid periculum vrgeat. Praestat enim absque sensu sanctificari, quam sine sigillo & initiatione abscedere. Atque „huius rei ratio nobis est circumcisio, die octauo peragi solita, quae baptismi figuram quodammodo gerebat, atque iis, „qui rationis adhuc expertes erant, offerebatur. Eodem quoque modo postium vnctio, quae rebus sensu carentibus adhibita primogenitis salutem adferebat. De reliquis ita censeo, „vt triennio exspectato, aut aliquanto breuiori vel longiori „temporis spatio, nam tum & mystici quiddam audire & respondere possunt, ac si minus plene & exacte intelligunt, imbuuntur tamen & informantur, ita demum per magni baptismi sacramentum & animos & corpora sanctificent.„ Sed haec singularis, vt diximus, NAZIANZENI opinio fuit, ex specialioribus adsumta rationibus, in quam ecclesia numquam consensit. Quocirca eam *Fidi Africani* opinioni iungimus tamquam

(*p*) Naz. orat. XL. de bapt. (tom. I. p. 658. a. b.) Τί δ' ἂν εἴποις περὶ τῶν ἔτι νηπίων, καὶ μήτε τῆς ζημίας ἐπαισθανομένων, μήτε τῆς χάριτος; ἢ καὶ ταῦτα βαπτίσομεν; πάνυγε· εἴπερ τις ἐπείγοι κίνδυνος· κρεῖσσον γὰρ ἀναισθήτως ἁγιασθῆναι, ἢ ἀπελθεῖν ἀσφράγιστα καὶ ἀτέλεστα· καὶ τούτου λόγος ἡμῖν, ἡ ὀκταήμερος περιτομή, τυπική τις οὖσα σφραγὶς καὶ ἀλογίστοις ἔτι προσαγομένη· ὡς δὲ καὶ ἡ τῶν φλιῶν χρῖσις, διὰ τῶν ἀναισθήτων φυλάττουσα τὰ πρωτότοκα· περὶ δὲ τῶν ἄλλων δίδωμι γνώμην τὴν τριετίαν ἀναμείναντας, ἢ μικρὸν ἐντὸς τούτου, ἢ ὑπὲρ τοῦτο, ἡνίκα καὶ ἀκοῦσαί τι μυστικὸν, καὶ ἀποκρίνεσθαι δυνατόν· εἰ καὶ μὴ συνιέντα τελείως, ἀλλ' οὖν τυπούμενα, οὕτως ἁγιάζειν καὶ ψυχὰς καὶ σώματα τῷ μεγάλῳ μυστηρίῳ τῆς τελειώσεως.

sen-

ſententias priuatis hominibus peculiares, quæ in publica & approbata eccleſiæ praxi nullum vnquam locum inuenerunt.

## §. XIV.

### *In quibusdam tamen eccleſiis ad appropinquantis cuiusdam feſtiuitatis tempus dilatus.*

VERVMTAMEN in nonnullis eccleſiis conſuetudo obtinuit, vt baptiſmus infantum æque ac adultorum, ſi nullum mortis periculum appareret, differretur ad illuſtrioris cuiusdam feſtiuitatis tempus, quod peculiariter ſolemni baptiſmatis adminiſtrationi deſtinatum erat & conſtitutum. In THESSALIA ſolis diebus paſchæ baptiſmum datum fuiſſe auctor eſt SOCRATES [q]: qui ex eo factum dicit, vt plerique apud illos citra baptiſmum deceſſerint. Non quidem de infantibus hoc diſerte dicit: Sunt tamen rationes, quæ nos inducunt ad credendum, de illis non minus quam adultis hoc intelligi oportere. Nam & in *Gallicanis* & *Hiſpanicis* conciliis canones exſtant, qui infantes ſola paſchatis ſolemnitate præcipiunt baptizari, niſi quis caſus neceſſitatis & imminens mortis periculum ſecus id fieri vrgeat. In concilio *Antiſſiodorenſi* [r] pro eccleſiis *Gallicanis* hoc decretum legimus: *Non licet abſque paſchæ ſolemnitate vllo tempore baptizare, niſi illos, quibus mors vicina eſt, quos grabatarios dicunt. Quod ſi quis in alio pago, contumacia faciente, poſt interdictum hoc infantes ſuos ad baptiſmum detulerit in eccleſias noſtras, non recipiantur. Et quicumque presbyter ipſos extra noſtrum permiſſum recipere præſumſerit, tribus menſibus a communione eccleſiæ ſequeſtratus ſit.* Concilium *Bracarenſe* ſecundum [s] de ſimili conſuetudine in eccleſiis *Hiſpanicis* loquitur, *Mediante quadrageſima*, inquiens, *ex viginti diebus baptizandos infantes ad exorciſmi purgationem offerre præcipiant.* AVGVSTINVS quoque de infantium baptiſmo loquitur, quando in ſermone, *dominica palmarum* recitato, ſic ait [t]: *Hodie octauæ dicuntur infantium. - - Illi pueri, infantes, paruuli, lactantes, maternis vberibus inhærentes, & quantum in eos gratiæ referatur, neſcientes, vt ipſi videtis, quia infantes vocantur, & ipſi habent octauas hodie. Et iſti ſenes,*

(q) Socrat. lib. V. c. XXII. ἐν ταῖς ἡμέραις τοῦ πάσχα μόνον βαπτίζουσι· διὸ σφόδρα πλὴν ὀλίγων οἱ λοιποὶ μὴ βαπτισθέντες ἀποθνήσκουσιν.

(r) Concil. Antiſſiodor. c. XVIII. (tom. V. concil. p. 959.)

(s) Concil. Bracar. II. al. III. c. IX. (ibid. p. 898.)

(t) Auguſt. ſerm. CLX. de tempore, tom. X. p. 331. (p. 953. a. edit. Baſil. MDLXIX.)

*iuuenes*

*iuuenes adolescentuli, omnes infantes.* AMBROSIVS [u] etiam innumerorum infantium, ad suscipiendum baptismum die paschatis venientium, meminit. *Hæc*, inquit, *illa est cælestium mysteriorum gratia, hoc paschæ donum, hæc optabilis anni festiuitas, hæc exordia gignentium rerum. Hinc vitalis lauacri sacræ ecclesiæ editi puerperio infantes, paruulorum simplicitate renati, balatu innocentes perstrepunt conscientiæ. Hinc casti patres, pudicæ etiam matres nouellam per fidem stirpem prosequuntur innumeram. Hinc sub fidei arbore ab vtero fontis innocui cereorum splendet ornatus. Hinc cælestis meriti sanctificantur munere, & sacramenti spiritalis celebri mysterio saginantur.* Quæ omnia satis probant, quod, licet extrema necessitate vrgente infantes quouis tempore baptismum recipere potuerint, tamen si nulla mortis formido intercesserit, ipsorum non minus quam adultorum hominum baptismus multis in locis ad festiuitatem paschalem differri solitus sit.

## §. XV.

### *Quæstionum quarundam solutio. Num infantes, solo patre vel matre sola christianam profitente religionem, baptizari potuerint.*

DVM in hoc argumento de baptismo infantium versamur, non abs re fuerit, certas quasdam quæstiones soluere, quæ de eo fieri possunt, quatenus ex praxi ecclesiæ vel vetustorum scriptorum iudicio earum solutio dari potest. Vna quæstio ad eos attinet infantes, quorum parentum pars altera christianæ, altera autem *iudaicæ* religioni, vel ethnicismo addicta erat. Hi ex parentum partis christianæ iure ad baptismum admittendi credebantur. Ita enim in concilio *Toletano* quarto [x] decretum fuit in casu mulierum, quarum mariti essent *iudæi. Filii qui ex talibus (iudæis) nati exsistunt, fidem atque conditionem matris sequantur. Similiter & hi, qui procreati sunt de infidelibus mulieribus & fidelibus viris, christianam sequantur religionem, non iudaicam superstitionem.*

## §. XVI.

### *Num parentum, ab ecclesia communione segregatorum, liberos baptizari licuerit.*

(u) Ambros. de mysterio paschæ cap. V. (tom. I. opp. p. 3[illegible]4. edit. Paris. MDCXLII.)
(x) Concil. Tolet. IV. c. LXIII. (tom. V. conc. p. 1[illegible].)

Alia quæstio de illis infantibus agit, quorum parentes excommunicationi & censuris ecclesiæ subiacebant. AVGVSTINO hanc quæstionem considerandi occasionem dederat *Auxilius* quidam episcopus iuuenis, qui indomito zelo abreptus *Classicianum* quemdam excommunicauerat, tota eius familia anathemati & sacrorum interdictioni simul subiecta. Quæ praxis erat, quam, etsi a recentioribus quibusdam episcopis *Romanis* nimium quantum exercitam, veteres numquam permiserunt. Omnes etiam liberos, durante isthoc anathemate in illa familia natos, a baptismo repulisse videtur. Vnde AVGVSTINVS mittendi ad eum deque facti eius rationibus expostulandi arrepta occasione in hunc modum scribit: „Apud caritatem tuam [y] „tacere non potui, vt si habes de hac re sententiam, certis ra„tionibus vel scripturarum testimoniis exploratam, nos quoque „docere digneris; quomodo recte anathematizetur pro patris „peccato filius, aut pro mariti vxor, aut pro domini seruus, si „eodem tempore, quo vniuersa domus est anathemate obli„gata, nascuntur, nec ei possit per lauacrum regenerationis „in mortis periculo subueniri. Neque enim hæc corporalis est „pœna, qua legimus quosdam contemtores Dei cum suis o„mnibus, qui eiusdem impietatis participes non fuerunt, pari„ter interfectos: tunc quidem ad terrorem viuentium mortalia „corpora perimebantur, quandoque vtique moritura. Spiri„tualis autem pœna qua fit, quod scriptum est: *Quæ ligaueris in* „*terra, erunt & ligata in cælo:* *animas obligat*, *de quibus dictum est:* „*Anima patris mea est, & anima filii mea est. Anima, quæ peccauerit,* „*ipsa morietur.* Audiui fortasse, aliquos magni nominis sacer„dotes cum domo sua quempiam anathematizasse peccantium: „sed forte si essent interrogati, reperirentur idonei reddere in„de rationem. Ego autem, quoniam, si quis ex me quærat, „vtrum recte fiat, quid ei respondeam, non inuenio. Num„quam hoc facere ausus sum, quum de quorumdam facinori„bus, immaniter aduersus ecclesiam perpetratis, grauissime per„mouerer.„ Ex quibus commode nos concludere posse puto, excommunicationem parentis filium iure baptismi priuare non posse. Et quamquam fuerunt, qui potestati ecclesiæ hac

(y) August. epist. LXXV. ad Auxilium.

in

in re extenderunt limites, tantum tamen abest, vt actiones ipsorum generatim approbatæ & lege quadam confirmatæ, vt potius censuram mereri creditæ sint. Qui scire cupiunt, quemadmodum ecclesiæ reformatæ hunc casum de admittendis ad baptismum parentum excommunicatorum filiis soluerint, aliam dissertationem[z], quam iam pridem in ecclesiæ defensionem scripsimus, consulere possunt, in qua hunc casum speciatim considerauimus, & ex celebratissimarum quarumdam ecclesiarum reformatarum principiis & praxi decidimus.

## §. XVII.

### *Num infantes expositios, quorum parentes ignoti, baptizari fas fuerit.*

Alia quæstio, aliquando in ecclesia primitiua agitata, ad eos infantes attinebat, qui vel proiecti erant, vel a barbaris redemti, quorum parentes latebant & consequenter incertum prorsus erat, vtrum baptizati essent nec ne? Res hæc erat, quæ frequenter accidere solebat in *Africa*, vbi christiani diuersis barbaris nationibus erant contermini: Et quæstio a patribus *Africanis*, facta consultatione, in concilio quodam *Carthaginensi* hunc in modum soluebatur: *Placuit de infantibus* [a], *quoties non inueniuntur certissimi testes, qui eos baptizatos esse, sine dubitatione testentur, neque ipsi sint per ætatem idonei de traditis sibi sacramentis respondere absque vllo scrupulo eos esse baptizandos, ne ista trepidatio eos faciat sacramentorum purgatione priuari.* Et hoc decretum rogantibus ecclesiarum *Mauritaniæ* legatis fiebat, qui synodum certiorem fecerant, multos tales infantes apud se a barbaris redimi. Quo in casu dubium omnino erat, vtrum parentes eorum gentiles an christiani essent.

(z) French *churches Apology for the church of* England, Book 3. chap. 19.

(*a*) Conc. Carth. V. c. VI. (tom. II. conc. p. 121[illegible].)
Cod. can. Afric. c. LXXII. Ὁμοίως ἤρεσε περὶ τῶν νηπίων, ὁσάκις μὴ εὑρίσκωνται βέβαιοι μάρτυρες, οἱ ταῦτα ἀναμφιβόλως βαπτισθέντα εἶναι λέγοντες, καὶ οὐδὲ αὐτὰ διὰ τὴν ἡλικίαν περὶ τῆς παραδοθείσης αὐτοῖς μυσταγωγίας ἀποκρίνεσθαι ἐπιτηδείως ἔχωσι, χωρίς τινος προσκόμματος ὀφείλειν ταῦτα βαπτίζεσθαι, μήποτε ὁ τοιοῦτος δισταγμὸς ἀποστερήσῃ αὐτὰ τῆς τοιαύτης τοῦ ἁγιασμοῦ καθάρσεως· ἐκ τούτου γὰρ οἱ τοποτηρηταὶ τῶν Μαύρων ἀδελφοὶ ἡμῶν τοῦτο ἐξελεύσαντο, ὅτι πολλοὺς τοιούτους ἀπὸ τῶν βαρβάρων ἐξαγοράζονται.

## §. XVIII.

*Num liberi* iudæorum *vel gentilium in quocumque casu baptizari potuerint.*

VERVMTAMEN si, (vti in quibusdam casibus vsu veniebat) parentes infantium, qui diuina prouidentia in potestatem venerant christianorum, meri iudæi vel ethnici esse manifesto noscerentur: tunc infantibus istis baptismus non denegabatur, eo quod iam possessio christianorum facti fuerant, qui pro illis fidem suam interponentes eorum se educationis rationem habituros promittebant. Hoc ex AVGVSTINO [b] patet, qui disertis verbis ait: *Aliquando filiis infidelium præstatur hæc gratia, vt baptizentur, quum occulta Dei prouidentia in manus piorum quomodocumque perueniunt.* Aliquando pecunia redemti, aliquando iusto bello capti, aliquando etiam a beneficis hominibus collecti erant [c], vbi parentes crudeliter eos proiecissent. In quibus casibus vniuersis vel sponsorum fides & promissum, vel fides ecclesiæ generatim, quæ communis eorum mater erat, & cuius nunc filii esse credebantur, ad ius baptismatis eis dandum sufficiebat. Sacræ ecclesiæ virgines, rebus ita exigentibus, sæpenumero pro ipsis spondebant, curamque religiosæ eorum educationis in se suscipiebant. Atque ita accidit, vt, quemadmodum AMBROSIVS, vel quisquis excellentis libri *de vocatione gentium* [d] auctor est, obseruauit, *vt multis, quos suorum impietas deseruit, alienorum cura seruierit & ad regenerationem venerint per extraneos, quæ eis non erat prouidenda per proximos.* Quod beneficentiæ & libertatis genus inter veteres ita generatim vsitatum erat, vt recentiores quidam scriptores [e] hoc intuitu cum laude & commendatio-

(b) Aug. de grat. & libero arbitrio cap. XXII. tom. VII. p. 527. (p. 1323. edit. Basil. MDLXIX.)

(c) Aug. epist. XXIII. ad Bonifac. Videas multos non offerri a parentibus, sed etiam a quibuslibet extraneis, sicut a dominis seruuli aliquando offeruntur. Et nonnumquam mortuis parentibus suis paruuli baptizantur ab eis oblati, qui illis huiusmodi misericordiam præbere potuerunt. Aliquando etiam, quos crudeliter parentes exposuerunt, nutriendos a quibuslibet, nonnumquam a sacris virginibus colliguntur, & ab eis offeruntur ad baptismum.

(d) Ambros. de vocat. gent. lib. II. c. VIII.

(e) Vid. Riuetum & Walæum in synopsi purioris Theologiæ disput. XLIV. num. XLIX. (p. m. 491. edit. Lugd. Batau. MDCXLIII.) Augustinus & alii veteres sine controuersia eos, qui legitime venissent in potestatem christianorum,

ne

ne de eo loquantur, & eiusmodi infantes eodem baptiſmi iure gaudere dicant, quo ſerui *Abrahæ*, pecunia ipſius emti, circumciſionis iure gauiſi ſint non minus, quam qui domi ſuæ ipſi nati fuerant. Et in adſerendo, quod nempe hæc ſine controverſia communis praxis in eccleſia primitiua fuerit, eatenus conſpirant, vt AVGVSTINVM hoc tamquam firmiſſimo argumento ad probandam liberam gratiam & electionem aduerſus *Pelagianos* vſum fuiſſe, dicant. Quod heic obiter tantum notamus, propter errantes quosdam homines, qui eiusdem praxis ſtudium in eccleſia *Anglicana* non illius beneficentiæ, ſed vitio potius & errori in conſtitutione eius admiſſo, adſcribunt.

## §. XIX.

### *Num infantes, dum parentes ipſorum adhuc gentiles eſſent, nati baptizari potuerint.*

ALIA quæſtio ſupereſt de iis infantibus, qui parentibus, gentilitatis ſuperſtitioni adhuc deditis, nati fuerunt. Sed vero de illis nullum vmquam dubium fuit; nam ſimul atque ipſi parentes baptizati erant, in id incumbere debebant, vt coniuges & liberos & omnes ſuos ad baptiſmum ſuſcipiendum perducerent. Quem in finem lex quædam in codice *Iuſtinianeo* [f] reperitur, ſeueram illis pœnam iniungens, qui hac in re neglectionis vel præuaricationis conuincerentur. Ita enim ibi decretum legimus: *Qui nondum ſunt baptizati, ipſi cum liberis & coniugibus & omnibus ſuis perducant ſe ad ſanctas eccleſias: Et ſuos paruulos liberos ſine mora baptizari curent: maiores vero prius ſcripturas ſecundum canones doceantur. Si vero propter militiam vel dignitatem vel facultates habendas fingant baptizari; & liberos aut coniuges ſuas aut*

baptizandos ſentiebant. *Aliquando*, inquit, *filiis infidelium præſtatur hæc gratia, vt baptizentur; quum occulta Dei prouidentia in manus piorum quomodocumque peruenerunt.* Nos vero legitime in poteſtatem chriſtianorum venire iudicamus, ſi vel iuſto bello capiantur, aut emantur a chriſtianis, vt videre eſt ex Geneſ. XVII. v. 12. *Circumcidetur vobis natus dies octo omnis mas per ætates veſtras, natus domi, & emtus pecunia tua.*

(f) Cod. Iuſtin. lib. I. tit. XI. de paganis leg. X. num. I. Οἱ μήπω βαπτισθέντες, ἑαυτοὺς καὶ παῖδας, καὶ γαμετὰς, καὶ πάντας τοὺς αὐτῶν προσαγέτωσαν ταῖς ἁγίαις ἐκκλησίαις, καὶ τὰ μὲν αὐτῶν τέκνα μικρὰ ὄντα χωρὶς ἀναβολῆς βαπτιζέσθω· οἱ δὲ τέλειοι πρότερον τὰς γραφὰς κατὰ τοὺς κανόνας διδασκέσθωσαν. Εἰ δὲ διὰ τὸ τυχεῖν στρατείας, ἢ ἀξίας, ἢ οὐσίαν ἔχειν σχηματίζονται βαπτισθῆναι· καὶ τοὺς παῖδας

*domesticos & necessitudine sibi iunctos in errore reliquerint, publicatione bonorum damnantur & pro merito puniuntur, nec republica fruuntur.* PHOTIVS hanc legem in *nomocanone* repetit, eique aliam eiusdem generis addit de *Samaritanis*, quod licet ipsi ad baptismum non admittendi sint prius, quam duos annos in fide instituti sint, eorum tamen liberi sine eiusmodi cunctatione admitti debeant. Quae lex etiam nunc inter *nouellas Iustiniani* [g] exstat. Ex quibus omnibus apparet, quod simul ac *iudaeus* quispiam vel gentilis baptizatus, vel in ordinem duntaxat catechumenorum adscitus fuisset, ipsius liberi baptismo digni fuerint habiti, adeoque lege sic iubente ad baptizandum offerri debuerint. Tantum de infantibus & de diuersis casibus, quos in veterum scriptorum monimentis, ad eorum baptismum spectantes, deprehendimus.

# *LIBRI VNDECIMI*

## *CAPVT QVINTVM*

## DE BAPTISMO ADVLTORVM.

### §. I.

*Adulta aetate homines sine praeuia institutione, qua ad respondendum pro se ipsis redditi essent idonei, baptizare non licitum.*

ALIVD genus hominum, quibus baptismus conferebatur, erant adulti, qui ad annos pubertatis peruenerant, quique

ἢ τὰς γαμετὰς αὐτῶν ἢ τοὺς ἐν τοῖς οἴκοις αὐτῶν ἐπὶ τῆς πλάνης ἐάσωσι, καὶ τοὺς αὐτοῖς προσήκοντας· δημεύονται, καὶ δεόντως τιμωροῦνται, καὶ τῆς πολιτείας οὐ μετέχουσιν. Haec lex repetitur a Balsamone constitut. eccles. apud Iustell. biblioth iuris canon. tom. II. p. 1298. Et in Photii nomocan. tit. IV. c. IV. p. 907. ibid.

(g) Phot. nomocan. tit. IV. c. IV. p. 907. Iustin. nouell. CXLIV. c. II. ἐπὶ ἐνιαυτοὺς δύο κατηχεῖσθαι, μανθάνειν τε τὰς γραφὰς κατὰ δυνατὸν, καὶ τότε προσφέρεσθαι τῷ τῆς ἀπολυτρώσεως βαπτίσματι, τῇ μετανοίᾳ τοῦ τοσούτου χρόνου καρπουμένους τὴν ὡς ἀληθῶς ἀπολύτρωσιν· τοὺς δὲ νέους σφόδρα καὶ διδασκαλίας οὐ συνιέντας, ἐφίεμεν καὶ τῆς παρατηρήσεως ταύτης χωρὶς ἀξιοῦσθαι τοῦ ἁγίου βαπτίσματος. Per duos primum annos in fide instituantur, & pro viribus scripturas ediscant: tuncque demum sacro redemtionis offerantur baptismati, tam longi temporis poenitentia prorsus redemtionis fructum adsequuti. Pueros autem admodum, qui per aetatem doctrinas intelligere nequeunt, etiam absque hac obseruatione sacro dignari baptismate admittimus.

istis temporibus præcipuum baptizatorum corpus constituebant. Hi communiter ex *iudaismo* & gentilitatis superstitione conuersi erant, qui ante, quam ad baptismum admitti possent, aliquod temporis interuallum in ordine catechumenorum transigere debebant, vt ad professionem fidei ac vitæ christianæ per se ipsos edendam idonei redderentur. Nam sine eiusmodi professione, suis ipsorum verbis edita, ad priuilegium baptismi admitti non solebant. Tempus institutioni eorum constitutum, institutionisque rationem ac methodum, iam libro vltimo speciatim considerauimus. Quidquid igitur obseruandum superest, ad quosdam casus speciales attinet, quos in antiquorum conciliorum canonibus reperimus decisos, quando, quum homines ætate maturiore turmatim ad baptismum venirent, ecclesia multos casus considerandi occasionem habebat, quales in posterioris æui regulis vix inuenias.

§. II.

*Homines tamen muti in certis quibusdam casibus baptizari poterant.*

VNVS quidam ex hisce casibus dubiis ad homines attinebat mutos, quibus facultas tempore baptismi pro se respondendi ademta erat. Hoc in casu si homines baptismum recipiendi desiderium aperuissent ante, quam in istam infirmitatem incidissent; vel si idoneis signis præsens desiderium suum declarare possent, ecclesia ipsorum petitionem benigne accipiebat, eosque ad baptismatis admittebat priuilegium. Concilium primum *Arausicanum* [a] canonem aliquem in istiusmodi hominum gratiam fecit, respectu habito ad baptismum pariter & pœnitentiam. Sic enim statuit: *Subito obmutescens, prout status eius est, baptizari aut pœnitentiam etiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habet, aut præsentis in suo nutu.* In codice *Africano* canon exstat in eamdem hanc sententiam: *Vt ægrotantes* [b] *si pro se respondere non possunt, quum voluntatis eorum testimonium hi, qui sui sunt, periculo proprio dixerint, baptizentur.* Et inter re-

(a) Concil. Arausican. I. c. XII. (tom. III. concil. p. 1449.)

(b) Concil. Carthag. III. c. XXXIV. (tom. II. conc. p. 1172.) In codice canonum ecclesiæ Africanæ c. [illegible] hic canon repetitur: Ὥστε τοὺς ἀσθενοῦντας, οἵ τινες ὑπὲρ ἑαυτῶν ἀποκρίνεσθαι οὐ δύνανται, τότε βαπτίζεσθαι, ὅτε τῇ αὐτῶν προαιρέσει τὴν περὶ αὐτῶν μαρτυρίαν κινδύνῳ ἰδίῳ εἴπωσιν.

sponsa

ſponſa canonica TIMOTHEI, epiſcopi eccleſiæ *Alexandrinæ*, quoddam eiusdem argumenti habetur. Quæritur enim [*c*] ibi: *Si quis catechumenus, quum eſſet infirmus, emotæ mentis factus ſit, nec poſſit ipſe fidem confiteri, ſuique ſuadeant, vt donec viuit, ſanctum baptiſmum accipiat, debeatne accipere, annon?* Et reſpondetur: *Debet accipere, ſi non ab immundo ſpiritu tentetur.* Exemplum habemus, quod reuera in *æthiopis* cuiusdam *Africani* baptiſmo accidit *Carthagine*, quem dominus ſuus inter catechumenos inſtruendum & inter competentes ad baptiſmum præparandum curauerat. Profeſſionem fidei & vſitatam renuntiationem publice fecerat in eccleſia, vti iamiam baptizandis moris erat facere ante, quam ad conſummandum illud myſterium baptiſterium ingrederentur. Enimuero, quum iam baptiſmi tempus præſto eſſet, febrim ſubito nactus ſermonis vſum perdebat. Hoc non obſtante baptiſmo donabatur, aliis ipſius nomine, quaſi eſſet infans, reſpondentibus. FERRANDVS, qui hiſtoriam narrat, dubia quædam ſua de hoc baptiſmo FVLGENTIO, eccleſiæ *Ruſpenſis* in *Africa* epiſcopo, aperiebat, qui conſolatoriam ei reſponſionem dabat in hanc ſententiam, habuiſſe iſtum adoleſcentem [*d*] o-

(*c*) Timoth. reſponſ. canon. c. IV. ap. Beuereg. pandect. tom. II. p. 166. Ἐρώτησις· Ἐάν τις κατηχούμενος, ὢν ἀσθενὴς, γένηται ἐκ φρενὸς, καὶ μὴ δύνηται ἑαυτὸς ὁμολογῆσαι τὴν πίστιν, καὶ παρακαλῶσιν οἱ ἴδιοι αὐτοῦ, ἵνα λάβῃ τὸ ἅγιον βάπτισμα, ἕως ζῇ, ὀφείλει λαβεῖν, ἢ οὔ; Ἀπόκρισις· Ὀφείλει λαβεῖν, ἐὰν μὴ ὑπὸ πνεύματος ἀκαθάρτου πειράζηται.

(*d*) Fulgent. de baptiſmo Aethiopis c. VIII. Neque enim ab hac ſententia noſtrum animum reuocare debet vlla ſuſpicio, ne quis dicat, quod ille (ſaluus eſſet, ſi nec ad ipſam tinctionem corporis perueniſſet,) cum vtique non dicimus, illum ſine baptiſmi ſacramento ſola confeſſione potuiſſe ſaluari. Qui enim crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Illum vtique adoleſcentem, quia crediſiſſe, & confeſſum fuiſſe nouimus, ideo per ſacramentum baptiſmatis ſaluum fuiſſe firmamus. Qui ſi non baptizaretur, non ſolum neſciens, ſed etiam ſciens nullatenus ſaluaretur. Via enim ſalutis fuit in confeſſione, ſalus in baptiſmate. Nam in illa ætate, non ſolum ei confeſſio ſine baptiſmate nihil prodeſſet, ſed nec ipſum baptiſma non credenti neque confitenti vllatenus proficeret ad ſalutem. Ideo ergo illi Deus confeſſionem prodeſſe voluit, quia eum vſque ad ſanctam regenerationem in hac vita ſeruauit. Donum itaque ſanctæ regenerationis ſicut ille, quia voluit, petiuit; ſic Deus, quia voluit, dedit. Vid. ſimilis caſus apud Auguſtin. confeſſ. lib. IV. c. IV. Quum laboraret ille (amicus meus) febribus, iacuit diu ſine ſenſu in ſudore letali. Et quum deſperaretur, baptizatus eſt neſcius. - - baptiſmum acceperat mente atque ſenſu abſentiſſimus.

mnes

mnes conditiones, a *CHRISTO* in adultis hominibus requiſitas, quod nimirum credere & ſic baptizari debeant. Credere idque confiteri, eſſe hominis baptizandi: baptiſmum dare, ſolum actum eſſe miniſtri eccleſiæ. Et licet hic homo ratione deſtitutus fuerit, quum miniſter hunc baptiſmi actum perficeret, vſum tamen rationis eum habuiſſe, vbi ipſe per ſe proprium baptiſmatis ſui actum perfeciſſet. Nullum quidem niſi infantes ſaluari fide eorum, qui eos adducant, ab hominibus autem rationis vſum habentibus fidem propriam requiri; hunc vero adoleſcentem confeſſum eſſe, dum mentis compos fuerit, & baptizatum, dum adhuc vixerit. Vnde concludit, non dari cauſſam de ſalute eius dubitandi, quia fecerit, quidquid ab ipſo fuerit requiſitum, & baptizatus ſit eo modo, quem canones hoc in caſu præſcribant. Liceat his omnibus addere, quod hunc in modum ALBASPINAEVS & multi alii canonem concilii *Illiberritani* [e] interpretentur, loquentem de catechumeno, qui, ſtatione ſua deſerta, ad eccleſiam per longum temporis interuallum non acceſſiſſet, tandem baptizari cupiat. Hoc in caſu, etiamſi vox illi eſſet intercluſa, baptizari poterat, ſi eum de clero quiſpiam, vel alii teſtes fideles agnoſcerent, voluiſſe eſſe chriſtianum, eo, quod in veterem hominem deliquiſſe, (vel, vt alia exempla legunt, eo, quod veterem hominem dereliquiſſe) videretur. Idem hoc priuilegium erat, quod hominibus in negotio pœnitentiæ indulgeri ſolebat, de quo in concilio ante citato *Arauſicano* habetur mentio, nec non in concilio *Carthaginenſi* quarto, vbi canon ſic habet [f]: *Qui pœnitentiam in*

(e) Concil. Illiberritan. can. XLV. (tom. I. conc. p. 975.) Qui aliquando fuerit catechumenus, & per infinita tempora ad eccleſiam non acceſſerit; ſi eum de clero quiſque cognouerit eſſe chriſtianum, aut teſtes aliqui extiterint fideles, placuit, ei baptiſmum non negari; eo quod in veterem hominem deliquiſſe (al. eo quod veterem hominem dereliquiſſe) videatur.
Albaſpin. in hunc canonem ibid. p. 1002. a. Exiſtimarim, agi de catechumeno apoſtata, qui mortis inſperatæ diſcrimine interceptus baptiſmum peteret, & cui ante vox intercluderetur, quam ad eum acceſſiſſet presbyter.

(f) Concil. Carthag. IV. can. LXXVI. Leo ep. LXXXIX. al. XCI. ad Theodorum Foroiulienſem (tom. III. concil. p. 1404. a.) Quod ſi aliqua vi ægritudinis ita fuerint adgrauati, vt quod paullo ante poſcebant, ſub præſentia ſacerdotis ſignificare non valeant, teſtimonia eis fidelium circumſtantium prodeſſe debebunt, vt ſimul & pœnitentiæ & reconciliationis beneficium conſequantur, cetera.

*infirmitate petit, si casu, dum ad eum sacerdos inuitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesin versus fuerit, dent testimonium, qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam; & si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori eius eucharistia. Si superuixerit, admoneatur a supra dictis testibus petitioni suæ satisfactum, & subdatur statutis pœnitentiæ legibus, quamdiu sacerdos, qui pœnitentiam dedit, probauerit.* Iam vero probabile omnino est, quod eumdem in modum homines hac conditione baptizati, si conualuerunt, fidei suæ professionem facere debuerint, sicut in baptismo fieri consueuit, quando postea in confirmatione manus impositionem acceperunt. Verum, quum hoc ipsum indubio regulæ siue canonis cuiusdam ecclesiastici testimonio, vti quidem in altero pœnitentiæ casu licet, non comprobare, sed tantum ex parili ratiocinandi modo iudicare valeamus, nihil certi definimus, sed suo quemlibet sensu sinimus abundare.

## §. III.

*Nec non energumeni extrema necessitate vrgente.*

Alia quæstio de *energumenis*, siue vexatis a malis spiritibus, nonnumquam agitata fuit, num consultum esset durante obsessione baptismum eis tribuere. Concilium *Illiberritanum* baptismum differri iubet, donec liberati fuerint & sanati, summa tamen exigente necessitate, si in mortis periculo sint constituti, [g] baptizari eos posse statuit. Concilium primum *Arausicanum* [h] hoc non tantum in absolutæ necessitatis casu, sed etiam in infirmitatis remissione ac vicissitudine, permisisse videtur. Nam *energumenis catechumenis, in quantum vel necessitas exegerit, vel opportunitas permiserit, de baptismate consulendum* statuit. In canonibus TIMOTHEI episcopi *Alexandrini* eadem proponitur quæstio, sed paullo aliter soluitur: *Si catechumenus a dæmone corripiatur, & voluerit ipse vel sui, vt sanctum baptisma accipiat, debetne accipere annon, & maxime si morti propinquus fuerit?* Ad quam quæstionem respondetur: *Si is, qui a dæmone corripitur, non fuerit ab immundo spiritu mundatus, non potest sanctum baptisma accipere, sed*

(g) Concil. Eliber. can. XXXVII. (tom. I. p. 974.) Eos, qui ab immundis spiritibus vexantur, si in fine mortis fuerint constituti, baptizari placet.

(h) Concil. Arausic. c. XV.

in

*in exitu* [i] *e vita baptizatur.* Ita quoque in *constitutionibus* sic dictis *apostolicis* [k]: *Si quis dæmonem habeat; doceatur quidem pietatem, sed non recipiatur ad communionem, antequam mundetur: tamen si mors vrgeat, recipiatur.* Sunt, qui hoc de receptione ad communionem eucharistiæ intelligunt, sed planum est, quod auctor de receptione ad communionem ecclesiæ per baptismum loquatur. Regulas enim hic dat de personis baptizandis, earumque necessarias describit proprietates; quarum vna est, vt energumeni mundentur, antequam ad communionem recipiantur, nisi mors vrgeat, vbi necessitas regulæ exceptionem suppeditet. Et hæc antiqua regula tempore CYPRIANI erat, qui eos, qui a spiritibus immundis vexentur, baptizari adfirmat, si quidem ægri sint. *Si aliquis*, inquit [l], *in illo mouetur, quod quidam de iis, qui ægri baptizantur, spiritibus adhuc immundis tentantur; sciat, diaboli nequitiam pertinacem vsque ad aquam salutarem valere, in baptismo vero omnes nequitiæ suæ vires amittere.* Et paullo post: *Hoc denique & rebus ipsis experimur, vt necessitate vrgente in ægritudine baptizati, & gratiam consequuti careant immundo spiritu, quo antea mouebantur; & laudabiles ac probabiles in ecclesia viuant, plusque per dies singulos in augmentum cœlestis gratiæ per fidei incrementa perficiant. Et contra nonnulli sæpe de illis, qui sani baptizantur, si postmodum peccare cœperint, spiritu immundo redeunte quatiuntur; vt manifestum sit, diabolum in baptismo fide credentis excludi, si fides post-*

(i) Timoth. respons. can. c. II. Ἐρώτησις· Ἐὰν δαιμονιζόμενος κατηχούμενος ᾖ, καὶ θελήσῃ αὐτὸς ἢ οἱ ἴδιοι αὐτοῦ, ἵνα λάβῃ τὸ ἅγιον βάπτισμα, ὀφείλει λαβεῖν ἢ οὔ, καὶ μάλιστα ἐὰν περὶ τὸν θάνατον ἐστίν; Ἀπόκρισις· Ἐὰν ὁ δαιμονιζόμενος μὴ καθαρισθῇ ἀπὸ τοῦ ἀκαθάρτου πνεύματος, οὐ δύναται λαβεῖν τὸ ἅγιον βάπτισμα, περὶ δὲ τὴν ἔξοδον βαπτίζεται.

(k) Constitut. apost. lib. VIII. c. XXXII. Ἐὰν δέ τις δαιμόνα ἔχῃ, διδασκέσθω μὲν τὴν εὐσέβειαν, μὴ προσδεχέσθω δὲ εἰς κοινωνίαν, πρὶν ἂν καθαρισθῇ· εἰ δὲ θάνατος κατεπείγοι, προσδεχέσθω.

(l) Cyprian. epist. LXXVI. al. LXIX. ad Magnum.

Vid. Clement. recognit. lib. IV. c. XXXII. (apud Coteler. patr. apostolic. vol. I. p. 541 a.) Agatis gratias largitori omnium patri, per eum, quem posuit regem pacis, & thesaurum ineffabilium bonorum: vt in præsenti quidem tempore diluantur peccata vestra per aquam fontis, aut fluminis, aut etiam maris, inuocato super vos trino beatitatis nomine: vt per hoc non solum fugentur, si intra vos habitant, spiritus maligni; verum etiam, quum destiteritis a peccatis, & tota fide totaque mentis puritate credideritis, etiam ex aliis vos malignos spiritus & dæmones effugetis.

*modum defecerit, regredi.* Ex his CYPRIANI verbis discimus, non tantum energumenos, vrgente extrema necessitate, ad baptismum admissos, sed baptismum etiam tali occasione collatum sæpius peculiari illis beneficio exstitisse, quando eos immundorum spirituum vexatione liberauit, qui antea nulla exorcistarum potestate expelli potuerant, tametsi hac tempestate exorcismi virtus plenum miraculis donum spiritus sancti esset.

### §. IV.

*Nullus seruus sine domini sui testimonio ad baptismum admittendus erat.*

ALIA obseruatio, de adultorum baptismo facienda, ad eos spectat, qui christianorum dominorum serui erant. Nam apud *constitutionum* sic dictarum *apostolicarum* auctorem in examinandis diuersis eorum, qui baptismo sese offerant, requisitis, in hoc quoque inquiri iubetur, vtrum serui sint, an liberi? Atque si ethnici cuiusdam domini serui sint, doceri iubentur placere domino, vt verbum & christiana religio non adspergatur infamia, ipso domino, vtpote infideli, cum eorum baptismo nihil negotii habente. Quod si quis fidelis seu christiani domini seruus sit, dominum interrogari debere dicit, an ei testimonium perhibeat [*m*]? Si non perhibeat, reiiciendum esse, donec domino probauerit, dignum se esse; si vero ei perhibeat testimonium, admittendum. Adeo necessarium & religioni vtile istis temporibus credebatur, christianis dominis in seruos suos indulgere potestatem, vt sine eorum testimonio & approbatione tamquam digni baptismi candidati admitti haud possent. Non, quasi hoc ad fouendam vllam in christianis dominis potestatem tyrannicam spectasset, vt seruos suos a baptismo excluderent, illisque christianæ religionis negarent priuilegium ac beneficia: (quæ immanis crudelitas & spiritualis tyrannis in mortalium animas est, priscis temporibus prorsus inaudita) sed id consilium ad conseruandam religionis christianæ puritatem

(*m*) Constit. apostol. lib. VIII. c. XXXII. Ἐξεταζέσθωσαν αὐτῶν καὶ οἱ τρόποι, καὶ ὁ βίος, καὶ εἰ δοῦλοί εἰσιν ἢ ἐλεύθεροι· καὶ ἐὰν τινὸς δοῦλος ᾖ, ἐρωτάσθω ὁ κύριος αὐτοῦ, εἰ μαρτυρεῖ αὐτῷ· ἐὰν δὲ μὴ, ἀποβαλλέσθω ἕως ἂν ἑαυτὸν ἄξιον ἐπιδείξῃ τῷ δεσπότῃ· εἰ δὲ μαρτυρεῖ αὐτῷ, προσδεχέσθω· εἰ δὲ ἐθνικοῦ ᾖ οἰκέτης, διδασκέσθω εὐαρεστεῖν τῷ δεσπότῃ, ἵνα μὴ βλασφημῆται ὁ λόγος.

& ar-

& arcendos a sanctis mysteriis hypocritas & profanos simulatores valebat; quorum præpopera admissio offensionem & scandalum religioni adferre poterat, si dubiæ vitæ homines, nullo habito discrimine, ad sacros eius ritus admitterentur. Hæc sapienter adhibita cautio vtili potestate christianos instruebat dominos, quam hi ipsi pro sapientia & caritate sua ad ædificationem, non ad destructionem, adhibebant. Experientia quoque hanc regulam vtilissimam esse comprobabat. Nam & dominos salutis seruorum suorum cupidos & studiosos faciebat, quemadmodum in exemplo *Africani* æthiopis, cuius FVLGENTIVS meminit, vidimus; & seruos in vita sua & religionis desiderio reddebat sinceros, quum sine dominorum suorum testimonio pro vere conuersis, baptismoque dignis, haberi se non posse intelligerent. Leges etiam imperiales datæ erant, quibus omnes domini familiarum suarum curam habere tenebantur, in tantum, vt vniuersi domestici sui, serui æque ac liberi, christiani fierent. Quod si qui facere vel per negligentiam, vel collusionem destitissent, pœnas quasdam leges istæ habebant annexas, quæ dominos, hanc officii sui partem prætermittentes, certis priuilegiis in republica priuabant [n]. Vt adeo domini quouis modo, & commodi, & officii, & caritatis intuitu seruos suos instituendos curare, eosque suo ipsorum testimonio munitos ad baptismum adducere, debuerint.

§. V.

*Baptismus tamen res voluntaria esse, nec quispiam ad illum recipiendum cogi debebat.*

VERVMTAMEN, quum baptismus voluntaria actio in adultis esse deberet, leges quædam latæ erant, quibus cauebatur, ne quis eum recipere illata vi cogeretur. In concilio quarto *Toletano* canon quidam de *iudæis*, qui nonnumquam inuiti baptismum suscipere coacti fuerant, condebatur in hanc sententiam [o]: *De iudæis præcepit sancta synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferre: Cui enim vult Deus, miseretur, & quem vult, indurat. Non enim tales inuiti saluandi sunt, sed volentes, vt integra sit forma iustitiæ. Sicut enim homo proprii arbitrii voluntate*

(n) Vid. cap. IV. §. XIX. pag. 213. 214.

(o) Concil. Toletan. IV. c. LVI. (tom. V. conc. p. 1719.)

*ſerpenti obediens periit, ſic vocante gratia Dei, propriæ mentis conuerſione homo quiſque credendo ſaluatur. Ergo non vi, ſed liberi arbitrii facultate, vt conuertantur, ſuadendi ſunt, non potius impellendi. Qui autem iam pridem ad chriſtianitatem venire coacti ſunt, ſicut factum eſt temporibus religioſiſſimi principis Siſebuti; quia iam conſtat, eos eſſe ſacramentis diuinis adſociatos & baptiſmi gratiam percepiſſe, & chriſmate vnctos eſſe, & corporis domini & ſanguinis exſtitiſſe participes, oportet, vt fidem etiam, quam vi, vel neceſſitate ſuſceperunt, tenere cogantur, ne nomen diuinum blaſphemetur, & fides, quam ſuſceperunt, vilis ac contemtibilis habeatur.* Ex quibus diſcimus, baptiſma ſemper pro voluntaria actione in adultis haberi, nec vllum vmquam ad illud contra voluntatem recipiendum cogi debuiſſe: Et licet eccleſia iſtiusmodi actiones, contra hanc regulam factas, non reſciderit, numquam tamen eas approbaſſe, ſed cenſura ſua dignas, & ad exemplum poſteritati præbendum minus aptas & conuenientes, iudicaſſe. Quod coactioni, hoc in caſu ex lege permiſſæ, ſimile videbatur, edicta erant IVSTINIANI imperatoris antea [*p*] memorata, quorum altero gentiles, altero *Samaritani* cum vxoribus ſuis, liberis ac ſeruis ſub pœna publicationis bonorum, baptizari iubebantur. Verum hæ ipſæ leges non inuitos eos baptiſmum ſuſcipere cogebant, ſed biennium catechumenos eſſe permittebant, nullum, niſi qui voluntariam fidei ac pœnitentiæ profeſſionem feciſſet, admittentes. Nam pœnæ tantum ad anteuertendum fraudibus & præuaricationibus ſpectabant in illis, qui baptiſmum recipere velle præ ſe ferebant, de domeſticis ſuis ad chriſtianam religionem perducendis nihil interim laborantes. Contra quos tunc temporis reſpublica non ſatis ſeueras leges ferri poſſe pro ſua ſapientia iudicabat. Vt adeo iſtæ leges ſumma prudentia temperatæ fuerint, inter extremitatem rigoris & remiſſionis, vt homines ab altera parte rationes, quibus chriſtiani fieri obligarentur, intelligerent, neque vero ab altera parte cauſſam haberent querendi, quod inuiti cogerentur amplecti religionem, quam approbare non poſſent, neque ei adſentire. Pœnæ enim, vt diximus, ad caſtigandas duntaxat hypocriticas praxes & fraudulentam manifeſtorum præuaricatorum ſocordiam ſpectabant.

(*p*) Vid. c. IV. §. XIX. p. 213. 214.

ctabant. Et ſane optandum erat, vt in omnibus omnium temporum imperiis & rebuspublicis tales ferrentur & debite obſeruarentur leges, contra iſtiusmodi chriſtianos, qui, quum ſeruos ſuos ad baptiſmum recipiendum cohortari deberent, vni omnium maxime obſtant & impediunt, quo minus chriſtiani baptiſmatis beneficium adipiſcantur.

## §. VI.

*Quinam baptiſmo fuerint excluſi. Certa opificia & vitæ genera, quæ homines ab eo arcuerint, recenſentur, cuiusmodi fuerunt,* idolorum confectores *&* comœdi.

Vnvm adhuc notandum reſtat de adultis, qui ad baptiſmum admitti potuerunt, vel non potuerunt. Nimirum quod omnes ethnici, ex plena indignitatis ac offenſionis aliqua arte vel profeſſione, quæ cum chriſtianæ religionis regulis conſiſtere non poterat, victum quærentes, a baptiſmo reiecti fuerint, vſque dum ſolemniter ei ſe valedicturos promiſiſſent, & reuera iſtam viuendi rationem deſeruiſſent. *Conſtitutionum apoſtolicarum* auctor complures huiusmodi reiectaneos homines memorat, e. gr. *lenones, meretrices & idolorum artifices* [q]: Contra quos peculiarem diſſertationem ſcripſit TERTVLLIANVS, in qua hanc artem damnat, vt quæ cum chriſtianæ religionis profeſſione conſiſtere nequeat, dicitque, homines hac ipſa arte dæmones alumnos ſuos facere, eisque ſeſe præbere nutricios, dum materiam ad eorum cultum ſuppeditent. *Qua conſtantia*, inquit [r], *exorcizabit alumnos ſuos, quibus domum ſuam cellariam præſtat?* Quibus verbis ad hanc illicitam imagines pro idolorum templis conficiendi artem reſpicit. Hiſce in *conſtitutionibus* proxime iunguntur *ſcenici*, qui iſti profeſſioni inhærere, & ſimul ad baptiſmum admitti non poterant, quod, qui ex hac profeſſione vitæ ſibi ſubſidia comparabant, petulantiæ & ſuperſtitionis paganæ magna ex parte duces & adiutores exſiſterent. Quocirca canones eos omnes baptizari vetant, illosque iubent ab eccleſia proiici, qui poſt baptiſmum ad iſtam artem denuo ſe appli-

(q) Conſtitut. apoſtol. lib. VIII. c. XXXII. Εἴ τις πορνοβοσκὸς, ἢ παυσάσθω τοῦ μαστροπεύειν, ἢ ἀποβαλλέσθω· πόρνη προσιοῦσα, ἢ παυσάσθω, ἢ ἀποβαλλέσθω· εἰδωλοποιὸς προσιὼν, ἢ παυσάσθω, ἢ ἀποβαλλέσθω.

(r) Tertull. de idololatr. c. XI.

cuis-

cuissent. *Si augur aut pantomimi*, inquit concilium *Illiberritanum* [*s*], *credere voluerint, placuit, vt prius artibus suis renuntient, & tunc demum suscipiantur, ita, vt vlterius non reuertantur. Quod si facere contra interdictum tentauerint, proiiciantur ab ecclesia.* Eumdem in modum concilium *Carthaginense* tertium omnes istos [*t*] segregari ab ecclesiæ communione iubet, nec in gratiam recipi, nisi vere ad Deum conuersos. Et tempore CYPRIANI non tantum publici fabularum actores, verum priuati etiam indignæ huius artis magistri & doctores, ab ecclesiæ communione arcebantur: vti ex quadam CYPRIANI epistola patet, qua *Eucratio*, qui hac de re ad ipsum scripserat, hunc in modum respondet [*u*]: *Pro dilectione tua & verecundia mutua consulendum me existimasti, frater carissime, quid mihi videatur de histrione quodam, qui apud vos constitutus in eiusdem adhuc artis suæ dedecore perseuerat, & magister & doctor non erudiendorum, sed perdendorum puerorum, id quod male didicit, ceteris quoque insinuat: an talis debeat communicare nobiscum? Puto nec maiestati diuinæ, nec euangelicæ disciplinæ congruere, vt pudor & honor ecclesiæ tam turpi & infami contagione fœdetur. Nam quum in lege prohibeantur viri induere muliebrem vestem, & maledicti eiusmodi iudicentur; quanto maioris est criminis non tantum muliebria indumenta accipere, sed gestus quoque turpes, & molles, & muliebres, magisterio impudicæ artis exprimere?* Immo vero ipsi sapientiores & honestiores ethnici hoc vitæ genus plenum indignitatis & offensionis esse statuebant, eosque, qui istas artes profitebantur, damnabant, variisque pœnis adficiebant; quemadmodum TERTVLLIANVS obseruat. *Ipsi*, inquiens [*x*], *auctores & administratores spectaculorum, quadrigarios, scenicos, xysticos, harenarios illos amantissimos, quibus viles animas feminæ, aut illi etiam corpora sua substernunt, propter quas in ea committunt, quæ reprehendunt ex eadem parte, quam magnifaciunt; deponunt & diminuunt, immo manifeste damnant ignominia & capitis minutione, arcentes curia, rostris, senatu, equite, ceterisque honoribus omnibus simul ac ornamentis.* Quod etiam ab AVGVSTINO [*y*]

(*s*) Concil. Eliber. c. LXII.

(*t*) Conc. Carth. III. can. XXXV. Vt scenicis atque histrionibus, ceterisque huiusmodi personis vel apostaticis, conuersis vel reuersis ad dominum gratia vel reconciliatio non negetur.

(*u*) Cyprian. epist. LXI. al. II. ad Eucratium.

(*x*) Tertull. de spectac. c. XXII.

(*y*) August. de ciuit. Dei lib. II. c. XIV.

con-

confirmatur, quando ait: *Illi (Romani) actores poëticarum fabularum remouent a societate ciuitatis.* Et, *Ab honoribus omnibus repellunt homines scenicos.* Quando itaque hæc vitæ ratio inter ipsos gentiles adeo infamis fuit, mirum non est, ecclesiam nullos huic professioni addictos homines ad baptismum voluisse admittere, nisi prius tam ignominiosis artibus vale dixissent. Quod si secus fecisset ecclesia, ipsa sese opposuisset opprobrio, & aduersariis dedisset calumniandi occasionem, quod istiusmodi perditissimi ac profligatissimi homines ad ecclesiæ admitterentur priuilegia, qui a ciuitatis iuribus & reipublicæ honoribus essent exclusi.

## §. VII.

### *Et* aurigæ, gladiatores, *et* actores *alii.*

PROXIMI, qui in *constitutionibus* a baptismo prohibentur, sunt *aurigæ*, *gladiatores* [z] *stadii cursores*, *lanistæ*, siue *ludorum curatores*, *olympici*, *choraulæ*, *citharistæ*, *lyristæ*, *saltatores*, *caupones*, & huius furfuris alii, qui aut finem istarum artium facere, aut a baptismo reiici iubentur. Mirum quodammodo videri potest, nonnullas ex illis artibus, quæ natura sua nec boni nec mali rationem habere proprie videntur, idoneas caussas tunc temporis iudicatas fuisse, quamobrem homines a baptismo arcerentur. Verum notandum est, has artes tempore ethnicismi fuisse quædam instrumenta, quibus idololatria, lasciuia & improbitas propagaretur; adeoque a veteribus, quorum exacta erat disciplina, in rebus homini christiano minime permittendis positas fuisse. Ludi *Circenses* in honorem deorum celebrabantur, vnde, si quis agitatorem in illis ageret, idololatriæ istius se reddebat participem. Qua de caussa concilium *Arelatense* primum [a] eos omnes a communione iubet separari, qui post baptismum in hoc negotio perseuerassent. Historiam notatu dignam de huiusmodi quodam agitatore ethnico refert HIERONYMVS [b] in vita *Hilarionis*, aurigam videlicet *Gazensem*

(z) Constit. apost. lib. VIII. c. XXXII. ἡνίοχος, ἢ μονομάχος, ἢ σταδιοδρόμος, ἢ λουδεμπιστὴς, ἢ ὀλυμπικὸς, ἢ χοραύλης, ἢ κιθαριστὴς, ἢ λυριστὴς, ἢ ὁ τὴν ὄρχησιν ἐπιδεικνύμενος, ἢ κάπηλος, ἢ παυσάσθωσαν, ἢ ἀποβαλλέσθωσαν.

(a) Concil. Arelat. I. c. IV. De agitatoribus, qui fideles sunt, placuit eos, quamdiu agitant, a communione separari.

(b Hieron. vit. Hilarion. c. XIII.

delatum in lecto, quum solam linguam moueret ad preces, audiuisse, non prius posse sanari, quam crederet in *IESVM*, & se sponderet arti pristinæ renuntiaturum. Credidisse, spopondisse, sanatum esse, magisque de animæ, quam de corporis salute exsultasse. Hæc professio idololatriæ ministrabat, ideoque homines in baptismo ei tam diserte renuntiare oportebat. Ars gladiatoria barbarie & crudelitate sua infamis erat, homines faciendæ cædi & trucidationi implicans; adeoque nulla prorsus ratione cum regulis christianismi consistere posse credebatur. Cursores stadii, publicorum ludorum curatores & pugnatores olympiaci superstitiosis exercitiis omnes dediti erant. Hi enim ludi nomine cuiusdam idoli in eiusque honorem habebantur, cui vitæ generi proinde, tamquam idololatriæ adiuncto, renuntiandum erat ante, quam quis ad baptismum accederet. Quod ad alias artes attinet, fidicinum, citharœdorum, saltatorum, ceterorum, præterquam quod animi leuitati, vanitati & luxuriæ seruirent, ad cultum etiam idololatricum adhibebantur, quæ præcipua fuisse videtur ratio, quamobrem in subsequente christiani cuiusque vita tantopere interdictæ fuerint.

## §. VIII.

## Astrologi, *& alias curiosas artes exercentes.*

PROXIMVM genus hominum, qui in *constitutionibus* tamquam indigni baptismo recensentur, sunt [c], *nefandæ libidinis perpetratores, cinædi, lasciui, magi, incantatores, astrologi, vates, captatores carnium magicarum, mendici vagantes, circulatores, amuleta facientes, lustrantes, augures, ominum & signorum monstratores, palpitationum interpretes, in occursu obseruantes vitia oculorum & pedum, vel obseruantes aues, aut mustelas, aut voces, aut symbolicas auditiones.* Qui omnes tempore probari, & quum desierint, admitti, si non pareant, reiici iubentur. Nomina *Græca*, quibus auctor *constitutionum* vtitur ex parte difficilia ad intelligendum

(c) Constit. apostol. lib. VIII. c. XXXII. Ἀρρητοποιὸς, κίναιδος, βλὰξ, μάγος, ἐπαοιδὸς, ἀστρολόγος, μάντις, θηρεπῳδὸς, λώταξ, ὀχλαγωγὸς, περιάμματα ποιῶν, περικαθαίρων, οἰωνιστὴς, συμβολοδείκτης, παλμῶν ἑρμηνεύς· φυλαττόμενος ἐν συναντήσει λώβας ὄψεως, ἢ ποδῶν, ἢ ὀρνίθων, ἢ γαλῶν, ἢ ἐπιφωνήσεις, ἢ παρακούσματα συμβολικῶν· χρόνῳ δοκιμαζέσθωσαν - - παυσάμενοι μὲν προσδεχέσθωσαν, μὴ πειθόμενοι δὲ ἀποβαλλέσθωσαν.

sunt.

ſunt. Λώταγες a CHRYSOSTOMO [d] dicuntur mendici circumeuntes, qui, quod mendicatione obtinent, ludendo & luxurioſius epulando conſumunt. Alii tamen eos diuinatores quosdam ſeu chiromantas faciunt, ſimiles ſic dictis *Zigeunis* ſiue *Cingaris*, qui ſe *Aegyptios* eſſe mentiuntur, vocati hinc in *Anglia* noſtra *Gipſies*, quæ vocis acceptio huic loco maxime omnium conuenit. Περιάμματα eadem erant ac φυλακτήρια, quæ amuleta erant ex filis contexta, quæ aliquando quidem intus habebant ſcripturas, aliquando vero falſa quædam alia, quæcumque incidiſſent. Dicebant autem hæc iuuare, ſi ex collis eorum, qui ea acciperent, perpetuo penderent, ad morbum curandum, & omne malum auerruncandum, vocitata hinc *phylacteria, ſeruatoria, amolimenta, amoleta.* Iam vero hæc res paganæ ſuperſtitionis & idololatriæ pars erat, quæ recens conuerſis nimis quantum adhærebat, adeoque ad curandum longe erat difficillima. Quapropter antiquos canones & patres acriter in eam animaduertentes deprehendimus atque inuehentes. Concilium *Laodicenum* hunc ea de re habet canonem: *Non oportet ſacerdotes aut clericos facere, quæ dicuntur phylacteria, quæ quidem ſunt animarum vincula. Eos autem, qui ferunt* [e], *eiici ab eccleſia iusſimus.* Concilium *Trullanum* [f] ita delinquentes ſex annos ab eccleſia ſegregari iubet. CHRYSOSTOMVS contra hanc artem tamquam craſſam idololatriam declamat, quidquid coloris

---

(d) Chryſoſtom. hom. XIII. in Epheſ. Οὐχ ὁρᾷς τούτους τοὺς περιϊόντας, οὓς λώταγας ἡμῖν ἔθος καλεῖν; πῶς περιίασι, πῶς καὶ αὐτοὺς ἐλεοῦμεν, ἀλλ᾽ ὅμως τούτοις οὐδὲ συγγνώμη τίς ἐστιν· οὐδὲ γὰρ συγγινώσκομεν αὐτοῖς, ὅταν κυβεύοντες ἑαυτῶν τὰ ἱμάτια ἀπολλύωσι. Non vides hos mendicos, quos vocare ſolemus *lotagas*? quo modo circumeant, quo modo etiam eorum miſereamur? ſed tamen iis non datur vlla venia. Neque enim iis ignoſcimus, quando alea ludentes, ſuas veſtes perdunt.

(e) Concil. Laodic. c. XXXVI. Οὐ δεῖ ἱερατικοὺς ἢ κληρικοὺς ποιεῖν τὰ λεγόμενα φυλακτήρια, ἅτινά ἐστι δεσμωτήρια τῶν ψυχῶν αὐτῶν· τοὺς δὲ φοροῦντας ῥίπτεσθαι ἐκ τῆς ἐκκλησίας ἐκελεύσαμεν.

(f) Concil. Trullan. c. LXI. - - ὑπὸ τὸν κανόνα πιπτέτωσαν τῆς ἑξαετίας· τῷ αὐτῷ δὲ τούτῳ ἐπιτιμίῳ καθυποβάλλεσθαι δεῖ - - καὶ τοὺς λεγομένους νεφοδιώκτας, καὶ γοητευτὰς, καὶ φυλακτηρίους, καὶ μάντεις. - - Sexennii canoni ſubiiciantur. Ipſi autem eos quoque ſubiici oportet - - qui nubium expulſores, & incantatores, & *amuletorum præbitores* & vates appellantur.

ei dare nonnulli adlaborabant. *Amuleta*, inquit [g], *etsi de illis millies philosophentur, qui ex iis rem faciunt, dicentes: Deum inuocamus, & nihil amplius facimus, & quæ sunt huiusmodi, & christiana est, inquiunt, vetula & fidelis, ea res est idololatria.* Et non obstantibus omnibus istis excusationibus sacrorum interdictionem eis minatur, qui istius artis aliquid fecisse deprehensi fuerint. *Ecce dico & prædico vobis omnibus, quod si quispiam fuerit deprehensus, non parcam iterum, siue amuletum, siue incantationem, siue huius artis aliquid aliud faciat.* Vt adeo, quemadmodum hoc crimen excommunicationem in omnibus iam baptizatis commeruit, ita quoque iusta caussa habita fuerit, ob quam vnusquisque a baptismo repelleretur, qui ei, antequam baptismum reciperet, renuntiare recusasset.

---

(g) Chrysostom. homil. VIII. in Coloss. p. 1374. Τὰ περίαπτα κἂν μυρία φιλοσοφῶσιν οἱ ἐκ τούτων χρηματιζόμενοι, λέγοντες ὅτι τὸν θεὸν καλοῦμεν, καὶ οὐδὲν πλέον ποιοῦμεν, καὶ ὅσα τοιαῦτα, καὶ χριστιανή ἐστιν ἡ γραῦς καὶ πιστὴ, εἰδωλολατρεία τὸ πρᾶγμά ἐστιν - - Ἰδοὺ λέγω, καὶ προλέγω πᾶσιν ὑμῖν, ὅτι ἐάν τις ἁλῷ, οὐ φείσομαι πάλιν, ἄν τε περίαπτον, ἄν τε ἐπῳδὴν, ἄν τε ἄλλο τι τῆς τέχνης τῆς τοιαύτης ποιῇ.

Idem in psalm. CX. (pag. 503. edit. Eton. ann. MDCXII.) Μὴ πάντως σωθῆναι ζητήσωμεν, μὴ πάντως ἀπαλλαγῆναι τῶν δεινῶν παντὶ τρόπῳ, ἀλλὰ κατὰ θεόν· τοῦτο δὲ λέγω, διὰ τοὺς ἐπαοιδαῖς χρωμένους ἐν ταῖς νόσοις, καὶ ἑτέρας μαγγανείας ἐπιζητοῦντας εἰς παραμυθίαν τῆς ἀῤῥωστίας. Ne omnino seruari quæramus, nec omni modo a malis liberari, sed a Deo. Hoc autem dico propter eos, qui in morbis vtuntur incantationibus, & alias exquirunt imposturas & præstigias ad leuandam ægritudinem.

Id. homil. VI. aduersus Iudæos, tom. I. edit. Paris. p. 478. Ἂν μέν τοι καρτερήσῃς μικρὸν, καὶ τοὺς βουλομένους ἢ ἐπᾶσαι τινὰ ἐπῳδὴν, ἢ περιάψαι τι τῷ σώματι περίαπτον, ἀτιμάσῃς, καὶ μετὰ πολλῆς ἐξαγάγῃς τῆς ὕβρεως ἐκ τῆς οἰκίας, εὐθέως ἔλαβες δέξιον ἀπὸ τοῦ συνειδότος. Quod si perduraueris paulisper, eosque qui vel incantationem aliquam canere voluerint, vel amuletum aliquod corpori alligare, nihili feceris, & multa cum contumelia ex ædibus tuis eieceris: protinus ab ipsa conscientia refrigerationem accipies.

Basil. Magn. in Psalm. XLVI. p. 266. Νοσεῖ τὸ παιδίον, καὶ σὺ τὸν ἐπαοιδὸν περισκοπεῖς, ἢ τὸν τοὺς περιέργους χαρακτῆρας τοῖς τραχήλοις τῶν ἀναιτίων νηπίων περιτιθέντα. Infans ægrotat? Quaquauersum circumfers oculos, requirens incantatorem: aut certe eum, qui superuacaneos vanosque characteres, seu figuras, innocentium puerorum collo circumliget.

§. IX.

## §. IX.

### *Publicis ludis ac ſpectaculis dediti.*

Alivd genus hominum, quos *conſtitutionum apoſtolicarum* auctor baptiſmi priuilegio excludit, publicorum ludorum ſpectatores erant. *Si quis*, inquit [*h*], *animum addixerit inſaniæ theatri, aut venationibus, aut equeſtribus curſibus, aut ludorum certaminibus, vel ceſſet, vel reiiciatur.* HIERONYMVS MERCVRIALIS vir doctus [*i*], obſeruationem habet, quæ huius prohibitionis ſcite explicat rationem. Nam in ſtudioſe elaborata ſua diſſertatione de *arte gymnaſtica* obſeruat, horum diuerſorum ludorum & ſpectaculorum finem fuiſſe religionem quamdam, qua veteres opinati ſint, ſeſe diis rem gratam illis ludis tamquam promiſſam facturos. Quapropter homo chriſtianus illis ſpectatorem ſeſe præbere non poterat, quin ſimul cultus ſuperſtitioſi & idololatrici quodammodo ſe faceret participem. Accedit, quod non mediocris barbaries & crudelitas, æque ac laſciuia & vanitas, in eorum multis committebatur, quæ omnia chriſtianum oculum cum delectatione ac approbatione intueri haud decebat. Theatrum ſpectabatur tamquam res dæmonibus propria, atque ita ab ipſo diabolo appellabatur, quemadmodum ex celebratiſſima hiſtoria apud TERTVLLIANVM [*k*] diſcimus, vbi hic de femina quadam, chriſtianæ religioni addicta, loquens, quæ theatrum adierat, & inde cum dæmonio redierat, ait: *In exorciſmo quum oneraretur immundus ſpiritus, quod auſus eſſet fidelem adgredi, conſtanter & iuſtiſſime, inquit, feci, IN MEO enim inueni.* Ex his rationibus antiqui canones & patres tam ſeuere in quæcumque exercitia theatralia inuehuntur, neque actores ſolum, ſed etiam ſpectatores reprehendunt, declarando, non poſſe ea cum chriſtianæ vitæ ſanctitate & puritate conſiſtere. Et hanc ob cauſſam homines illis renuntiare debebant, antequam ad baptiſmum admitterentur. Sed hac de re plura dicemus, vbi ad formulam renuntiandi conſiderandam deuenerimus.

(*h*) Conſtit. apoſtol. lib. VIII. c. XXXII. Θεατρομανίᾳ εἴ τις πρόσκειται, ἢ κυνηγίοις, ἢ ἱπποδρομίοις, ἢ ἀγῶσιν ἢ παυσάσθω, ἢ ἀποβαλλέσθω.

(*i*) Mercur. de arte gymnaſt. lib. I. c. III. p. 12. Ludorum finis erat religio quædam, qua antiqui opinabantur, ſeſe diis rem gratam illis ludis tamquam promiſſam facturos.

(*k*) Tertull. de ſpectac. c. XXVI.

## §. X.

### *Quibus in casibus vita militaris quempiam a baptismo excludere potuerit?*

QVAE hactenus enumerauimus hominum genera, sine vlla exceptione baptismo excludebantur: Sunt autem duæ aliæ vitæ rationes, quas cum quadam distinctione oportet considerari, hoc est *vita militaris* & *status concubinatus*, vt nonnumquam in ciuili lege & antiquis canonibus appellatur. Quidam viri docti [*l*] putant, veteres vitam militarem adeo fuisse auersatos, vt eos, qui post baptismum arma ferre ausi fuerint, ab ecclesiæ communione separauerint: quod adfirmant auctoritate fulti patrum *Nicænorum*, quibus hoc tamquam errorem imputant, quod vitam militarem tamquam illicitam absolute damnauerint, a *Ioanne Baptista* tamen approbatam. Verum hæc incusatio errore & mere falsa sententiæ horum patrum acceptione fundatur, quibus militiam generatim damnare non fuit animus, sed eatenus tantum, quatenus in peculiaribus quibusdam circumstantiis ac casibus illegitima fieri poterat. Verba canonis, ad quem respiciunt, hæc sunt [*m*]: *Qui a gratia quidem euocati & primum suum ardorem ostenderunt, & cingula deposuerunt, postea autem vt canes ad suum vomitum reuersi sunt, vt nonnulli etiam pecuniam persunderent, & beneficiis militiam adsequerentur, hi decem annis prosternantur supplices, etiam post triennii auditionis tempus.* Interpretes hoc generatim ad *Licinii* tyranni tempora referendum esse existimant, qui edicto promulgato omnes milites christianos militia exui iusserat, nisi diis sacrificare vellent: quo facto multi christiani in exercitu cingulis suis depositis vitam militarem deserebant. Postea autem nonnulli ad militiam, propositas conditiones subire parati, reuertebantur, sacrificantes & idololatriam committentes, pecuniamque ad pristinum locum recuperandum soluentes; contra quam præuaricationem fideique agnitæ abnegationem huius canonis disciplina specta-

(*l*) Scultet. discuss. quæst. de concilio Nicæno, in medulla patr. part. I. p. 477.

(*m*) Concil. Nicæn. can. XII. οἱ προσκληθέντες μὲν ὑπὸ τῆς χάριτος, καὶ τὴν πρώτην ὁρμὴν ἐνδειξάμενοι, καὶ ἀποθέμενοι τὰς ζώνας, μετὰ δὲ ταῦτα ἐπὶ τὸν οἰκεῖον ἔμετον ἀναδραμόντες, ὡς κύνες, ὥς τινας καὶ ἀργύρια προέσθαι, καὶ δωρεαῖς καὶ ὑποσχέσεσι κατορθῶσαι τὸ ἀναστρατεύσασθαι· οὗτοι δέκα ἔτη ὑποπιπτέτωσαν, μετὰ τὸν τῆς τριετοῦς ἀκροάσεως χρόνον.

bat.

bat. Ita BALSAMON & ZONARAS inter antiquos interpretes; Ita & GROTIVS [n], ZIEGLERVS [o], SYLVIVS, CORIOLANVS, BINNIVS & BEVEREGIVS cum multis recentioribus scriptoribus aliis. ALBASPINAEVS [p] *Mihi plane persuasum est*, inquit, *canone isto designari lapsos pœnitentes, quos benedictione percepta, saecularium sumtoque habitu, posthabitaque rerum omnium ac munerum militarium & fori cura ac cogitatione, voti postea pœnituisset: idque quod professi fuerant repetentes, commutationis vitae taedio quodam adfecti, animum & cogitationem ad munera illa saecularia rursus adiecissent.* Et SALMASIVS [q] de huius canonis sensu opinionem fouet non

(n) Grot. de iure belli lib. I. c. II. §. IX. p. 35. Agitur (in can. XII. conc. Nic.) haud dubie de idololatria, nam quae canone XI. praecesserat mentio temporum Licinii, in hoc canone repetita tacite haberi debet, vt saepe canonum sequentium sensus a prioribus pendet. Vide in exemplum canonem XI. concilii Eliberini. Licinius autem, verba sunt Eusebii, στρατιώτας ἐκέλευσεν ἀποβάλλεσθαι τοῦ ἀξιώματος εἰ μὴ τοῖς δαίμοσι θύειν αἱροῖντο, *milites militia exuebat, nisi diis sacrificare vellent.* quod & Iulianus postea imitatus est, quam ob caussam Victricius atque alii cingulum pro Christo abiecisse leguntur. - - Quare his, qui semel conscientia puncti cingulum abiecerant, reditus ad militiam sub Licinio non patebat, nisi per fidei christianae abnegationem: quae quia eo erat grauior, quo prior iste actus maiorem in illis legis diuinae cognitionem testabatur, ideo hi defectores grauius etiam puniuntur, quam illi, de quibus egerat praecedens canon, qui sine periculo vitae aut facultatum amittendarum christianismum abiecerant. Generaliter autem de omni militia interpretari canonem, quem produximus, ab omni ratione alienum est. Aperte enim testatur historia, his, qui sub Licinio militiam abiecerant, neque Licinio imperante ad eam redierant, ne fidem christianam violarent, a Constantino datam optionem, immunesne esse a militia vellent, an ad militiam redire: quod haud dubie multi fecerunt.

(o) Ziegler. animaduers. in Grotium lib. II. c. II. (p. 106. ed. Argentor. MDCCVI.) Magis igitur erit, vt Hugonis Grotii partes sequamur, & de illis canonem accipiamus, qui in militiam denuo iuerunt cum abnegatione fidei iam agnitae.

(p) Albaspin. not. in can. XII. concil. Nic. (tom. II. concil. p. 79. c.)

(q) Salmas. de fœnore trapezitico p. 782. citante Zieglero p. 10[illegible]. Nouissime Claudius Salmasius (verba sunt Ziegleri) *de fœn. trapezit.* p. 782. verba canonis simpliciter accipit de iis, qui gratia inspirante diuina, cingulo militiae deposito, quo melius & perfectius vitae institutum magisque christianum capesserent, postmodo illud resumserunt, & denuo se militiae sacramento obligarunt. Non igitur absolute damnasse dicit militiam illius temporis patres, nec milites, qui ex necessitate ei nomen dedissent, improbasse, sed eos non excusasse, immo & pœna ecclesiastica dignos iudicasse, quibus cum

mul-

multum ab illa diſcrepantem. Verum enim vero inter omnes in vniuerſum conuenit, quod patres *Niceni* vitam militarem non in genere, ſed in quibusdam duntaxat iſtiusmodi caſibus, prohibuerint. Quare non eſt, quod hinc concludamus, eos vitam militarem ſimpliciter & abſolute illicitam iudicaſſe. Inprimis ſi conſiderauerimus, *Conſtantinum*, quo auctore concilium *Nicænum* congregatum fuit, lege publica liberam dediſſe optionem illis, qui tempore *Licinii* honoribus militaribus deiecti fuerant, vel rei militari ſe reddendi, vel libere & pro arbitratu vitam degendi, vti ex THEODORETO & EVSEBIO [r] recte obſeruauit ZIEGLERVS. Immo vero concilium *Arelatenſe* primum eos omnes, qui arma pacis tempore [s] proiecerint, cauſſam prætexentes, quod chriſtiani ſint, a communione iubet abſtineri. Quæ omnia ſatis ſuperque docent, antiquos canones vitam militarem non damnaſſe, tamquam ſimpliciter illicitam & cum chriſtiano officio pugnantem, neque adeo homines baptizandos ad renuntiandum ei obligaſſe. Quidquid vero ab illis requirebatur, illud duntaxat erat, quod iam ante exegerat *Ioannes Baptiſta*, quum ad baptiſmum ſuum venirent milites, quemadmodum ex regula in *conſtitutionibus* [t] hanc in rem præſcripta apparet, quæ ſic habet: *Miles accedens ad baptiſmum doceatur nemini iniuriam inferre, non calumniari, contentus eſſe ſibi datis ſtipendiis: obtemperans his admittatur, repugnans, reiiciatur.*

iam liberum eſſet non militare, ab ea vtpote iam dimiſſis ac ſacramento ſolutis, iterum ad eam redire placuiſſet. Et hanc ſecundam militiam propter ſolam hominum trucidationem improbatam patribus fuiſſe.

(r) Euſeb. de vit. Conſtant. lib. II. c. XXXIII. Οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ τοῖς ἐξεταθεῖσι μὲν ἐπὶ στρατιωτικαῖς ἀξίαις πολὲ, τούτων δὲ διὰ τὴν ἀπηνῆ τε καὶ ἄδικον πρόφασιν ἐκπεσοῦσιν, ὅτι τὸ γινώσκειν τὸ κρεῖττον ὁμολογοῦντες, προὐτίμησαν ἧς εἶχον ἀξίας, αἱρετὸν ἔστω πρὸς βούλησιν, ἢ τὰ στρατιωτικὰ στέργουσιν ἐφ᾽ οὕπερ ἦσαν σχήματος μένειν· ἢ μετὰ ἀφέσεως ἐντίμου ἐλευθέραν ἄγειν σχολήν. Illis præterea, qui militari dignitate olim decorati, crudeli quodam atque iniquo prætextu ea exciderunt; ideo ſcilicet quod cultum Dei profitentes dignitati ſuæ anteponerent; liberum ſit eligere vtrum malint; an militiam repetentes in eodem, in quo prius fuerant ſtatu permanere; an cum honeſta miſſione libere agere.

(s) Concil. Arelat. I. can. II. (tom. I. conc. p. 1427.) De his qui arma proiiciunt in pace, placuit abſtineri eos a communione.

(t) Conſtit. apoſt. lib. VIII. c. XXXII. Στρατιώτης προσιὼν διδασκέσθω μὴ ἀδικεῖν, μὴ συκοφαντεῖν, ἀρκεῖσθαι δὲ διδομένοις ὀψωνίοις· πειθόμενος προσδεχέσθω, ἀντιλέγων ἀποβαλλέσθω.

Hæc

Hæc constans fuit ecclesiæ regula, neque vllum exemplum reperiri puto, hominem quempiam a baptismo fuisse reiectum, eam solam ob caussam, quod miles esset, nisi illicita quædam idololatriæ vel similis cuiusdam rei circumstantia vitæ genus vitiosum reddidisset.

§. XI.

*Num homines in concubinatu viuentes baptizari potuerint?*

ALTER casus dubius ad concubinatum attinet, qui in vulgari acceptione res tantopere infamis est, vt multis mirum sit audire, in lege ciuili & antiquis canonibus quidquam ei fuisse indultum. Verum distinctionem hac in materia antiquis temporibus statuebant, vti *Iudæi* & patriarchæ in veteri faciebant testamento, inter quos quædam concubinæ permissæ erant, quæ ab vxoribus in nulla alia re differebant, nisi quod non adhibitis omnibus istis solemnibus ritibus ac vsitatis formis, quibus vxores ductæ essent. Et huiusmodi concubinas antiqui canones ad baptismum pariter & eucharistiam admittebant. Regula in *constitutionibus* [u] hoc de negotio data est in hunc modum: *Concubina cuiuspiam infidelis mancipii, illi soli dedita, admittatur; Si autem etiam cum aliis petulanter egit, reiiciatur.* Simile decretum in concilio *Toletano* [x], de hominibus ad sacram eucharistiam admittendis, factum legimus: *Si quis habens vxorem, fidelis, concubinam habeat, non communicet. Ceterum is, qui non habet vxorem, & pro vxore concubinam habeat, a communione non repellatur, tantum vt vnius mulieris, aut vxoris, aut concubinæ, vt ei placuerit, sit coniunctione contentus.* Iam differentia inter istiusmodi concubinam & veram vxorem, vti viris doctis [y] obseruatur, non in

(u) Constit. lib. VIII. c. XXXII. Παλλακή τινος ἀπίστου δούλη, ἐκείνῳ μόνῳ σχολάζουσα, προσδεχέσθω· εἰ δὲ καὶ πρὸς ἄλλους ἀσελγαίνει, ἀποβαλλέσθω.

(x) Concil. Tolet. I. c. XVII.

(y) Vid. Anton. Augustin. de emendat. Gratiani lib. I. dialog. XV. p. 170. (p. 243. edit. Duisburg. MDCLXXVII. Non ignoro, duplex esse concubinarum genus, duplex etiam vxorum. Vxores, quæ sine dotalibus instrumentis acciperentur, eas concubinas dictas fuisse. De his possumus Toletani concilii verba interpretari.

Petr. Martyr. loc. commun. lib. II. c. XX. n. III. p. 273. edit. Lond. MDLXXXIII. (pag. 500. edit. Basil. MDXXC.) Concubina est, quæ cum cælibe consuetudinem coniugalem habet. Sed quia ea non est indiuidua, quoniam ita coniuncti facile separantur, ideo concubina plurimum a vera vxore distat:

eo ſita erat, quod altera vere ducta eſſet, altera autem non, ſed in diuerſa ducendi ratione. Quæ enim vxor appellabatur, eam quis cum ſolemnibus ritibus, cum vſus fructus certæ partis bonorum poſt mortem ſuam ſuperſtiti concedendi adſignatione, aliisque cærimoniis, in lege ciuili & canonica præſcriptis, duxerat; quæ autem concubina vocabatur, ea priuatim ſine ſolemnibus ritibus in lege requiſitis viro erat iuncta. Ambæ autem in hiſce tribus rebus conueniebant: 1. Quod eſſent antea perſonæ cælibes. 2. Quod maritis ſuis ad caſtitatem coniugalem cuſtodiendam, liberos procreandos, omnemque cum aliis maribus conſuetudinem fugiendam ſeſe obligarent. 3. Quod per totam vitam ſuam in hoc ſtatu ſuo ſe fideliter perſeueraturas promitterent. Iam vero iſtiusmodi concubinæ, quum eſſent natura ſua vxores, ſine ſolemnibus & in lege requiſitis cærimoniis ductæ, fornicationis reæ haud habebantur, vtut priuilegiis, iuribus & honoribus, quos lex legitime vocatis vxoribus adiudicabat, deſtitutæ: adeoque ad baptiſmum ſine vlla noua obligatione admittebantur, ſi maritus eſſet ethnicus. Sin vero maritus chriſtianus eſſet, regula in *conſtitutionibus* quodammodo alia erat [z], nimirum hæc: *Fidelis, qui habet concubinam; ſi ſeruam, deſinat, & legitimam ducat vxorem; ſi liberam, eam in vxorem legitimam accipiat, ſi nolit, reiiciatur.* Atque ita in *Leonis* [a] pontificis *Romani* decretis chriſtiani, qui tantum habebant concubinas, dimittere eas iubentur, ſi ſint ſeruæ, niſi ingenuas facere, & legitime dotare ac publicis nuptiis honeſtare eas velint, prout leges requirant. Et in hoc iſta decreta videntur a concilio *Toletano* diſcrepare, quod concubinæ in pri-

deinde cum ea humana iura non communicantur: non enim concubina in familiam eius tranſit, cum quo conſueuit. Quin & res & facultates minime communicantur, nec filii ex ea coniunctione orti legitimi & iuſti heredes habentur, niſi beneficio principis legitimati fuerint. cetera.

(z) Conſtitut. lib. VIII. c. XXXII. Πιστὸς ἐὰν ἔχῃ παλλακὴν, εἰ μὲν δούλην, παυσάσθω, καὶ νόμῳ γαμείτω· εἰ δὲ ἐλευθέραν, ἐκγαμείτω αὐτὴν νόμῳ· εἰ δὲ μὴ, ἀποβαλλέσθω.

(a) Leo epiſt. XCII. ad Ruſtic. cap. IV. Clericus, ſi filiam viro, habenti concubinam in matrimonium dederit, non ita accipiendum eſt, quaſi coniugato ei dederit, niſi forte illa mulier & ingenua facta, & dotalia legitime & publicis nuptiis honeſtata videatur. - Ibid. c. V. Ancillam a toro abiicere & vxorem certæ ingenuitatis accipere, non duplicatio coniugii ſed profectus eſt honeſtatis.

vato

vato matrimonio viuere ſine vlla cenſura eccleſiaſtica permittit. AVGVSTINVS [b] hunc caſum inter res dubias & difficiles ad definiendum refert. Eo tamen inclinat, vt huiusmodi concubinam ad baptiſmum admitti poſſe exiſtimet, quod multum a profeſſa adultera differat, quæ ad baptiſmum numquam admitti poſſit, quamdiu in manifeſto iſto impudicitiæ crimine viuat; iſtum autem caſum exiſtimat non eſſe a ſcriptura vsquam diſerte damnatum, ſed potius velut dubium derelictum, vt multa iſtiusmodi momenta & quæſtiones alias, quas eccleſia ex optima experientia, quam ad decidendas eiusmodi difficiles quæſtiones nacta ſit, prudenter diiudicare debeat.

SENTENTIAM veterum de hoc argumento, quantum potui, perſpicue repræſentaui, eo, quod male fundatas quasdam cenſuras veterum & legis canonicæ GRATIANI (quæ tantum ex illis transſcripta eſt) in nonnullis recentioribus ſcriptoribus peperit; quaſi tales concubinas, quas nos vulgo *Harlots*, id eſt, meretrices vocamus, etiamſi nulla pœnitentiæ ſigna dediſſent, ad baptiſmum admiſerint: quum tamen hanc materiam non adeo crude ab illis tractatam, ſed adhibitis diuerſis neceſſariis cautionibus ac diſtinctionibus conſideratam & deciſam eſſe videamus. Et in diſquirendis his diuerſis generibus adultorum, qui ad baptiſmum admitti vel non admitti potuerunt, tanto ſtudioſior fui, quod hæ quæſtiones ſunt, quas lectores in recentioribus auctoribus, qui de obiecto baptiſmi dedita opera ſcripſerunt, non adeo diſtincte examinatas deprehendent.

### §. XII.

*Peculiaris* Marcionitarum *error in arcendis omnibus, in matrimonio viuentibus, a baptiſmo.*

VNVM adhuc notabimus, quod ad regulam quamdam puritatis, vt venditatur, inter *Marcionitas* ſpectat, ſecundum quam nullos in coniugio viuentes ad baptiſmum ſuum admittere volebant; ſed vel virgines, vel viduas, vel cælibes, vel divortio ſeparatos eſſe oportebat. Quod inſtitutum, obſeruante TERTVLLIANO [c], ſine dubio ex damnatione coniugii ori-

(b) Auguſtin. de fide & operibus c. XIX. (tom. IV. p. 76. edit. Baſ. MDLXIX.) De concubina quoque, ſi profeſſa fuerit, nullum ſe alium cognituram, etiamſi ab illo, cui ſubdita eſt, dimittatur: merito dubitatur, vtrum ad percipiendum baptiſmum non debeat admitti.

(c) Tertull. contr. Marc. lib. I. c. XXIX.

undum erat; qui error illis cum multis aliis antiquis hæreticis communis fuit: quamquam hoc peculiare non inuenio vllis aliis adſcribi, quod iſtiusmodi perſonis baptiſmum negauerint. Quidquid vero huius eſt, certum id eſt, numquam eiusmodi regulam ad impediendum matrimonium in eccleſia catholica fuiſſe conditam. Illius regula ſemper erat *Paulina* illa: *Honorabile eſt inter quosuis coniugium & cubile impollutum, ſcortatores autem & adulteros damnabit Deus.* Eccleſia adulteros iudicandi, eosque poteſtate clauium a baptiſmo prohibendi, ſibi ſumebat libertatem; præterea autem nullam poteſtatem a Deo venditabat in vllos alios exercendam, quibus libertas diuinitus relicta erat, vel coniugium ineundi, vel ſi res ipſorum ita ferrent, in cælibatu permanendi.

# *LIBRI VNDECIMI*

## *CAPVT SEXTVM*

## DE TEMPORE ET LOCO BAPTISMI.

### §. I.

### *Cur adulti nonnumquam baptiſmum, eccleſia ita iubente, procraſtinarint.*

POST homines, baptiſmi obiectum, circumſtantias temporis ac loci in eius adminiſtratione conſiderare æquum eſt. Quod ad infantes attinet, eorum baptiſmo, vti iam oſtendimus, nullum tempus erat præſtitutum; ſed illi regenerandi erant, quam primum a naturalis natiuitatis eorum tempore id commode fieri poterat. Neque vlla ſcripturæ ſacræ lege baptiſmus infantium, vti quidem circumciſio, ad certum diem reſtrictus fuit: quamquam eccleſia in quibusdam locis, ſi nullum eſſet mortis periculum, ad maioris cuiusdam feſtiuitatis ſolemnia eum procraſtinarit. Cum adultis autem aliter quodammodo comparatum erat. Illorum enim baptiſmus generatim duos vel tres plus minus annos, eccleſia ita iubente, differebatur, vſque dum doctrina inſtitui, & vitæ chriſtianæ praxi, quantum ſatis erat, exerceri poſſent, qua de re libro vltimo diximus verboſius. Aliorum baptiſmus longius procraſtinabatur pœnæ loco, ſi grandia & publicam quamdam offenſionem habentia crimina perpetraſſent,

quæ

quæ diuturniore disciplina & pœnitentia expiari debebant: Quod pœnitentiæ exercitium interdum quinque, decem, viginti, vel pluribus annis continuis, immo per omnem vitam ad mortis vsque horam continuabant, si atrocia ipsorum essent & clamantia facinora. Si quis catechumenus tempore persecutionis delator esset, & per delationem eius aliquis esset proscriptus vel interfectus, tum ex quodam concilii *Illiberitani* canone [a] baptismus eius ad quinque annos differebatur. Ita quoque si quæ catechumena a marito suo ipsa se separasset, baptismus illius quinquennium [b] prorogabatur. Quod si vero per adulterium concepisset, & fœtum in vtero, adhibitis artibus, enecasset, tum per omnem vitam baptismo carere, & sub horam demum mortis ad hoc beneficium [c] admitti debebat. Vnde manifestum est, adultorum baptismum interdum non mediocre temporis spatium iussu ecclesiæ prorogatum: hoc autem semper præparandi vel puniendi consilio factum esse, dum catechumeni vel prima religionis christianæ elementa discerent, vel in statu pœnitentiæ, ad ecclesiæ de vitiosa quadam & cum aliorum offendiculo facta actione faciendum satis, detinerentur.

## §. II.

### *Priuatæ baptismum differendi rationes contra ecclesiæ regulas.*

### *1. Supina salutis neglectio.*

VERVM alii baptismum sponte sua contra ecclesiæ regulas differebant. Qua de re in veterum scriptorum monumentis frequentes occurrunt querelæ, & seueræ in eamdem inuectivæ orationes, vsitatis excusationibus, quas pro se homines adferre solebant, respondentes. Nonnulli id ex supina quadam socordia & otiosa salutis suæ neglectione faciebant, quæ com-

(a) Concil. Illiberrit. c. LXXIII. (p. 978. tom. I. concil.) Delator si quis exstiterit fidelis & per delationem eius aliquis fuerit proscriptus vel interfectus, placuit, eum nec in fine accipere communionem. Si leuior caussa fuerit, intra quinquennium accipere poterit communionem. Si catechumenus fuerit, *post quinquennii tempora admittatur ad baptismum.*

(b) Concil. Illiberrit. c. XI. (ibid. p. 972.) Intra quinquennii tempora, catechumena si grauiter fuerit infirmata, dandum ei baptismum placuit, non denegari.

(c) Concil. Illib. c. LXVIII. Catechumena si per adulterium conceperit & conceptum necauerit, placuit, eam in fine baptizari.

munis erat ratio [d], talis vero, quam homines confiteri pudebat, quod ipsa eius confessio sufficiens ad eam esset responsio.

§. III.

*2. Animus mundo renuntiare religionisque seueritati se submittere detrectans.*

NONNVLLI baptismum ex ethnico quodam principio, in ipsis adhuc residuo, differebant, quia mundi amore & illecebris tenebantur irretiti, a quibus abnegandis *CHRISTI*que iugo in se attollendo animum gerebant alieniorem, quod hoc ipso ad seueriorem viuendi rationem se obligatum, omnesque voluptates, quibus iam impunius indulgere possent, sibi præclusum iri existimabant. In præsenti huius vitæ suauitatibus frui, atque ita demum baptizari, & nihilo minus eamdem gratiam, quam qui longe ante baptizati essent, consequi se posse credebant. Neque enim, qui priores in vinea laborassent, meliore idcirco conditione fuisse, æqua nempe mercede postremis quoque persoluta. Ita NAZIANZENVS [e] eos introducit, baptismi

(d) Naz. orat. XL. de baptism. p. 654. ἕως πότε ὀκνηρὸ κατάκεισαι, πότε δὲ ἐξ ὕπνου ἀναστήσῃ; τὸ καὶ τὸ σκήπτῃ καὶ προφασίζῃ προφάσεις ἐν ἁμαρτίαις· μένω τὰ φῶτα, κ. τ. λ. vid. sub litt. (l). Quousque tandem piger iacebis? quando consurges a somno? Hoc & illud caussaris, atque excusas excusationes in peccatis: Luminum diem exspecto, cetera.

Constit. apostol. lib. VI. c. XV. Ὁ λέγων, ὅτι ὅταν τελευτῶ, βαπτίζομαι, ἵνα μὴ ἁμαρτήσω, καὶ ῥυπανῶ τὸ βάπτισμα, οὗτος ἄγνοιαν ἔχει θεοῦ, καὶ τῆς ἑαυτοῦ φύσεως ἐπιλήσμων τυγχάνει· Μὴ ἀναβάλλου γὰρ ἐπιστρέψαι πρὸς κύριον· οὐ γὰρ οἶδας τί τέξεται ἡ ἐπιοῦσα. Qui dicit: Cum moriar, curabo vt baptizer, ne interim peccem & baptismum contaminem; is Deum ignorat & naturæ suæ est immemor. *Ne differas enim conuerti ad dominum: nescis enim, quid superuentura pariet dies.*

(e) Naz. orat. XL. de bapt. p. 650. c. ἀλλὰ τί μοι πλέον, φησὶ, προκαταληφθέντι διὰ τοῦ βαπτίσματος, καὶ τὸ τερπνὸν τοῦ ζῆν ἐμαυτῷ διὰ τοῦ τάχους ἀποκλείσαντι, ἐξὸν ἐφεῖναι ταῖς ἡδοναῖς, καὶ τηνικαῦτα τυχεῖν τῆς χάριτος; οὐδὲ γὰρ τοῖς ἐν τῷ ἀμπελῶνι προκεκμηκόσιν ὑπῆρξέ τι πλέον, ἴσου τοῦ μισθοῦ δοθέντος καὶ τοῖς τελευταίοις. Verum, dicet quispiam, quid mihi ex ea re accesserit, si per baptismum præoccupatus fuero, atque omnes vitæ suauitates mihi ipsi ob huiusmodi celeritatem præclusero, quum voluptatibus interim indulgere liceat, atque ita demum gratiam adsequi? Neque enim qui priores in vinea laborarunt, meliore idcirco conditione fuerunt, æqua nempe mercede postremis quoque persoluta.

Id. Ibid. p. 652. a. τί δαί; οὐχὶ φιλάνθρωπον, φησι, τὸ θεῖον; Καὶ γνωστικὸν γὰρ ἐννοιῶν, δοκιμάζει τε τὴν ἔφεσιν, καὶ ἀντὶ βαπτίσματος ποιεῖται τὴν ὁρμὴν τοῦ βαπτί-

sui

ſui dilationem excuſantes, perinde atque hodie homines dilationem reſipiſcentiæ excuſare audias. Hæc ratio adeo abſurda erat & ſtolida, vt multos, qui ea agebantur, eam profiteri puderet. Verum quamquam verbis eam occultare contendebant, facta tamen, vt BASILIVS [*f*] obſeruat, contra clamabant. Idem enim erat, ac ſi dixiſſent: *Mitte me, ſuperſede: interim carne, ætatisque flore abutar, in luto voluptatum porcorum more volutabor, manus ſanguine fœdabo, alienum auferam, doloſe ambulabo, peierabo, mentiar: tunc denique quum ſatur ero, a malis deſiſtam, baptiſmum ſuſcipiam.* In iſtiusmodi hominibus infidelitatis adhuc idolum permanebat, vt auctor *recognitionum* ſub nomine CLEMENTIS ROMANI [*g*] loquitur; & hæc vera erat ratio, cur baptiſmum ſuum differrent. Si enim baptiſmum omnibus eſſe neceſſarium credidiſſent, ſiue iuſtus quis eſſet, ſiue iniuſtus, ad eum recipiendum omnino feſtinaſſent, quum vnius cuiusque exitus vitæ incertus ſit.

## §. IV.

### *Metus ſubſequuturi baptiſmum lapſus.*

ALII baptiſmum ad vitæ vsque ſuæ exitum procraſtinabant, ex principio quodam *Nouatiano*, eo quod ſe metuere dicerent, ne poſt baptiſmum peccatis rurſus ſe contaminarent: neque vero ſecundum quemdam baptiſmum dari, quo homines ad regnum cæleſte denuo regenerentur, quum contra futurum

σματος; Quid autem, inquies, nonne benignus & facilis eſt Deus, atque, vt cogitationes humanas perſpectas habet, animi noſtri cupiditates explorat, baptiſmique cupiditatem pro baptiſmo ducit?

(*f*) Baſil. hort. ad bapt. hom. XIII. tom. I. p. 414. a. νοῶ σου τὴν ὑπέρθεσιν κἂν περιστέλλῃς τοῖς ῥήμασιν αὐτὰ βοᾷ τὰ πράγματα, κἂν τῇ φωνῇ σιωπᾷς, ἔασον· ἀποχρήσωμαι τῇ σαρκὶ πρὸς τὴν ἀπόλαυσιν τῶν αἰσχρῶν· ἐγκυλισθῶ τῷ βορβόρῳ τῶν ἡδονῶν, αἱμάξω τὰς χεῖρας, ἀφέλωμαι τὰ ἀλλότρια, δολίως πορευθῶ, ἐπιορκήσω, ψεύσωμαι, καὶ τότε τὸ βάπτισμα, ὅταν λήξω ποτὲ τῶν κακῶν, ὑποδέξομαι.

(*g*) Clem. Rom. lib. VI. n. IX. apud Coteler. tom. I. p. 551. Confugite ad aquas iſtas; ſolæ ſunt enim, quæ poſſint vim futuri ignis exſtinguere: ad quas qui moratur accedere, conſtat in eo infidelitatis adhuc idolum permanere, & ab ipſo prohiberi ad aquas, quæ ſalutem conferunt, properare. Siue enim iuſtus ſis, ſiue iniuſtus; baptiſmus tibi per omnia neceſſarius eſt: iuſto quidem, vt adimpleatur in eo perfectio & regeneretur Deo; iniuſto vero, vt peccatorum, quæ geſſit in ignorantia, remiſſio concedatur. Omnibus ergo feſtinandum eſt ſine mora renaſci Deo; quia incertus eſt vniuscuiusque exitus vitæ.

ſit,

ſit, vt, ſi ſub mortis horam baptiſmum receperint, cælum ſibi protinus apertum mundi & immaculati ingrediantur. Quod ſi vſu veniat, vt ante baptiſmum diem ſuum obeant, ſperare ſe, Deum baptiſmi cupiditatem pro ipſo baptiſmo accepturum. Iam vero vti iſta opinatio multis erroribus fundata erat, ita veteres in ea confutanda copioſi ſunt. BASILIVS [*h*] contra hanc eorum praxin ex incerto vitæ termino argumentatur. *Quis tibi*, inquit, *vitæ terminum fixit? Quis ſenectutis metam terminauit? Quis apud te tam fide dignus futurorum ſponſor? Non vides pueros ſæpenumero ab vbere raptos? Non ætate floridos mori vides? Nullum certum terminum habet hæc vita. Quid exſpectas beneficio febris baptizari, quando nec ſalutaria verba loqui, nec item audire commode poteris, morbo caput occupante? Non manus in cælum tollere, non in pedes erigi, non genua adorando flectere, non commode doceri, non ſecure ac libere confiteri, non cum Deo paciſci, non abrenuntiare inimico, ſorte nec ſcite inter initiandum ſubſequi, dubitantibus etiam præſentibus, num gratiam ſentias, an ſine ſenſu, quæ agantur, accipias.* GREGORIVS NAZIANZENVS [*i*] ait: *Aenigmati ſimile quiddam narras, ſi apud Deum propter ipſius benignitatem, is pro illuminato* (i. e. *baptizato*) *habetur, qui luminis baptiſmatis expers eſt, aut etiam intra regnum cælorum eſt, qui eo frui expetit, quum interim ea minime faciat, quæ ad cæleſte regnum iter aperiunt.* GREGORIVS NYSSENVS [*k*] *Hoc eſt*, inquit, *quædam ſpes inanis; falſa opinione præſtringens oculos animæ.* Et vt fallaces horum hominum ſpes hoc modo infrigebant, ita formidi-

(*h*) Baſil. exhort. ad bapt. tom. I. p. 415. b. Τίς δέ σοι καὶ τὸν ὅρον τῆς ζωῆς ἔπηξε; τίς σοι τὴν προθεσμίαν τοῦ γήρως ὥρισε; τίς οὕτως ἀξιόπιστος παρά σοι τῶν μελλόντων ἐγγυητής; οὐχ ὁρᾶς νήπια ἁρπαζόμενα; τοὺς ἐν ἡλικίᾳ ἀπαγομένους; οὐκ ἔχει μίαν προθεσμίαν ὁ βίος. τί ἀναμένεις πυρετοῦ σοι δῶρον γενέσθαι τὸ βάπτισμα, ὅτε οὔτε φθέγξασθαι δυνήσῃ τὰ σωτήρια ῥήματα, τάχα δὲ οὐδὲ ἀκοῦσαι καθαρῶς ἐπιτραπήσῃ, αὐτῇ τῇ κεφαλῇ ἐνοικούσης τῆς νόσου; οὐ χεῖρας ἆραι εἰς οὐρανόν, οὐκ ἐπὶ πόδας διαναστῆναι, οὐ κλῖναι γόνυ εἰς τὴν προσκύνησιν, οὐ διδαχθῆναι χρησίμως, οὐχ ὁμολογῆσαι ἀσφαλῶς, οὐχὶ συνεθέσθαι Θεῷ, οὐκ ἀποτάξασθαι τῷ ἐχθρῷ· τάχα δὲ οὔτε συνετῶς ἐπακολουθῆσαι μυσταγωγούμενος, ἀμφίβολος ὢν τοῖς παροῦσιν, ἢ ἄρα ᾔσθου τῆς χάριτος, ἢ ἀναισθήτως ἔχεις τῶν γινομένων.

(*i*) Nazianz. orat. XL. de bapt. p. 652. a. αἰνίγματι λέγεις ὅμοιον, εἰ πεφωτισμένος ἐστὶ Θεῷ διὰ τὸ φιλάνθρωπον ὁ ἀφώτιστος, ἢ καὶ τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν ἐντὸς ὁ ταύτης τυχεῖν σπουδάζων, δίχα τοῦ πράττειν τὰ τῆς βασιλείας.

(*k*) Nyſſen. de bapt. tom. II. p. 222. b. τὸ δὲ κενή τις ἐστὶν ἐλπὶς δόξῃ ψευδεῖ τὴν ψυχὴν γοητεύουσα.

nis,

nis, quam præ ſe ferebant alii, non minori ſtudio demonſtrabant vanitatem. Quamuis enim ſecundus quidam baptiſmus illis exſpectandus haud eſſet, qui poſt primum in peccata laberentur, impoſisbile tamen non eſſe docebant, lapſum in peccata poſt primam purgationem euitare; vel ſi ita lapſi eſſent, dummodo non eſſent peccata ad mortem, ſecundam purificationem beneficio remiſſionis, intercedente pœnitentia, obtineri poſſe. Adeoque veram inſaniam eſſe & ſtoliditatem, baptiſmum ex tam incerta formidine negligere, quod hac ratione tanto grauius periculum incurrerent, dum minorem fugerent incommoditatem, plus habentem ſecuritatis, nec tam ancipiti periculo obnoxiam.

## §. V.

*4. Superſtitioſæ perſuaſiones, ratione temporis & miniſtrorum baptiſmatis.*

ERANT itidem, qui baptiſmum ſuum ex mere ſuperſtitioſa perſuaſione, temporis, loci vel miniſtrorum baptiſmatis intuitu, differebant. GREGORIVS NAZIANZENVS [l] quosdam introducit ita ſeſe excuſantes: *Luminum diem exſpecto: Paſchatis feſtum pluris facio: Pentecoſten exſpectabo. Cum Chriſto baptizari præſtat: Cum Chriſto in reſurrectionis die ad vitam redire: ſpiritus aduentum honorare. Quid poſtea? Veniet repente vitæ finis in die, quem non exſpectas, & in hora, quam ignoras.* Quidam ſuperſtitioſam baptiſmatis in certo quodam loco, vt *Hieroſolymis* vel in *Iordane* fluuio recipiendi habebant cupiditatem, adeoque baptiſmum prorogabant, donec ad deſtinatum ſibi locum commode peruenire poſſent. Hoc TERTVLLIANVS [m] tacite videtur reprehendere, quando, *Ne quidquam*, inquit, *refert inter eos, quos Ioannes in Iordane, & quos Petrus in Tiberi tinxit*; nec non AMBROSIVS [n] in ſermone ſuo ad catechumenos; *Debemus*, inquiens, *fratres dilectiſſimi, vobis catechumenis loquor, gratiam baptiſmatis eius omni feſtinatione ſuſcipere, & de fonte Iordanis, quem ille benedixit, benedictionem conſecrationis hau-*

(l) Naz. orat. XL. de baptiſm. p. 654. a. μένω τὰ φῶτα, τὸ πάσχα μοι τιμιώτερον, τὴν πεντηκοστὴν ἐκδέξομαι, χριστῷ συμφωτισθῆναι βέλτιον, χριστῷ συναναστῆναι κατὰ τὴν ἀναστάσιμον ἡμέραν, τοῦ πνεύματος τιμῆσαι τὴν ἐπιφάνειαν· εἶτα τί; ἥξει τὸ τέλος ἐξαίφνης ἐν ἡμέρᾳ ᾗ οὐ προσδοκᾷς, καὶ ἐν ὥρᾳ ᾗ οὐ γινώσκεις. κ. τ. λ.

(m) Tertull. de bapt. c. IV.

(n) Ambroſ. ſerm. XLI. (tom. III. p. 268. edit. Baſil. MDLXVII.)

*rire; vt in eum gurgitem, in quem se illius sanctitas mersit, nostra peccata mergantur. - - Sed vt eodem fonte mergamur, non nobis orientalis petenda est regio, non fluuius terræ iudaicæ. Vbi enim nunc Christus, ibi quoque Iordanes est. Eadem consecratio, quæ orientis flumini benedixit, occidentis fluenta sanctificat.* EVSEBIVS [*o*] de *Constantino* narrat, statuisse eum olim baptismum in flumine *Iordane*, ad seruatoris nostri exemplum, suscipere. Sed Deum, qui optima norit, quæ essent ipsi vtilia, ipsius consilia impediisse, eumque paullo ante obitum suum *Nicomediæ* fuisse baptizatum. Nam quod ad narrationem illam a BARONIO [*p*] tam operose diuulgatam attinet, quod *Constantinus* a *Siluestro* episcopo vrbis *Romæ* baptizatus, & a lepra mundatus sit, mera fabula est, testimonio omnium veterum, EVSEBII, SOCRATIS, SOZOMENI, THEODORETI, ATHANASII, HIERONYMI, & patrum concilii *Ariminensis* explosa, qui omnes ac singuli *Constantinum* proxime ante obitum suum baptismum recepisse adfirmant. Et optimi quique critici post BARONIVM, VALESIVS [*q*], SCHELSTRATVS [*r*], LAM-

(*o*) Euseb. de vit. Constant. lib. IV. cap. LXII. - *ὥρα τοῦ σωτηρίου σφραγίσματος μετασχεῖν· ἐπὶ ῥείθρων ἰορδάνου ποταμοῦ τοῦτ' ἐνενόουν ποτὲ ποιήσασθαι, ἐφ' ὧν καὶ ὁ σωτὴρ εἰς ἡμέτερον τύπον τοῦ λουτροῦ μετασχεῖν μνημονεύεται· θεὸς δ' ἄρα τὸ συμφέρον εἰδὼς, ἐντεῦθεν ἤδη τούτων ἡμᾶς ἀξιοῖ.* - - tempus est, vt salutaris signaculi participes fiamus. Equidem olim statueram id agere in flumine Iordane, in quo seruator ipse ad exemplum nostrum lauacrum suscepisse memoratur. Sed Deus qui optime nouit ea, quæ nobis vtilia sunt, hoc in loco (Nicomediæ) nobis id ipsum exhibere dignatur.

(*p*) Baron. an. CCCXXIV. n. XVII. (n. XXIX. p. 246. edit. Antuerp. MDCXVII.) In eius concilii (Romæ sub Siluestro celebrati) exordio hæc narrantur de caussa cogendi eiusmodi episcoporum conuentus: Eodem tempore, quum multi nobiles gauderent, quod *Constantinus baptizatus a Siluestro episcopo vrbis Romæ & mundatus fuisset a lepra;* pro hoc beneficio, quod accepit a domino nostro Iesu Christo per Siluestrum episcopum, cœpit integre prædicare Iesum Christum & confiteri eius beneficia. ceteta.

(*q*) Vales. not. in Socrat. lib. I. cap. XXXIX. Philostorgium hic sequi malim, qui Constantinum testamenti sui tabulas *Eusebio* Nicomediensi tradidisse scribit, *a quo paulo antea fuerat baptizatus.*

(*r*) Schelstrat. concil. Antiochen. dissertat. II. c. I. p. 43. Fauebat deinde Arianis *Eusebius*, idque non modo, quum Athanasii exilium apud principem sollicitarat, sed & quum ipsum *Constantinum imperatorem in fine vitæ baptizauerat.* Vt enim alibi vidimus ex D. Hieronymi chronico: *Constantinus extremo vitæ suæ tempore ab Eusebio Nicomediensi episcopo baptizatus in dogma Arianum declinat.* cetera.

BECIVS [s]; PAPEPROCHIVS [t] & PAGIVS [u] iudicio ſuo cum veteribus contra recentiorem iſtam fictionem conſpirant. Vt adeo hodie inter omnes conſtet, imperatorem iſtum ex eorum fuiſſe numero, qui baptiſmum ad mortis vſque tempus procraſtinarunt Et maxime probabilis ratio, quæ de hac procraſtinatione dari poteſt, conſilium eſt, quod de baptiſmate in *Iordane* fluuio ſuſcipiendo ceperat, quod prouidentia diuina ipſum numquam ſinit exſequi. Alii moroſæ indolis homines baptizari nolebant, vſque dum miniſtrum baptiſmatis habere poſſent extraordinariis quibusdam donis ac ornamentis præditum. GREGORIVS NAZIANZENVS [x] huiuscemodi quorumdem meminit, eosque hunc in modum grauiter obiurgat: *Ne dicas, baptizet me epiſcopus, atque is metropolitanus, aut Hieroſolymitanus, (non enim locorum eſt gratia, ſed ſpiritus) isque claro & nobili genere ortus (graue enim fuerit nobilitati meæ, ob eius, qui baptizet, obſcuritatem, labem ac dedecus inferri) aut ſi presbyter ſaltem, qui cælebs ſit, qui continentiæ laude angelica viuendi ratione floreat. Graue enim fuerit, ſi in purgationis tempore inficiar atque commaculer. Ne concionatoris aut baptizantis auctoritatem inquiras. Alius horum iudex eſt, ac rerum obſcurarum explorator: quandoquidem homo faciem, Deus autem cor intuetur. Tibi autem quiuis ad purgationem ſatis idoneus eſt, qui modo inter probatos cenſeatur, ac non aperte condemnatus ſit atque ab eccleſia alienus. Qui curatione indiges, in iudices iudicium ne arripe: nec eorum, a quibus purgaris, dignitates excute, nec inter genitores delectum habe. Eſt quidem*

(s) Lambec. comment. de bibliothec. Vindobon. in fine libri V. additam. III. a pag. 398. vſque ad pag. 408. edit. Vindobon. MDCLXXII.

(t) Papeproch. act. ſanctor. Maii tom. V. vit. Conſtantin. Maii XXI. c. II. p. 15. tot.

(u) Pagi. critic. in Baron. an. CCCXXIV. n. V-XI. p. 397. 398. 399. edit. Antuerp. MDCCV.

(x) Nazianz. orat. XL. de bapt. p. 656. a. b. c. Μὴ εἴπῃς, ἐπίσκοπος βαπτισάτω με, καὶ οὗτος μητροπολίτης, καὶ Ἱεροσολυμίτης· οὐ γὰρ τόπων ἡ χάρις, ἀλλὰ τοῦ πνεύματος· καὶ οὗτος τῶν εὖ γεγονότων (δεινὸν γάρ, εἰ τῷ βαπτιστῇ τὸ εὐγενές μου καθυβρισθήσεται) ἢ πρεσβύτερος μέν, ἀλλὰ καὶ οὗτος τῶν ἀγάμων, καὶ οὗτος τῶν ἐγκρατῶν καὶ ἀγγελικῶν τὴν πολιτείαν· δεινὸν γάρ, εἰ ἐν καιρῷ καθάρσεως ῥυπανθήσομαι· μὴ ζήτει ἀξιοπιστίαν τοῦ κηρύσσοντος, μηδὲ τοῦ βαπτίζοντος· ἄλλος ὁ τούτων κριτὴς καὶ τῶν ἀφανεστέρων δοκιμαστής· ἐπειδὴ ἄνθρωπος μὲν εἰς πρόσωπον, Θεὸς δὲ εἰς καρδίαν· σοὶ δὲ πᾶς ἀξιόπιστος εἰς τὴν κάθαρσιν· μόνον ἔστω τις τῶν ἐγκρίτων, καὶ μὴ τῶν προδήλως κατεγνωσμένων, μηδὲ τῆς ἐκκλησίας ἀλλότριος· μὴ κρίνε τοὺς κριτάς, ὁ χρῄζων τῆς ἰατρείας· μηδὲ φιλοκρίνει μοι τὰς ἀξίας τῶν σε καθαιρόντων· μη-

*alius alio præstantior, vel inferior: te autem quiuis est superior.* Ex quibus omnibus apparet, superstitiosam temporum, locorum & personarum distinctionem quorumdam mentibus se insinuasse, ab illisque tamquam rationem dilationis baptismi fuisse adlegatam.

## §. VI.

### 5. *Prætextum consilium sequendi exemplum CHRISTI.*

Alii baptismi sui ad annum vsque ætatis tricesimum prorogandi excusationem ab exemplo petebant *CHRISTI*, quod hic ea ætate esset, quum baptismum susciperet. Quod consilium GREGORIVS NAZIANZENVS verbosius hunc in modum confutat: „Dices,[y] *CHRISTVS* tricesimo anno baptizatus, idque „quum Deus esset: tu me baptismum vrgere iubes? Quum De„um dixisti, quæstio abs te soluta est. Nam ille purgatio ipsa„met erat, nec purgationis indigebat: verum tua caussa purga„batur, quemadmodum & carnem ferebat, quum carnis ex„pers esset. Nec vero ei quidquam periculi metuendum erat, „baptismum proroganti; quippe qui passionis quoque suæ arbi„ter esset, quemadmodum & natiuitatis. Tibi autem non le„ve periculum imminet, si hinc corruptioni soli genitus nec in„corruptibilitate indutus excesseris. Quin illud etiam animad„verto, quod illi quidem tempus hoc baptismi necessarium e„rat: tua autem non eadem est ratio. Idcirco enim ille trice„simo denique anno, ac non prius sese indicauit, partim ne „ostentationis cuiuspiam opinionem præberet (quo adfectu in„epti homines ducuntur) partim, quia hæc ætas plenum virtu„tis argumentum, docendique maturitatem habet. Iam quo„niam ei salutiferum mundo supplicium subeundum erat, o-

δὲ διακρίνει πρὸς τοὺς γεννήτορας· ἄλλος μὲν ἄλλου κρείττων ἢ ταπεινότερος, σοῦ δὲ πᾶς ὑψηλότερος.

(y) Naz. orat. XI. de bapt. p. 658. 659. Ἀλλὰ χριστὸς, φησι, τριακονταέτης βαπτίζεται, καὶ ταῦτα θεὸς ὤν· καὶ σὺ κελεύεις ἐπισπεύδειν τὸ βάπτισμα; Θεὸν εἰπὼν, λέλυκας τὸ ζητούμενον· ὁ μὲν γὰρ αὐτοκάθαρσις ἦν, καὶ οὐκ ἐδεῖτο καθάρσεως, ἀλλὰ σοὶ καθαίρεται· ὥσπερ καὶ σάρκα φορεῖ σοὶ, ἄσαρκος ὤν· οὐδέ τις κίνδυνος ἦν αὐτῷ τὸ βάπτισμα παρατείνοντι· αὐτὸς γὰρ καὶ τοῦ παθεῖν ἦν ἑαυτῷ ταμίας, ὥσπερ τῆς γενέσεως· σοὶ δὲ οὐδὲ περὶ μικρῶν ὁ κίνδυνος, εἰ ἀπέλθοις τῇ φθορᾷ γεννηθεὶς μόνῃ, καὶ μὴ τὴν ἀφθαρσίαν ἀμφιεσάμενος· σκοπῶ δὲ κἀκεῖνο, ὅτι τῷ μὲν ἀναγκαῖος ἦν οὗτος ὁ καιρὸς τοῦ βαπτίσματος, σοὶ δὲ οὐχ ὁ αὐτὸς λόγος· ἀναδείχθη μὲν γὰρ τριακοστὸν γεγονὼς ἔτος, οὐ πρότερον, τοῦ μὴ δοκεῖν ἐπιδεικτικὸς εἶναί τις· τῶν γὰρ ἀπει-

„mnia

„mnia vtique, quæ ad paſſionem ſpectabant, ad paſſionem „concurrere oportebat, nimirum oſtenſionem, baptiſmum, cæ„leſte teſtimonium, prædicationem, multitudinis concurſum, „miracula, & velut corpus vnum fieri, non diuulſum, nec tem„porum interuallis disiunctum & interruptum. Etenim ex ba„ptiſmo & prædicatione excitatus eſt ille confluentis multitu„dinis terræ motus: ſic enim tempus illud ſcriptura vocat. Rur„ſus ex populi multitudine & frequentia, ſignorum editio & „miracula, quæ homines ad euangelium adducebant, exſtite„runt. Ex his porro inuidia nata eſt, ex inuidia odium, ex o„dio inſidiæ & proditio. Hinc poſtremo crux, eaque omnia, „quæ nobis ſalutem pepererunt. At *CHRISTI* quidem res ita „ſe habent, quantum quidem nobis adſequi licet: atque etiam „fortaſſe alia quædam ratio iis, quas commemorauimus, recon„ditior inueniri queat. Tibi autem quid neceſſe eſt, vt dum „exempla, quæ te ſublimiora ſunt, ſequeris, malum conſilium „capias? præſertim, quum permulta quoque alia ex iis, quæ „tum ab eo geſta eſſe hiſtoriæ proditum eſt, a noſtro ritu diſ„crepare, ac tempore diſſidere conſtet?

QVI plura de hiſce excuſationibus legere auent, BASILIVM, GREGORIVM NAZIANZENVM, & GREGORIVM NYSSENVM, vbi de hoc argumento loquuntur, poſſunt conſulere, vel etiam WALKERI librum de *pædobaptiſmo*, cuius in præfatione non minus vndeuiginti huiusmodi rationes, quas baptiſmatis ſui prorogationi homines prætexerint, enarrat. Quæ iam a nobis commemoratæ ſunt, ad præſens inſtitutum noſtrum ſuffici-

μοχθηρῶν τὸ πάθος, καὶ ὡς τελείαν βάσανον ἀρετῆς, καὶ τοῦ διδάσκειν καιρὸν ταύτης ἐχούσης τῆς ἡλικίας· ἐπειδὰν δὲ παθεῖν ἔδει, τὸ τοῦ κόσμου σωτήριον πάθος, πάντα συνδραμεῖν ἔδει πρὸς τὸ πάθος, ὅσα τοῦ πάθους, τὴν ἀνάδειξιν, τὸ βάπτισμα, τὴν ἄνωθεν μαρτυρίαν, τὸ κήρυγμα, τὴν συνδρομὴν τοῦ πλήθους, τὰ θαύματα, καὶ ὥσπερ ἓν σῶμα γενέσθαι, μὴ διεσπασμένον, μηδὲ ἀπερρηγμένον τοῖς διαστήμασιν· ἐκ μὲν γὰρ τοῦ βαπτίσματος, καὶ τοῦ κηρύγματος, ὁ τῶν συντρεχόντων σεισμὸς (οὕτω γὰρ ἡ γραφὴ καλεῖ τὸν καιρὸν ἐκεῖνον) ἐκ δὲ τοῦ πλήθους. ἡ τῶν σημείων ἐπίδειξις, καὶ τὰ θαύματα τὰ εἰς εὐαγγέλιον προσάγοντα· ἐκ δὲ τούτων ὁ φθόνος· ἐκ δὲ τούτου τὸ μῖσος· ἐκ δὲ τοῦ μίσους. τὸ τῆς ἐπιβουλῆς, καὶ τῆς προδοσίας, ἐκ τούτου δὲ ὁ σταυρὸς, καὶ ὅσοις σεσώσμεθα· τὰ μὲν δὴ Χριστοῦ τοιαῦτα, καὶ οὕτως ἔχοντα, ὅσον ἡμῖν ἐφικτόν· τάχα δ' ἄν τις καὶ ἄλλος εὑρεθείη λόγος τούτων ἀπορρητότερος· σοὶ δὲ τίς ἀνάγκη τοῖς ὑπὲρ σὲ ὑποδείγμασιν ἑπομένῳ κακῶς βουλεύεσθαι; ἐπεὶ καὶ ἄλλα πολλὰ τῶν τηνικαῦτα ἱστορουμένων ἑτέρως, ἢ ὡς τὰ νῦν ἔχοντα φαίνεται, καὶ οὐ συμβαίνοντα τοῖς καιροῖς.



unt,

unt, vt oſtendamus, quod quando homines hac in re diu cunctati ſunt, id contra præſcriptum & regulas fecerint eccleſiæ, & quod veteres contra iſtam cunctationem, vt rem periculoſam & hominibus chriſtianis minime dignam, vehementiſſime ſemper declamarint. Hinc licet ſpecialiora quædem occurrant exempla eorum, qui incurioſe & voluntarie ex ignorantia vel falſa perſuaſione, ſuum ipſorum, & fortaſſis etiam liberorum ſuorum, baptiſmum neglexerint; tamen horum hominum actiones non ſpectandæ ſunt, quaſi firmam & conſtantem agendi rationem & methodum in eccleſia nobis commonſtrent, quandoquidem ab illius regula & ordinaria praxi manifeſte abeunt. Eccleſia duas duntaxat baptiſmum adultorum hominum in annos plures prorogandi rationes omni tempore habuit. Harum vna erat, vt catechumenis ſatis temporis in præparationem ipſorum ad baptiſmum daretur, altera ad reuocandum eos ad pœnitentiam ſpectabat, ſi ante baptiſmum ſuum apoſtatæ facti, agnitam religionis veritatem deſeruiſſent. Vtraque vno eodemque fundata erat principio, quod eo valebat, vt homines ad ſatisdandum eccleſiæ obligarentur, velle ſe ad regulas euangelii viuere, antequam ad illius admitterentur myſteria. Et optima, quæ fieri poterat, ſatisdatio ex ante capto experimento inſtitutaque exploratione exſpectanda erat, adeoque hoc diſciplinæ genus adhibebatur, vt ipſis daretur occaſio, æqua & iuſta baptiſmi ſui dilatione propoſitum ſuſceptumque conſilium ſuum teſtificandi.

## §. VII.

*Solemnia tempora baptiſmi in eccleſia conſtituta* paſcha, pentecoſte *&* epiphania.

Qvam ob cauſſam eccleſia ſtata & ſolemnia anni tempora baptiſmo in caſibus ordinariis definiuit; data interim miniſtris ſuis hæc tempora anticipandi libertate, ſi vel catechumeni magnos profectus feciſſent, vel ſi intercedente caſu quodam repentino, vel morbo, in magnum vitæ diſcrimen eſſent adducti. Celebratiſſimum ex his conſtitutis temporibus *paſcha* erat, poſt hoc *pentecoſte*, & *epiphania*, ſiue dies, quo *CHRISTVS* baptizatus eſſe creditur. Ad hæc tria tempora manifeſto reſpicit

ſpicit GREGORIVS NAZIANZENVS [z], quando quosdam introducit, hanc prorogationis baptiſmi dantes rationem. *Μένω τὰ Φῶτα, Luminum diem*, id eſt *epiphaniam*, *exſpecto*, (veteres enim per *τὰ Φῶτα* & *lumina* non anniuerſariam luſtratæ *Mariæ* virginis diem, vulgo *Lichtmeſſ*, vt nonnulli falſo exiſtimant, ſed diem *epiphaniæ*, quo *CHRISTVS* baptizatus, & mundo manifeſtatus fuit, intelligunt,) *Paſchatis feſtum pluris facio*, *pentecoſtem exſpectabo.* Quod perſpicue indicat, haſce tres feſtivitates tunc temporis quidem maxime nota & ſolemnia baptiſmatis fuiſſe tempora. Verumtamen *paſcha* & *pentecoſte* præcipua erant. Nam interdum ſine tertio iſto memorantur, aliquando etiam cum diſerta eius interdictione. HIERONYMVS de duobus prioribus tamquam vſitatis, loquitur, de vltimo autem nihil dicit. Vaticinium *Zachariæ: Exibunt aquæ viuæ ex Hieroſolyma - - in æſtate & hieme erit*, multos ad baptiſmum [a] referre, & quod LXX. interpretes legunt, *ἐν θέρει καὶ ἐν ἔαρι*, in *æſtate* & *vere* ad duo ſolemnia baptiſmi tempora, *pentecoſten* & *paſcha* applicare dicit, quorum alterum in æſtate, alterum in vere incidebat, vbi aquæ viuentes omnibus ſitientibus diſtribuebantur. Idem hoc obſeruat in epiſtola ſua ad *Pammachium*, aduerſus errores *Ioannis Hieroſolymitani* [b] ſcripta, vbi quadraginta diuerſæ ætatis & ſexus homines *Bethlehemi* circa dies *pentecoſtes* baptizatos, alios autem competentes, qui in *paſcha* ſe ipſos baptizandos obtuliſſent, ab iſto moroſo epiſcopo reiectos eſſe, narrat. De his duobus temporibus nec vllo alio ſimiliter TERTVLLIANVS [c] loquitur, quando ait: *Diem baptiſmo ſolemniorem paſcha præſtat, quum & paſſio domini, in qua tinguimur, adimpleta eſt, nec in-*

(z) Naz. orat. XL. de bapt. p. 654. vid. ſupra ſub lit. (l).

(a) Hieron. comment. in Zachar. c. XIV, 8. Aquas viuentes multi ad baptiſmum referunt, quæ in vere & in æſtate, hoc eſt in paſcha & pentecoſte, ſitientibus largiendæ ſunt.

(b) Id. epiſt. LXI. ad Pammach. c. XVI. Nos ſcindimus eccleſiam, qui ante paucos menſes, *circa dies pentecoſtes*, cum obſcurato ſole, omnis mundus iam iamque venturum iudicem formidaret, quadraginta diuerſæ ætatis & ſexus presbyteris tuis obtulis baptizandos? - - Annon tu potius ſcindis eccleſiam, qui præcepiſti Bethlehem presbyteris tuis, ne competentibus noſtris in *paſcha* baptiſmum traderent, quos nos Dioſpolim ad confeſſorem & epiſcopum miſimus Dionyſium baptizandos.

(c) Tertull. de bapt. c. XIX.

congru-

*congruenter ad figuram interpretabitur, quod quum vltimum pascha dominus esset acturus, missis discipulis ad præparandum, Inuenietis, inquit, hominem aquam baiulantem. Paschæ celebrandæ locum de signo aquæ ostendit. Exinde PENTECOSTE ordinandis lauacris latissimum spatium est, quo & domini resurrectio inter discipulos frequentata est, & gratia spiritus sancti dedicata, & spes aduentus domini subostensa, quod tunc in cælos recuperato eo, angeli ad apostolos dixerunt sic venturum, quemadmodum & in cælos conscendit, vtique in pentecoste.* Vbi manifestum est, TERTVLLIANVM per *latissimum spatium pentecostes* non peculiarem aliquem diem, sed vniuersos quinquaginta dies inter *pascha* & *pentecoste* interiectos intelligere, qui ipsius ætate festi agebantur, quemadmodum aliis in locis [*d*] narrat. Et propterea licet VICECOMES [*e*] sugillet LVDOVICVM VIVEM, quod hoc adfirmarit, quasi nullo id fecerit auctore; HABERTVS [*f*] tamen

(*d*) Tertull. de idololatr. c. XIV. Ethnicis semel annuus dies quisque festus est: tibi octauo quoque die. excerpe singulas solemnitates nationum, & in ordinem texe, pentecosten implere non poterunt.
Id. de coron. milit. c. III. Die dominico ieiunium nefas ducimus, vel geniculis adorare. Eadem immunitate a die paschæ in pentecosten vsque gaudemus.

(*e*) Vicecom. de ritib. bapt. lib. I. c. XXV. (p. 71. edit. Mediolan. 4to) Inscriptio capitis hæc est: Cur baptismus *die sabbathi* conferretur. Caput ipsum sic incipit: Neque vero difficilis est ratio ad explicandum, cur *sabbathi die* baptismus conferretur: Si quis attentius totam rem consideret, & ipsius baptismi fructum & vtilitatem intueatur. Etenim cum sepulturæ Christi memoria sabbatho recolatur, eodem die baptismum dari ob id patres instituerunt, vt christiani abiecta omni sorde peccati, ad nouam vitam cum Christo sibi resurgendum esse, intelligerent. - - - Neque adsentior Ludouico Viui, qui in grammaticæ ludo edoctus, S. Augustini libros de ciuitate Dei exponere, parum feliciter adgressus est. Is enim nota k in cap. VIII. libr. XXII. *a paschate ad pentecosten, baptismum quotidie administrari solitum, nullo auctore adfirmat.*

(*f*) Habert. archierat. part. VIII. obseruat. IV. p. 134. Baptizandi ius episcopo reseruandum existimo, iis præsertim temporibus, quibus baptizandis, citra necessitatis vim, certa tempora destinata sunt: *Paschæ* nimirum & *pentecostes*, vel potius temporis totius paschalis, *legitimus baptismi dies* vocatur a concilio Matisconensi, vbi docet honoribus sacerdotalibus exclusos esse baptizatos alio die quam paschali, in quo episcopum solum aut neminem, nisi episcopi arbitrio baptizasse constat. Tempus paschale dixi; immerito siquidem Iosephus Vicecomes opere de baptismi ritibus, sugillat Ludouicum Viuem, quod dixerit moris fuisse, vt toto illo temporis decursu a pascha ad pentecosten baptizaretur: nullo, inquit, auctore. Sed

cx

ex hoc TERTVLLIANI loco eum defendit, & alii viri docti [*g*] idem ſentiunt. VICECOMES tempus baptizandi paſchale vnum duntaxat diem, ſabbathum magnum, ſiue pridie paſchatis, vbi ſeruator in ſepulcro poſitus quieuit, fuiſſe exiſtimat. Sed in hoc etiam fallitur. Quamquam enim hic dies catechumenorum pariter & infantium baptiſmo maxime celebris erat, vti e CHRYSOSTOMO [*h*] & auctore *conſtitutionum* [*i*] diſcimus, vniuer-

(*g*) Caue prim. chriſt. part. I. c. X. p. 248. 249. edit. German. *Nachdem die Kirchenzucht ein wenig beſſer eingerichtet war, ſo legte man die taufe auf zwey gewiſſe und geſezte termine im gantzen jahr, nemlich auf* oſtern *und* pfingſten. *Am* oſtern *geſchahe es zum gedächtniſs und zur erinnerung, daſs Chriſtus für uns geſtorben und auferſtanden wäre; mit welchem gar wohl die zwey ſtücke des chriſtlichen lebens, welche durch die taufe abgebildet und angedeutet werden, überein kommen, nemlich daſs wir der ſünden abſterben, und wieder zu einen neuen leben auferſtehen ſollen. . . Warum aber die taufe auf* pfingſten *iſt angeſtellet worden, ſcheinet zum gedächtniſs und zur erinnerung des heiligen Geiſtes, welcher damals auf die Apoſtel ausgegoſſen worden, geſchehen zu ſeyn, weil ſolches alles in der heiligen taufe gleicher geſtalt auf gewiſſe maſſe vorgeſtellt wird. Wenn ich aber geſagt habe, daſs* oſtern *und* pfingſten *die zwey gewiſſen und geſetzte termine geweſen ſeyn, daran die heilige taufe vorgegangen iſt, ſo* meine ich nicht *eben ſo præciſe und genau nur* die bloſſen oſter- und pfingſt-TAGE, *ſondern* ich ſchlieſſe *auch zugleich* das gantze ſpatium und die volle funfzig tage, von oſtern bis pfingſten gerechnet, mit ein, *ſintemal dieſe zeit durchgängig auch für heilig iſt gehalten, und in derſelben durchgehends die heilige taufe verrichtet worden.*

(*h*) Chryſoſt. epiſt. I. ad Innocent. p. 680. (p. 595. edit. Francof.) ἡμῶν αὐτὰ, καθάπερ ἔμπροσθεν εἶπον, προτεινόντων, ἀθρόον στρατιωτικὸν πλῆθος αὐτῷ τῷ μεγάλῳ σαββάτῳ, πρὸς ἑσπέραν λοιπὸν τῆς ἡμέρας ἐπιγινομένης, ταῖς ἐκκλησίαις ἐπεισελθὸν, τὸν κλῆρον ἅπαντα τὸν σὺν ἡμῖν πρὸς βίαν, ἐξέβαλον, καὶ ὅπλοις τὸ βῆμα περιεστοίχιστο· καὶ γυναῖκες τῶν ἐκκλησίων οἴκων πρὸς τὸ βάπτισμα ἀποδυσάμεναι, κατ' αὐτὸν τὸν καιρὸν γυμναὶ ἔφυγον ὑπὸ τοῦ φόβου τῆς χαλεπῆς ταύτης ἐφόδου. Quum illa, quæ dixi, prætenderemus, *ipſo magno ſabbatho* collecta manus militum, ad veſperam diei in eccleſias ingreſſa, clerum omnem, qui nobiſcum erat, vi eiecit, & armis ſanctuarium vndique obſedit. *Mulieres* quoque ſacrarum ædium, quæ per illud tempus ſe exuerant, vt *baptizarentur*, metu illius grauis incurſus nudæ aufugerunt.

(*i*) Conſtit. lib. V. c. XIX. Τὸ δὲ σάββατον μέχρις ἀλεκτοροφωνίας παρατείνοντες, ἀπονηστίζεσθε ἐπιφωσκούσης μιᾶς σαββάτων, ἥτις ἐστὶ κυριακὴ, ἀπὸ ἑσπέρας ἕως ἀλεκτοροφωνίας ἀγρυπνοῦντες, καὶ ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ συναθροιζόμενοι, γρηγορεῖτε, προσευχόμενοι καὶ δεόμενοι τοῦ Θεοῦ, ἐν τῇ διανυκτερεύσει ὑμῶν, ἀναγινώσκοντες τὸν νόμον, τοὺς προφήτας, τοὺς ψαλμοὺς, μέχρις ἀλεκτρυόνων κραυγῆς, καὶ βαπτίσαντες ὑμῶν τοὺς κατηχουμένους κ. τ. λ. *Sabbatho* vſque ad gal-


lum

ſum tamen quinquaginta dierum interuallum huic rei præſtitutum erat, & tamquam tempeſtiuitas adminiſtrando baptiſmo data habebatur. Quæ forte vera cauſſa eſt, quamobrem antiqui quidam canones nullum niſi paſchale tempus baptiſmo conceſſerint, vniuerſos quinquaginta dies a paſchate ad pentecoſten, ex ſenſu TERTVLLIANI, includens. Ita in concilio *Matiſconenſi* [*k*] huiusmodi decretum legimus: *Relatione quorumdam fratrum noſtrorum comperimus, chriſtianos non obſeruantes legitimum diem baptiſmi, pene per ſingulos dies ac natales martyrum filios ſuos baptizare, ita, vt vix duo vel tres reperiantur in ſancto PASCHA, qui per aquam & ſpiritum ſanctum regenerentur: idcirco cenſemus, vt ex hoc tempore nullus eorum permittatur talia perpetrare, præter illos, quos infirmitas nimia aut dies extremus compellit, filiis ſuis baptiſmum ſuſcipere.* Simile decretum in concilio *Antisſiodorenſi* [*l*] habetur: *Non licet abſque paſchæ ſolemnitate vllo tempore baptizare, niſi illos, quibus mors vicina eſt, quos grabatarios dicunt.* Et SOCRATES [*m*] hanc in *Theſſalia* conſuetudinem obtineri dicit, vt ſolis diebus paſchatis illic baptizent. Quæ omnia vel ita intelligenda ſunt, vt quinquaginta dies pentecoſtes includantur, vel certe ſtatuendum eſt, peculiarem hiſce eccleſiis fuiſſe conſuetudinem, a reliquarum eccleſiarum omnium conſuetudine diuerſam. In aliis enim regulis & canonibus expreſſa paſchatis & pentecoſtes habetur mentio, aliis diebus feſtis quantumuis non excluſis. Sic in concilio *Gerundenſi Hiſpaniæ* [*n*] canonem deprehendimus in hanc ſententiam: *De catechumenis baptizandis id ſtatutum eſt, vt in paſchæ ſolemnitate vel pentecoſtes, quanto maioris celebritatis maior celebritas eſt, tanto magis ad baptizandum veniant: ceteris ſolemnitatibus infirmi tantummodo debeant baptizari: quibus quocumque tempore con-*

iicinium permanentes; illuceſcente vna ſabbathorum, quæ eſt dies dominica, ieiunium ſoluite; a veſpera vſque ad galli cantum vigilantes; & in eccleſia congregati in vnum, vigiliis, orationibus & ad Deum precibus vacate, in pernoctatione veſtra, legem, prophetas, ac pſalmos legite vſque ad gallorum cantum, & *baptiſmum conferte veſtris catechumenis.*

(*k*) Concil. Matiſcon. II. can. III. (tom. V. concil. p. 981.)

(*l*) Concil. Antiſſiodor. c. XIIX. (ibid. p. 969.)

(*m*) Socrat. lib. V. c. XXII. p. 287. d. ἄλλο τὸ ἔθος ἐν Θεσσαλίᾳ εἶδον γινόμενον. ἐν ταῖς ἡμέραις τοῦ πάσχα μόνον βαπτίζουσι. Aliam conſuetudinem in Theſſalia vidi. *Solis diebus paſchæ illic baptizant.*

(*n*) Concil. Gerundenſ. c. IV. (tom. IV. concil. p. 1568.)

*venit*

*venit baptiſmum non negari.* SIRICIVS in epiſtola ad *Himerium* [o] epiſcopum *Tarraconenſem* in *Hiſpania* hac de re ita ſcribit: *A noſtris conſacerdotibus (quod commoti dicimus) non ratione auctoritatis alicuius, ſed ſola temeritate præſumitur, vt paſſim ac libere natalitiis Chriſti, ſeu apparitionis, nec non & apoſtolorum ſeu martyrum feſtiuitatibus innumeræ (vt adſeris) plebes baptiſmi myſterium conſequantur, quum hoc ſibi priuilegium, & apud nos, & apud omnes eccleſias, dominicum ſpecialiter cum pentecoſte ſua paſcha defendat, quibus ſolis per annum diebus, ad fidem confluentibus generalia baptiſmatis tradi conueuit ſacramenta, his duntaxat exceptis, qui ante quadraginta, vel eo amplius dies nomen dederint, & exorciſmis, quotidianisque orationibus atque ieiuniis fuerint expiati, quatenus apoſtolica illa impleatur præceptio, vt expurgato fermento veteri noua incipiat eſſe conſperſio. Sicut ſacram ergo paſchalem reuerentiam in nullo dicimus eſſe minuendam, ita infantibus, qui nec dum loqui potuerint, per ætatem, vel his, quibus in qualibet neceſſitate opus fuerit, ſacri vnda baptiſmatis, omni volumus celeritate ſuccurri, ne ad noſtrarum perniciem tendat animarum, ſi negato deſiderantibus fonte ſalutari, exiens vnusquiſque de ſæculo, & regnum perdat & vitam.* Tempore *Leonis* pontificis *Romani* mos in *Sicilia* inualuerat, vt baptiſmi ſacramentum numeroſius in epiphaniarum die, quam paſchali & pentecoſtali tempore celebraretur. Sed hoc ipſum *irrationabilem nouitatem* [p] vocat LEO, *Miror*, inquiens, *vos, vel praeceſſores veſtros tam irrationabilem nouitatem vſurpare potuiſſe, vt confuſo temporis vtriusque myſterio nullam eſſe differentiam crederetis inter diem, quo adoratus eſt CHRISTVS a magis, & diem, quo reſurrexit a mortuis. Unde*, (non multo poſt pergit) *quia manifeſtiſſime patet, baptizandis in eccleſia electis hac duo tempora (de quibus locuti ſumus) eſſe legitima* [q], *dilectionem veſtram monemus, vt nullos alios dies huic obſeruantiæ miſceatis.* Idem epiſcopos per *Campaniam* [r], *Samnium* & *Picenum* conſtitutos admonet in

(o) Siric. epiſt. ad Himer. c. II. (tom. II. concil. p. 1018.)

(p) Leo epiſt. II. ad epiſc. Siculos c. I. (tom. III. concil. p. 1297.)

(q) Ibid. c. V. (p. 1300.)

(r) Leo epiſt. LXXX. ad epiſc. Campan. c. I. (ibid. p. 1373.) Magna indignatione commoueor & multo dolore contriſtor, quod quosdam ex vobis comperi ita eſſe apoſtolicæ traditionis oblitos & ſtudio ſui erroris intentos, vt præter paſchæ feſtum, cui ſola pentecoſtes ſolemnitas comparatur, audeant ſibimet, non aliqua humanæ infirmitatis neceſſitate cogente, ſed ſola in-

 alia

alia quadam epistola, qua nullos, nisi graui quadam necessitate flagitante, diebus martyrum memoriæ sacris baptizandos esse statuit. Et post eum GELASIVS [s] aliud decretum ad episcopos *Lucaniæ* perscripsit, huius quidem argumenti: *Baptizandi sibi quispiam passim quocumque tempore nullam credat inesse fiduciam, præter paschale festum & pentecostes venerabile sacramentum, excepto dumtaxat grauissimi languoris incursu: in quo verendum est, ne morbi crescente periculo, sine remedio salutari fortassis ægrotans exitio præuentus abscedat.* Vt adeo in *Romana* & occidentalibus ecclesiis hæc generalis fuerit regula, Nullum adulta ætate hominem in casibus ordinariis esse baptizandum, nisi hisce duabus maioribus festiuitatibus, licet quorumdam locorum praxis a canonum præscripto aliquantum abierit. In ecclesiis Orientalibus & in *Africa* dies epiphaniæ itidem baptismi administratione celebratus fuisse videtur. Nam præterquam, quod iam ex GREGORIO NAZIANZENO adnotauimus, VALESIVS [t] ex antiquo libro rituali, quem *typicum Sabæ* vocant, hoc die infantes apud

disciplinati arbitrii libertate, ius baptismatis vindicare, & in natalibus martyrum, quorum finis aliter honorandus est quam dies dominicæ passionis, regenerationis celebrare mysteria, ac sine vllis spiritualium eruditionibus præparationum, ita rudibus & imperitis tradere sacramentum, vt circa renouandos nihil doctrina ecclesiastica, nihil in exorcismis impositio manuum, nihil ipsa ieiunia, quibus vetus homo destruitur, operentur, neque in tanto mysterio salutis humanæ vlla eius diei habeatur exceptio, quo ipsum donum est conditum renascentibus. Admonemus igitur & non sine periculo status eorum, qui hoc faciunt, protestamur, vt ab hac præsumtione cessetur, & summam hanc potentissimamque Dei gratiam non nisi in paschali & pentecostes die desiderantibus & credentibus conferatis: manente quolibet tempore grauium necessitatum ac periculorum consideratione, secundum quam oporteat subuenire, ne conditione mortali coarctata infirmitas necessaria liberatione fraudetur, cum seruata, (sicut praeloquuti sumus) duarum tantummodo festiuitatum reuerentia, propter multa pericula sit cauendum, ne cuiquam aut in desperata ægritudine, aut in hostilitatis incursu, aut in timore naufragii, per sacerdotem domini regeneratio denegetur.

(s) Gelas. epist. IX. ad episc. Lucan. c. X. (tom. IV. concil. p. 1191.)

(t) Vales. not. in Theodoret. lib. II. c. XXVII. τὴν τοῦ θείου βαπτίσματος λειτουργίαν] Hunc locum de baptismi sacramento intellexerunt interpretes. Ego vero de festo epiphaniorum die malim intelligere, quo Christus in Iordane est baptizatus. Hunc enim diem præcipuo honore colebant Hierosolymitani, eo quod apud ipsos Christus tinctus fuisset: Eoque die infantes baptizari apud illos solebant, vt legere memini in typico monasterii sancti Sabæ, vbi etiam officium illius diei refertur.

Hiero-

*Hierosolymitanos* baptizari solitos fuisse, obseruauit. Et IOANNES MOSCHVS [*u*] eumdem morem in aliis Orientis partibus obtinuisse narrat. VICTOR VTICENSIS [*x*] perspicue innuit, fuisse hoc solemne tempus baptizandi *Carthagine* & in ecclesiis *Africanis*. Quamquam enim epiphaniam haud nominat, facile tamen colligere possumus, fuisse vel illum diem, vel natalitium *CHRISTI*; dicit enim, fuisse paullo ante luctuosum illum diem, quo persecutionis *Vandalicæ* tempore, *Arianorum* instigante furore, episcopi *Africani* in exilium eiecti sint, & ecclesia desolata.

§. VIII.

*Quibusdam in locis dies festi apostolorum & martyrum, & anniversarii dies dedicationum ecclesiarum etiam obtinuerunt.*

MORIS quoque erat in quibusdam ecclesiis anniuersarium diem dedicationis ecclesiæ solemne baptizandi tempus constituere. *Hierosolymis* ita obtinuisse, postquam *Constantinus* celebrem illam ecclesiam in *Caluariæ* loco super sepulchrum seruatoris ædificauit, dictam *Anastasin*, auctor est SOZOMENVS [*y*]. *Ex eo tempore*, inquit, *solemnem quotannis festiuitatem admodum splendide Hierosolymitana celebrat ecclesia; adeo, vt BAPTISMI quoque SACRAMENTA EO DIE TRADANTVR, & per continuos septem dies*

(*u*) Mosch. prat. spirit. c. CCXIV. Soruba vicus quidam est ad radices montis, in quo sita est Cœauensium ciuitas: In eo *baptisterium* est, quod in *sanctis epiphaniis* sudat, qui sudor per tres horas continuis incrementis augetur, & post baptisma per actum decrescere incipit, & tribus aliis horis sensim deficit.

(*x*) Victor de persecut. Vandal. lib. II. bibliothec. patr. tom. VII. p. 603. (p. 1908. d. edit. MDLXXXIX.) - - quia iam tempus vrgebat, pergit cum eo comitante officio clericorum *ad fontem*. Vbi fixis genibus cum ingenti gemitu, pulsans singultibus cælum, crispantem benedixit *alueum fontis* & cum completa surrexit oratione, ita cæco respondit: Iam tibi dixi frater Felix, peccator homo ego sum, sed qui te visitare dignatus est, præstet tibi secundum fidem tuam & aperiat oculos tuos, simulque vexillo crucis consignante oculos eius, statim cæcus visum, domino reddente, recepit. Quem secum, quousque vniuersi *baptizarentur*, ibi detinuit ob hoc, ne tanto miraculo populus excitatus, virum contereret, qui receperat lumen. - - *Appropinquabat* iam futurus dies ille calumniosus *kalendarum Februariarum*, ob eodem statutus.

(*y*) Sozom. lib. II. c. XXVI. ἐξ ἐκείνου δὲ ἐτήσιον ταύτην ἑορτὴν λαμπρῶς μάλα ἄγει ἡ τῶν Ἱεροσολύμων ἐκκλησία· ὡς καὶ μυήσεις ἐν αὐτῇ τελεῖσθαι καὶ ὀκτὼ ἡμέρας ἐφεξῆς ἐκκλησιάζειν· συνιέναι τε πολλοὺς σχεδὸν ἐκ πάσης τῆς ὑφ' ἥλιον, οἳ

*collectæ fiant; multique ex omni fere terrarum orbe conueniant, qui huius festiuitatis tempore ad sacra loca perlustranda vndique occurrunt.* VALESIVS [z] ex diuersis auctoribus, *chronico Alexandrino*, NICEPHORO, *menologio Græcorum*, & *typico Sabæ* probare adlaborat, huius ecclesiæ encænia XIII. die Septembris fuisse celebrata; ne quis hoc tempus in festiuitatem paschalem & pentecostalem, alia solemniora baptismi tempora, simul incidere existimet. Num eadem consuetudo in vllis aliis ecclesiis obtinuerit, ignoratur; neque vero coniectura improbabilis est, eam obtinuisse, quod ecclesia *Hierosolymitana* aliis exemplo esse, & nonnumquam omnium ecclesiarum mater vocari solebat. Mos baptizandi in diebus apostolorum & martyrum memoriæ sacris, in multis per *Galliam* & *Hispaniam* ecclesiis videtur inualuisse. Verum hic multis in canonibus damnatus fuit & prohibitus, adeoque vt antiqua consuetudo spectari nequit, eo quod potius præscriptarum regularum ecclesiæ esset violatio, quæ hoc in casu sine vllo detrimento obseruari poterant, quando baptismum quouis tempore conferendi libertas, vrgente subita quadam necessitate, indulta fuit.

## § IX.

### *Nulla istiusmodi stata tempora apostolorum ætate.*

EQVIDEM in prima euangelii per orbem terrarum adnuntiatione nuspiam homines ad obseruandum stata baptismi tempora fuerunt obligati, quia apostoli nullam hac de re legem præscripserunt. Ipsimet quouis tempore, vt res & occasio se dabat, indiscriminatim baptizabant, hanc circumstantiam iudicio & prudentiæ successorum suorum in ecclesia, vt ex ratione & pietatis ductu agerent, in totum relinquentes. Hoc ipsum ex *actis apostolorum*, & subsequutæ historiæ ecclesiasticæ monumentis, sibi inuicem comparatis, sat luculenter patet. *Commentariorum in epistolas Paulinas* auctor, qui sub nomine scripsit AMBROSII, hanc differentiam in disciplina ecclesiastica pri-

καθ' ἱστορίαν τῶν ἱερῶν τόπων, πάντοθεν συνδρέχουσι κατὰ τὸν καιρὸν ταύτης τῆς πανηγύρεως

(z) Vales. dissert. de Anastas. & martyrio Hierosolym. ad calcem Eusebii p. 306. (p. m. 17.) Encænia ecclesiæ sanctæ resurrectionis XIII. die Septembris quotannis celebrantur, vt legitur in menologio Græcorum & in typico sancti Sabæ XIII. die Septembris, τὰ ἐγκαίνια τῆς ἁγίας χριστοῦ ἀναστάσεως.

orum

orum & ſequentium temporum probe notauit. *Primum*, inquit [a], *omnes docebant, & omnes baptizabant, quibuscumque diebus vel temporibus fuiſſet occaſio. Nec enim Philippus quæſiuit aut diem, quo eunuchum baptizaret; neque ieiunium interpoſuit. Neque Paulus & Silas tempus diſtulerunt, quo optionem carceris baptizarent cum omnibus eius. Neque Petrus diaconos habuit, aut diem quæſiuit, quando Cornelium cum omni domo eius baptizauit. - - At vbi omnia loca circumplexa eſt eccleſia, conuenticula conſtituta ſunt, & rectores, & cetera officia in eccleſia ordinata ſunt. Hinc ergo eſt, vnde nunc neque diaconi in populo prædicant, neque clerici vel laici baptizant; neque quocumque die credentes tinguntur, niſi ægri.* Id, quod differentiam hac in re videtur feciſſe, diſcrimen erat inter feruidum & promtum ſtudium primorum conuerſorum, & eorum, qui poſtea acceſſerunt. Nam eccleſia progreſſu temporis cum candidatis baptiſmi, cum propter ruditatem & negligentiam eorum, tum ideo, quod frequenter in priſtinas noxas relaberentur, paullo lentius cautiusque in inſtitutione ac exploratione agendum eſſe iudicabat. Atque hoc modo factum, vt in quibusdam frequentioribus ciuitatibus ſæpenumero ingens hominum multitudo ſimul baptizaretur. Sic PALLADIVS in vita CHRYSOSTOMI [b] obſeruat, quod *Conſtantinopoli* tria millia hominum in maiori quadam feſtiuitate baptiſmum vna ſuſceperint. Et hæc ratio fuit, cur diaconi in vrbe *Roma*, quibus alioquin nulla prorſus occaſione, ne ipſo quidem infirmitatis tempore, baptizare licuit, diebus feſtis paſchalibus, ad hoc faciendum fuerint admiſſi; quia videlicet ingens populi multitudo ad recipiendum baptiſmum eo tempore confluebat, quemadmodum ex aliquo canone concilii cuiusdam *Romani* alibi [c] oſtendimus.

---

(a) Ambroſ. comment. in Epheſ. IV.

(b) Pallad. vit. Chryſoſtom. c. IX. (p. 86. edit. Pariſ. MDCLXXX.) *τῇ ἐπαύριον ἐξελθὼν ὁ βασιλεὺς, τοῦ γυμνασθῆναι ἐν τῷ παρακειμένῳ πεδίῳ, εἶδεν τὸν ἄσπορον γῆν, τὴν περὶ τὸ Πέμπτον, λευχειμονοῦσαν· καὶ ἐκπλαγεὶς ἐπὶ τῇ θέᾳ τοῦ ἄνθους τῶν νεοφωτίστων· ἦσαν γὰρ ἀμφὶ τοὺς τρισχιλίους· ἤρετο παρὰ τῶν δορυφόρων τίς ἡ λογὰς τῶν ἐκεῖ συνηθροισμένων.* Die ſequenti egreſſus imperator, vt ſeſe exerceret in vicino campo, vidit agrum circa Pemptum, ſeu Quintum, non conſitum & candentem, & ſtupefactus adſpectu celeris *nuper baptizatorum*, [*erant enim ad tria ferme millia*] ſatellites rogat, quinam eſſet illic congregatorum cœtus.

(c) Scholaſt. *hiſt. of Lay-Baptiſm*, chap. I. p. 19.

§. X.

## §. X.

### *Quatenus istæ regulæ subsequutis temporibus obligarint.*

VERVMTAMEN quando istæ regulæ strictissime obseruabantur, erant nihilosecius diuersi casus, in quibus eas migrari, hominesque earum obligatione solui, consultum esse videbatur. Infirmitas & extrema quædam necessitas iustam dabant exceptionem, vti iam ante vidimus, in omnibus ecclesiæ vniuersalis canonibus. Quorumdam etiam catechumenorum docilitas & proficiendi studium, quo alios sui ordinis antecellebant, maturius baptismi priuilegium illis conciliabat, si quidem eius desiderium testarentur, neque solemnius aliquod tempus exspectare necessum habebant, præsertim in ecclesiis Orientalibus; quemadmodum ex CHRYSOSTOMI & BASILII adhortationibus colligi potest, quibus eos, quos ad baptismum digne præparatos norant, ad illum prima quaque opportunitate, sine vlla maioris cuiusdam solemnitatis exspectatione, suscipiendum invitabant. *Tempus opportunum*, inquit CHRYSOSTOMVS [*d*], *exspectas quadragesimæ. Qua gratia? Numquid enim amplius habet illud tempus? Ipsi apostoli non in pascha donati sunt hac gratia, sed alio tempore. Pr.terea quum baptizarentur tria millia & quinque millia, non erat paschæ tempus. Similiter, quum baptizaretur Cornelius & eunuchus aliique complures. Proinde, ne tempus exspectemus, ne quando fiat, vt dum cunctamur & procrastinamus, discedamus hinc inanes vacuique tantis bonis.* BASILIVS [*e*] ait: *Tempus aliud aliis accommodatum, somni proprium, aliud vigiliæ, belli item & pacis: baptismi vero tempus vita homini tota. - - Tempus aliud alii opportunum negotio, ad baptismi vero salutem quodlibet tempus accommodum est, siue dies sit, siue nox, siue hora, seu qualecumque temporis momentum etiam minutissimum.*

---

(*d*) Chrysostom. hom. I. in act. tom. IV. p. 611. edit. Seuil. (tom. III. p. 16. edit. Francof.) ἀλλὰ τὸν καιρὸν ἀναμένεις τῆς τεσσαρακοστῆς; τίνος ἕνεκεν; μὴ γὰρ ἔχει τι πλέον ἐκεῖνος ὁ καιρός; οἱ γοῦν ἀπόστολοι οὐκ ἐν τῷ πάσχα κατηξιώθησαν τῆς χάριτος, ἀλλ' ἐν ἑτέρῳ καιρῷ. καὶ οἱ τρισχίλιοι, καὶ οἱ πεντακισχίλιοι ὅτε ἐβαπτίσθησαν, πάσχα οὐκ ἦν καιρός· καὶ ὁ Κορνήλιος, καὶ ὁ εὐνοῦχος, καὶ ἕτεροι πλείους· μὴ τοίνυν καιρὸν ἀναμένωμεν, μήποτε μέλλοντες καὶ ἀναβαλλόμενοι ἀπέλθωμεν κενοὶ καὶ ἔρημοι τοσούτων ἀγαθῶν.

(*e*) Basil. exhortat. ad bapt. hom. XIII. tom. I. p. 409. a. b. καιρὸς μὲν οὖν ἄλλοις ἄλλος ἐπιτήδειος· ἴδιος ὕπνου, καὶ ἴδιος ἐγρηγόρσεως· ἴδιος πολέμου, καὶ ἴδιος εἰρήνης· καιρὸς δὲ βαπτίσματος ἅπας ὁ τῶν ἀνθρώπων βίος· - - πᾶς οὖν χρόνος εὐκαιρίαν ἔχει πρὸς τὴν διὰ τοῦ βαπτίσματος σωτηρίαν, κἂν νύκτα εἴπῃς, κἂν ἡμέραν, κἂν ὥραν, κἂν στιγμὴν χρόνου, κἂν τὸ βραχύτατον.

Et

Et NAZIANZENVS [*f*] cauſſis reſpondens, quas homines dilationi baptiſmi prætexebant, dicentes: *Luminum diem exſpecto: paſchatis feſtum pluris facio: pentecoſten exſpectabo;* perſpicue docet, ſibi melius videri & conſultius, vt homines baptiſmum non prorogent, ad eum recipiendum digne præparati, ne forte veniat repente vitæ finis in die, quam non exſpectent, & in hora, quam ignorent. Atque hoc intuitu vera ſunt, quæ TERTVLLIANVS [*g*] ſub finem ſermonis ſui hac de re ait: *Omnis dies domini eſt, omnis hora, omne tempus habile baptiſmo: ſi de ſolemnitate intereſt, de gratia nihil refert.* Vt adeo iſta ſolemnia tempora ex ſcitis rationibus ab eccleſia fuerint præſtituta, & ex æque idoneis rationibus negligi potuerint, ſi vel grauior corporis infirmitas, vel quorumdam proficientium ſtudium & celeritas ſolemnia baptiſmi tempora anticipare ſuaderet, quæ, vt reliquæ partes diſciplinæ omnes ad ædificationem, non ad deſtructionem, ſpectabant.

## §. XI.

### *Baptiſmus ad nullum certum locum adſtrictus apoſtolorum temporibus.*

SIMILIS obſeruatio de loco baptiſmi fieri poteſt: hîc enim pro ſtatu ac rebus eccleſiæ itidem variabat. Apoſtolorum ætate & aliquanto poſt, antequam eccleſiæ & baptiſteria generatim eſſent erecta, quocumque loco baptizabant, prout ad eam rem erat occaſio. Sic *Ioannes* baptizabat in *Iordane*, *Philippus* eunuchum in *ſolitudine* baptizabat, *Paulus* carceris cuſtodem *domi ſuæ*. Ita TERTVLLIANVS *Petrum* [*h*] in *Tiberi* conuerſos ſuos tinxiſſe dicit, vt *Ioannes* in *Iordane* fecerit, nullamque diſtinctionem eſſe adfirmat, mari quis an ſtagno, flumine an fonte, lacu an alueo diluatur, omnes enim aquas de priſtina ordinis prærogatiua ſacramentum ſanctificationis conſequi, inuocato Deo. Superuenire enim ſtatim ſpiritum de cælis & aquis ſupereſſe, ſanctificantem eas de ſemetipſo, & ita ſanctificatas vim ſanctificandi combibere. In hunc modum auctor *recognitionum* ſub nomine CLEMENTIS ROMANI [*i*] *Pe-*

(*f*) Nazianz. orat. XL. de bapt. p. 654. Vid. ſupra §.V. not. (l, pag. 241.

(*g*) Tertull. de bapt. c. XIX.

(*h*) Tertull. de bapt. c. IV.

(*i*) Clem. recognit. lib. IV. c. XXXII. Vt in præſenti quidem tempore diluantur

*trum* apoſtolum repræſentat populo prædicantem & dicentem, peccata ipſorum dilui poſſe per aquam fontis aut fluminis, aut aliam maris, ſi inuocato ſuper ſe ſacroſanctæ TRINITATIS nomine baptizentur. Suum quoque ipſius & aliorum quorumdam baptiſmum, vt a *Petro* in certis fontibus [*k*] *Syriæ* mari contiguis datum deſcribit. Et hoc ad ætatem vsque *Iuſtini Martyris* & *Tertulliani* videtur durauiſſe. TERTVLLIANVS [*l*] enim de adeuntibus aquas, ibique non minus, quam aliquanto prius in eccleſia renuntiantibus diabolo loquitur. Et IVSTINVS MARTYR [*m*] huius negotii deſcribens cærimoniam, baptizandum eo adduci dicit, vbi aqua ſit, atque eo regenerationis modo, quo reliqui chriſtiani regenerati ſint, regenerari.

§. XII.

*Sequentibus temporibus ad eccleſiæ baptiſteria adſtrictus.*

VERVM poſterioribus temporibus baptiſteria ædificata ſunt eccleſiis contigua, & regulæ datæ, vt baptiſmus ordinarie non niſi in illis conferretur. IVSTINIANVS in nouella quadam ſua [*n*] priſcis ſancitum eſſe dicit legibus, nulli penitus eſſe li-

peccata veſtra per aquam fontis aut fluminis, aut etiam maris, inuocata ſuper vos trino beatitudinis nomine.

Clementin. hom. IX. n. XIX. *ἐν δὲ τῷ παρόντι ἀενάῳ ποταμῷ, ἢ πηγῇ, ἐπείγε καὶ θαλάσσῃ ἀπολουσάμενοι ἐπὶ τῇ τρισμακαρίᾳ ἐπονομασίᾳ, ὐ μόνον τὰ ἐνδομυχοῦντα ὑμῖν πνεύματα ἀπελάσαι δυνήσεσθε, ἀλλὰ κ. τ. λ.* In præſenti, perenni *flumine*, vel *fonte*, aut etiam *mari* loti in ter beata inuocatione; non ſolum latitantes in vobis ſpiritus poteritis expellere, ſed, cetera.

(*k*) Clem. recognit. lib. VI. n. XV. *In fontibus, qui contigui habentur mari, perennis aquæ mihi baptiſmum dedit.* Cumque pro regenerationis gratia diuinitus mihi collata, feriati cum fratribus & læti eſſemus; Petrus eos, qui ad præcedendum fuerant ordinati, proficiſci Antiochiam iubet, atque ibi tres alios exſpectare menſes: quibus profectis, ipſe eos, qui fidem domini plene receperant, deducens ad *fontes*, quos *mari contiguos* ſupra diximus, *baptizauit*.

(*l*) Tertull. de coron. c. III. Aquam adituri, ibidem, ſed & aliquanto prius in eccleſia ſub antiſtitis manu conteſtamur, nos renuntiare diabolo, cetera.

(*m*) Iuſtin. apol. II. p. 93. *ἔπειτα ἄγονται ὑφ' ἡμῶν ἔνθα ὕδωρ ἐστὶ, καὶ τρόπον ἀναγεννήσεως, ὃν καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ ἀνεγεννήθημεν, ἀναγεννῶνται.*

(*n*) Iuſtinian. nouel. LVIII. *καὶ τοῖς πάλαι διηγόρευται νόμοις, ὥστε μηδενὶ παντελῶς εἶναι παρρησίαν οἴκοι τὰ ἱερώτατα πράττειν· – ἀλλ' εἰ μὲν οἴκους οὕτως ἁπλῶς τινὲς ἔχειν οἴονται δεῖν ἐν τοῖς ἑαυτῶν ἱεροῖς, εὐχῆς δὲ καὶ μόνης χάριν, καὶ οὐδενὸς πραττομένου παντελῶς τῶν, ὅσα τῆς ἱερᾶς καθέστηκε λειτουργίας, τοῦτο αὐτοῖς ἐφίεμεν.* Pri-

centi.

centiam, domi, quæ ſacratiſſima ſint, agere. Poſſe quidem aliquos in domibus ſuis habere priuata oratoria, precationis videlicet gratia, baptiſmum autem vel euchariſtiam in illis administrare, eis non permitti, niſi ſpeciali epiſcopi loci venia. Iſtiusmodi baptiſmata frequenter in antiquis conciliis, ſub appellatione παραβαπτισμάτων improbantur. Exempli cauſſa, in concilio *Conſtantinopolitano* ſub *Menna*, [o] *Zoaras* monachus incuſatur, quod, quamquam imperator baptiſmata priuatim fieri edicto interdixerit, ille tamen, tali interdicto contemto, in privatis ædibus parabaptizauerit in die paſchatis non paucos. Edictum, ad quod ſynodus reſpicit, alia *Iuſtiniani* nouella [p] erat, contra *Seuerum* eiusque ſectatores facta, qui eccleſia eiecti in privatis ædibus agebant conuentus, accedentes recipiebant, parabaptizabant, illisque euchariſtiam diſtribuebant. Quod *parabaptiſmatum* genus illic damnatur. Ita quoque in libello monachorum, *Mennæ* & reliquis iſtius concilii patribus exhibito, iſtæ baptiſmatis & euchariſtiæ adminiſtrationes in priuatis domibus dicuntur altaria & baptiſteria erecta [q] in oppoſitum veri altaris & ſancti fontis ſeu lauacri eccleſiæ: quo nomine frequenter in iſtius concilii actionibus [r] reiiciuntur. Et in concilio

ſcis ſancitum eſt legibus, nulli penitus eſſe licentiam, domi quæ ſacratiſſima ſunt agere. - - Sed ſi quidem domos ita ſimpliciter aliqui habere putant oportere in ſacris ſuis, orationis videlicet ſolius gratia, & nullo celebrando penitus horum, quæ ſacri ſunt myſterii, hoc eis permittimus.

(o) Concil. Conſtant. ſub Menna act. I. p. 70. edit. Crab. (p. 25. c. d. tom. V. conc. edit. Labb.) Καίπερ τοῦ εὐσεβεστάτου ἡμῶν βασιλέως κελεύσαντος, μήτε προχωνιάξαι, μήτε παραβαπτίσαι, Ζωορᾶς ὅμως γοῦν τῆς τοιαύτης καταφρονήσας κελεύσεως κατεβάπτισεν ἐν τῇ τοῦ πάσχα ἡμέρᾳ οὐκ ὀλίγους.

(p) Iuſtin. nouel. XLII. c. III. Θεσπίζομεν ἕκαστον τῶν τοιούτων τὴν ἡσυχίαν ἄγειν, καὶ μήτε συγκαλεῖν εἰς ἑαυτόν τινας, μήτε προσιόντας δέχεσθαι, ἢ παραβαπτίζειν θαῤῥεῖν, ἢ τὴν ἱερὰν κοινωνίαν ῥυπαίνειν, καὶ ταύτης μεταδιδόναι τισίν. Sancimus, quemlibet talium ſilentium ducere & non conuocare aliquos ad ſe, neque accedentes recipere, aut *parabaptizare* audere, aut ſacram communionem ſordidare & ipſam aliquibus tradere.

(q) Libel. monachor. in act. I. conc. ſub Menna ap. Crab. tom. II. p. 25. (p. 24. edit. Labb. d.) ἐν αὐτοῖς τοῖς ἰδιωτικοῖς οἴκοις, καὶ ἐν προαστείοις θυσιαστήρια καὶ βαπτιστήρια ἀντεγείροντες τῷ ἀληθινῷ θυσιαστηρίῳ καὶ τῇ ἁγίᾳ κολυμβήθρᾳ.

(r) Epiſt. monachor. II. Syric. in act. I. ibid. p. 67. (p. 41. edit. Labb.) καταπατοῦντος τὴν κρατοῦσαν ἐκκλησιαστικὴν εὐκοσμίαν τε καὶ κατάστασιν, ἐκ τῶν καθ' ἡμέραν παρασυνάξεων καὶ παραβαπτισμάτων ὑπ' αὐτοῦ τολμωμένων. Peſſun-

*Trullano* decretum illud his verbis renouatum legimus: [s] *In æde oratoria, quæ est intra domum, baptismus ne paragatur: sed qui illuminatione ab omnibus sordibus aliena digni habendi sunt, ad catholicas ecclesias accedant, & hoc illic munere perfruantur. Si quis autem, quæ a nobis constituta sunt, non seruare conuictus fuerit, si sit quidem clericus, deponatur: si autem laicus, segregetur.*

## §. XIII.

*Excepto, si qua intercessisset infirmitas, vel episcopus, singulari quadam adductus necessitate, veniam in contrarium dedisset.*

Iam vero omnes istæ leges ac regulæ ad decentiam & bonum ordinem in ecclesia conseruandum spectabant, vt baptismus præsente vniuersa ecclesia, cuius membra homines illum recipientes tum efficiebantur, perageretur, & omnes illic congregati eorum admissionem spectare possent & testari. Qua de caussa minus consultum erat permittere, vt hoc vel in hæreticorum conuenticulis, vel in ædibus priuatis fieret. Verum tamen in necessitatis, infirmitatis, incarcerationis, profectionis & similibus casibus istæ regulæ obligare non poterant; nam ordinariis duntaxat præscriptæ erant casibus. Hinc sæpius de martyribus in custodia baptizatis, de clinicis, vt vocabantur, qui in lecto & ægroti baptismum receperint, aliisque in itinere maritimo vel terrestri baptizatis, relatum legimus, qui hanc ecclesiæ regulam migrasse non iudicabantur, quia necessitas baptismum eorum legitimum reddebat. Interdum etiam baptismum in priuatis oratoriis de episcopi sententia administrari, licitum erat, quemadmodum tum lex IVSTINIANI tum canones ecclesiastici in quibusdam locis decreuerunt. Nam concilium *Agathense* [t] in *Gallia* sacram communionem in oratoriis ru-

dat ecclesiasticum ornatum atque statum per conuenticula & *falsa baptismata*

(s) Concil. Trullan. can. LIX. (tom. VI. concil. p. 1170.) Μηδαμῶς ἐν εὐκτηρίῳ οἴκῳ ἔνδον οἰκίας τυγχάνοντι βάπτισμα ἐπιτελείσθω· ἀλλ᾽ οἱ μέλλοντες ἀξιοῦσθαι τοῦ ἀχράντου φωτίσματος, ταῖς καθολικαῖς προσερχέσθωσαν ἐκκλησίαις, κἀκεῖσε τῆς δωρεᾶς ταύτης ἀπολαυέτωσαν· εἰ δέ τις ἁλῷ τὰ παρ᾽ ἡμῶν ὁρισθέντα μὴ φυλάττων, εἰ μὲν κληρικὸς εἴη, καθαιρείσθω· εἰ δὲ λαϊκὸς, ἀφοριζέσθω.

(t) Concil. Agath. c. XXI. Si quis etiam extra parochias, in quibus legitimus est ordinariusque conuentus, oratorium in agro habuerit, reliquis festiuita-

sticanis quouis tempore, maioribus festiuitatibus non exceptis, celebrari, si episcopi venia id fiat, permittit: adeoque rationi congruum est statuere, quod, vbi eucharistia permissa fuit, baptismus quoque potuerit administrari, etiamsi non proprie parochiales fuerint vel baptismales ecclesiæ. Concilium *Illiberitanum* [u] in *Hispania* de diaconis loquitur, regentibus plebem & baptizantibus in locis, vbi nec episcopus nec presbyter fuerit, quæ loca villas fuisse ab ecclesia matrice aliquantum seiunctas, fas est, statuamus, in quibus tamen commoditatis gratia baptismus opera diaconi administrari potuit. Sicut & HIERONYMVS [x] testatur, quando homines in viculis & castellis, & remotioribus ab ecclesia episcopi locis, per presbyteros & diaconos baptizari dicit. Vt adeo, licet ecclesia episcopi ordinarius baptismatis locus esset, (vti ipsemet præcipuus eius minister erat, publicumque baptisterium ipsius solum ecclesiæ adiacebat;) ex idoneis tamen rationibus, ipso mandante & permittente, baptismus in aliis locis, iis præsertim, quæ quædam essent ecclesiæ secundariæ, administrari potuerit. De cuiusmodi ecclesiis earumque diuersis distinctionibus ab ecclesia matrice seu episcopali diximus sigillatim, quando de ecclesiis ex instituto loquuti sumus.

# *LIBRI VNDECIMI*

## *CAPVT SEPTIMVM*

## DE ABRENVNTIATIONE ET PROFESSIONE, AB OMNIBVS PROXIME ANTE BAPTISMVM FACTA.

### §. I.

*Tria ab omnibus iam iam baptizandis requisita.* Primum *erat abrenuntiatio diaboli.*

tibus vt ibi missas teneat propter fatigationem familiæ, iusta ordinatione permittimus.

(u) Concil. Illiberrit. can. LXXVII. Si quis diaconus regens plebem sine episcopo vel presbytero aliquos baptizauerit, episcopus eos per benedictionem perficere debebit.

(x) Hieron. dial. cum Lucifer. c. IV. Si ad episcopi tantum imprecationem spiritus sanctus defluit: lugendi sunt, qui in viculis, aut castellis, aut in remotioribus locis per presbyteros & diaconos baptizati ante dormierunt, quam ab episcopis inuiserentur.

QVANDO catechumenos ad baptiſmi vsque locum, hoc eſt eccleſiæ baptiſterium, perduximus; conſiderandum nunc nobis eſt, quemadmodum ex diſciplina eccleſiæ cum illis proxime ante baptiſmum actum fuerit. Et heic primo loco obſeruandum eſt, tria ab ipſis eo temporis momento neceſſario & abſolute fuiſſe requiſita, videlicet formalem & ſolemnem abrenuntiationem diaboli, profeſſionem fidei ſecundum verba recepti cuiusdam ſymboli, & ſponſionem ſeu ſtipulationem, ſub *CHRISTO* ſeſe obedienter ac fideliter futuros, ſiue ad chriſtianæ religionis leges ac regulas ſe compoſituros. Quamquam enim iſta iam ante, durante inſtitutionis tempore, ab ipſis quodam modo requirebantur, nunc tamen ſolemniorem & magis publicam eorum profeſſionem facere coram concione debebant. Ad duplicem hanc profeſſionem TERTVLLIANVS [a] videtur reſpicere, quando ait: *Aquam* (baptiſmum recipiendi gratia) *adituri, ibidem, ſed & aliquanto prius in eccleſia, ſub antiſtitis manu conteſtamur, nos renuntiare diabolo & pompæ & angelis eius.*

## §. II.

### *Formula huius abrenuntiationis eiusque ſenſus.*

ABRENVNTIATIONIS huius formulam ab auctore *conſtitutionum* perfectius traditam habemus his verbis: *Renuntio Satanæ, & operibus eius, & pompis eius* [b], *& cultibus eius, & angelis eius, & inuentis eius, ac omnibus, quæ ſub eo ſunt.* Nonnulli rem magis circumſcripte breuiusque exprimunt, vti CYPRIANVS [c], qui id vocat renuntiare ſæculo, & interdum diabolum & ſæculum coniungit, vt quum de lapſis quemdam, qui ad ſacrificandum in capitolio iuerat, rogat: *Stare* [d] *illic potuit Dei ſeruus, & loqui & renuntiare CHRISTO, qui iam diabolo renuntiarat & ſæculo?* Atque ita in AMBROSIO [e] habemus: *Ingreſſus es regenerationis ſacrarium, repete, quid interrogatus ſis; recognoſce, quid*

(a) Tertull. de coron. milit. c. III.

(b) Conſtit. apoſt. lib. VII. c. XLI. Ἀποτάσσομαι τῷ σατανᾷ, καὶ τοῖς ἔργοις αὐτοῦ καὶ ταῖς πομπαῖς αὐτοῦ, καὶ ταῖς λατρείαις αὐτοῦ, καὶ πᾶσι τοῖς ὑπ' αὐτόν.

(c) Cypr. epiſt. VII. al. XIII. ad Rogatian. p. 37. (p. 190. edit. Fell. Amſtelod. MDCC.) Sæculo renuntiaueramus, quum baptizati ſumus.

(d) Cypr. de lapſis p. 125. (p. 89. edit. cit.)

(e) Ambroſ. de initiatis c. II.

reſpon-

*respondertis. Renuntiasti diabolo & operibus eius, mundo & luxuriæ eius ac voluptatibus.* HIERONYMVS [*f*] similiter diabolum & mundum coniungit. *Renuntio tibi, diabole, & pompæ tuæ & vitiis tuis, & mundo tuo, qui in maligno positus est.* Aliquando etiam spectacula diserte in hac renuntiandi formula memorantur, vti in illa SALVIANI: *Abrenuntio diabolo, pompis, spectaculis & operibus eius.* Christianos enim, *Romanorum* ludos spectandi sibi sumentes libertatem, hunc in modum adloquitur: [*g*] *Quæ est in baptismo salutari christianorum prima confessio? Qua scilicet, nisi vt renuntiare se diabolo cum pompis eius atque spectaculis, & operibus protestentur? Ergo spectacula & pompæ, etiam iuxta nostram professionem, opera sunt diaboli. Quomodo, o! christiane, spectacula post baptismum sequeris, quæ opus esse diaboli confiteris? Renuntiasti semel diabolo & spectaculis eius, ac per hoc necesse est, prudens & sciens, dum ad spectacula remeas, ad diabolum te redire cognoscas. Vtrique enim rei simul renuntiasti, & vnum vtrumque esse dixisti. Si ad vnum reuerteris, ad vtrumque remeasti.* TERTVLLIANVS eodem argumento vtitur, vt christianos a *Romanis* spectaculis retineat. *Quum aquam ingressi*, inquiens, *christianam fidem in legis suæ verba profitemur, renuntiasse nos diabolo & pompæ & angelis eius, ore nostro contestamur.* Ad eorum autem turpitudinem eo magis detegendam idololatriæ etiam illa incusat. Ait enim [*h*]: *Quid erit summum ac præcipuum, in quo diabolus & pompæ & angeli eius censeantur, quam idololatria? - - Igitur si ex idololatria vniuersam spectaculorum paraturam constare constiterit, indubitate præiudicatum erit, etiam ad spectacula pertinere renuntiationis nostræ testimonium in lauacro, quæ diabolo & pompæ & angelis eius sint mancipata scilicet per idololatriam.* Ad eumdem modum contra omnia ista officia & honores sæculares [*i*] argumentatur, quibus fungi nemo poterat, quin in superstitiosorum rituum & cærimoniarum partem veniret; cuiusmodi

(*f*) Hieron. com. in Matth. XXV, 26.

(*g*) Saluian. de prouident. lib. VI. p. 197. (pag. 208. edit. Rittersh. Norbergæ MDCXXIII.) Vid. Cyrill. catech. myst. I. n. IV. cit. sub litt. (l) pag. seq.

(*h*) Tertull. de spectac. c. IV.

(*i*) Tertull. de coron. milit. c. XIII. Hæ erant pompæ diaboli & angelorum eius, officia sæculi, honores, solemnitates postulatrices, falsa vota, humana seruitia, laudes vanæ, gloriæ turpes: & in omnibus istis idololatria, in solo quoque censu coronarum, quibus omnia ista redimita sunt.

erant

erant officia flaminum & multa alia ; vbi qui coronam siue sertum floreum gestabant, vel ludos quosdam publicos exhibebant populo, quod facere istiusmodi officiorum ratio exigebat, idololatriæ crimine se obstringebant, etiamsi a crassiori actu, offerendi incensa & sacrificia idolis, se abstinerent. Atque ita concilium *Illiberritanum* [*k*] flamines, qui publicos ludos populo exhibuerint (quod *munus dare* vocat) etiamsi a sacrificiis abstinuerint, per omnem vitam ecclesia eiici, & non nisi morti iam vicinos ad ecclesiæ communionem admitti iubet. Vnde planum est & perspicuum, superstitiosæ gentilitatis temporibus omnia ista officia & munera, quæ homines ad exhibendos populo ludos publicos & spectacula obligarint, renuntiationi in pompas & opera diaboli fuisse inclusa, eo quod idololatriæ vitiis essent contaminata. Verum SALVIANI ætate omnis ista idololatria abolita erat, & istæ pompæ ac spectacula non amplius in idolorum honorem exhibebantur : nihilominus tamen tantum adhuc vanitatis, lasciuiæ & impietatis in se habebant, vt de illis tamquam diabolicis, turpibus & homine christiano indignis rebus iustæ fierent querelæ; adeoque illicitis istis pompis, quibus christianus quilibet in baptismo credebatur renuntiasse, adnumerabantur. CYRILLVS HIEROSOLYMITANVS, qui, postquam idololatria magnam partem destructa erat, scripsit, adhuc impietatis & crudelitatis spectacula ista incusat [*l*] &

(*k*) Concil. Illiberrit. c. III. Item flamines, qui non immolauerint, sed munus tantum dederint, eo quod se a funestis abstinuerint sacrificiis, placuit in fine eis præstari communionem, acta tamen legitima pœnitentia.

(*l*) Cyrill. catechef. mystagog. I. n. IV. Εἶτα λέγεις καὶ πάσῃ τῇ πομπῇ αὐτοῦ· πομπὴ δὲ διαβόλου ἐστὶ θεατρομανίαι καὶ ἱπποδρομίαι, κυνηγέσια, καὶ πᾶσα τοιαύτη ματαιότης, ἧς εὐχόμενος ἐλευθερωθῆναι ὁ ἅγιος, τῷ θεῷ λέγει· ἀπόστρεψον τοὺς ὀφθαλμούς μου τοῦ μὴ ἰδεῖν ματαιότητα· μὴ περισπούδαστός σοι ἔστω ἡ θεατρομανία, ἔνθα τὰς ἀσελγείας τῶν μίμων ὄψῃ ὕβρεσι πεπραγμένας, καὶ πάσῃ ἀσχημοσύνῃ, ἐκτεθηλυσμένων τε ἀνδρῶν ἐμμανεῖς ὀρχήσεις, μήτε τοὺς ἐν κυνηγίοις ἑαυτοὺς θηρίοις ἐκδιδόντας, ἵνα τὴν ἀθλίαν κολακεύσωσι γαστέρα; οἳ, ἵνα κοιλίαν τροφαῖς θεραπεύσωσιν, αὐτοὶ γαστρὸς ἀτιθάσσων ἀληθῶς τροφὴ γίνονται θηρίων. ἵνα δὲ δικαίως εἴπω, ὑπὲρ οἰκείου θεοῦ, τῆς κοιλίας, τὴν ἑαυτῶν ζωὴν κατὰ κρημνῶν μονομαχοῦσι· φεῦγε καὶ τὰς ἱπποδρομίας, τὸ ἐμμανὲς θέαμα, καὶ ψυχὰς ἐκτραχηλίζον· ταῦτα γὰρ πάντα πομπή ἐστι τοῦ διαβόλου. Postea dicis: *Et omni pompæ illius*. Pompa diaboli est, in theatris spectacula, in hyppodromo cursus equorum, & venationes, & reliqua omnis eiusmodi vanitas: a qua postulans liberari sanctus ille Dei, *Auerte*, inquit, *oculos meos, ne videam vanitatem*. Non ergo sis curiosus

cat-

catechumenis suis hanc professionis suæ in baptismo faciendæ partem exponens, pompis diaboli accenset.

## §. III.

*Abrenuntiationis antiquitas. A non nullis ab apostolorum praxi deriuata.*

ABRENVNTIATIONIS huius antiquitas ex omnibus scriptoribus, qui de baptismo quidpiam dixerunt, constat. Et a nonnullis quidem ex ipsa apostolica institutione & praxi deriuatur. Ita enim locum illum *Pauli 1.* ad *Timotheum* VI, 12. *Apprehende vitam æternam, ad quam & vocatus es, & professus præclaram illam professionem in conspectu multorum testium*, interpretantur. Auctores commentationum sub nominibus AMBROSII & HIERONYMI, qui HILARIVS diaconus *Romanus*, & PELAGIVS esse existimantur, hanc huius loci dant interpretationem: *Confessus es bonam confessionem* [*m*] *in baptismo, renuntiando sæculo & pompis eius, coram multis testibus, coram sacerdotibus*, vel ministris, *virtutibusque cælestibus.* Ita PELAGIVS. Et HILARIVS [*n*] hanc confessionem tabulis ecclesiæ etiam inscriptam fuisse, videtur dicere, *Cuius*, inquiens, *confessio inter ipsa rudimenta fidei, teste interrogante & respondente, monumentis ecclesiasticis continetur.* Alii istam renuntiationem non ex hoc vel alio expresso quodam scripturæ testimonio, sed ex antiqua traditione deducunt. TERTVLLIANVS & BASILIVS id faciunt, quorum ille [*o*] eam multis aliis ritibus & cærimoniis ecclesiasticis accenset, quæ quidem in nulla scriptura diserte determinatæ, ex traditione tamen profectæ & consuetudine corroboratæ sint. BASILIVS [*p*] illis mysticis ritibus eam

frequentia spectaculorum, vbi conspicuas mimorum petulantias, omni contumelia & impudicitia refertas, & virorum effœminatorum choreas scelestis. Neque vero & illos admireris, qui dummodo ventri suo obsequuntur, efferatis bestiis se exponunt: atque ii plerumque, quum adeo ventrem cibis curare student, ipsi contra ventris ferarum esca fiunt. Immo vt verius dicam, pro ventre, tamquam pro suo Deo, vitam suam in certaminibus singularibus profundere non dubitant. Fuge autem & equorum curricula, quod est prorsus insanum & multorum vitæ perniciosum spectaculum. Hæc enim omnia ad pompam diaboli pertinent.

(*m*) Pelag. in 1 Timoth. VI, 12.

(*n*) Ambros. in 1 Timoth. VI, 12.

(*o*) Tertull. de coron. milit. c. III. Hanc si nulla scriptura determinauit, certe consulendo corroborauit, quæ sine dubio de traditione manauit.

(*p*) Basil. de spirit. sancto c. XXVII. Τῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ πεφυλαγμένων δογμάτων

 ad-

adnumerat, qui in ecclesia non e doctrina scripto prodita sed ex apostolorum traditione in mysterio recepti sint. Non improbabilis eorum doctorum virorum [q] coniectura est, qui formulam renuntiationis, factam per quæstiones & responsio-

καὶ κηρυγμάτων, τὰ μὲν ἐκ τῆς ἐγγράφου διδασκαλίας ἔχομεν, τὰ δὲ ἐκ τῆς τῶν ἀποστόλων παραδόσεως διαδοθέντα ἡμῖν ἐν μυστηρίῳ. Dogmata & instituta, quæ in ecclesia prædicantur, quædam habemus e doctrina scripto prodita, quædam rursus ex apostolorum traditione in mysterio, id est, in occulto tradita recepimus.

(q) Cav. prim. christ. lib. I. c. X. (p. 255. 256. edit. Lipf. german. MDCCXXIII.) *Hierauf wurden sie zur heiligen zeit bey dem eingang des tauf-steins, oder brunnens, hingestellet, da musten sie ihr gesicht gegen abend (welches gerade dem morgen, da das licht hervor brach, entgegen war, anzuzeigen, daß sie nunmehro dem fürsten der finsterniß gute nacht geben und absagen wolten) stellen, und ihre hand zum zeichen der absagung ausstrecken. Wenn sie also stunden so fragte sie der bischof, ob sie von allem ihrem vorigen bündniß und gemeinschaft die sie mit sünde und hölle gemacht, abstehen wolten, fragende;* Entsagst du dem teufel, und allen seinen wercken, und allem seinem wesen, und allem seinem dienste? *worauf der täufling antwortete;* Ja, ich sage ihm ab. *Nachdem fragte der bischof wieder:* Entsagest du der welt und allen ihren lüsten und herrlichkeit? Ja, ich entsage ihnen. *Diese absagung geschahe zu zweyen unterschiedenen malen, zuerst vor der gemeinde, vermuthlich, wenn sie die vergünstigung bekamen getauft zu werden, und bald darauf wiederum vor dem tauf-steine, und vor dem ort, wo sie solten getauft werden, wie Tertullianus bezeuget. Wenn dieses vorbey war, so thaten sie öffentlich ihr glaubens-bekäntniß, und gaben, wenn sie der bischof fragte:* Glaubest du an GOtt, den allmachtigen schöpffer, an Jesum Christum, seinen eingebornen sohn, welcher &c. &c. glaubest du an den heil. Geist, eine heilige christliche kirche, eine taufe der busse zur vergebung der sünden, und ein ewiges leben? *diese antwort:* Ja, ich glaube es. *Diese art zu fragen scheinet sehr lang vor alters in der kirche gebräuchlich gewesen zu seyn, und ist nicht unrecht, wenn man saget, daß der Apostel damals darauf gezielet habe, wenn er die taufe den bund, (oder die antwort, eines guten gewissens vor Gott, nennet, sintemal es auf nichts bessers kan gedeutet werden, als auf die gemeine gewohnheit, da man in der kirche bey der heiligen taufe auf gewisse fragen hat rede und antwort geben müssen.*

Estius in 1. Petr. III, 21. Nobis verus ac germanus sensus esse videtur, quem tradit Beda, apostolum loqui de *interrogatione*, quæ fit in cærimoniis baptismi; dum interrogatus, qui baptizari vult, an credat in Christum, & renuntiet satanæ ac pompis eius; bona conscientia, id est, serius, ex animo respondet, se credere & abrenuntiare. Quam *interrogationem* b. Petrus apposite vocat ἐπερώτημα, id est, stipulationem; quo inter duos, vno interrogante & altero respondente, contractus fieri solet.

nes

nes, adeo antiquam in ecclesia fuisse existimant, vt *Petrus* apostolus ad eam respexisse merito censendus sit, quando baptismum vocat *συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς Θεόν*, *bonæ conscientiæ interrogationem erga Deum*, id quod ad rem nullam æque comode atque ad hanc communem consuetudinem respondendi in baptismo *Renuntiasne diabolo?* Renuntio; *Credisne in Deum?* Credo, referri potest.

## §. IV.

*Hæc abrenuntiatio facta ab hominibus versis ad occidentem, & ratio huius cærimoniæ cum aliis quibusdam ritibus.*

OBSERVANDVM de hac abrenuntiatione porro est, quod, quam primum baptisteria ædificata fuerunt, peculiaris & proprius in illis locus huic rei adsignatus fuerit. Nam plerumque duo distincta habebant conclauia, vti supra [r] in ecclesiarum descriptione ostendimus, primum quidem *προαύλιον οἶκον*, hoc est porticum seu vestibulum, in quo catechumeni renuntiabant satanæ, fidemque profitebantur; & deinde *ἐσώτερον οἶκον* interiorem domum, vbi cærimonia baptismi peragebatur. Quorum in prius catechumeni introducti, & occidentem versus positi satanæ cum quibusdam gestibus & ritibus, indignationem aliquam exprimentibus, (dum videlicet manus suas vel protendebant, vel complicabant, vel collidebant, nonnumquam etiam exsufflabant, vel in ipsum tamquam præsentem exspuebant) renuntiare iubebantur. Qui ritus omnes tot auersationis eorum erant indicia. CYRILLVS HIEROSOLYMITANVS in *catechesi* sua *mystagogica ad illuminatos* [s] hanc huius actionis

Grotius in 1 Petr. III, 21. *ἐπερώτημα*, *stipulatio*, est vox iuris, vt videre est apud Theophilum titulo institutionum de verborum obligationibus & sequentibus, & apud Græcos iuris Romani interpretes alios. In glossario, *ἐπερωτῶ*, *stipulor*. Sed per *μετωνυμίαν*, vt in iure sæpe, nomine *stipulationis* comprehenditur & *responsio* siue *promissio*. nam & *ἐπερωτῶμαι* significat *promitto*, *spondeo*, in eodem glossario. In baptismo episcopus vel alius quis eius nomine ita interrogabat, aut, quod idem est, stipulabatur, *Ἀποτάσσῃ τῷ Σατανᾷ;* *Abrenuntiasne Satanæ?* respondebat baptizandus, *Ἀποτάσσομαι*, *Abrenuntio.* Rursum interrogatus *Συντάσσῃ τῷ Χριστῷ;* *Adhæresne Christo?* respondebat, *Συντάσσομαι*, *Adhæreo.* Hanc *sponsionem salutis* vocat Tertullianus de baptismo.

(r) Lib. VIII. c. VII. §. I. volum. III. pag. 253.

(s) Cyrill. catech. mystag. I. n. II. p. 278. *εἰσῄειτε πρῶτον εἰς τὸν προαύλιον οἶκον τοῦ*



par-

partem ita defcribit: *Primum ingreffi eftis in porticum domus baptifterii, & ftantes verfus occidentem, mandari vobis audiftis, vt protenfa manu, tamquam præfenti fatanæ renuntiaretis.* Et poft paullo, qua de cauffa verfus occafum fteterint, diabolo renuntiantes, explicat. *Solis occafus*, inquit, *quum apparentium tenebrarum fit locus, diabolus autem quum fit tenebræ, robur in illis fuum habet. Idcirco fymbolice occafum fpectantes, caliginofo illi tenebrarum principi renuntiatis.* HIERONYMVS manifefte ad hanc confuetudinem alludit, quando ait: *In myfteriis* (baptifmi celebrationem intelligit) *primum renuntiamus ei, qui in occidente eft* [t], *nobisque moritur cum peccatis: & fic verfi ad orientem, pactum inimus cum fole iuftitiæ, & ei feruituros nos effe promittimus.* Simili modo AMBROSIVS ad recens baptizatum quemdam verba faciens: *Ingreffus*, inquit, [u] *vt aduerfarium tuum cerneres, cui renuntiandum mox putares, ad orientem conuerteris. Qui enim renuntiat diabolo, ad Chriftum conuertitur.* Vnde, obferuante GREGORIO NAZIANZENO [x], non tantum verbis, fed ipfa rerum fpecie, habitu & geftu diabolo renuntiabant. Nam nudi & difcalceati fiftebantur ad occidentem profpectantes, manusque verfus illam plagam protrudentes. Præterea nonnumquam manus collidebant, aduerfariumque fuum infufflabant, vel in illum exfpuebant, deteftationem illius fignificantes, quemadmodum auctor, qui fub nomine DIONYSII [y] latere voluit, rem defcribit.

## §. V.

### *Cur hæc abrenuntiatio ter facta?*

Ex quo etiam hanc abrenuntiationem ter factam effe

*βαπτιστηρίου, καὶ πρὸς τὰς δυσμὰς ἑστῶτες, ἠκούσατε καὶ προσετάττεσθε ἐκτείνειν τὴν χεῖρα, καὶ ὡς παρόντι ἀποτάττεσθε τῷ σατανᾷ.*

Ibid. pag. 239. *βούλομαι, καὶ τίνος ἕνεκεν ἵστασθε πρὸς δυσμάς, εἰπεῖν· ἀναγκαῖον γάρ, ἐπειδὴ τοῦ φαινομένου σκότους τύπος αἱ δυσμαί· ἐκεῖνος δὲ σκότος τυγχάνων, ἐν σκότῳ ἔχει καὶ τὸ κράτος· τούτου χάριν συμβολικῶς πρὸς δυσμὰς ἀποβλέποντες, ἀποτάσσεσθε τῷ σκοτεινῷ ἐκείνῳ καὶ ζοφερῷ ἄρχοντι.*

(t) Hieron. in Amof. VI, 14.

(u) Ambrof. de initiatis c. II.

(x) Naz. orat. XL. de bapt. p. 671. *γνώτη καὶ τοῖς σχήμασι καὶ τοῖς ῥήμασιν, ὡς ὅλην ἀποπέμπῃ τὴν ἀθεΐαν, οὕτως ὅλῃ θεότητι συντασσόμενος.*

(y) Dionyf. de hierarch. ecclef. c. II. p. 218. *γυμνὸν καὶ ἀνυπόδετον ἵστησι πρὸς δυσμὰς ἀφορῶντα, καὶ τῇ τῶν χειρῶν ἀπώσει τὰς τῆς ἀλαμποῦς κακίας ἀνανευόμενον κοινωνίας κ.τ.λ.* nudum & difcalceatum ftatuit verfus occidentem fpectantem, nec non manuum reiectione tenebricofæ malitiæ communionem abnuentem.

con-

condiſcimus. Nam alio loco vniuerſam cærimoniam ſic deſcribit: *Sacerdos baptizandum* [z] *ſiſtit ad occidentem proſpectantem, manusque verſus illam plagam protrudentem & collidentem*; (in *Græco* eſt τὰς χεῖρας ἀπωθοῦντα, quod ſignificat manus, deteſtationem ſignificandi gratia, collidere) *deinde Satanam ter inſflare iubet, atque inſuper abrenuntiationis verba proferre: eique ter abrenuntiationis ſolemnibus verbis propoſitis, quum eamdem toties conceptis verbis pronuntiauit, ipſum ad orientem transfert, & in cælum intuentem, manusque attollentem Chriſto cunctisque ſacris a Deo traditis eloquiis iubet adſentire.* VICECOMES [a] hanc triplicem renuntiationem factam eſſe putat, ſiue quod tres ſint, quibus homines in baptiſmo renuntient, diabolus, pompæ eius, & mundus; ſiue ad ſignificandum tres diuinitatis perſonas, a quibus adoptentur filii, dum ſatanæ renuntient; ſiue quod in ciuili adoptione & manumiſſione ſeruorum domini iuri ſuo ter renuntiare ſoliti ſint, quod ipſum ex

(z) ibid. p. 273. Εἶτα στήσας ἐπὶ δυσμαῖς προσέχοντα, καὶ τὰς χεῖρας ἀπωθοῦντα πρὸς τὴν αὐτὴν ἀπεστραμμένον χώραν, ἐμφυσῆσαι μὲν αὐτῷ τρὶς διακελεύεται τῷ σατανᾷ, καὶ προσέτι τὰ τῆς ἀποταγῆς ὁμολογῆσαι· καὶ τρὶς αὐτῷ τὴν ἀποταγὴν μαρτυράμενος, ὁμολογήσαντα τρὶς τοῦτο, μετάγει πρὸς ἕω, καὶ πρὸς οὐρανὸν ἀναβλέψαντα, καὶ τὰς χεῖρας ἀνατείνοντα, κελεύει συντάξασθαι τῷ χριστῷ καὶ πάσαις ταῖς θεοπαραδότοις ἱερολογίαις

(a) Vicecom. de ritib. bapt. lib. II. c. XX. p. 311. edit. Pariſ. MDCXVIII. 8uo. (p. 143. edit. Mediolan. 4to.) Sed de eo etiam, quot vicibus renuntiationis verba proferrentur, nullus dubitandi locus relinquitur. nam inter ſacros ſcriptores conuenit, ter ea proferri ſolita eſſe: quod quidem non modo ex locis S. Gregorii M. & Ordinis Romani paullo ante citatis, ſed etiam ex S. Dionyſii Areopagitæ auctoritate colligitur, quum inquit: tum eum iubet tertio ſatanam, vt ita dicam, inſufflare. Idemque ex illis S. Ambroſii verbis lib. VII. de fide ad Grat. tertio repetita figura myſterii operationem trinitatis expreſſit: & Seueri Alexandrini de baptiſmo, profert ibi ſacerdos pro baptizatis hanc abrenuntiationem tribus vicibus, ſponſoribus ter, vt ipſe reſpondentibus, abrenuntio Satanæ ego N. qui baptizor: licet cognoſcere. Primus enim pro myſterii figura renuntiationem intelligit; alter eiusdem renuntiationis aperte videtur meminiſſe: vt dubitandum nullo modo ſit, verba etiam illa Ambroſii (operationem trinitatis expreſſit) ad rationem ſpectaſſe, cur ter a Satana conceptis verbis ſe deſciſcere profiterentur; vt nimirum tres hypoſtaſes diuinas, quibus in filios adoptandi erant, ante oculos proponerent. Cui ſi quis adiiciat, deteſtationem tribus vicibus explicari ſolitum, quia tres erant, quorum ſidem & amicitiam reprobabant, vel vt adoptionis ciuilis & emancipationis ritum exprimerent, quum triplici renuntiatione eius, qui iuri ſuo cedebat, peractam eſſe, Aulus Gellius & Sigonius teſtantur, diu me aduerſarium pertinacem haud habebit.

AVLO GELLIO & SIGONIO ostendit. Verum quum veteres hac de re sileant, hasce rationes cuiusuis prudentis lectoris iudicio relinquimus.

§. VI.

Alterum, *quod a iam baptizandis requirebatur, erat sponsio seu stipulatio obedientiæ erga Christum.*

QVOD proxime ab hominibus in baptismo requirebatur, sponsio erat seu stipulatio obedientiæ erga Christum, quod *Græci* vocant συντάσσεσθαι χριστῷ, *Christo adscribi.* Hæc necessaria semper obligationis eorum pars erat, antequam ad regenerationis cærimoniam admitterentur. Primum diabolo renuntiabant, & tunc statim legibus Christi promittebant obsequium. *Augustini* quidem tempore nonnulli inmunitatem quamdam hac in re adfectabant; fidei in Christum, non vero vniversalis obedientiæ, professionem facere parati. Et baptismum tamen, inemendabili animi ipsorum indole non obstante, expetere haud erubescebant. Hos contra excellentissimum librum *de fide & operibus* scripsit, bona opera non minus quam fidem ei, qui christianus esse velit, necessaria esse ostendens; vbi omnibus obiectionibus & argumentis, quæ illi ex scriptura proferebant in medium, respondet. Scripturam enim ad praxin suam defendendam adlegabant. Inter alia notum illum *Pauli* sermonem vrgebant 1 Cor. III, 11. *Fundamentum aliud nemo potest statuere præter id, quod positum est, quod est IEsus Christus. Quod si quis superædificet super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam: cuiuscumque opus manifestum fiet: dies enim id declarabit: nam per ignem reuelabitur: & cuiuscumque opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit, quod superædificauerit, mercedem accipiet. Si cuius opus exustum fuerit, damnum faciet: ipse vero seruabitur, ita tamen vt per ignem.* Quam peruerse hæc verba interpretati sint, AVGVSTINVS [b] indicat, quando ait: *Quod quidam ita intelligendum putant, vt illi videantur ædificare super hoc fundamentum aurum, argentum, lapides pretiosos, qui fidei, quæ in Christo est, bona opera adiiciunt: Illi autem fœnum, ligna, stipulam, quæ quum eamdem fidem habeant, male operantur. Vnde arbitrantur, per quasdam pœnas ignis eos posse purgari ad salutem percipiendam merito fundamenti.*

(b) Augustin. de fide & oper. c. XV. (tom. IV. opp. 69. edit. Basil. MDLXIX.)

Quibus

Quibus hunc in modum [c] respondet idem AVGVSTINVS: *Hoc si ita est, fatemur istos laudabili caritate conari, vt omnes indiscrete admittantur ad baptismum, non solum adulteri & adulteræ, contra sententiam domini falsas nuptias prætendentes, verum etiam publicæ meretrices, in turpissima professione perseuerantes, quas certe nulla etiam negligentissima ecclesia consueuit admittere, nisi ab illa primitus prostitutione liberatas.* Porro vrgebant, hanc prauorum hominum reiectionem a baptismo esse zizaniorum ante tempus euulsionem. Ad quam obiectionem AVGVSTINVS [d] ita respondet: *Quando tales ad baptismum non admittimus, non ante tempus zizania euellere conamur, sed nolumus insuper, sicut diabolus, zizania seminare; nec ad Christum volentes venire prohibemus, sed eos ad Christum venire nolle, ipsa sua confessione conuincimus: nec vetamus Christo credere, sed demonstramus, eos nolle Christo credere, qui vel adulterium dicunt non esse, quod ille adulterium dicit esse; vel credunt, adulteros eius membra posse esse, quos per apostolum dicit, regnum Dei non possidere: & sanæ doctrinæ adversari, quæ est secundum euangelium gloriæ beati Dei.* Hinc licet isti homines nouam esse doctrinam criminarentur, qua meretrices & histriones, & quilibet alii publicæ turpitudinis professores non admittebantur ad baptismum, respondet tamen ipsis, *Quod antiquum & robustum morem sancta ecclesia retineat, ex illa scilicet liquidissima veritate* [e] *venientem, qua certum habeat, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* Et hanc fuisse antiquam regulam, secundum quam ecclesia hoc in negotio egerit, ex omnibus scriptoribus, qui de baptismo sunt loquuti, apparet. IVSTINVS MARTYR, qui cærimonias baptismi simplicissime describit, hisce eum solum tribui dicit, qui fidei suæ professioni promissa [f] addiderint, ad religionis christianæ regulas sese mores ac vitam composituros. Hinc erat vsitata illa verborum formula in professione fidei ipsorum, *συντάττομαί σοι Χριστὲ*, *In tuorum militum numerum adscribor, Christe, legibus tuis moderandus:*

(c) Augustin. ibid. p. 70.

(d) Aug. de fide & oper. c. XVII.

(e) Ibid. c. XVIII.

(f) Iustin. apol. II. p. 93. ὅσοι ἂν πεισθῶσι καὶ πιστεύωσιν ἀληθῆ ταῦτα τὰ ὑφ' ἡμῶν διδασκόμενα καὶ λεγόμενα εἶναι, καὶ βιοῦν οὕτως δύνασθαι ὑπισχνῶνται κ. τ. λ. Quicunque persuasi fuerint, & crediderint, vera esse, quæ a nobis traduntur, & dicuntur, ac *viuere se ita posse receperint*, cetera.

Quæ

Quæ adſcriptio *ἀπόταξιν* illam, ſiue renuntiationem in diabolum, cuius ſeruitium ad eligendum nouum dominum, deſerebant, proxime inſequebatur; quemadmodum frequenter in CHRYSOSTOMO, [g], BASILIO, [h], CYRILLO ALEXANDRINO [i], *conſtitutionum apoſtolicarum* auctore [k] & plurimis ſcriptoribus *Græcis* legimus, quorum verba quum vnam eamdemque formam habeant, nihil attinet heic interponere. *Latini* communiter *promiſſum, pactum* & *votum* nominant, quæ vocabula ad omnes huius chriſtianæ obligationis partes, tam ad renuntiationem in diabolum, quam ad profeſſionem fidei ac obedientiæ in *CHRISTVM*, ſine diſcrimine applicant, vtpote quæ res mutuum inter ſe reſpectum habent, & aptiſſime inter ſe cohærent. Quisquis enim diabolo renuntiat & mundo, is ſe hoc ipſo militem & ſeruum Chriſto adſcriptum profitetur. Vnde

(*g*) Chryſoſt. hom. XXI. ad popul. Antiochen. p. 2[illegible]. (p. 237. edit. Francof.) Ὁ μετανοῶν οὐκέτι τῶν αὐτῶν ἅπτεται πραγμάτων, ἐφ' οἷς μετενόησε· διὰ τοῦτο καὶ κελευόμεθα λέγειν, ἀποτάσσομαί σοι Σατανᾶ, ἵνα μηκέτι πρὸς αὐτὸν ἐπανέλθωμεν. Poenitentiam agens non amplius eadem attingit negotia, quorum pœnituit: proptereaque iubemur dicere: Abrenuntio tibi Satana, ne amplius ad ipſum vertamur.
Id. homil. VI. in Coloſſ. p. 1358. (p. 200. edit. Francof.) ὁρᾶτε, μὴ τούτῳ ἁλῶμεν, μετὰ τὸ εἰπεῖν ἀποτάσσομαι τῷ Σατανᾷ, καὶ συντάσσομαί σοι, χριστέ. Videte ergo, ne ex eo arguamur & conuincamur, poſtquam diximus, Abrenuntiamus tibi Satana, & tibi nomen damus & in tuorum militum numerum adſcribimur, Chriſte.

(*h*) Baſil. hom. XIII. exhort. ad bapt. p. 415. οὐχὶ συνθέσθαι θεῷ, οὐκ ἀποτάξασθαι τῷ ἐχθρῷ, non cum Deo paciſci, non abrenuntiare inimico. (poteris)

(*i*) Cyrill. Alex. in Io. XI, 26. p. 683. e. ὑπὲρ τῶν ἐσχάτῃ νόσῳ κατειλημμένων, μελλόντων τε διὰ τοῦτο βαπτίζεσθαι, καὶ ἀποτάττονταί τινες καὶ συντάττονται, τὴν οἰκείαν ὥσπερ ἐξ ἀγάπης κιχρῶντες φωνὴν τοῖς νόσῳ πεπεδημένοις. Pro iis, qui extremo morbo conflictantur, ideoque baptizandi ſunt, *abrenuntiant & coniunguntur.* (Chriſto) aliqui, qui veluti ex caritate ſuam morbo impeditis commodent vocem.

(*k*) Conſtit. apoſt. lib. VII. c. XLI. ἀποτάσσομαι τῷ σατανᾷ, καὶ τοῖς ἔργοις αὐτοῦ, καὶ ταῖς πομπαῖς αὐτοῦ, καὶ ταῖς λατρείαις αὐτοῦ, καὶ τοῖς ἀγγέλοις αὐτοῦ, καὶ ταῖς ἐφευρέσεσιν αὐτοῦ, καὶ πᾶσι τοῖς ὑπ' αὐτόν· μετὰ δὲ τὴν ἀποταγὴν, συντασσόμενος λεγέτω, ὅτι καὶ συντάσσομαι τῷ χριστῷ, καὶ πιστεύω, καὶ βαπτίζομαι, κ. τ. λ. Renuntio Satanæ, & operibus eius, & pompis eius, & cultibus eius, & angelis eius, & inuentis eius, ac omnibus quæ ſub eo ſunt. Poſt renuntiationem vero, dum adſcribit ſe, dicat; & adſcribor Chriſto, & credo, & baptizor, cetera.

AMBRO-

AMBROSIVS [l] de abrenuntiatione loquens, vocat illam promiſſum, cautionem & chirographum Deo datum, quod in cælo teneatur: quia hoc promiſſum coram miniſtro *CHRISTI* & angelis eius, huius rei teſtibus, factum ſit. Quam ob cauſſam alio loco [m] vocem renuntiantis non in tumulo mortuorum, ſed in libro viuentium teneri dicit. AVGVSTINVS [n] profeſſionem appellat in curiam prolatam angelicam, & nomina profitentium dicit in libro excipi vitæ non a quolibet homine, ſed a ſuperiore cælitus poteſtate. HIERONYMVS [o] pactum initum cum ſole iuſtitiæ nuncupat, quo ei ſeruituros nos eſſe promittamus. Atque ita quidem de hac cærimonia loquitur, vt actum a renuntiatione diſtinctum eſſe oſtendat, licet vtraque cærimonia ad eumdem finem tendat, quia diuerſi ritus in illis exprimendis adhibebantur. Nam diabolo renuntiabant ad occidentem proſpectantes ex rationibus ſymbolicis, quas ſupra percepimus; *CHRISTO* autem ſe adſcribebant verſi in orientem, tamquam emblema lucis, quam a ſole iuſtitiæ recipiebant, dum eius dominio ſeſe ſubmittebant.

## §. VII.

### *Hoc votum obedientiæ factum vultu verſo in orientem. Et quare?*

HAEC conſuetudo, qua in orientem ſe vertebant, obe-

(l) Ambroſ. de ſacram. lib. I. c. II. Quando te interrogauit: Abrenuntias diabolo & operibus eius; quid reſpondiſti? Abrenuntio. Abrenuntias ſæculo & voluptatibus eius; quid reſpondiſti? Abrenuntio: Memor eſto ſermonis tui, & numquam tibi excidat tuæ ſeries cautionis. Si chirographum homini dederis, teneris obnoxius, vt pecuniam eius accipias: teneris adſtrictus & reluctantem te fœnerator adſtringit; ſi recuſas, vadis ad iudicem, atque illic tua *cautione* conuinceris. Vbi *promiſeris*, conſidera, vel quibus *promiſeris*. Leuitam vidiſti, ſed miniſter eſt Chriſti. Vidiſti illum ante altaria miniſtrantem. Ergo *chirographum tuum tenetur* non in terra, ſed *in cælo*.

(m) Ambroſ. de initiat. c. II. Renuntiaſti diabolo & operibus eius, mundo & luxuriæ eius ac voluptatibus. Tenetur vox tua, non in tumulo mortuorum, ſed in libro viuentium.

(n) Auguſtin. de ſymbolo lib. II. c. I. Profeſſi eſtis, renuntiare vos diabolo, pompis & angelis eius. Videte, dilectiſſimi, quia hanc profeſſionem veſtram in curiam profertis angelicam: Nomina profitentium in libro excipiuntur vitæ, non a quolibet homine, ſed a ſuperiore cælitus poteſtate.

(o) Hieron. comment. in Amos VI, 14. In myſteriis primum renuntiamus ei, qui in occidente eſt; & ſic verſi in orientem, pactum inimus cum ſole iuſtitiæ, & ei ſeruituros nos eſſe promittimus.

dientiam *CHRISTO* promittentes, AMBROSIO quoque, GREGORIO NAZIANZENO, CYRILLO HIEROSOLYMITANO & falſo credito DIONYSIO memoratur. Cui illi duas adſignant rationes. Quarum alteram diſcipulis ſuis narrat CYRILLVS [*p*], *Quum ſatanæ renuntiaueris*, inquiens, *& omne cum illo pactum reſcideris; veteres, inquam, pactiones cum inferno: aperitur tibi paradiſus Dei, quem ipſe ad orientem plantauit: Vnde propter mandati violationem primus parens noſter pulſus eſt in exilium. Et huius rei ſymbolum eſt, quum ab occaſu conuerteris ad ortum, quæ lucis eſt regio.* Ex eadem ratione BASILIVS [*q*] & alii quidam ex vetuſtis ſcriptoribus narrant, quod ad orientem verſi precati ſint, vt ora paradiſo obuerſa haberent. Altera ratio, cur in baptiſmo in ortum conuerſi fuerint, erat, quod ſol oriens ſymbolum eſſet ſolis iuſtitiæ, ad quem iam a Satanæ poteſtate conuertebantur; *Ad orientem conuerteris*, inquit AMBROSIVS [*r*], *qui enim renuntiat diabolo, ad Chriſtum conuertitur.* Quibus verbis ille cum HIERONYMO perſpicue indicat, quod collocatio eorum orientem verſus ſymbolum fuerit conuerſionis a diabolo ad Chriſtum, hoc eſt, a tenebris ad lucem, a cultu idolorum ad cultum eius, qui ſol eſt iuſtitiæ & origo lucis.

## §. VIII.

Tertium, *quod a baptizandis requirebatur, erat profeſſio fidei, vſitatis ſymboli verbis edenda.*

CVM hac obedientiæ ſtipulatione profeſſio etiam fidei ab vnoquoque baptizando exigebatur. Et hæc profeſſio iisdem verbis ſymboli, quod in eccleſia qualibet in catechumenorum inſtitutionem adhibebatur, edenda erat. Primum quidem id catechiſtis priuatim, & deinde publice in eccleſia, quando nomina ſua baptiſmo dederant, recitare debebant: quemadmo-

(*p*) Cyrill. catech. myſtagog. I. n. VI. p. 283. Ὅτε οὖν τῷ σατανᾷ ἀποτάττῃ, πᾶσαν τὴν πρὸς αὐτὸν πάντως διαθήκην λύσας, τὰς παλαιὰς πρὸς τὸν ᾅδην συνθήκας, ἀνοίγεταί σοι ὁ παράδεισος τοῦ Θεοῦ, ὃν ἐφύτευσε κατὰ ἀνατολάς, ὅθεν διὰ τὴν παράβασιν ἐξόριστος γέγονεν ὁ ἡμέτερος προπάτωρ· καὶ τούτου σύμβολον τὸ στραφῆναί σε ἀπὸ δυσμῶν πρὸς ἀνατολήν, τοῦ φωτὸς τὸ χωρίον.

(*q*) Baſil. de ſpirit. ſancto c. XXVII. Τὸ πρὸς ἀνατολὰς τετράφθαι κατὰ τὴν προσευχήν, ποῖον ἐδίδαξεν ἡμᾶς γράμμα; Vt ad orientem verſi precemur, quæ nos docuit ſcriptura?

(*r*) Ambroſ. de initiatis c. II.

dum

dum ſupra [s] oſtendimus. Præterea autem ſolemnem profeſſionem tempore baptiſmi facere, & ad diuerſas quæſtiones, quas eis eccleſiæ miniſter proponebat, habito ad diuerſas ſymboli, ſummam chriſtianæ fidei continentis, partes reſpectu, diſtincte reſpondere iubebantur. Erant quidem AVGVSTINI memoria, qui & profeſſionem obedientiæ ex voto baptiſmali eluſum ibant, ita profeſſionem fidei diminutam & ad hunc vnum ſolum articulum, *credo filium Dei eſſe IEſum Chriſtum*, reductam volebant. Cuius in rei gratiam ad exemplum prouocabant *Philippi*, eunuchum ad hanc breuem confeſſionem [t] baptizantis, & ad dictum illud *Pauli* 1 Corinth. II, 2. *Non ſtatui quicquam ſcire inter vos, niſi IEſum Chriſtum, eumque crucifixum.* Numquam tamen hoc ſuum conſilium in effectum deducere audebant; ſed quæſtiones facere pergebant de aliis etiam articulis, vt eccleſia adſolebat, de ſpiritu ſancto, de remiſſione peccatorum, de reſurrectione mortuorum, de incarnatione *CHRISTI*, de paſſione eius & morte in cruce, de ſepultura eius & reſurrectione in die tertia, de adſcenſione illius & seſſione ad dextram patris: quæ interrogationes omnes ita neceſſariæ eſſe credebantur, vt ne quidem in baptiſmo clinicorum, qui lecto decumbentes & ægroti baptizabantur, eas prætermitteret eccleſia. Nam ſi loqui poſſent, ipſi per ſe ad cuncta reſpondebant, vti AVGVSTINVS [t] auctor eſt, etiamſi ea memoriæ mandare non valuiſſent; Quod ſi ſermonis vſus eis ablatus eſſet, ſponſores pro ipſis reſpondebant, vti pro infantibus ſolebant facere, quemadmodum capite proxime ſequenti oſtendetur. Vt adeo baptizandi hac vel illa ratione integrum ſymbolum recitauerint, & ſingulis eius partibus adſenſum ſuum teſtati ſint. Et

(s) Vid. lib. X. c. II. §. X. pag. 27.

(t) Auguſtin. de fide & oper. c. IX. Spado, inquiunt, ille, quem Philippus baptizauit, nihil plus dixit, quam, Credo, filium Dei eſſe Ieſum Chriſtum. Num ergo placet, vt hoc ſolum homines reſpondeant, & continuo baptizentur? Nihil de ſpiritu ſancto, nihil de ſancta eccleſia, nihil de remiſſione peccatotorum, nihil de reſurrectione mortuorum? &c. Si enim ſpado quum reſpondiſſet, Credo filium Dei eſſe Ieſum Chriſtum, hoc ei ſufficere viſum eſt, vt continuo baptizatus abſcederet: Cur non id ſequimur, atque auferimus cetera, quæ neceſſe habemus, etiam quum ad baptizandum temporis vrget anguſtia, exprimere interrogando, vt baptizandus ad cuncta reſpondeat, etiamſi ea memoriæ mandare non valuit?

hæc iam ab apostolorum temporibus, immo ipsis adhuc viuentibus, semper ecclesiæ praxis fuit. Quamquam enim nullus articulus alius in eunuchi baptismo memoratur, nisi quo *IESVM CHRISTVM, FILIVM DEI ESSE* professus est, tamen, vt AVGVSTINVS eodem loco loquitur [u]: *In eo, quod ait* (scriptura) *baptizauit eum Philippus, intelligi voluit impleta esse omnia, quæ licet taceantur in scripturis gratia breuitatis, tamen serie traditionis scimus* (in baptismo) *implenda.* Et sane in omnibus, quæ de baptismo in veterum scriptorum monumentis relata legimus, expressa huius consuetudinis mentio habetur, qua baptizandi se christianæ religionis doctrinas, vel generatim in scripturis traditas, vel summatim in articulis symboli comprehensas, credere professi sint. IVSTINVS MARTYR [x] dicit, quod homines, antequam regenerentur, persuasos esse oporteat & credere, vera esse, quæ ab antistitibus tradantur & dicantur, ac recipere, se ita posse ac velle viuere. CYPRIANVS [y] speciatim vsus symboli in baptismo facit mentionem, & interrogationes commemorat, quæ, respectu habito ad specialiores quosdam eius articulos, fieri consueuerint. Exempli caussa: Num credant vitam æternam, & remissionem peccatorum in ecclesia? qui concludentes, seu vltimi semper articuli symboli erant. Et alio loco cum de his, tum de articulis de patre, filio & spiritu sancto loquitur, tamquam interrogationibus in baptismo tam ecclesiæ [z] catholicæ, quam *Nouatianorum* vsitatis. Tametsi enim sensu quorumdam articulorum differebant, eadem tamen interroga-

(u) Augustin. ibid.

(x) Iustin. apol. II. p. 93. *ὅσοι ἂν πεισθῶσι καὶ πιστεύωσιν ἀληθῆ ταῦτα τὰ ὑφ' ἡμῶν διδασκόμενα καὶ λεγόμενα εἶναι, καὶ βιοῦν οὕτως δύνασθαι ὑπισχνῶνται - - ἀναγεννῶνται.*

(y) Cypr. epist. LXX. ad episc. Numid. p. 190. (p. 301. edit. Fell. Amstelod. MDCC.) Sed & ipsa *interrogatio*, quæ fit in baptismo, testis est veritatis. Nam quum dicimus, Credis in vitam æternam, & remissionem peccatorum per sanctam ecclesiam? Intelligimus remissionem peccatorum non nisi in ecclesia dari.

(z) Cyprian. epist. LXIX. al. LXXVI. ad Magnum p. 183. (p. 296. edit. Amstelod.) Quod si aliquis illud opponit, vt dicat, eumdem Nouatianum legem tenere, quam catholica ecclesia teneat, eodem symbolo quo & nos, baptizare; eumdem nosse Deum patrem, eumdem filium Christum, eumdem spiritum sanctum, ac propter hoc vsurpare eum potestatem baptizandi posse, quod videatur in interrogatione baptismi a nobis non discrepare: sciat quisquis

tio-

tionum forma conueniebant, eodemque ſymbolo vtentes baptizabant. TERTVLLIANVS [a] quoque ex articulo de patre, filio & ſpiritu ſancto, ac de eccleſia in baptiſmo interrogationes factas eſſe adfirmat. Et EVSEBIVS, quando verba ſymboli eccleſiæ *Cæſareenſis* [b] recitat, ſymbolum illud eſſe dicit, quod ipſe didicerit, quum primis fidei rudimentis inſtructus & ſalutari lauacro tinctus ſit. Eumdem vſum ſymbolum *Nicænum*, quam primum compoſitum fuit, in plerisque eccleſiis orientalibus habuit. Nam hæc fidei formula in baptiſmi adminiſtratione ordinarie recitabatur, quemadmodum libro vltimo [c] oſtendimus. Facile eſſet, heic plura teſtimonia ex AMBROSIO, HIERONYMO, CYRILLIS ALEXANDRINO & HIEROSOLYMITANO, CHRYSOSTOMO, GREGORIO NAZIANZENO, BASILIO, EPIPHANIO, SALVIANO & auctore *conſtitutionum* ſubiungere: Verum res adeo incontrouerſa eſt, quod veteres numquam ad vnius cuiusdam articuli profeſſionem, ſed ad integram & perfectam fidei formulam baptizarint, vt probatione eam egere haud exiſtimem, quandoquidem nulla vmquam exceptio aduerſus illam ſiue in publico, ſiue in priuato baptiſmo facta eſt.

## §. IX.

### *Hæc confeſſio publice & ſolemniter facta.*

ERANT quædam circumſtantiæ & cærimoniæ huius confeſſionis, quæ quum ad actionis ſolemnitatem non nihil conferrent, non abs re fuerit, carum hoc loco facere mentionem.

hoc opponendum putat; primum non eſſe vnam nobis & ſchiſmaticis ſymboli legem; neque eamdem interrogationem. Nam quum dicunt: Credis remiſſionem peccatorum & vitam æternam per ſanctam eccleſiam? mentiuntur in interrogatione, quando non habeant eccleſiam.

(a) Tertull. de bapt. c. VI. Quum ſub tribus & teſtatio fidei & ſponſio ſalutis pignorentur, neceſſario adiicitur eccleſiæ mentio: quoniam vbi tres, id eſt pater & filius & ſpiritus ſanctus, ibi eccleſia, quæ trium corpus eſt.

(b) Euſeb. epiſt. ad Cæſar. ap. Socrat. lib. VI. c. VIII. Τὸ μὲν ὂν παρ' ἡμῶν γράμμα - - τῦτον ἔχει τὸν τρόπον· καθὼς παρελάβομεν παρὰ τῶν πρὸ ἡμῶν ἐπισκόπων, καὶ ἐν τῇ κατηχήσει, καὶ ὅτε τὸ λυτρὸν ἐλαμβάνομεν κ. τ. λ. Noſtra igitur formula - - ſic habet: Sicut ab anteceſſoribus noſtris epiſcopis accepimus, tum cum primis fidei rudimentis inſtructi, & quum ſalutari lauacro tincti ſumus.

(c) Lib. X. c. IV. §. XVII. pag. 110. ſeqq.

Primo quidem, quod publice coram multis testibus facta sit. Quæ circumstantia erat, apostolica praxi fundata, a qua abeundi raro indulgebatur venia. PRIMASIVS [*d*] eam ab exemplo deducit *Timothei*, qui *confessus erat bonam confessionem coram multis testibus*: quod ille de professione fidei, quam in baptismo fecerit, interpretatur. Quæ EPHREM SYRI [*e*] etiam expositio est. Et LEO [*f*] pontifex *Romanus* eodem respicere videtur, quando homines baptizatos ad constantiam in fide adhortans, *Permanete*, inquit, *stabiles in fide, quam confessi estis CORAM MVLTIS TESTIBVS, & in qua renati per aquam & spiritum sanctum, accepistis charisma salutis & signaculum vitæ æternæ.* Moris fuisse *Romæ*, narrat AVGVSTINVS [*g*], vt hæc confessio publice de loco eminentiore in conspectu populi redderetur. Interdum vero in verecundorum hominum gratiam, qui in tanta frequentia non sine trepidatione verba facere potuerint, presbyteros confessionem eorum priuatim audisse. Atque hoc eos VICTORINO, celebri rhetori, quum ad *CHRISTI* castra transiisset, obtulisse; illum autem maluisse salutem suam in conspectu multitudinis profiteri, dicentem, non fuisse salutem, quam docuisset in rhetorica, & tamen eam se publice professum esse: multo minus igitur mansuetum gregem *CHRISTI* vereri se debere, pronuntiantem verbum diuinum, qui non veritus sit in verbis suis turbas insanorum gentilium.

(*d*) Primas. in 1 Tim. VI, 12. Confessus bonam confessionem in baptismo, coram multis testibus, coram sacerdotibus & ministris, atque virtutibus cælestibus ac diuinis.

(*e*) Ephrem. de pœnit. c. V. p. 91. edit. Colon. MDXLVII. Requiretur a quolibet regium signum, ex qua die catholicam & orthodoxam ecclesiam ac fidem nostram per baptisma suscepit: exigeturque a singulis fides in pace illibata, sigillumque infractum & tunica incoinquinata, secundum *pulchram illam confessionem, quam coram multis testibus professi sunt*, dicentes: Abrenuntio tibi Satana, & omnibus operibus tuis.

(*f*) Leo serm. IV. de natiuit. domini p. 17.

(*g*) August. confess. lib. VIII. c. II. Vt ventum est ad horam profitendæ fidei, quæ verbis certis conceptisque memoriter de loco eminentiore in conspectu populi fidelis Romæ reddi solet ab eis, qui accessuri sunt ad gratiam tuam, oblatum esse dicebat Victorino a presbyteris, vt secretius redderet, sicut nonnullis, qui verecundia trepidaturi videbantur, offerri mos erat; Illum autem maluisse salutem suam in conspectu sanctæ multitudinis profiteri: Non enim erat salus, quam docebat in rhetorica, & tamen eam publice professus erat. Quanto minus ergo vereri debuit mansuetum gregem tuum, pronuntians verbum tuum, qui non verebatur in verbis suis turbas insanorum.

§. X.

## §. X.

### *Manibus & oculis ad cælum sublatis.*

ALIA circumstantia, quæ actus istius solemnitati aliquid addebat, status gestusque corporis erat, quando non ta t m vultum in Orientem vertebant, sed & manus oculosque in cælum attollebant, quasi ad *CHRISTVM*, quocum vt nouo domino suo, in solio gloriæ suæ sedente, fœdus iam inibant, protinus euolaturi. Quemadmodum enim diabolo renuntiabant manus in eum protrudentes vel collidentes, ad ipsum prouocandum; ita e contrario hanc suam confessionem fœdusque cum *CHRISTO* faciebant, demisse supplicantium adhibentes habitum, manibusque ad solem iustitiæ sublatis, ipsum excipere parati. Ita PSEVDO-DIONYSIVS [h] rem describit: *Sacerdos*, inquiens, *catechumenum abrenuntiationis verbis recitatis, ad orientem transfert, & in cælum intuentem manusque attollentem CHRISTO, cunctisque sacris a Deo traditis eloquiis, iubet adsentire.*

## §. XI.

### *Ter repetita.*

HAEC confessio maioris solemnitatis caussa, ter repetita esse creditur, quomodo abrenuntiationem *Satanæ* ter factam esse, antea audiuimus. CYRILLVS ALEXANDRINVS [i] *Docentur*, inquit, *ecclesiæ, tertio quærendam esse confessionem in CHRISTVM ab iis, qui eum diligere sibi proposuerint, dum ad sanctum baptismum accedunt.* Et hoc fieri dicit ad exemplum *Petri*, quem *CHRISTVS* ter rogauit: *Simon, fili Ionæ, diligis me?* Et *Petrus* ter respondit: *Etiam domine, tu nosti, quod amem te?* AMBROSIVS [k] ait: *Ideo in mysteriis* (hoc est, in baptismo, *interrogatio trina defertur, & confirmatio trina celebratur, nec potest quis nisi trina confessione purgari. Vnde & ipse Petrus in euangelio tertio interrogatur, vtrum diligat dominum, vt trina responsione vincula, quæ dominum negando ligauit, absolueret.* Verum non plane persuasus sum, per hanc trinam confessionem semper trinam symboli recitationem intelligendam esse. Nam AM-

(h) Dionys. de eccles. hierarch. c. II. p. 253. cit. supr. §. V. litt. (z) pag. 269.

(i) Cyrill. Alexandr. lib. XII. in Ioan. XXI. tom. IV. p. 1110. d. Τοῦτο δὲ πάλιν ταῖς μὲν ἐκκλησίαις ἐντεῦθεν εἰς τὸ χρῆναι τρίτον διερωτᾶν τὴν εἰς Χριστὸν ὁμολογίαν, τοὺς ἀγαπᾶν αὐτὸν ἑλομένους, διὰ τοῦ καὶ προσελθεῖν τῷ ἁγίῳ βαπτίσματι.

(k) Ambros. de spiritu sancto lib. II. c. XI.

BROSI-

BROSIVS [l] alio loco hanc trinam confessionem potius de trina responsione, *Credo*, ad diuersas symboli partes facta, interpretatur. *Interrogatus es*, inquit, *Credis in Deum patrem omnipotentem? Dixisti, credo & mersisti, hoc est, sepultus es. Iterum interrogatus es: Credis in dominum nostrum Iesum Christum, & in crucem eius? Dixisti, credo & mersisti. Tertio interrogatus es, Credis & in spiritum sanctum? Dixisti credo, tertio mersisti, vt multiplicem lapsum superioris ætatis absolueret trina confessio.* Ex quibus verbis planum est, triplicem confessionem nihil amplius, quam triplicem responsionem *Credo*, ad diuersas symboli partes indicare. Sed forte diversæ in diuersis locis consuetudines obtinuerunt; nam CYRILLVS aliquanto plus intelligere videtur, quando hasce responsiones non solam confessionem trium personarum diuinitatis, sed triplicem confessionem *CHRISTI* facit, quod trinam symboli recitationem infert, si recte illum capio.

## §. XII.

*Et propriis baptizandorum manibus in libro ecclesiæ subscripta, ex quorumdam sententia.*

ALIA adhuc circumstantia erat, quæ si vera, multum momenti ad vniuersam actionem contulit. Baptizandus videlicet fidei professioni a se factæ manu sua, si id faciendi facultatem haberet, in libris seu monumentis ecclesiæ subscribebat. Fuisse hanc certam & vniuersalem praxin certo adfirmare nequeo, quædam tamen huius consuetudinis vestigia in antiquis quibusdam monumentis, & adlusiones scriptorum ad istiusmodi consuetudinem videntur exsistere. GREGORIVS NAZIANZENVS eo respicere creditur, quando homines ad persistendum in fide, quam in baptismo professi sint, adhortans, ait [m]: *Si alio modo inscriptus es, quam vera doctrina exposcit, veni, ac transscribere. Ego horum non insciens atque ineptus sum scriptor, scribens ea, quæ mihi inscripta sunt, & docens, quæ didici, atque a prima ætate ad hanc vsque caniciem seruaui. Meum sit periculum, meum quoque præmium, qui animæ tuæ*

(l) Ambros. de sacram. lib. II. c. VII.

(m) Nazianz. orat. XL. de baptismo p. 670. εἰ μὲν ἄλλως ἐγγέγραψαι, ἢ ὡς ἐμὸς ἀπαιτεῖ λόγος, δεῦρο καὶ μετεγγράφηθι· ἐγὼ τούτων οὐκ ἀφυὴς καλλιγράφος· γράφων ἃ γέγραμμαι, καὶ διδάσκων ἃ καὶ μεμάθηκα, καὶ τετήρηκα ἐξ ἀρχῆς, εἰς τήνδε τὴν πολιάν· ἐμὸς ὁ κίνδυνος, ἐμὸν καὶ τὸ γέρας, τοῦ τῆς σῆς ψυχῆς οἰκονόμου, καὶ τελειοῦντός σε διὰ τοῦ βαπτίσματος· εἰ δὲ οὕτως ἔχεις, καὶ καλοῖς ἐνεσημάνθης τοῖς

*sum*

*ſum diſpenſator, ac per baptiſmum te perficio. Sin autem ita te habes, ac pulchris litteris notatus atque inuſtus es, quæ ſcripta ſunt, ſerua in obnoxiis mutatiori temporibus, de re minime mutabili immutabilis manens. Pilatum in meliorem partem imitare, male ſcribentem recte conſcriptus. Dic iis, qui te a ſententia deducere ſtudent: Quod ſcripſi, ſcripſi.* AMBROSIVS quoque ad hunc morem adludere videtur, quando apud initiatos ſiue baptizatos loquens ait: [*n*] *Chirographum tuum tenetur, non in terra, ſed in cælo.* Et alibi [*nn*]: *Tenetur vox tua, non in tumulo mortuorum, ſed in libro viuentium*; quia videlicet præſentibus hominibus & angelis datum ſit. Et AVGVSTINVS [*o*], *Nomina profitentium*, inquit, *in libro excipiuntur vitæ non a quolibet homine, ſed a ſuperiore cælitus poteſtate.* Verum tamen CHRYSOSTOMVS, fateor, locum habet, qui his omnibus aduerſari videtur. Nam loquens de diſcrimine inter dominos terreſtres, qui ſeruos emunt, & *CHRISTVM* nos ſeruos ſuos adſciſcentem, ait: *Chriſtus non teſtes a nobis, non chirographa* [*p*] *exigit, ſed ſola contentus eſt voce: & ſi dicas ex animo: Abrenuntio tibi, ſatana, & pompæ tuæ.* Vnde concludendum nobis eſt, ſiue quod hæc conſuetudo non ita vniuerſalis fuerit, vt reliquæ, vtpote CHRYSOSTOMO ignota; ſiue, quod ante citata teſtimonia non tantum roboris habeant, quantum quidem habere initio videntur. Nam AMBROSIVS & AVGVSTINVS, quando de ſcriptis in libro vitæ loquuntur, intelligi poſſunt tamquam ſenſu duntaxat loquentes figurato, quod ipſorum nomina in cælis ſcripta ſint. VICECOMES vero non tantum hoc confidenter ſtatuit, ſed homines etiam ſubſcriptioni ſuæ ſigillum [*q*] addidiſſe, & confeſſionem ſuam iure iurando

γράμματι· φύλαξαί μοι τὰ γεγραμμένα, ἐν καιροῖς τρεπτοῖς ἄτρεπτος μένων, περὶ ἄτρεπτον πρᾶγμα· μίμησαι τὸν Πιλάτον ἐπὶ τὸ κρεῖττον, κακῶς γράφοντα καλῶς γεγραμμένος· εἰπὲ τοῖς μεταπείθουσί σε, ὃ γέγραφα, γέγραφα.

(*n*) Ambroſ. de ſacram. lib I. c. II.

(*nn*) Id. de initiatis c. II.

(*o*) Auguſtin. de ſymbolo ad catechumenos lib. II. c. I.

(*p*) Chryſoſtom. homil. XXI. ad popul. Antioch. tom. I. p. 274. (p. 244. edit. Francof.) οὐ μάρτυρας ἡμᾶς, οὐκ ἔγγραφα ἡμᾶς ἀπαιτεῖ, ἀλλ' ἀρκεῖται ψιλῇ τῇ φωνῇ, κἂν εἴπῃς ἀπὸ διανοίας, ἀποτάσσομαί σοι, σατανᾶ, καὶ τῇ πομπῇ σου.

(*q*) Vicecom. de ritib. bapt. lib. II. c. XXVII. p. 343. edit. Par. (p. 170. edit. Mediolan.) Poſtmodum profeſſionem ita conceptam in tabulas referebant, ſuaque ipſi manu, ſi ſcribere noſſent, vel ſi neſcirent, aliena, ſtabilem ratamque habebant, cuius ſententiæ veritas a S. Dionyſii auctoritate repetitur, apud quem ſæpe hæc oratio vſurpata eſt, vt profeſſio in tabulis diceretur ſcripta. - -

confirmaſſe, ait. Verum huius rei nullum idoneum teſtimonium inuenio, quamobrem ei longius non immoror, ſed ſtudioſo lectori eam curatius disquirendam relinquo.

## §. XIII.

### *Harum cærimoniarum omnium & ſtipulationis ſcopus, vt homines ſenſum obligationis, qua tenerentur, perciperent, & confeſſioni ſuæ fortiter inhærerent.*

Tum vero illa non longam orationem deſiderant, quamobrem exiſtimem, fidei profeſſioni ſubſcriptionem addi conſueuiſſe. Nam cum homines propter iuſtitiæ originalis, qua, tamquam fræno quodam, cupiditates regebantur, amiſſionem, ad ſcelera & flagitia facile labantur; & rurſus cum ad conſcientiæ fructum & officii religionem, tum etiam ad decus & gloriam, conſtantia promiſſorum & fide nihil in rebus humanis ſit præſtantius; priſcis reipublicæ chriſtianæ rectoribus expedire viſum eſt, fidei profeſſionem, ſua cuiusque ſcriptione confirmari; vt ſi quis, veluti transfuga, a chriſtiana religione deſciſcere cogitaſſet, pudore datæ fidei & ſuæ confeſſionis teſtimonio impediretur. Præterea ad rectam chriſtianæ reipublicæ gubernationem pertinebat, ſicut ciues olim, ſic profitentium nomina literis conſignari; vt omnium, qui ſacrilegos ritus reliquerant, numerus intelligi poſſet. Demum *profeſſionem*, ſacris monumentis traditam, *annulo obſignabant*, quod etſi difficile eſt probatu, propter tam pauca & tam rara teſtimonia ſcriptorum; tale tamen eſt, vt elaborandum ſit, quo facilius probetur, nihil eſt enim omnium, quæ in hoc capite tractantur, quod illuſtrius curioſiusque dicatur. Igitur Tertullianus lib. de baptiſm. c. 6. hanc conſuetudinem ita declarat: Ioannes ante præcurſor domini fuit, præparans vias eius: ita & angelus baptiſmi arbiter, ſuperuenturo ſpiritui ſancto vias dirigit, ablutione delictorum, quam fides impetrat, obſignata. Probare enim ſtatuerat, fidei profeſſionem deleri non poſſe, quod in ea ſigillum annulo impreſſum eſſet. Verum clarius lib. de pudicitia c. 9 vbi fidei profeſſionem explicans, ait: annulum quoque accepit tunc primum, quo fidei pactionem interrogatus obſignat. Poteſt etiam ad hanc conſuetudinem referri, quod Cyrillus Hieroſolymit. ſcripſit catech. I. myſtagog. dum baptizandos ad memoriam eorum, quæ in catecheſi audierant, excitaret: aſſiſtas catecheſibus & quæ in illis dicuntur memineris, dicitur enim non ideo, vt audias tantum, ſed vt per fidem dicta obſignes. Quo loco obſignandi verbum proprie, non metaphorice accipiendum eſt, cum rerum ſeries ita declaret & in græco textu, ἐπισφραγίσῃς τὰ λεγόμενα poſitum ſit, nulla (per ſidem) mentione facta. Nec tamen mihi ſane quicquam occurrit, cur non Tertulliani ſit & Cyrilli vera ſententia; vt enim rationes nullæ huius conſuetudinis poſſent afferri, (vide quid hominibus tribuam) ipſis auctoritatibus me frangerent: tot autem rationes afferri poſſunt, vt omnes enumerare, pene ſit infinitum. illa tamen præcipue & maxime inſignis, vt profeſſionis ſcriptio fide non careret: quoniam paſſim ſcripturis olim ſigilla apponebantur, quod adhuc in pontificio vel epiſcopali diplomate, literis ordinum teſtimonialibus & aliquot ſupremæ voluntatis tabulis fieri ſolet. VERVM

Verum ex iis, quæ dicta sunt, facile perſpicere poſſumus, conſilium eccleſiæ in omnibus hiſce cærimoniis, cautionibus ac deliberationibus, quas in vniuerſo hoc negotio adhibuit, eo tantum ſpectaſſe, vt homines religionis chriſtianæ, nullos ad ſui communionem ſine hac formali & ſolemni profeſſione admittentis, naturam & indolem recte perciperent, & intelligerent obligationem, qua in fide & obſequio *CHRISTI*, quemadmodum non tantum coram hominibus, ſed & præſente Deo ſolemniter promiſerant, ſuaque ſubſcriptione confirmarant, perſeuerare tenerentur. Hæc res maximam obligandi vim habebat, quæ per omnem vitam eorum animis ſeſe inſinuabat. Quem in finem CHRYSOSTOMVS auditoribus ſuis hæc frequenter inculcat, eosque vt ea ſibi nullo non tempore in memoriam reuocent, & velut baculum & optimam armaturam contra quasuis tentationes adhibeant, monet. In vltima homilia ſua ad populum *Antiochenum* in hunc locum communem exſpatiatur, inuehens primum acriter in omnes *Romanorum* ludos, theatra, circenſes, dierum obſeruationem, præſagia & omina, quæ omnia pompam ſatanicam eſſe dicit. Hiſce incantamenta iungit & ligaturas. Nam chriſtiani quidam aurea *Alexandri Macedonis* numiſmata capiti vel pedibus ad curandos morbos circumligare non verebantur. Cum quibus hac de re ita expoſtulat [*r*]: „Dic mihi, hæ ne ſunt exſpectationes „noſtræ, vt poſt crucem & mortem dominicam in gentilis re„gis imagine ſpem ſalutis habeamus? Ignoras, quanta crux „perfecit? mortem diſſoluit, peccatum exſtinxit, orcum ina„nem reddidit, diaboli ſoluit potentiam, & ad corporis ſanita„tem præſtandam non eſt fide digna? Totum orbem exſuſci„tauit, & tu in ipſa non confidis? & quid pati dignus non eſ„ſes? Non ligaturas vero tantum, ſed etiam excantamenta ti„bi circumducis, vetulas ebrias & titubantes domum ducens. „Nec confunderis, nec erubeſcis, poſt tantam ad hæc trepi-

(*r*) Chryſoſtom. XXI. ad popul. Antioch. tom. I. p. 275. (p. 244. 245. edit. cit. Francof.) *αὗται αἱ ἐλπίδες ἡμῶν, εἰπέ μοι, ἵνα μετὰ σταυρὸν καὶ θάνατον δεσποτικὸν, εἰς Ἕλληνος βασιλέως εἰκόνα τὰς ἐλπίδας τῆς σωτηρίας ἔχωμεν; οὐκ οἶδας πόσα κατώρθωσεν ὁ σταυρός; τὸν θάνατον κατέλυσε, τὴν ἁμαρτίαν ἔσβεσε, τὸν ᾅδην ἄχρηστον ἐποίησε, τοῦ διαβόλου τὴν δύναμιν ἐξέλυσε, καὶ εἰς σώματος ὑγίειαν οὐκ ἔστιν ἀξιόπιστος; τὴν οἰκουμένην ἀνέστησεν ἅπασαν, καὶ σὺ αὐτῷ οὐ θαῤῥεῖς, καὶ τίνος ἄξιος*

„dans disciplinam: & quod grauius est errore, quando hæc „admonemus & dissuademus, putantes se excusari, dicunt, quod „christiana est mulier hæc incantans, & nihil aliud loquitur, „quam Dei nomen. Propterea namque potissimum ipsam „odi & auersor, quod Dei nomine ad contumeliam abutitur: „quod se dicens esse christianam, gentilium opera facit. Ete- „nim & dæmones Dei nomen fatebantur, sed tamen erant dæ- „mones, & ita *CHRISTO* dicebant: Scimus te, quis sis, san- „ctus Dei, & tamen ipsos increpauit & eiecit. Propterea „quippe vobis supplico, vt absitis fallacia puri, & tamquam ba- „culum hoc verbum habeatis. Et sicut sine calceamentis, vel „vestimentis vestrum nemo in forum descendere eligeret: Ita „sine verbo hoc numquam in forum prodeas, sed quum es ia- „nuæ vestibula transgressurus, hoc prius loquere verbum; Ab- „renuntio tibi, satan, & pompæ tuæ, & cultui tuo, & coniun- „gor tibi, *CHRISTE*. Ne vmquam absque hac voce exeas: „hæc erit tibi baculus, hæc armatura, hæc turris inexpugnabi- „lis. Cum hoc verbo & crucem in fronte imprime: sic enim „non tantum homo occurrens, verum nec ipse diabolus te „quidquam lædere poterit, cum his te cernens armis vbique „apparentem„. In hunc modum CHRYSOSTOMVS homines

εἴης, εἰπέ μοι; οὐ περίαπτα δὲ μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐπῳδὰς σαυτῷ περιάγεις, γραΐδια μεθύοντα καὶ παραπαίοντα εἰς τὴν οἰκίαν σου εἰσάγων, καὶ οὐκ αἰσχύνῃ, οὐδὲ ἐρυθριᾷς μετὰ τοσαύτην φιλοσοφίαν πρὸς ταῦτα ἐπτοημένος; καὶ τὸ χαλεπώτερον τῆς ἀπάτης· ὅταν γὰρ παραινῶμεν ταῦτα, καὶ ἀπάγωμεν, δοκοῦντες ἀπολογεῖσθαι, φασὶν, ὅτι χριστιανή ἐστιν ἡ γυνὴ, ἡ ταῦτα ἐπάδουσα, καὶ οὐδὲν ἕτερον φθέγγεται ἢ τὸ τοῦ Θεοῦ ὄνομα. Διὰ τοῦτο μὲν οὖν αὐτὴν μάλιστα μισῶ καὶ ἀποστρέφομαι, ὅτι τῷ ὀνόματι τοῦ Θεοῦ πρὸς ὕβριν κατακέχρηται, ὅτι λέγουσα χριστιανὴ εἶναι, τὰ τῶν ἑλλήνων ἐπιδείκνυται· καὶ γὰρ οἱ δαίμονες τὸ τοῦ Θεοῦ ὄνομα ἐφθέγγοντο, ἀλλ᾽ ἦσαν δαίμονες, καὶ οὕτως ἔλεγον πρὸς τὸν χριστὸν, οἴδαμέν σε τίς εἶ, ὁ ἅγιος τοῦ Θεοῦ, καὶ ὅμως ἐπετίμησεν αὐτοῖς καὶ ἀπήλασε. Διὰ δὴ ταῦτα παρακαλῶ, τῆς ἀπάτης καθαρεύειν ταύτης, καὶ καθάπερ βακτηρίαν ἔχειν τὸ ῥῆμα τοῦτο· καὶ ὥσπερ χωρὶς ὑποδημάτων ἢ ἱματίων οὐκ ἂν ἕλοιτό τις ὑμῶν εἰς τὴν ἀγορὰν καθεῖναι, οὕτω χωρὶς τοῦ ῥήματος τούτου μηδέποτε εἰς τὴν ἀγορὰν ἐμβάλῃς, ἀλλ᾽ ὅταν μέλλῃς ὑπερβαίνειν τὰ πρόθυρα τοῦ πυλῶνος, τοῦτο φθέγξαι τὸ ῥῆμα πρότερον, ἀποτάσσομαί σοι Σατανᾶ, καὶ τῇ πομπῇ σου, καὶ τῇ λατρείᾳ σου. καὶ συντάσσομαί σοι χριστέ· καὶ μηδέποτε χωρὶς τῆς φωνῆς ταύτης ἐξέλθῃς· τοῦτό σοι βακτηρία ἔσται, τοῦτο ὅπλον, τοῦτο πύργος ἄμαχος· μετὰ τοῦ ῥήματος τούτου καὶ τὸν σταυρὸν ἐπὶ τοῦ μετώπου διατύπωσον· οὕτω γὰρ οὐ μόνον ἄνθρωπος ἀπαντῶν, ἀλλ᾽ οὐδὲ αὐτὸς ὁ διάβολος βλάψαι τι δυνήσεται, μετὰ τούτων σε ὁρῶν τῶν ὅπλων πανταχοῦ φαινόμενον.

ad-

admonet, vt solemnis professionis fidei & stipulationis in baptismate, qua satanæ renuntiarint, Christoque se adscripserint, tamquam optimi antidoti aduersus peccatum & periculum quotidie recordentur. Quibus ille & EPHREM SYRVS hanc multum momenti habentem considerationem subiungunt, quando hic [s], *Hanc renuntiationem*, inquit, *angeli in hora baptismatis scribunt: Hæc a nobis omnibus christianis confessio exigetur iudicii tempore. Scriptum enim est: Quia ex verbis tuis iustificaberis; & rursum dominus dicit: Ex ore tuo te iudico, serue nequam.* Ille [ſſ] autem ait: *Hoc igitur dicamus: Abrenuntio tibi, satana, tamquam in illa die huius vocis rationem reddituri, & ipsam custodiamus, vt saluum tunc reddamus depositum.* Quemadmodum igitur nihil poterat esse vtilius, quam hæc disciplinæ ecclesiasticæ pars, qua istiusmodi publicæ confessiones & promissa ab omnibus, antequam ad *CHRISTI* dominium transirent, requirebantur; (vti domini, qui seruos [t] emebant, eos, qui vendebantur, prius interrogare solebant: an seruire ipsis velint): Ita nihil poterat esse magis necessarium, quam vt promissa animis hominum numquam non inculcarentur, vt intimo obligationis, qua tenebantur, sensu semper percellerentur, a qua re adeo totius vitæ ipsorum ratio, & sempiterna eorum salus in die iudicii pendebat.

§. XIV.

*Num publica omnium peccatorum enumeratio ab hominibus in baptismo exacta fuerit?*

VNVM restat, in quod inquirendum nobis est, antequam hoc caput finiamus. Num publica omnium peccatorum confessio & enumeratio ab hominibus in baptismo exacta fuerit, præter eam, quæ in generali renuntiatione in satanam, eiusque opera & cultum comprehensa fuit? Ad quam quæstionem CHRYSOSTOMVS respondet negando. Loquens enim de differentia, quæ sit inter rationem adsumendi seruos, qua Deus vtatur, & rationem faciendi milites & mancipia, qua vtantur ter-

(s) Ephrem de abrenunt. baptismi p. 110. (p. 92. b. edit. Colon. MDXLVII. 8uo.)
(ſſ) Chrysostom. l. c. p. 274. (p. 243. edit. Francof.) τοῦτο τοίνυν λέγωμεν, ἀποτάσσομαί σοι, Σατανᾶ, ὡς ἐκεῖ μέλλοντες, κατὰ τὴν ἡμέραν ἐκείνην ταύτης ἀπαιτεῖσθαι τὴν φωνήν, καὶ φυλάξωμεν αὐτήν, ἵνα σῶαν τὴν παρακαταθήκην ταύτην ἀποδῶμεν τότε.
(t) Chrysost. h. ibid. p. 243. (p. 242.) καθάπερ ἡμεῖς οἰκέτας ἀγοράζοντες αὐτοὺς τοὺς πωλουμένους πρότερον ἐρωτῶμεν, εἰ βούλοιντο ἡμῖν δουλεύειν, οὕτω καὶ ὁ Χριστὸς ποιεῖ κ. τ. λ.

restres principes & domini hunc in modum argumentatur: „In „theatrum trahi debentes non prius descendunt in certamina, „donec ipsos adsumens præco sub omnium oculis circumdu-„ca clamans & dicens: *Num quis hunc accusat?* Et quidem illic „non animæ, sed corporis pugnæ sunt: Hic vero (apud Deum „eligentem seruos) nihil tale, sed totum contrarium: quum „non in manuum collationibus sint nobis certamina, sed in ani-„mi disciplina & mentis virtute, contrarium agonotheta noster „facit, non ipsum adsumens circumducit, & dicit: *Num quis* „*hunc accusat?* Sed clamat: Licet omnes homines, licet dæ-„mones cum diabolo constituti ipsum accusent de turpissimis „& occultis criminibus, non reiicio, nec abominor, sed ab ac-„cusationibus ipsum liberans, & ab iniquitate absoluens, sic ad „certamina duco. - - *Nec hoc tantum est admirabile, quod nobis pec-* „*cata dimittit, verum & quod ipsa* [u] *non reuelat, nec manifesta fa-* „*cit, nec accedentes cogit in medio patrata edicere*, sed sibi soli ratio-„nem reddere iubet & sibi confiteri. Etenim ex sæcularibus „iudicibus si quis alicui captorum latronum, vel eorum, qui se-„pulchra effodiunt, diceret, vt peccata confiteretur, & a pœ-„na dimitteretur, omni certe promtitudine hoc suscepissent, „salutis cupiditate pudorem contemnentes. Heic vero non „hoc est, verum & peccata dimittit, nec cogit præsentibus

(u) Chrysostom. hom. XXI. ad popul. Antiochen. p. 270. (p. 240. edit. Francof.) *Οἱ μέλλοντες εἰς τὸ θέατρον ἕλκεσθαι ἐκεῖνο, οὐ πρότερον καθίασιν εἰς τοὺς ἀγῶνας, ἕως ἂν αὐτοὺς ὁ κήρυξ λαβὼν ὑπὸ τοῖς ἁπάντων ὀφθαλμοῖς περιάγῃ βοῶν καὶ λέγων, μή τις τούτου κατηγορεῖ; καίτοι γε οὐκ ἔστιν ἐκεῖ ψυχῆς ἀλλὰ σωμάτων τὰ παλαίσματα· - - ἐνταῦθα δὲ οὐδὲν τοιοῦτον, ἀλλ' ἅπαν τοὐναντίον, οὐκ ἐν χειρῶν συμπλοκαῖς ὄντων ἡμῖν τῶν παλαισμάτων, ἀλλ' ἐν φιλοσοφίᾳ ψυχῆς καὶ ἀρετῇ διανοίας· τοὐναντίον ὁ ἀγωνοθέτης ποιεῖ· οὐ γὰρ λαβὼν αὐτὸν περιάγει, καὶ λέγει, μή τις τούτου κατηγορεῖ; ἀλλὰ βοᾷ, κἂν ἄνθρωποι πάντες, κἂν δαίμονες μετὰ τοῦ διαβόλου συστάντες αὐτοῦ κατηγορῶσι τὰ ἔσχατα καὶ ἀπόρρητα δεινά, οὐκ ἐκβάλλω, οὐδὲ βδελύσσομαι, ἀλλὰ τῶν κατηγόρων αὐτὸν ἀπαλλάξας, καὶ τῆς πονηρίας ἐλευθερώσας, οὕτως ἐπὶ τοὺς ἀγῶνας ἄγω· - - οὐ τοῦτο δὲ μόνον ἐστὶ τὸ θαυμαστόν, ὅτι ἀφίησιν ἡμῖν τὰ ἁμαρτήματα, ἀλλ' ὅτι αὐτὰ οὐδὲ ἐκκαλύπτει, οὐδὲ ποιεῖ φανερὰ, καὶ δῆλα, οὐδὲ ἀναγκάζει παρελθόντας εἰς μέσον ἐξειπεῖν τὰ πεπλημμελημένα, ἀλλ' αὐτῷ μόνῳ ἀπολογήσασθαι κελεύει, καὶ πρὸς αὐτὸν ἐξομολογήσασθαι· καίτοιγε ἐκ τῶν ἔξωθεν δικαστῶν εἴ τις εἶπέ τινι τῶν ἁλόντων λῃστῶν ἢ τυμβωρύχων, εἰπεῖν τὰ πεπλημμελημένα, καὶ ἀφεθῆναι τῆς κολάσεως, πάσῃ προθυμίᾳ ἂν κατεδέξαντο τοῦτο, τῆς σωτηρίας ἐπιθυμίᾳ, τῆς αἰσχύνης καταφρονοῦντες· ἐνταῦθα δὲ οὐ τοῦτό ἐστιν, ἀλλὰ καὶ ἀφίησι τὰ ἁμαρτήματα, καὶ οὐκ ἀναγκάζει παρόντων τινῶν αὐτὰ ἐκπομ-*

quibus-

„quibusdam ipsa enuntiari: Sed vnum solum exigit, vt ipse re- „missione fruens doni magnitudinem discat.„ Testimonium hoc est omni exceptione maius, quod publica priuatorum delictorum confessio ab hominibus ad baptismum accedentibus requisita non fuerit. Hinc quum GREGORIVS NAZIANZENVS [x] de peccatorum confessione in baptismo loquitur, intelligendus est vel de generali confessione, vel specialiori peccatorum enumeratione, quam quis sibi ad pœnitentiæ suæ sinceritatem modo quodam eminentiore testificandam voluntarie ipse imposuisset; quod quidam in baptismo *Ioannis* Matth. III, 6. factum esse putant, item in baptismo eorum, quorum in actis apostolorum cap. XIX, 18. habetur mentio, vbi relatum legimus, quod *multi eorum, qui crediderant, venerint confitentes & indicantes facta sua*; tametsi hoc hominibus nulla necessaria lege vel regula ecclesiæ impositum esset. Si qui crimina cum publica aliorum offensione perpetrassent, inposterum ea se fugere velle promittere debebant: verum peccatorum priuatim & occulte commissorum confessio non requirebatur, nisi coram Deo, sed generalis duntaxat abrenuntiatio omnium peccatorum, quibus priuatum quodque crimen inclusum esse credebatur. Vid. AVGVSTIN. *Sermon. CXVI. de tempore* [y].

---

πίνειν, ἀλλ' ἓν μόνον ζητεῖ, ὅπως αὐτὸς ὁ τῆς ἀφέσεως ἀπολαύων μάθοι τῆς δωρεᾶς τὸ μέγεθος.

(x) Nazianz. orat. XL. de bapt. p. 657. μὴ ἀπαξιώσῃς ἐξαγορεῦσαί σου τὴν ἁμαρτίαν· εἰδὼς ὅπως Ἰωάννης ἐβάπτισεν, ἵνα τὴν ἐκεῖθεν αἰσχύνην, τῇ ἐνταῦθα φύγῃς· ἐπειδὰν μέρος καὶ τοῦτο τῆς ἐκεῖσε κολάσεως· καὶ δόξῃς ὅτι τὴν ἁμαρτίαν ὄντως μεμίσηκας, παραδειγματίσας αὐτὴν, καὶ θριαμβεύσας, ὡς ἀξίαν ὕβρεως. Ne peccatum tuum confiteri graue ducas, sciens, quo pacto Ioannes baptizauerit: vt per huius vitæ pudorem, futuri seculi pudorem ignominiamque fugias, (nam hoc quoque sempiterni illius supplicii pars est) ac perspicuum facias, te serio atque ex animo peccatum odisse ac detestari, dum illud tamquam contumelia dignum traducis ac velut ludibrio exponis, de eoque triumphum agis.

(y) Tom. X. opp. p. 851. 852. edit. Basil. MDLXIX.

LIBRI

# LIBRI VNDECIMI
## CAPVT OCTAVVM
## DE VSV SPONSORVM IN BAPTISMO.

### §. I.

*Tria genera ſponſorum in eccleſia antiqua.* Primum *pro infantibus.*

Consideratis conditionibus & promiſſis, quæ ab hominibus in baptiſmo requiri ſolebant, officium & negotium ſponſorum, qui ſemper in quamdam huius obligationis ſocietatem venerunt, examinari oportet. Atque heic primum obſeruandum eſt, ſponſorum in eccleſia primitiua adhibitorum tria fuiſſe genera. 1. Pro infantibus, qui per ſe ipſi renuntiare, vel profiteri, vel reſpondere non poterant. 2 Pro iſtis adultis, qui propter morbum vel infirmitatem eiusdem cum infantibus conditionis erant, ad reſpondendum pro ſe minus idonei. 3. Pro omnibus adultis generatim. Nam eccleſia etiam pro illis ſponſores requirebat, qui alioquin pro ſe ipſi reſpondere poterant. Iam officium ſponſorum natura ſua, pro huius triplicis diſtinctionis ratione, aliquantum diuerſum erat. Qui ſponſores pro infantibus ſe profitebantur, primum eorum nomine ad omnes interrogationes, in baptiſmo fieri ſolitas, reſpondere, & tunc piæ illorum educationis curam ſuſcipere debebant. Nonnulli etiam ipſos eis perfecta alimenta corporis proſpicere, eosque filios adoptare debuiſſe, ſi a parentibus adhuc impuberes deſerti eſſent, cenſent.

### §. II.

*Parentes plerumque ſponſores pro ſuis ipſorum liberis.*

Verum in hoc eos falli exiſtimo. Quicumque enim pro infantibus ſponſores eſſent, ſi qui parentibus deſtituebantur, onus illud ſuſtentationis in eccleſiam generatim, nec in vllos alios deuoluebatur. Id quod ex hac duplici conſideratione patet. Primo quidem, quod parentes plerumque pro ſuis ipſorum liberis ſponſores eſſent. Atqui hoc in caſu dubium nullum eſt, quin ipſi, quoad vixerint, ad aiendum ſuos obligati fuerint. Nam liberos ſuos ſuſtentare lege naturali tenebantur, non quia ſponſores pro illis, ſed quia parentes eorum erant.

rant. Non quidem neceſſario requirebatur, vt parentes pro paruulis ſuis reſponderent, etſi iam AVGVSTINI memoria quidam in hanc ſententiam propenderent, quos opinione falli ille exiſtimat, multisque in caſibus aliter fieri oportere demonſtrat [a]. In pleriſque tamen caſibus parentes pro liberis ſuis ſponſores erant, vti ex AVGVSTINO apparet, qui de parentibus, filios ſuos ad baptiſmum ordinarie offerentibus & pro illis ſpondentibus [b], loquitur. Extra ordinem autem ab aliis offerebantur, quando parentes pro illis hoc officium explere vel nequibant, vel nolebant: vt quando a dominis ſeruuli [c]; vel paruuli, quorum parentes mortui erant, ab eis offerebantur, qui illis huiusmodi miſericordiam præbere poterant; vel ſi infantes, quos parentes expoſuerant, a ſacris virginibus collecti offerebantur ad baptiſmum. Hi ſoli caſus ſunt, AVGVSTINO memorati, in quibus infantes non parentes ſuos, ſed alios homines, ſponſores habuiſſe videntur. Vnde probabile omnino eſt, in omnibus caſibus ordinariis parentes pro infantibus ſuis reſpondiſſe. Quod etiam ex auctore *hypognoſticon* [d], ſub nomine AVGVSTINI deliteſcente, colligi poteſt, qui de infantibus parentum manibus ad ſacri baptiſmatis gratiam deportatis, & quibusdam in eorum manibus ante demortuis, quam ſacerdos baptizare eos potuiſſet, loquitur. Quando igitur parentes pro paruulis ſuis ſpoponderunt, ad illos alendos etiam

(a) Auguſtin. epiſt. XXIII. ad Bonifac. Illud autem nolo te fallat, vt exiſtimes, reatus vinculum, ex Adam tractum, aliter non poſſe rumpi, niſi paruuli ad percipiendam Chriſti gratiam a parentibus offerantur.

(b) Auguſtin. ibid. Quid eſt illud, quod, quando ad baptiſmum offeruntur, parentes pro eis tamquam fidedictores reſpondent, cetera.

(c) Auguſtin. ibid. Videas, multos non offerri a parentibus, ſed etiam a quibuslibet extraneis, ſicut a dominis ſeruuli aliquando offeruntur. Et nonnumquam, mortuis parentibus ſuis, paruuli baptizantur, ab eis oblati, qui illis huiusmodi miſericordiam præbere potuerunt. Aliquando etiam quos crudeliter parentes expoſuerunt, nutriendos a quibuslibet, nonnumquam a ſacris virginibus colliguntur, & ab eis offeruntur ad baptiſmum.

(d) Aug. hypognoſtic. contra Pelag. lib. VI. c. VII. tom. VII. p. 683. (p. 1416. edit. Baſil. MDLXIX.) Nouimus etiam paruulos, quibus vſus liberi arbitrii non eſt, vt de bonis aut malis eorum meritis iudicemus, parentum manibus ad gratiam ſacri baptiſmatis deportatos: Et quum in vno eorum per manus ſacerdotis myſterium fidei adimpleretur, aliquoties alterum in parentum manibus factum exanimum, fraudatum gratia ſaluatoris.

 fue-

fuerunt obligati, idque non ex lege sponsorum, sed iure naturæ: qui si officio suo deessent, in vniuersam ecclesiam hoc onus deuoluebatur.

## §. III.

### *Alii sponsores infantes, pro quibus spoponderant, non debebant sustentare.*

Deinde si extranei pro infantibus sponsores fuerant, onus educationis nulla lege sponsionis ad eos deuoluebatur, nisi iam antegressa quadam lege eorum curam agere tenerentur. Si quis dominus pro seruo suo sponsor esset, eum alere debebat, quia iam antehac parentis loco illi erat: adeoque hæc obligatio non ex sponsione eius, sed inde proficiscebatur, quod dominus illius esset. In aliis autem casibus ita non erat comparatum. Nam interdum infantes expositítii colligebantur, & ad baptismum offerebantur a mere extraneis, atque tum onus alendi eos ecclesiæ, non sponsoribus, incumbebat. Aliquando, vti AVGVSTINVS [e] narrat, istiusmodi paruuli ad baptismum adducebantur a sacris ecclesiæ virginibus, quæ non habebant, vnde viuerent, nisi quæ ab ecclesia ipsæ accipiebant. Vnde manifestum est, vitæ subsidia ad istos infantes ex eodem fonte, quo ad virgines, nimirum ex publico ecclesiæ ærario, deriuari oportuisse. Vt adeo semper in ecclesiam, non in sponsores, hæc cura collata fuerit, nisi antecedente quadam obligatione tenerentur. Neque vero idonea huic consuetudini ratio deerat: nam, obseruante AVGVSTINO [f], offerebantur paruuli ad percipiendam baptismatis gratiam non tam ab eis, quorum gestabantur manibus, (quamuis & ab ipsis, si & ipsi boni fideles erant) quam ab vniuersa societate sanctorum atque fidelium. Tota hoc mater ecclesia faciebat, tota omnes, tota singulos pariebat. Quocirca, si quibus eorum vitæ dees-

(e) Augustin. epist. XXIII. ad Bonifac. Aliquando etiam, quos crudeliter parentes exposuerunt nutriendos a quibuslibet, nonnumquam a sacris virginibus colliguntur & ab eis offeruntur ad baptismum.

(f) Augustin. ibid. Offeruntur quippe paruuli ad percipiendam spiritualem gratiam, non tam ab eis, quorum gestantur manibus, quamuis & ab ipsis, si & ipsi boni fideles sunt, quam ab vniuersa societate sanctorum & fidelium. - - Tota hoc ergo mater ecclesia, quæ in sanctis est, facit: quia tota omnes, tota singulos parit.

sent

ſent ſubſidia, æquum & iuſtum erat, eccleſiam ſuis ipſius liberis ea proſpicere. Vt adeo, qui ſponſorum fideiuſſionem pro infantibus tantopere vrgent, quaſi hac ipſa ad proſpiciendum eis victum & amictum ſe obligaſſent, adſerti ſui fundamento deſtituantur, quum ex optimis, quæ nobis ſuppetunt, documentis, in antiquæ eccleſiæ praxi aliter rem ſe habuiſſe appareat. Non hæc eo a me dicuntur, vt ſponſores vllis officiis, ad eos proprie ſpectantibus, ſoluam, ſed tantum vt robur adimam iis, quæ nonnulli contra præſentem ſponſorum vſum in baptiſmo oppoſuerunt, quaſi diuerſi generis ſint ab antiquæ eccleſiæ ſponſoribus, quia huic peculiari obligationi non ſubſunt; quæ haud alio fundamento, quam mera eorum, qui hæc ipſa opponunt, opinatione nituntur.

§. IV.

*Sed tantum eorum loco ad diuerſas interrogationes in baptiſmo reſpondere.*

EQVIDEM res duæ olim a ſponſoribus requirebantur, tamquam officio ipſorum propriæ. 1) Vt infantium nomine ad omnes interrogationes in baptiſmo reſponderent. Hoc TERTVLLIANVS [g] videtur innuere, quando de promiſſionibus ſponſorum in baptiſmo loquitur, & de periculo, cui ſe ingerant, ſi promiſſiones ſuas vel per mortalitatem deſtituant, vel prouentu malæ indolis fallantur. Si quis vero has promiſſiones ad ea tantum attinere exiſtimet, quæ ſponſores pro ſe ipſis, non autem pro paruulis promiſerint, is ex aliis auctoribus planius hac de re erudiri poterit. GENNADIVS [h] iſtas promiſſiones pro paruulis vel hebetibus, qui doctrinam non capiant, ſecundum morem in baptiſmo vſitatum fieri, adfirmat. Et AVGVSTINVS [i] ſpeciatim interrogationum, illis, a quibus infantes offerebantur, propoſitarum formam nobis tradit, ita

(g) Tertull. de bapt. c. XVIII. Quid enim neceſſe eſt, ſponſores etiam periculo ingeri? Quia & ipſi per mortalitatem deſtituere promiſſiones ſuas poſſint, & prouentu malæ indolis falli.

(h) Gennad. de eccleſ. dogmat. c. LII. (apud Auguſt. tom. III. opp. p. 204. edit. Baſil. MDLXIX.) Si vero paruuli ſunt, vel hebetes, qui doctrinam non capiant, reſpondeant pro illis, qui eos offerunt, iuxta morem baptizandi.

(i) Aug. epiſt. XXIII. ad Bonifac. Interrogamus eos, a quibus offeruntur, & dicimus, Credit in Deum? de illa ætate, quæ vtrum ſit Deus, ignoret: re-

 haben-

habentem: *Credit in Deum? Conuertit ſe ad Deum?* Quod idem eſt, ac *Renuntiat diabolo?* Et, *Adſcribit ſe Chriſto?* Aliis in locis [*k*] magis perſpicue dicit, ſponſores pro illis reſpondere, quod renuntient diabolo, pompis & operibus eius. Et contra *Pelagianos* diſputans, hoc argumento demonſtrat, quod paruuli in poteſtate diaboli ſint & peccato originali infecti, & remiſſione peccatorum indigeant; quia ſi *Pelagianus* quispiam paruulum ipſe afferret baptizandum, pro ipſo reſpondere deberet [*l*], quum ille pro ſe loqui non poſſet, *eum renuntiare diabolo, conuerti ad Deum, credere inter cetera remiſſionem peccatorum*; quæ omnia fallaciter dicerentur, ſi ad infantem nihil attinerent. Nullam etiam paruulum ad baptiſmum ſe admiſſurum fore profitetur, cuius ſponſorem non ſincere hæc pro ipſo promittere & reſpondere exiſtimet. Igitur de forma & praxi heic nulla eſt controuerſia. Modo difficillima quæſtio *Bonifacio* epiſcopo videbatur, & vt talem *Auguſtinus* ipſe eam proponebat. Quo modo vere dici poſſit, quod paruulus credat in Deum, & quod diabolo renuntiet, & ſe conuertat ad Deum, qui hoc non intelligat? *Si conſtituam*, inquit, [*ll*] *ante te paruulum & interrogem, vtrum, quum creuerit, futurus ſit caſtus, vel fur non ſit futurus: ſine dubio reſpondebis, neſcio. Et vtrum in eadem paruula ætate conſtitutus, cogitet aliquid boni vel mali? Dices: neſcio. Si itaque de moribus eius futuris nihil audes certi promittere & de eius præſenti cogitatione, quod eſt illud, quod quando ad baptiſmum offeruntur, pro eis parentes*

ſpondent, Credit, & ad cetera ſic reſpondent ſingula, quæ quæruntur. - - mihi ſine dubitatione reſpondet, quod credat in Deum, & quod ſe conuertat ad Deum.

(*k*) Auguſt. ſerm. CXVI. de tempore tom. X. p. 304. (p. 852. edit. Baſil. MDLXIX.) Fideiuſſores pro ipſis reſpondent, quod abrenuntient diabolo, pompis & operibus eius.

(*l*) Auguſtin. de peccator. meritis lib. I. c. XXXIV. Vellem, aliquis iſtorum, qui contraria ſapiunt, mihi baptizandum paruulum afferret. Ipſe certe mihi erat reſponſurus pro eodem paruulo, quem geſtaret, quia ille pro ſe reſpondere non poſſet. Quomodo ergo dicturus erat, eum renuntiare diabolo, cuius in eo nihil eſſet? Quomodo conuerti ad Deum, a quo non eſſet auerſus? Credere inter cetera remiſſionem peccatorum, quæ ibi nulla tribueretur? Ego quidem ſi contra eum hæc ſentire exiſtimarem, nec ad ſacramenta cum paruulo intrare permitterem.

(*ll*) Auguſtin. epiſt. XXIII. ad Bonifac.

*rentes tanquam fidedictores respondent, & dicunt illos facere, quod illa ætas cogitare non potest, aut si potest, occultum est? Interrogamus enim eos, a quibus offeruntur & dicimus: Credit in Deum: de illa ætate, quæ, vtrum sit Deus, ignoret; respondent, credit: & ad cetera sic respondent singula, quæ quæruntur. Vnde miror, in istis rebus tam fidenter pro paruulo respondere, vt dicant, eum tanta bona facere, quæ ad horam, qua baptizatur, baptizator interrogat, tamen eadem hora si subiiciam: Erit castus, qui baptizatur, aut non erit fur? nescio vtrum audet dicere aliquis: Aliud horum erit, aut non erit: sicut mihi sine dubitatione respondet, quod credat in Deum & quod se conuertat ad Deum.* Ad hæc AVGVSTINVS respondet, quod paruulus dicatur credere, propter sacramentum fidei & conuersionis, quod nomen fidelis ipsi tribuat. *Nonne*, inquit [m], *semel immolatus est CHRISTVS in se ipso? Et tamen in sacramento non solum per omnes paschæ solemnitates, sed omni die populis immolatur; nec vtique mentitur, qui interrogatus eum responderit immolari. Si enim sacramenta quædam similitudinem earum rerum, quarum sacramenta sint, non haberent, omnino sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine plerumque etiam ipsarum rerum nomina accipiunt. Sicut ergo secundum quemdam modum sacramentum corporis Christi, corpus Christi est, sacramentum sanguinis Christi sanguis Christi est; ita sacramentum fidei fides est. Ac per hoc quum respondetur paruulus credere, qui fidei nondum habet effectum, respondetur, fidem habere propter fidei sacramentum, & conuertere se ad Deum propter conuersionis sacramentum, quia & ipsa responsio ad celebrationem pertinet sacramenti.* Vt adeo secundum AVGVSTINVM, quando paruulus fidem habere dicitur, sensus duntaxat sit, quod sacramentum fidei recipiat, quam fidem ille amplecti debeat, quum sapere & sacramentum intelligere cœperit. Interim fidelis vocatur, quia sacramentum fidei recipit, & fœdus cum Deo per sponsores suos init, qui id eius loco supplent, quod ipse per se facere non potest. Hoc primum sponsorum erga paruulos officium.

§. V.

*Et futuræ eorum vitæ spiritualis moderatores esse.*

ALTERVM erat, futuræ eorum vitæ spiritualis tutores esse, & piis monitis bonisque consiliis contendere, vt ipsos ad

(m) Augustin. ibid.

inplendas icti cum Deo fœderis conditiones adducant. AVGVSTINVS [n] ad ipſos etiam ſponſores hoc pactum cum Deo attinere ſtatuit, adeoque id tamquam officium eorum vrget, vt non ſolum exemplis, ſed etiam verbis de caſtitate, de humilitate, de ſobrietate & pace eos admonere vel docere non deſinant, quia pro ipſis reſponderint, quod abrenuntient diabolo, pompis & operibus eius. Alio loco [o] ſponſorum officia curatius deſcribit, quando ait: *Hoc admoneo, vt quoties paſchalis ſolemnitas venit, quicumque viri, quæcumque mulieres de ſacro fonte filios ſpiritualiter exceperunt, cognoſcant, ſe pro ipſis fideiuſſores apud Deum exſtitiſſe, & ideo ſemper illis ſollicitudinem veræ caritatis impendant, & admoneant, vt caſtitatem cuſtodiant, virginitatem vsque ad nuptias ſeruent, a maledicto vel periurio linguam refrenent, cantica turpia vel luxurioſa ex ore non proferant, non ſuperbiant, non inuideant, iracundiam vel odium in corde non teneant, auguria non obſeruent; phylacteria & characteres diabolicos nec ſibi nec ſuis aliquando ſuſpendant, incantatores velut miniſtros diaboli fugiant, fidem catholicam teneant, ad eccleſiam frequentius currant, contemta verboſitate lectiones diuinas attentis auribus audiant, peregrinos accipiant, & ſecundum quod ipſis in baptiſmo dictum eſt, hoſpitum pedes lauent, pacem & ipſi teneant & diſcordes ad concordiam reuocare contendant, ſacerdotibus & parentibus honorem amore veræ caritatis impendant.* Hæc erant, quæ pro paruulis in baptiſmo promiſerant, adeoque ex lege fœderis cum Deo omne ſuum conſilium, ſtudium, officium, operam & diligentiam eo debebant conferre, vt ſpirituales pupillos ſuos ad illa facienda perducerent.

## §. VI.

### Secundum *genus ſponſorum pro iſtiusmodi adultis, qui pro ſe reſpondere ipſi non poterant.*

SECVNDVM genus ſponſorum illi erant, qui pro iis re-

(n) Auguſtin. ſerm. CXVI. de tempore, tom. X. p. 304. (p. 852. edit. Baſil.) Non ſolum exemplis, ſed etiam verbis eos ad omne opus bonum admonere debetis: præcipue tamen, qui filios aut filias excipere religioſo amore deſiderant, & antequam baptizentur, & poſteaquam baptizati fuerint, de caſtitate, de humilitate, de ſobrietate vel pace eos admonere vel docere non deſinant, & agnoſcant ſe fideiuſſores eſſe ipſorum. Pro ipſis enim reſpondent, quod abrenuntient diabolo, pompis & operibus eius.

(o) Auguſtin. ſerm. CLXIII. de tempore (ibid. p. 957.)

ſpon-

ſpondere iubebantur, qui ob quamdam infirmitatem pro ſe reſpondere ipſi non poterant. Iam ſupra obſeruauimus, quod homines ſubito obmuteſcentes, vel ex graui quodam morbo phreneticos, baptizari licuerit, ſi qui de familiaribus vel neceſſariis eorum potuerint teſtari, quod baptiſmum antea deſiderauiſſent; atque hoc in caſu iidem homines ſponſores eorum fiebant, eadem pro ipſis ac pro paruulis reſpondentes. Hoc ex CYRILLO ALEXANDRINO [p] diſcimus, qui *Pro iis*, inquit, *qui extremo morbo conflictantur, ideoque baptizandi ſunt, abrenuntiant & coniunguntur* (*CHRISTO*) *aliqui, qui velut ex caritate ac dilectione ſuam morbo impeditis commodent vocem.* In eumdem modum res ſe habuit cum æthiope *Africano*, quem FVLGENTIVS [q] ante baptiſmum in febrim incidiſſe, eiusque vi magna rationis ſermonisque vſum perdidiſſe narrat. *Factum eſt*, inquit, *vt confeſſionem tempore præterito redditam, quia non potuit in hora baptiſmi reddere propter infirmitatem corporis, adiutorio fraternæ redderet caritatis.* Vt adeo omnes canones, qui de mutis, extrema quadam vrgente neceſſitate baptizandis [r], loquuntur, etſi non expreſſis verbis ſponſores pro illis requirant, requirere tamen ſecundum vſitatam eccleſiæ praxin intelligendi ſint. Quod ſi iſtiusmodi homo poſt talem baptiſmum ex morbo conualeſceret, ſponſoris erat, non tantum ipſum de omnibus, quæ cum eo erant geſta, teſtis inſtar erudire, ſed conuerſationem quoque eius moderari, eumque ad præſtandum illud, quod nomine ipſius promiſerat, inducere. Hoc enim ſponſorum officium erat in quibuscumque caſibus, quo immunis eſſe nemo poterat.

## §. VII.

### Tertium *genus ſponſorum pro adultis omnibus generatim.*

TERTIVM genus ſponſorum erant, qui pro illis adultis hominibus reſpondebant, qui pro ſe ipſi reſpondere poterant. Illi

(p) Cyrill. Alexandr. comment. in Io. XI, 26. tom. IV. p. 683. ὑπὲρ δὲ τῶν ἐσχάτῃ νόσῳ κατειλημμένων, μελλόντων τε διὰ τοῦτο βαπτίζεσθαι, καὶ ἀποτάττονταί τινες καὶ συντάττονται, τὴν οἰκείαν ὥσπερ ἐξ ἀγάπης κιχρῶντες φωνὴν τοῖς νόσῳ πεπεδημένοις.

(q) Fulgent. de bapt. æthiopis c. VII. p. 610.
Vid. Gennad. de eccleſ. dogmat. c. LII. citat. ſupra ſub lit. (h) pag. 291.

(r) Vid. cap. V. §. II. pag. 264.

enim

enim ſuos quoque habebant ſponſores, neque quiſpiam olim ſine illis baptizabatur. De his non tantum DIONYSIVS [s] & *conſtitutionum apoſtolicarum* auctor [t], ſed multi alii magis idonei ſcriptores loquuntur. VICTOR VTICENSIS [u] *Muritta* cuiusdam diaconi mentionem facit, qui *Carthagine Elpidiphorum* de fonte ſacro ſuſceperit. Et PALLADIVS [x] *Euagrium Ponticum* idem officium *Rufino*, viro rei politicæ peritiſſimo & præfecto prætorio ſub *Arcadio*, exhibuiſſe dicit. AVGVSTINVS frequentem eorum mentionem facit, at ſimul narrat, non fuiſſe hanc officii eorum partem, pro pupillis ſuis in baptiſmo reſpondere, vt pro paruulis & ægrotantibus, qui pro ſe ipſi reſpondere non poterant, fieri moris erat. Quamquam enim eccleſia in baptiſmo infantium hoc valere [y] iubebat, eo, quod vſu rationis deſtituti, adeoque ad reſpondendum minus idonei eſſent; hominibus tamen ætate adultis permittere nolebat, vt per procura-

(s) Dionyſ. eccleſ. hierarch. c. II. p. 251. 252. Ὁ τούτων ἀγαπήσας τῶν ὄντως ὑπερκοσμίων τὴν ἱερὰν μετουσίαν ἐλθὼν ἐπί τινα τῶν μεμυημένων, πείθει μὲν αὐτὸν, ἡγήσασθαι αὐτοῦ τῆς ἐπὶ τὸν ἱεράρχην ὁδοῦ· αὐτὸς δὲ ὁλικῶς ἐπακολουθήσειν ἐπαγγέλλεται τοῖς παραδοθησομένοις, καὶ ἀξιοῖ τῆς τε προσαγωγῆς αὐτοῦ, καὶ συμπάσης τῆς ἐπὶ τὸ ἑξῆς ζωῆς τὴν ἐπιστασίαν ἀναδέξασθαι. Τὸν δὲ, τῆς μὲν ἐκείνου σωτηρίας ἱερῶς ἐρῶντα, πρὸς δὲ τὸ τοῦ πράγματος ὕψος ἀντιμετροῦντα τὸ ἀνθρώπινον, φρίκη μὲν ἄφνω καὶ ἀμηχανία περιΐσταται· τελευτῶν δὲ ὅμως, ποιήσειν τὸ αἰτηθὲν ἀγαθοειδῶς ὡμολόγησε, καὶ παραλαβὼν αὐτὸν ἄγει πρὸς τὸν τῆς ἱεραρχίας ἐπώνυμον. Quisquis horum munerum vere ſupermundialium ſancte particeps eſſe cupit, accedens quempiam ſacris initiatum, flagitat ab eo ad ſacrorum præſidem manuduci, nec non integre cunctis ſanctionibus obſequi pollicetur, rogatque, ſuæ cum admiſſionis tum totius exinde vitæ curam ſuſcipere ne recuſet. Tum hunc ſalutis quidem illius ſancte cupidum, ſed rei celſitudinem humanæ fragilitati opponderantem, horror illico anxietasque circumdant: verum tamen beneuole tandem ſimul petitioni eius ſatis ſe facturum adnuit, ipſumque ſuſcipiens ad ſummum ducit ſacerdotem.

(t) Conſtit. apoſtol. lib. III. c. XVI. Τὸν μὲν ἄνδρα ὑποδεχέσθω ὁ διάκονος· τὴν δὲ γυναῖκα ἡ διάκονος. Virum ſuſcipiat diaconus: mulierem vero diaconiſſa.

(u) Vict. de perſecut. Vandal. lib. III. bibl. patr. tom. VII. p. 613. Hic dudum fuerat apud nos in eccleſia Fauſti baptizatus, quem venerabilis Muritta diaconus de alueo fontis ſuſceperat generatum.

(x) Pallad. hiſtor. Lauſiac. c. XII. bibl. patr. gr. lat. tom. II. p. 915. ἀποδέχεται τὸν Ῥουφῖνον ὁ ἅγιος ἀπὸ τοῦ ἀχράντου βαπτίσματος.

(y) Auguſt. de bapt. lib. IV. c. XXIV. Cum alii pro infantibus reſpondent, vt impleatur circa eos celebratio ſacramenti, valet vtique ad eorum conſecrationem, quia ipſi reſpondere non poſſunt. At ſi pro eo, qui reſpondere poteſt, alius reſpondeat, non itidem valet &c.

torem

torem reſponderent, qui pro ſe ipſi reſpondere poterant; quum ſit quædam ratio naturalis in effato parentum illius cæci apud *Ioannem* euangeliſtam: *Aetatem habet, pro ſe ipſe loquatur.* Maxime agreſte ingenium & rudis ſimplicitas etiam in ſexu muliebri ordinarie hoc per ſe reſpondendi officium non tollebat, niſi, vt GENNADIVS [z] obſeruat, adeo hebetes eſſent, vt doctrinam non caperent; qua conditione ſponſores requirebantur, qui pro illis non ſecus ac pro paruulis, a quibus intelligentia adeo parum diſcrepabant, reſponderent.

§. VIII.

*Quorum officium non erat, illorum nomine reſpondere, ſed eos ſolum cum ante tum poſt baptiſmum admonere & inſtituere.*

ENIMVERO non ordinarium hoc officium ſponſorum erat, ſi baptizandi pro ſe ipſi valerent reſpondere. Vnicum eorum negotium erat, ſpiritualis eorum vitæ obſeruatores eſſe & cuſtodes, quocirca inſtitutionis & morum illorum curam cum ante tum poſt baptiſmum ſuſcipere debebant. Hinc diaconiſſæ plerumque mulieres docere iubebantur, quemadmodum ad interrogationes in baptiſmo reſpondere eos oporteret. Ad quod faciendum vt diaconiſſæ idoneæ ſint, in earum electione antiqui canones videndum præſcribunt. In concilio enim *Carthaginenſi* quarto [a] decretum legimus iſtiusmodi: *Viduæ vel ſanctimoniales, quæ ad miniſterium baptizandarum mulierum eliguntur, tam inſtructæ ſint ad officium, vt poſſint apto & ſancto ſermone docere imperitas & ruſticas mulieres, tempore quo baptizandæ ſunt, qualiter baptizatori reſpondeant, & qualiter accepto baptiſmate viuant.* Quod decretum alio in loco [b] ſpectauimus.

§. IX.

*Hoc officium præcipue diaconis & diaconiſſis impoſitum.*

Ex antiquis quibusdam regulis hoc officium præcipue diaconiſſis erat impoſitum, vt pro mulieribus reſponderent, quemadmodum diaconi pro viris id facere debebant. Ita enim

(z) Gennad. de eccleſ. dogmat. c. LII. Si vero paruuli ſunt vel hebetes, qui doctrinam non capiunt, reſpondeant pro illis, qui eos offerunt iuxta morem baptizandi.

(a) Conc. Carth. IV. c. XII.

(b) Lib. II. c. XXII. §. IX. volum. I. pag. 353.

 *conſti-*

*constitutionum apostolicarum* auctor rem repræsentare videtur, quando [*c*] *Virum*, inquit, *suscipiat diaconus: mulierem vero diaconissa.* Et sacræ virgines sæpius in hoc officio memorantur fuisse occupatæ. AVGVSTINVS, vt iam antea audiuimus, de illis hunc in modum loquitur [*d*]: *Aliquando, quos crudeliter parentes exposuerunt, nutriendos a quibuslibet, nonnumquam a sacris virginibus colliguntur, & ab eis offeruntur ad baptismum. Quæ certe proprios filios non habuerunt vllos, nec habere disponunt.* Et in vita EPIPHANII [*e*] legimus, quod vt *Lucianus* quidam illius pater in baptismo, ita *Bernice* sancta quædam virgo mater sororis eius fuerit. Ex quibus perspicimus, initio sacras virgines & monasticas æque ac homines quosuis alios ad recipiendum in se hoc graue officium habitas fuisse idoneas. Tametsi postea in ecclesia *Gallicana* canone quodam concilii *Antissiodorensis* [*f*] monachi de baptismo quempiam suscipere prohibentur. Atque hæc prohibitio in hunc vsque diem in ecclesia *Romanensi* valet.

## §. X.

### *Quinam a sponsionibus in baptismo prohibiti.*

ANTIQVIS autem temporibus nulli homines hoc caritatis officium peragere prohibebantur, nisi qui christianæ religionis regulas migrando indignos se ipsi reddidissent. Patres, quemadmodum percepimus antea, frequenter pro suis ipsorum filiis spondebant; neque huius rei prohibitionem ego quidem

(*c*) Constit. apost. lib. III. c. XVI. vid. cit. sub litt. antecd. (t). pag. 296.

(*d*) August. epist. XXIII. ad Bonifac.

(*e*) Vita Epiphan. n. VIII. tom. II. p. 334. Μετὰ τὴν ἀπόλυσιν τοῦ εὐαγγελίου εἰσῆλθεν ὁ ἐπίσκοπος ἐν τῷ φωτιστηρίῳ· καὶ ἐκέλευσεν εἰσελθεῖν Ἐπιφάνιον καὶ τὴν ἑαυτοῦ ἀδελφὴν, καὶ Λουκιανὸν μετ' αὐτῶν, ὃς καὶ πατὴρ αὐτῷ ἐγενήθη ἐπὶ τοῦ ἁγίου φωτίσματος. - - Μετὰ δὲ τὰς ζ' ἡμέρας ἔλαβεν Ἐπιφάνιος Λουκιανὸν καὶ Βερνίκην τὴν ἁγίαν παρθένον, ἥτις ἐγένετο μήτηρ τῆς ἀδελφῆς Ἐπιφανίου, καὶ εἰσήνεγκεν αὐτοὺς ἐν τῷ οἴκῳ αὐτοῦ. Post absolutum euangelium ingressus est episcopus in baptisterium & iussit Epiphanium ingredi & eius sororem & cum ipsis *Lucianum*, *qui* etiam *fuit pater eius in sancto baptismate.* - Post septem dies accepit Epiphanius Lucianum & *Bernicem* sanctam virginem, *quæ* quidem *fuit mater sororis ipsius Epiphanii*, & introduxit eos in domum suam.

(*f*) Conc. Antissiodor. can. XXV. Non licet abbati filium de baptismo suscipere; nec monachis commatres habere.

noui

noui ante tempora *Caroli Magni*, vbi concilium *Moguntinum* [g] canonem in contrarium ſtatuit: *Nullus proprium filium vel filiam, de fonte baptiſmatis ſuſcipiat.* Olim etiam presbyteris & diaconis licebat eſſe ſponſoribus, tametſi & hoc in quibusdam conciliis prouincialibus eccleſiæ *Romanenſis* a *Borromæo* curiæ pontificiæ purpurato [h] ſæculo vltimo vetitum ſit. At quos antiqui chriſtiani ab hoc officio excludebant, ſoli catechumeni, energumeni, hæretici & pœnitentes erant; hoc eſt, homines, qui vel nondum in plena eccleſiæ communione erant, vtpote ipſi non baptizati; vel qui baptiſmi ſui & eccleſiaſticæ communionis priuilegia erroribus vel criminibus ſuis perdiderant, vel aliis adſiſtere haud valebant, ipſi auxilio indigentes. Et per canones quosdam [i] illi, qui nondum confirmati erant, nec in baptiſmo, nec in confirmatione ſponſores eſſe permittebantur.

§. XI.

*Vnus duntaxat ſponſor requiſitus, & quidem mas pro mare, & mulier pro muliere.*

Ex dictis lector facile obſeruabit, olim non niſi vnum ſponſorem fuiſſe requiſitum, & quidem marem pro mare, & mulierem pro muliere; numquam enim de pluribus vno in omnibus veterum monumentis legimus, & quidem vno eiusdem ſexus pro adultis. In paruulorum baptiſmo differentiæ ſexus non habita fuit ratio. Virgo enim infantem maſculum, & pater ſuos ipſius liberos, ſiue maſculini eſſent ſiue feminini ſexus, ſuſcipere poterat. Et vnus ſponſor vbique ſufficiebat. Quædam regulæ plures, quam vnum ſponſorem tam in baptiſmo, quam in confirmatione adhiberi vetant. Ita decretum *Leonis* [k] a GRATIANO adlegatum, præcipit: *Non plures ad ſuſcipiendum de baptiſmo infantem accedant quam vnus, ſiue vir ſiue mulier. In confirmatione quoque id ipſum fiat.* Quæ regula a concilio *Metenſi* [l] renouata eſt & confirmata, ſed ex ratione quodammodo

(g) Conc. Mogunt. an. MCCCXIII. can. LV.

(h) Borrom. ſynod. diœceſ. II. decret. XVIII.

(i) Concil. Mogunt. ap. Gratian. de conſecrat. diſtinct. IV. c. CII. In baptiſmate, vel chriſmate, non poteſt alium ſuſcipere in filiolum, qui non eſt ipſe vel baptizatus vel confirmatus.

(k) Gratian. de conſecrat. diſt. IV. cap. CI.

(l) Concil. Metenſ. c. XII. cit. a Vicecom.

peculiari. Concludunt enim istius concilii patres, quod quum sit vnus tantum *DEVS*, vna fides, vnum baptisma, ideo infans vnum tantum sponsorem, marem vel feminam, in baptismo suo habere debeat. Quod heic non propter huius rationis excellentiam, sed ideo solum memoro, vt ostendam, quid conuenientiæ ad antiquam ecclesiæ praxin inde accedat.

## §. XII.

*Quo tempore primum lex ista facta sit, qua sponsorum nuptiæ cum spiritualibus adfinibus & cognatis prohibentur.*

NONNVLLI forte heic originem consuetudinis in ecclesia *Romanensi* scire cupiunt, quæ occasionem tot dispensationum in caussis matrimonialibus, quæ ex prohibitione nuptiarum sponsorum cum vetitis spiritualis cognationis gradibus exsistunt, peperit. Primum huic rei stimulum lex quædam IVSTINIANI videtur dedisse, quæ etiamnum in codice legitur in hanc sententiam [m]: *Ea persona omnimodo ad nuptias venire prohibenda, quam aliquis, siue alumna sit, siue non, a sacrosancto suscepit baptismate, quum nihil aliud sic inducere potest paternam adfectionem & iustam nuptiarum prohibitionem, quam huiusmodi nexus, per quem Deo mediante animæ eorum copulatæ sunt.* Iam lex ista non vlterius, quam ad nuptias in proxima hac cognatione prohibendas spectabat: neque adeo multos adficere poterat, quia parentes plerumque ipsi paruulos suos de baptismate suscipiebant, & virgines sacræ vel diaconissæ, vel clerici pro aliis respondebant; & quidem mares pro maribus & feminæ prò feminis. Postea vero hæc res paullo vrgebatur amplius. Nam concilium *Trullanum* [n] non tantum nuptias cum infante, sed cum matre etiam infantis, pro quo quis respondisset, prohibet; eosque, qui hoc fa-

(*m*) Iustin. cod. lib. V. tit. IV. de nuptiis leg. XXVI.

(*n*) Concil. Trullan. can. LIII. (tom. VI. conc. p. 1167.) Ἐπειδὴ μείζων ἡ κατὰ πνεῦμα οἰκειότης τῆς τῶν σωμάτων συναφείας· ἔγνωμεν δὲ ἔν τισι τόποις τινὰς ἐκ τοῦ ἁγίου καὶ σωτηριώδους βαπτίσματος παῖδας ἀναδεχομένους, καὶ μετὰ τοῦτο ταῖς ἐκείνων μητράσι χηρευσάσαις γαμικὸν συναλλάσσοντας συνοικέσιον· ὁρίζομεν ἀπὸ τοῦ παρόντος μηδὲν τοιοῦτο πραχθῆναι· εἰ δέ τινες μετὰ τὸν παρόντα φωραθεῖεν τοῦτο ποιοῦντες, πρωτοτύπως μὲν οἱ τοιοῦτοι ἀφιστάσθωσαν τοῦ παρανόμου τούτου συνοικεσίου· ἔπειτα δὲ καὶ τοῖς τῶν πορνευόντων ἐπιτιμίοις ὑποβληθήτωσαν. Quoniam spiritalis necessitudo seu adfinitas corporum coniunctione maior est; in nonnullis autem locis cognouimus quosdam, qui ex sancto & salutari baptismate infantes suscipiunt, postea quoque cum matribus illorum viduis matrimonium con-

cere

cere deprehensi fuerint, primum ab hoc matrimonio desistere, deinde scortatorum pœnis subiici iubet. Hæc prohibitio sequentibus sæculis ad plures gradus applicata & tantopere ampliata fuit, vt patres *Tridentini* rem reformatione dignam iudicarent, tametsi per eorum regulas hæc spiritualis cognatio [o] pluribus gradibus attributa sit, quam quidem per leges *Iustinianeas* & canones *Trullanos* factum est. Nam non tantum inter sponsores eorumque pupillos, sed etiam inter sponsores ipsos matrimonium fieri vetant; neque parentibus baptizatorum cum sponsoribus, nec baptizantibus cum baptizatis eorumque parentibus nuptias celebrare permittunt, idque ob spiritualem cognationem, quam eos contraxisse dicunt. Plures autem, quam duos sponsores vni cuidam infanti non permittunt, & si plures vltra designatos baptizatum tetigerint, hac spiritualis cognationis lege non adstringuntur, quantumuis lex canonica [p] sæculis prioribus rem aliter definiuit. Verum enim vero post omnes sanctiones hac de re latas sexcentæ difficultates ad exercenda casuistarum *Romanensium* ingenia remanent, quas lector huius rei studiosus a SOTEALLO & BARBOSA [q] in *remissionibus* suis ad concilium *Tridentinum* memoratas reperire potest.

trahunt, statuimus, vt in posterum nihil fiat eiusmodi. Si qui autem post præsentem canonem hoc facere deprehensi fuerint, ii quidem primo ab hoc illicito matrimonio desistant, deinde & fornicatorum pœnis subiiciantur.

(o) Concil. Trident. seff. XXIV. de reformat. matrimon. c. II. Docet experientia, propter multitudinem prohibitionum, multoties in casibus prohibitis ignoranter contrahi matrimonia, in quibus vel non sine magno peccato perseueratur, vel ea non sine magno scandalo dirimuntur. Volens itaque sancta synodus huic incommodo prouidere & a cognationis spiritualis impedimento incipiens statuit, vt vnus tantum, siue vir, siue mulier, iuxta sacrorum canonum instituta, vel ad summum vnus & vna, baptizatum de baptismo suscipiant: inter quos & baptizatum ipsum & illius patrem & matrem, nec non inter baptizantem & baptizatum baptizatique patrem ac matrem tantum spiritualis cognatio contrahatur. - - Quod si alii vltra designatos baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant, constitutionibus, in contrarium facientibus, non obstantibus.

(p) Sext. decretal. lib. IV. titul. III. (legend. sine dubio tit. XI.) de cognat. spirit. c. III. Si plures accesserint, spiritualis cognatio inde contrahitur, &c. (Not. In edit. Colon. MDCC XVII. 4to quæ ad manus mihi est, hæc citata verba non inuenio.)

(q) Can. concil. Trident. cum remissionibus Barbosæ Colon. MDCXXI.

## §. XIII.

*Cur ſponſorum nomina in libris eccleſiæ inſcribi oportuerit.*

EQVIDEM res quædam ab concilio *Tridentino* iniuncta eſt, quæ antiquis temporibus boni vſus fuit, quamquam non in eum finem valuit, quem illi patres ſibi præfixum habuerunt. Hæc eſt, quod non baptizatorum ſolum, ſed ſponſorum etiam nomina in libris eccleſiæ inſcribi iuſſerunt. Concilium *Tridentinum* [r] ideo tantum id fieri præcipit, vt homines doceantur, quinam per hanc ſpiritualem cognationem matrimonio iungi nequeant. Olim vero multo meliorem hæc res vſum habuit, nempe vt eccleſia cognoſceret, quinam eſſent ſponſores, & vt de officio eos ſuo admoneret, dum in tabulas publicas referrentur, quæ res perpetuum officii eorum monumentum erat. Hanc conſuetudinem auctori ſub nomine DIONYSII memoratam inuenimus, vbi cærimoniam admittendi catechumenos vna cum ſponſoribus ſuis deſcribit. *Pontifex*, inquit, *catechumenum præmonet, integre illi ad Deum accedendum eſſe, vtpote prorſus perfectum & immaculatum: propoſitaque diuine viuendi norma, nec non interrogato, num ex ea victurus ſit, adſentienti manum capiti imponit, & conſignans eum ſacerdotibus mandat, vt virum ſuſceptoremque* [s] *deſcribant.* Et poſtea, vbi catechumenus ad baptiſmum a ſuſceptore adducitur, nomen vtriusque ex libris eccleſiæ recitari narrat: *Pontifex adduci virum iubet, ac ſacerdote quopiam e ſcripto cum ipſum, tum ſuſceptorem proclamante, initiandus ſacerdotum manibus in aquam ducitur*, cetera. Tantum de vſu ſponſorum in eccleſia primitiua.

---

(r) Concil. Trident. l. c. Parochus antequam ad baptiſmum conferendum accedat, diligenter ab iis, ad quos ſpectabit, ſciſcitetur, quem vel quos elegerint, vt baptizatum de ſacro fonte ſuſcipiant: & eum vel eos tantum ad illum ſuſcipiendum admittat, & *in libro eorum nomina deſcribat*; doceatque eos, quam cognationem contraxerint, ne ignorantia vlla excuſari valeant.

(s) Dionyſ. de hierarch. eccleſ. c. II. p. 253. Ἱεράρχης μαρτύρεται μὲν αὐτῷ τὴν ὀφειλομένην ὁλικὴν γενέσθαι προσέλευσιν, ὡς παντελείῳ καὶ ἀμώμῳ ὄντι Θεῷ· καὶ τὴν ἔνθεον αὐτῷ πολιτείαν ὑφηγησάμενος, καὶ προσερωτήσας, εἰ οὕτω πολιτεύσαιτο μετὰ τὴν ὁμολογίαν, ἐπιτίθησιν αὐτῷ τῇ κεφαλῇ τὴν χεῖρα, καὶ σφραγισάμενος, ἀπογράψασθαι κελεύει τοῖς ἱερεῦσι τὸν ἄνδρα καὶ τὸν ἀνάδοχον.

LIBRI

# *LIBRI VNDECIMI*
## *CAPVT NONVM*
## DE VNCTIONE ET SIGNO CRVCIS IN BAPTISMO.

### §. I.
### *De prima origine vnctionis in baptismo.*

IN quibusdam, non vero in omnibus, antiquis rituum scriptoribus vnctionis, baptismum antegressæ & præparationis loco adhibitæ, mentionem inuenimus. Qui primum eam describunt, de ea loquuntur tamquam facta vel proxime post editam fidei confessionem, vt auctor *constitutionum* [a]; vel renuntiationem inter & confessionem, vti CYRILLVS HIEROSOLYMITANVS [b] eam describit. Sed nulla huius vnctionis in IVSTINO MARTYRE, nulla in TERTVLLIANO mentio habetur. Quamquam enim TERTVLLIANVS de vnctione quadam inter baptismi cærimonias loquitur; tamen vt recte obseruat DALLAEVS [c], non fuit hæc vnctio baptismum antegressa, sed vn-

(a) Constit. apostol. lib. VII. c. XLI. *μετὰ τὴν ἐπαγγελίαν ταύτην, κατ᾽ ἀκολουθίαν ἔρχεται εἰς τὴν τοῦ ἐλαίου χρῖσιν.* Post hanc professionem ordine venit ad vnctionem.

(b) Cyrill. catech. myst. II. n. III. IV. *Εἶτα ἀποδυθέντες, ἐλαίῳ ἠλείφεσθε ἐπορκιστῷ, ἀπ᾽ ἄκρων τριχῶν κορυφῆς ἕως τῶν κάτω, καὶ κοινωνοὶ ἐγένεσθε τῆς καλλιελαίου Ἰησοῦ Χριστοῦ. - - Μετὰ ταῦτα ἐπὶ τὴν ἁγίαν τοῦ θείου βαπτίσματος ἐχειραγωγεῖσθε κολυμβήθραν, ὡς ὁ Χριστὸς ἀπὸ τοῦ σταυροῦ ἐπὶ τὸ προκείμενον μνῆμα· καὶ ἠρωτᾶτο ἕκαστος, εἰ πιστεύει εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, καὶ ὡμολογήσατε τὴν σωτήριον ὁμολογίαν, καὶ κατεδύετε τρίτον εἰς τὸ ὕδωρ, καὶ πάλιν ἀνεδύετε. κ. τ. λ.* Deinde iam exuti exorcizato oleo a summis capillis ad infimos vsque perunsti estis & participes effecti fructiferæ illius oleæ, Iesu Christi. - - - Postea deducebamini ad sanctum diuini baptismatis lauacrum: quemadmodum Christus a cruce ad destinatum sepulchrum ducebatur. Atque tunc vnusquisque interrogabatur, an crederet in nomen patris & filii & spiritus sancti, & confessi estis salutarem confessionem, & mersi ter in aquam rursus emersistis.

(c) Dall. de confirmat. lib. II. c. XI. p. 151. Sunt apud hunc (auctorem constitutionum) quæ nusquam in superiorum temporum monumentis deprehendimus, nonnulla; quale illud est, quod baptizandi oleo vnguntur, antequam tingantur; quodque tincti non oleo sed *μύρῳ*, id est vnguento chrismantur; quorum neutrum hactenus in vllo vetustiorum obseruauimus. Nam vbi hic noster de diaconissarum ministerio agit, id in primis tradit, quum mulieres baptizantur, diaconum earum modo frontem linere sancto oleo; tum

ctio eum consequuta in confirmatione & manuum impositioni iuncta, quæ ad aliud spectat argumentum. Namque ex TERTVLLIANO manifestum est, neutram harum ante baptismum fuisse datam, de lauacro autem egressos [d] sancto oleo perungi, manusque eis imponi, ad recipiendum spiritum sanctum, consueuisse. Vnde DALLAEI coniecturam æquam iustamque esse existimo, quod vnctio tinctionem antecedens recentioris æui sit, necdum ætate TERTVLLIANI inter baptismi cærimonias obseruata.

---

diaconissam eas perungere; Deinde totum baptismi ordinem sequenti capite (lib. III. c. XV.) enarrans; Σὺ μὲν οὖν, inquit, ὦ ἐπίσκοπε, ἐκείνῳ τῷ τύπῳ χρίσεις τὴν κεφαλὴν τῶν βαπτιζομένων εἴτε ἀνδρῶν εἴτε γυναικῶν τῷ ἁγίῳ ἐλαίῳ εἰς τύπον τοῦ πνευματικοῦ βαπτίσματος· ἔπειτα ἢ σὺ ὁ ἐπίσκοπος ἢ ὑπό σε πρεσβύτερος τὴν ἱερὰν ἐπ' αὐτοῖς εἰπὼν καὶ ἐπονομάσας ἐπίκλησιν πατρὸς καὶ υἱοῦ καὶ ἁγίου πνεύματος, βαπτίσεις αὐτοὺς ἐν τῷ ὕδατι· καὶ τὸν μὲν ἄνδρα ὑποδεχέσθω ὁ διάκονος· τὴν δὲ γυναῖκα ἡ διάκονος &c. καὶ μετὰ τοῦτο ὁ ἐπίσκοπος χριέτω τοὺς βαπτισθέντας τῷ μύρῳ. *Tu igitur episcope, ad exemplum illud vnges oleo caput eorum, qui baptizantur, siue viri sint, siue mulieres, in typum spiritualis baptismi: Deinde aut tu episcope, aut presbyter, qui sub te est, facta super eos nominatim sacra inuocatione patris & filii & spiritus sancti baptizabis eos in aqua. Ac virum quidem suscipiat diaconus; mulierem vero diaconissa &c. Postea episcopus baptizatos vnguento vngat.* Hæc ille; in quibus duas, vt dixi, vides vnctiones; priorem ex oleo ante tinctionem siue lotionem; posteriorem post lotionem ἐκ τοῦ μύρου ex vnguento. Atqui vnam hactenus audiueramus, eamque post tinctionem, & quidem, vt videtur, ex simplici oleo; certe nusquam in ea describenda τοῦ μύρου, id est vnguenti ex pluribus compositi occurrit mentio. Fac memineris Tertulliani, qui totum baptismi ritum accuratissime descripsit. Nihil præter ista apud eum occurrunt. Ergo circa hæc tempora, id est, paullo post quarti seculi initia facta videtur illa mutatio, nempe vt quum primum ex oleo simplici inungerentur de sacro lauacro egressi; tum oleo balsamum addi placuerit ex Mosaico typo; quod huiusmodi vnguentum significandæ regiæ ac sacerdotali dignitati (in quam per baptismum inaugurantur credentes) aptius quam simplex oleum videretur. Pax Constantini principatu, vna cum magnis opibus, facile christianis huiusmodi consilia exornandæ suorum initiationis suggessit. Sed & priorem ex oleo vnctionem, tametsi hac ex balsamo de nouo instituta, retinere tamen placuit; vt aliquid baptismo dignitatis etiam ipsa conferret. Itaque in baptismi anteriora submota est, vt tinctioni præiret & ad eam pararet loco vero, quo ipsa prius fuerat, tinctionem noua exciperet, ex vnguento nobiliori vnctio. cetera.

(*d*) Tertull. de bapt. c. VII. Exinde egressi de lauacro perungimur benedicta vnctione de pristina disciplina, qua vngi oleo de cornu in sacerdotium solebant, &c.

§. II.

## §. II.

### *De differentia inter hanc vnctionem, & chrisma in confirmatione applicatum.*

SEQVENTIVM autem sæculorum scriptores de duabus vnctionibus distincte loquuntur, altera quidem ante, altera post baptismum: quas diuersis nominibus diuersisque cærimoniis describunt, vt alteram ab altera distinguant. Primam communiter χρίσιν μυστικοῦ ἐλαίου, *vnctionem olei mystici*, alteram χρίσιν μύρου, seu χρίσμα, *vnctionem chrismatis* vocitant. In hoc ambæ conueniunt, quod solus episcopus eas in vsum cum baptismi, tum confirmationis consecret. Auctor *constitutionum* formulam consecrationis ab episcopo in sanctificando oleo pro hac vnctione ante baptismum adhibendam, tradit, vbi Deum [e] invocat, *Vt sanctificet oleum nomine domini Iesu, & det gratiam spiritualem, & vim efficacem, ac remissionem delictorum atque præparationem confessionis baptismi, vt is, qui vngitur, solutus omni impietate, fiat dignus initiatione secundum vnigeniti præceptum.* Et hæc consecrandi potestas episcopo per omnes antiquorum conciliorum canones reseruatur, qua de re plura, vbi de confirmatione loquemur. Interim obseruamus, 1) Quod hæc duo olea diuersis veniant nominibus. *Constitutionum* auctor primum [f] μυστικὸν ἔλαιον, *oleum mysticum*, nominat, & distinctam vtriusque consecrandi formam habet. Eadem appellationis diuersitas a CYRILLO HIEROSOLYMITANO [g] & ab auctoribus sub nomine IVSTINI MAR-

(e) Constitut. apost. lib. VII. c. XLII. ἐπικαλεῖται - Θεὸν - ἵνα ἁγιάσῃ τὸ ἔλαιον τῷ ὀνόματι τοῦ κυρίου Ἰησοῦ καὶ δώσῃ χάριν πνευματικὴν, καὶ δύναμιν ἐνεργητικὴν, ἄφεσίν τε ἁμαρτιῶν, καὶ προπαρασκευὴν ὁμολογίας βαπτίσματος, ὥστε τὸν χριόμενον ἀπαλλαγέντα πάσης ἀσεβείας, ἄξιον γενέσθαι τῆς μυήσεως κατ' ἐντολὴν τοῦ μονογενοῦς.

(f) Constit. apost. lib. VII. c. XLII. inscriptio sic habet: Περὶ χρίσματος τοῦ μυστικοῦ ἐλαίου εὐχαριστία, De vnctione *mystici olei* actio gratiarum.

Id. ibid. c. XLIV. in inscriptione: Περὶ τοῦ μυστικοῦ μύρου εὐχαριστία, De *mystico vnguento* actio gratiarum.

(g) Cyrill. catech. myst. II. n. III. Εἶτα ἀποδυθέντες ἐλαίῳ ἠλείφεσθε ἐπορκιστῷ κ. τ. λ. Deinde iam exuti, exorcizato oleo peruncti estis. Catech. III. n. II. ὑμεῖς δὲ μύρῳ ἐχρίσθητε, κοινωνοὶ καὶ μέτοχοι τοῦ Χριστοῦ γενόμενοι. Vos vncti estis vnguento, facti participes & consortes Christi. N. III. ὥσπερ ὁ Χριστὸς μετὰ τὸ βάπτισμα, καὶ τὴν τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐπιφοίτησιν, ἐξελθὼν κατηγωνί-

TYRIS [h] ac DIONYSII [i] obſeruatur. 2) Differebant etiam illæ vnctiones ratione temporis, quo tribuebantur. Altera enim dabatur ante, quam baptizandus ad aquas progrederetur, altera vero, quum de aquis eſſet egreſſus. Id quod manifeſtum eſt ex omnibus ante memoratis auctoribus & ex AMBROSIO, qui de vnctione [k] ante baptiſmum loquitur. Ita quoque auctor *recognitionum* ſub nomine CLEMENTIS ROMANI [l], qui baptizandis quibusdam dicit, quod perungi primo debeant oleo, per orationem ſanctificato. 3) Differebant ratione miniſtrorum, per quos peragi debebant. Vnctio enim baptiſmum antecedens ſæpius diaconi vel diaconiſſæ miniſterio, baptiſmum autem conſequens, plerumque ab ipſo epiſcopo, aut certe a presbytero quodam certis in caſibus, perficiebatur.

ςατο τὸν ἀντικείμενον· οὕτω καὶ ὑμεῖς μετὰ τὸ ἱερὸν βάπτισμα καὶ τὸ μυστικὸν χρίσμα, ἐνδεδυμένοι τὴν πανοπλίαν τοῦ ἁγίου πνεύματος, ἵστασθε πρὸς τὴν ἀντικειμένην δύναμιν. Vt ſaluator poſt baptiſmum & illum ſancti ſpiritus aduentum egreſſus in prœlium, deuicit aduerſarium: ſic & vos poſt ſacrum baptiſma & *chriſma myſticum*, induti armis ſancti ſpiritus, aduerſus oppoſitam vobis poteſtatem conſiſtitis.

(h) Iuſtin. reſp. ad orthod. quæſt. CXXXVII. χριόμεθα δὲ τῷ παλαιῷ ἐλαίῳ, ἵνα γινώμεθα χριστοί· τῷ δὲ μύρῳ, πρὸς ἀνάμνησιν τοῦ τὴν χρίσιν τοῦ μύρου ἐνταφιασμὸν ἑαυτοῦ λογιζομένου. Veteri *oleo* inungimur, vt Chriſti vnctique ſiamus: *vnguento* autem, ad recordationem eius, qui vnguenti vnctionem, ſepulturam ſuam eſſe reputauit.

(i) Dionyſ. de eccleſ. hierarch. c. II. p. 253. Καὶ τελείως ἀπαμφιεσάντων αὐτὸν τῶν λειτουργῶν, κομίζουσι μὲν οἱ ἱερεῖς τὸ τῆς χρίσεως ἅγιον ἔλαιον· ὁ δὲ τῆς χρίσεως διὰ τοῦ σφραγίσαι τρὶς ἀπαρξάμενος, τὸ λοιπὸν τοῖς ἱερεῦσι τὸν ἄνδρα χρίσαι πανσώμως παραδοὺς, αὐτὸς ἐπὶ τὴν μητέρα τῆς υἱοθεσίας ἔρχεται κ. τ. λ. -- ἐπὶ τὸν ἱεράρχην αὖθις ἀπάγουσιν· ὁ δὲ τῷ θεουργικωτάτῳ μύρῳ τὸν ἄνδρα σφραγισάμενος, μέτοχον ἀποφαίνει λοιπὸν τῆς ἱεροτελεστικωτάτης εὐχαριστίας. Dum miniſtri eum penitus exuunt, *ſacrum vnctionis oleum* adferunt ſacerdotes. Pontifex vero trino ſignaculo inchoans vnctionem ſacerdotibus hominem tradit toto corpore inungendum; ipſe autem ad adoptionis matrem (id eſt fontem) vadit; &c. - - Rurſus illum ad pontificem ducunt, qui *diuinitus ſacrato vnguento* virum conſignans ſacro ſanctæ euchariſtiæ participem declarat.

(k) Ambroſ. de ſacrament. lib. I. c. II. Venimus ad fontem - - Vnctus es quaſi athleta Chriſti, quaſi luctamen huius ſæculi luctaturus.

(l) Clem. recognit. lib. III. c. LXVII. Baptizabitur autem vnusquiſque veſtrum perunctus primo oleo per orationem ſanctificato.

Auctor

Auctor *constitutionum* [m] loquens speciatim de vnctione ante baptismum mulierum, episcopum caput, diaconum frontem vngere, & diaconissam reliquas corporis partes illinere iubet. Chrisma autem post baptismum soli episcopo reseruat. 4) Denique consilio & scopo differebant. Scopus enim prioris vnctionis erat, vt ad baptismum præpararentur, & in certamen cum satana tamquam athletæ Christi deducerentur, posterior autem ad baptismum eorum consummandum, sigilloque spiritus sancti confirmandum spectabat.

## §. III.

### *Scopus huius vnctionis, eiusque ratio.*

CYRILLVS HIEROSOLYMITANVS de priore vnctione [n] ad neophytos suos faciens verba, *Iam exuti*, inquit, *exorcizato oleo à summis capillis ad infimos vsque peruncti estis, & participes effecti frugiferæ illius oleæ Iesu Christi. Excisi enim ex oleastro, in oleam frugiferam inserti estis, & pinguedinis illius veræ oleæ quisque vestrûm particeps effectus. Illud ergo exorcizatum oleum symbolum est pinguedinis Christi vobiscum communicatæ, & quod omne vestigium diabolicæ operationis in vobis deletum sit. Nam vt insufflationes sanctorum, & nominis Dei inuocatio, tamquam vehementissima quædam flamma vrit dæmones, & in fugam conuertit; sic & exorcizatum hoc oleum, per orationem Deique inuocationem tantam virtutem consequitur, vt non modo ardentia peccatorum vestigia expurget; verum etiam omnes inuisibiles dæmones repellat.*

(m) Constitut. apost. lib. III. c. XV. πρῶτον μὲν ἐν τῷ φωτίζεσθαι γυναῖκας, ὁ διάκονος χρίσει μὲν μόνον τὸ μέτωπον αὐτῶν τῷ ἁγίῳ ἐλαίῳ, καὶ μετ' αὐτὸν ἡ διάκονος ἀλείψει αὐτάς· - - ἀλλὰ μόνον ἐν τῇ χειροθεσίᾳ τὴν κεφαλὴν αὐτῆς χρίσει ὁ ἐπίσκοπος. Inprimis quidem, quum baptizantur mulieres, diaconus tantum earum frontem vnget oleo sancto, & post diaconissa eas illinet: in manus vero impositione caput mulieris vnget episcopus. Ibid. c. XVI. καὶ μετὰ τοῦτο ὁ ἐπίσκοπος χριέτω τοὺς βαπτισθέντας τῷ μύρῳ, Postea episcopus baptizatos vngat chrismate.

(n) Cyrill. catech. myst. II. n. III. Εἶτα ἀποδυθέντες, ἐλαίῳ ἠλείφεσθε ἐπορκιστῷ, ἀπ' ἄκρων τριχῶν κορυφῆς ἕως τῶν κάτω· καὶ κοινωνοὶ ἐγίνεσθε τῆς καλλιελαίου Ἰησοῦ Χριστοῦ· ἐκκοπέντες γὰρ ἐκ τῆς ἀγριελαίου, ἐνεκεντρίζεσθε εἰς τὴν καλλιέλαιον, καὶ κοινωνοὶ ἐγίνεσθε τῆς πιότητος τῆς ἀληθινῆς ἐλαίας· τὸ οὖν ἐπορκιστὸν ἔλαιον σύμβολον ἦν τῆς κοινωνίας τῆς πιότητος χριστοῦ, φυγαδευτήριον τυγχάνον παντὸς ἴχνους ἀντικειμένης ἐνεργείας· ὥσπερ γὰρ τὰ ἐμφυσήματα τῶν ἁγίων, καὶ ἡ τοῦ ὀνόματος τοῦ θεοῦ ἐπίκλησις, ὥσπερ σφοδροτάτη φλὸξ, καίει καὶ ἐκδιώκει δαίμονας· οὕτω καὶ τὸ ἐπορκιστὸν τοῦτο ἔλαιον ἐπικλήσει θεοῦ καὶ εὐχῇ δύναμιν τηλικαύτην λαμβάνει, ὥστε οὐ μόνον καῖον τὰ ἴχνη τῶν ἁμαρτημάτων ἀποκαθαίρει, ἀλλὰ καὶ πάσας ἀοράτους τοῦ πονηροῦ ἐκδιώκειν τὰς δυνάμεις.

AMBROSIVS vnctioni luctatorum, antequam luctamen ingrediantur, comparat. *Venisti* [o] *ad fontem*, inquit, *ingressus es*, *vnctus es quasi athleta Christi, quasi luctam huius saeculi luctaturus.* Qui sub nomine scripsit IVSTINI MARTYRIS auctor inter duas vnctiones distinguit, quando [p] ait: *Veteri oleo inungimur, vt Christi, hoc est, vncti Dei simus: vnguento autem* (post baptismum) *ad recordationem eius, qui vnguenti vnctionem sepulturam suam esse reputavit.* Eadem distinctione similiter vtitur auctor *constitutionum*; *Vnge*, [q] inquiens, *prius oleo sancto; deinde baptizabis aqua, & tandem signabis vnguento; vt oleum quidem sit participatio spiritus sancti, aqua vero symbolum mortis, vnguentum autem sigillum pactionum. Quod si neque oleum adsit, neque vnguentum, sufficit aqua & ad vnctionem & ad sigillum, & ad confessionem morientis seu commorientis.* Vt adeo haec caerimonia tantum baptismi fuerit, quae sine vllo substantiae siue essentialis partis illius detrimento praetermitti potuit. Hisce testimonium addere possumus CHRYSOSTOMI, *Vngitur* [r], inquientis, (quilibet ante baptismum) *sicut athletae stadium ingressuri. Non sicut olim sacerdotes solo capite, immo vero amplius. Nam ille quidem capite, aure dextra, manu, vt & ad obedientiam & bona opera eum excitaret. Hic autem totus vngitur. Non solum enim venit, vt doceatur; sed etiam, vt decertet, & exerceatur.* Haec sunt, quae illi de vnctione baptismum antecedente memoriae prodidere.

## §. IV.

*Signum crucis in caerimoniis baptismi frequenter adhibitum.* Primo, *in admissione catechumenorum*, & secundo, *tempore exorcismi.*

---

(o) Ambros. de sacram. lib. I. c. II.

(p) Iustin. resp. ad orthodox quaest. CXXXVII. vid. sub anteced. litt. (h).

(q) Constit. apost. lib. VIII. c. XXII. Χρίσεις δὲ πρῶτον ἐλαίῳ ἁγίῳ· ἔπειτα βαπτίσεις ὕδατι· καὶ τελευταῖον σφραγίσεις μύρῳ· ἵνα τὸ μὲν χρίσμα μετοχὴ ᾖ τοῦ ἁγίου πνεύματος, τὸ δὲ ὕδωρ σύμβολον τοῦ θανάτου, τὸ δὲ μύρον σφραγὶς τῶν συνθηκῶν· εἰ δὲ μήτε ἔλαιον ᾖ, μήτε μύρον, ἀρκεῖ ὕδωρ καὶ πρὸς χρίσιν, καὶ πρὸς σφραγῖδα, καὶ πρὸς ὁμολογίαν τοῦ ἀποθανόντος, ἤτοι συναποθνήσκοντος.

(r) Chrysost. hom. VI. in Coloss. p. 1358. (tom. VI. p. 200. edit. Francof.) ἀλείφεται, ὥσπερ οἱ ἀθληταὶ εἰς στάδιον ἐμβησόμενοι· -- οὐ καθάπερ οἱ ἱερεῖς τὸ παλαιὸν τὴν κεφαλὴν μόνον, μᾶλλον δὲ μειζόνως· ἐκεῖνος μὲν γὰρ τὴν κεφαλήν, τὸ οὖς τὸ δεξιόν, τὴν χεῖρα, ἵνα καὶ πρὸς ὑπακοὴν καὶ ἔργα ἀγαθὰ αὐτὸν διεγείρῃ· οὗτος δὲ τὸ πᾶν· οὐ γὰρ διδαχθησόμενος ἔρχεται μόνον, ἀλλὰ καὶ ἀθλήσων καὶ γυμνασθησόμενος.

CAVEVS

CAVEVS [s] & alii quidam viri docti, vna cum vnctione signum crucis in fronte hominis baptizati adhibitum fuisse, existimant. Neque de hac re dubium est, licet non omnia testimonia, ad quæ prouocant, eam comprobent. Quædam enim eorum ad signum crucis in vnctione chrismatis, seu in confirmatione, vsurpatum respiciunt. Speciatim ista vnctio, de qua loquitur TERTVLLIANVS, & signum crucis ei additum, non erat vnctio baptismum antecedens, sed eam consequens in confirmatione, quemadmodum antea sub huius capitis exordium ostendimus. Quare, vt hanc materiam recte intelligamus, quatuor ad minimum tempora distinguenda sunt, vbi signum crucis, durante cærimoniarum baptismi præparatione, adhibitum fuit. 1.) Sub catechumenorum in statum catechumenatus & ad generale christianorum nomen admissionem. 2.) Tempore exorcismi & impositionis manuum, dum per diuersos catechumenorum gradus ibant. 3.) Tempore huius vnctionis ante baptismum. 4.) Et denique in vnctione confirmationis, quæ tunc temporis baptismi tam adultorum, quam infantium solebat esse conclusio. Et multa de illis locis, quæ de signo crucis in baptismo loquuntur, manifeste ad hanc, tamquam baptismi appendicem, instar clausulæ ei adiunctam, & tamquam vltimam cærimoniam & consummationem illius, respiciunt. Vsum huius signi crucis in catechumenorum admissione ex AVGVSTINO & ex vita *Porphyrii* episcopi *Gazæorum* iam supra [t] demonstrauimus. Frequens etiam eius vsus in exorcismo & impositione manuum & precationibus, durantibus eorum exercitiis catecheticis, itidem a nobis notatus est, quando de illis ex AVGVSTINO & AMBROSIO tractauimus [u], quare id heic non existimo esse repetendum.

(s) Caue prim. christ. part. I. c. X. p. 318. (p. 258. edit. Germanic.) *In erwegung dessen sahe man in der ersten kirche für gut an, daß ein christ, der seinem namen nach ohne dis schon ein gesalbter heisset, möge zu einem geistlichen könige und priester gesalbet werden, und daß sich keine zeit besser dazu schickte, als wenn er getauft würde, da ihm ohne diß der name eines christen zugleich beygelegt und gegeben würde. Eben das war auch die ursach, daß man* auf die stirn der täuflinge das zeichen des creuzes machte.

(t) Vid. lib. X. c. I. §. III. pag. 6.

(u) Lib. X. c. II. n. VIII. pag. 22. 23.

## §. V.

### Tertio, *In hac vnctione ante baptismum.*

TERTIVS eius vsus in hac ante baptismum vnctione erat. Ita enim auctor sub nomine DIONYSII describens cærimoniam inungendi hominem ante consecrationem aquarum, episcopum, dicit, trino signaculo [x] inchoare vnctionem, & sic sacerdotibus hominem tradere toto corpore inungendum, dum ipse ad fontem vadat, eiusque aquas sacris inuocationibus sanctificet. AVGVSTINVS etiam de hac intelligi potest, quando [y] *Semper*, inquit, *cruci baptisma iungitur.* Et hoc modo diversa loca apud CYPRIANVM interpretari possumus, vt quum ad *Demetrianum* scribit: *Euadere eos solos posse, qui renati & SIGNO Christi SIGNATI fuerint, alio in loco Deus loquitur; quando ad restitutionem mundi & interitum generis humani angelos suos mittens, grauius in vltimo comminatur dicens: Vadite & cædite, & nolite parcere oculis vestris. Nolite misereri senioris, aut iuuenis & virginis: & paruulos & virgines interficite, vt perdeleantur: omnem autem, super quem SIGNVM scriptum est, ne tetigeritis. Quod autem sit hoc SIGNVM, & qua in corporis parte positum, manifestat alio in loco Deus, dicens: Transi per mediam Hierusalem, ET NOTABIS SIGNVM SVPER FRONTES* [z] *VIRORVM*, cetera. Atque sic iterum in libro de *vnitate ecclesiæ* [a] de *Ozia* rege thuribulum ferente & contra legem Dei sacrificium sibi violenter adsumente, loquens, *Lepræ varietate*, inquit, *IN FRONTE maculatus est, ea parte corporis notatus, offenso domino, vbi SIGNANTVR, qui dominum promerentur.* Quod ad signum crucis, in baptismo fieri solitum, manifesto respicere videtur. *Constitutionum apostolicarum* auctor hac in re confidenter agit. Diuersarum enim partium & cærimoniarum in baptismo adhibitarum sensum explanans; *Aqua* [b] inquit, *adhibetur pro (CHRISTI) sepultura; oleum pro spiritu*

(x) Dionys. hierarch. eccles. p. 353. ὁ δὲ τρὶς χρίσεως διὰ τοῦ σφραγίσαι τρὶς ἀπαρξάμενος, τὸ λοιπὸν τοῖς ἱερεῦσι τὸν ἄνδρα χρίσαι παντσώμως παραδοὺς, αὐτὸς ἐπὶ τὴν μητέρα τῆς υἱοθεσίας ἔρχεται, καὶ τὸ ταύτης ὕδωρ ταῖς ἱεραῖς ἐπικλήσεσι, καθαγιάσας καὶ τρισὶ τοῦ παναγεστάτου μύρου σταυροειδέσι χύσεσι τελειώσας κ. τ. λ.

(y) Aug. serm. CI. de tempore p. 290.

(z) Cyprian. ad Demetrian. p. 194. (p. 134. edit. Fell. Amstelod. MDCC.)

(a) Cypr. de vnitat. eccles. p. 116. (p. 84. edit. Amstelod.)

(b) Constit. apost. lib. III. c. XVII. Τὸ ὕδωρ ἀντὶ ταφῆς, καὶ τὸ ἔλαιον ἀντὶ πνεύ-

*sancto;*

*ſancto*; *ſignum crucis*, *pro cruce*: *chriſma confirmatio eſt confeſſionis.* Nec improbabile eſt, HIERONYMVM eo reſpicere, etiamſi verba eius ad hoc vnctionis tempus non ita reſtringi debeant, quando ait: *Ego chriſtianus*, *& de parentibus chriſtianis natus & vexillum crucis in mea fronte* [c] *portans.* Nonnulli verba quoque CYPRIANI [d] addunt: *Muniatur frons*, *vt ſignum Dei incolume ſeruetur.* Nec non illa PONTII [e] in *vita* illius, vbi de chriſtianis loquens confeſſoribus, quorum frontibus ſtigmata ab ethnicis inuſta, ipſique ad operas metallicas miſſi erant, *frontium notatarum ſecunda inſcriptione ſignatos* eos eſſe dicit, adludens ad ſignum crucis, quo vtpote chriſtiani antea notati fuerant. Verum hæc loca non neceſſario ad baptiſmum reſpiciunt, ſed generaliores duntaxat locutiones ſunt, quæ ad vſum ſigni crucis occaſione quauis alia reſpicere poſſunt: quum iſtius æui chriſtianis moris fuerit, vti reddit TERTVLLIANVS [f] „ad „omnem progreſſum atque promotum, ad omnem aditum & „exitum, ad veſtitum, ad calceatum, ad lauacra, ad menſas, „ad lumina, ad cubilia, ad ſedilia, quæcumque eos conuerſatio „exerceret, frontem crucis ſignaculo tenere.„ Id tamen eate-

ματος ἁγίου, ἡ σφραγὶς ἀντὶ τοῦ σταυροῦ, τὸ μύρον βεβαίωσις τῆς ὁμολογίας.

(c) Hieron. epiſt. CXIII. præfat. in Iob. tom. III. p. 90. g. ed. Pariſ. MDCXLIII.)

(d) Cyprian. epiſt. I. al. LVIII. p. 127. (p. 258. edit. Fell. Amſtelod. MDCC.)

(e) Pontius vit. Cyprian. p. 4. (p. 5.) Quis martyres tantos exhortatione diuini ſermonis erigeret? quis denique confeſſores, *frontium notatarum ſecunda inſcriptione ſignatos* & ad exemplum martyrii ſuperſtites reſeruatos, incentiuo tubæ cæleſtis animaret?

(f) Tertull. de coron. milit. c. III. Vid. Cyrill. catecheſ. IV. n. X. *μὴ τοίνυν ἐπαισχυνθῶμεν τῷ σταυρῷ τοῦ Χριστοῦ ἀλλὰ κἂν ἄλλος ἀποκρύπτῃ, σὺ φανερῶς ἐπὶ μετώπου σφραγίζου ἵνα οἱ δαίμονες τὸ σημεῖον ἰδόντες τὸ βασιλικὸν, μακρὰν φύγωσι τρέμοντες· ποίει δὲ τοῦτο τὸ σημεῖον, ἐσθίων καὶ πίνων, καθήμενος, κοιταζόμενος, ἐξανιστάμενος, λαλῶν, περιπατῶν, ἁπαξαπλῶς ἐν παντὶ πράγματι.* Ne ergo Chriſti crucem erubeſcamus, ſed ſi quis alius abſcondat, tu palam ad frontem obſignato, vt dæmones regium ſignum intuentes, tremuli procul aufugiant. Signo autem iſto vtere, tum edens ac bibens, tum ſedens ac cubans, de lecto ſurgens, loquens, ambulans, & vt ſemel dicam, in omni negotio. Id. catech. XIII. n. XXXVI. *ἐπὶ μετώπου μετὰ παρρησίας δακτύλοις ἡ σφραγὶς, καὶ ἐπὶ πάντων ὁ σταυρὸς γινέσθω· ἐπὶ ἄρτων βιβρωσκομένων, καὶ ἐπὶ ποτηρίων πινομένων, ἐν εἰσόδοις, ἐν ἐξόδοις, πρὸ τοῦ ὕπνου κοιταζομένοις, καὶ διανισταμένοις, ὁδεύουσι καὶ ἠρεμοῦσι.* In fronte confidenter ſignaculum crucis digitis imprimatur, & in omnibus aliis crux fiat: In panibus comedendis & in poculis bibendis, & in egreſſu & ingreſſu, ante ſomnum recumbendo, & ſurgendo, eundo & quieſcendo.

nus

nus ex illis inferri poteſt, quod qui ſigno iſto quauis occaſione vti conſueuerunt, illud in hac ſolemni vnctione baptiſmi prætermiſiſſe non cenſendi ſint. Quocirca iſtæ adlegationes tamquam obliqua quædam huius praxis teſtimonia admitti poſſunt.

§. VI.

Quarto, *In vnctione confirmationis.*

Denique in vnctione confirmationis ſemper adhibitum fuit. Et quum hæc tunc temporis appendix quædam eſſet baptiſmatis, ideo, quæ in ea fiebant, ſæpenumero in baptiſmo fieri dicebantur. Atque ita cum vngendi, tum ſignandi cærimonia, in confirmatione vſitata, baptiſmo adſcribitur, & hoc intuitu aliquando pro prioris vnctionis & ſignationis cærimonia, ad baptiſmi anteriora ſpectante, falſo accipitur. Non erat vnctio ante baptiſmum tempore TERTVLLIANI; ſed proxime poſt baptiſmum erat, quæ cum manuum impoſitione ſignum crucis ſibi adnexum habebat, & omnes iſtæ cærimoniæ ad confirmationem, quæ baptiſmum ſequebatur, ſpectabant, neque cum prioribus confundendæ ſunt. TERTVLLIANVS [g] ait: *Caro abluitur, vt anima emaculetur. Caro vngitur, vt anima conſecretur. Caro ſignatur, vt & anima muniatur. Caro manus impoſitione adumbratur, vt & anima ſpiritu illuminetur. Caro corpore & ſanguine Chriſti veſcitur, vt & anima de Deo ſaginetur.* Heic omnia eo deſcribit ordine, quo poſt baptiſmum ad euchariſtiam vsque fiebant. Erat ibi vnctio & ſignatio beneficio crucis, ac manuum impoſitio, & tum euchariſtia. Vt adeo hoc crucis ſignum manifeſto ad vnctionem pertineat, quæ baptiſmum conſequebatur, & vſitata erat impoſitionis manuum ſeu confirmationis cærimonia. Atque ita alium locum TERTVLLIANI [h] intelligamus, fas eſt, vbi ait: *Diabolus ipſas quoque res ſacramentorum diuinorum in idolorum myſteriis æmulatur. Tinguit & ipſe quosdam,*

Chryſoſtom. hom. XXI. ad popul. Antiochen. (p. 245. edit. Francof.) Μετὰ τȢ̃ ῥήματος τȢ́τȢ καὶ τὸν σαυρὸν ἐπὶ τȢ̃ μετώπȢ διατύπωσον· ȣ̏τω γὰρ ȣ̓ μόνον ἄνθρωπος ἀπαντῶν, ἀλλ' ȣ̓δὲ αὐτὸς ὁ διάβολος βλάψαι τι δυνήσεται, μετὰ τȢ́των σε ὁρῶν τῶν ὅπλων πανταχȢ̃ φαινόμενον. Cum hoc verbo & crucem in fronte inprime: ſic enim non tantum homo occurrens, verum nec ipſe diabolus te quidquam lædere poterit, cum his te cernens armis vndique apparentem.

(g) Tertull. de reſurrect. c. VIII.

(h) Tertull. de præſcript. c. XL.

*vtique*

*vtique credentes & fideles suos. Expiationem delictorum de lauacro repromittit, & sic adhuc initiat Mithræ; SIGNAT illic in FRONTIBVS MILITES SVOS; celebrat & panis oblationem, & imaginem resurrectionis inducit & sub gladio redimit coronam.* Vbi signatio in frontibus probabiliter ad signum crucis in confirmatione inter baptismum & eucharistiam, fieri solita, adhibitum respicit. Ita quoque LEO [i] episcopus *Romanus*, *Omnes*, inquit, *in Christo regeneratos CRVCIS SIGNVM efficit reges; sancti vero spiritus vnctio consecrat sacerdotes*; reges & sacerdotes eodem sensu intelligens, quo *Petrus* apostolus omnes christianos *regnum sacerdotium* esse dicit. Quæ priuilegia vnctioni confirmationis communiter a veteribus tribuuntur, vti heic a LEONE, qui signum crucis huic vnctioni post baptismum iungit. Verba AVGVSTINI [k] paullo generaliora sunt, viri tamen docti ea ad signum crucis in confirmatione respicere existimant, [l] quando ait: *Multa sacramenta aliter atque aliter accipimus. Quædam, sicut nostis, ore accipimus* (eucharistiam intelligit) *quædam per totum corpus accipimus*; (videlicet baptismum, in quo totum corpus abluitur) *Quia vero in fronte erubescitur - - ipsam ignominiam quodammodo* (id est crucem) *& quam pagani derident, in loco pudoris nostri constituit.* Vbi, quia signum crucis in fronte, tamquam sacramentum latiore verbi sensu a baptismo & eucharistia distinguit, vsum eius in confirmatione intelligere iure existimatur. Quod signum crucis *Græcis* ideo sæpe vocatur σφραγὶς *signum*, siue *signaculum* spiritus sancti [m]; nonnumquam distinctius dicitur ςαυροειδὴς σφραγὶς, *signum in forma crucis factum*, quod non so-

(i) Leo serm. III. in anniuersario die suæ adsumtionis p. 3.

(k) Augustin. enarrat. psalm. CXLI. p. 671. (p. 1636. tom. VIII. opp. edit. Basil. MDLXIX.)

(l) Dall. de confirmat. lib. II. c. XXIV. p. 294. Neque hic omittendus est alius quidam Augustini locus, ex quo id ipsum, quod ex Prudentio supra obseruauimus, discimus; *in fronte fieri illo æuo solitam chrismationem*, Multa sacramenta, (inquit) cetera.

(m) Concil. general. Constantinop. I. can. VII. (tom. II. conc. p. 951.) - - καὶ σφραγιζομένους, ἤτοι χριομένους πρῶτον τῷ ἁγίῳ μύρῳ τό, τε μέτωπον, καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς, καὶ τὰς ῥῖνας, καὶ τὸ στόμα, καὶ τὰ ὦτα· καὶ σφραγίζοντες αὐτοὺς λέγομεν. Σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου. - - Signatos, siue vnctos primum sancto chrismate & frontem, & oculos, & nares, & os, & aures: Et eos signantes dicimus, *signaculum doni spiritus sancti.*

lum in baptiſmo & confirmatione ſed in ordinatione etiam ſacerdotum, vt alibi [*n*] EX CHRYSOSTOMO & DIONYSIO [*o*] oſtendimus, nec non in aquarum baptiſmi conſecratione adhibebatur, quod nunc proximum eſt ordine, quod conſideremus.

# *LIBRI VNDECIMI*
## *CAPVT DECIMVM*
## DE CONSECRATIONE AQVARVM BAPTISMI.
### §. I.
### *Conſecratio aquarum per preces facta.*

POST vnctionem protinus ad conſecrationem aquarum ſe conferebat eccleſiæ miniſter; vel epiſcopus, ſi præſens eſſet, eam conſecrabat, dum ſacerdotes vnctionem abſoluerent. Ita enim auctor ſub nomine DIONYSII [*a*] rem repræſentat. *Pontifex*, inquit, *trino ſignaculo inchoans vnctionem, ſacerdotibus hominem tradit toto corpore inungendum ; ipſe autem ad adoptionis matrem* (ita fontem vocat) *vadit ; cuius AQVAS SACRIS INVOCATIONIBVS SANCTIFICAT, nec non tribus ſacratiſſimi vnguenti crucis* „*forma affuſionibus conſecrat.* Huius inuocationis, ſiue conſecrati„onis aquarum per preces, mentionem facit TERTVLLIANVS [*b*]. Ait enim : *Sacramentum ſanctificationis conſequuntur inuocato Deo. Superuenit enim ſtatim ſpiritus de cælis, & aquis ſupereſt, ſanctificans eas de ſemetipſo, & ita ſanctificatæ vim ſanctificandi combibunt.* Et CYPRIANVS [*c*] : *Oportet, mundari & ſanctificari aquam prius*

(*n*) Lib. IV. cap. VI. n. XII. volum. II. p. 186.

(*o*) Chryſoſtom. hom. LV. in Matth. p. 471. Κἂν ἀναγεννηθῆναι δέῃ, σταυρὸς παραγίνεται, κἂν τραφῆναι τὴν μυστικὴν ἐκείνην τροφήν· κἂν χειροτονηθῆναι, κἂν ὁτιοῦν ἕτερον ποιῆσαι, πανταχοῦ τοῦτο τῆς νίκης ἡμῖν παρίσταται σύμβολον. Quum regeneramur, crux domini adeſt, quum ſacratiſſimo alimur cibo, aut in ordine conſecrandi ſtatuimur ; vbique ac ſemper id victoriæ inſigne nobis adſiſtit.

Dionyſ. de hierarch. eccleſ. c. V. (p. 364. edit. Antuerp. MDCXXXIV.) ἑκάστῳ αὐτῶν ἡ σταυροειδὴς ἐνσημαίνεται πρὸς τοῦ τελοῦντος ἱεράρχου σφραγίς : Vnicuique eorum ſignum crucis a conſecrante pontifice imprimitur.

(*a*) Dionyſ. de hierarch. eccleſ. c. II. p. 253. Vid. verba græc. cap. anteced. §.V. ſub litt. (x) p. 310.

(*b*) Tertull. de bapt. c. IV.

(*c*) Cyprian. epiſt. LXX. ad Ianuar. p. 190. (p. 300. edit. Fell. Amſtelod. MDCC.)

*a ſa-*

*a ſacerdote, vt poſſit baptiſmo ſuo peccata hominis, qui baptizatur, abluere.* Atque ita vniuerſum concilium *Carthaginenſe* [*d*], tempore *Cypriani* habitum, dicit: *Aqua ſacerdotis prece ſanctificata abluit delicta.* OPTATVS eo reſpicit, quando de appellatione *piſcis*, ἰχθὺς, ſeu nomine technico, quod ex litteris quorumdam titulorum *CHRISTI* initialibus compoſitum eique datum erat, loquens, *Hic eſt piſcis*, inquit, [*e*] *qui in baptiſmate per inuocationem fontalibus vndis inſeritur.* AVGVSTINVS huius inuocationis in libris ſuis de baptiſmo frequenter meminit. *Non eſt*, inquit, *aqua* [*f*] *profana & adultera, ſuper quam nomen inuocatur, etiamſi a profanis & adulteris inuocetur.* Et in alio loco hanc inuocationem cum in baptiſmo, tum in aliis ſacramentis fieri, & ſacramenta valida eſſe adfirmat, etſi malorum precibus ſint ſanctificata [*g*]: *Si ergo ad hoc valet, quod dictum eſt in euangelio, Deus peccatorem non audit, vt per peccatorem ſacramenta non celebrentur. Quomodo exaudit homicidam DEPRECANTEM VEL SVPER AQVAM BAPTISMI, vel ſuper oleum, vel ſuper euchariſtiam, vel ſuper capita eorum, quibus manus imponitur? Quæ omnia tamen & fiunt & valent per homicidas.* Et rurſus obiectioni reſpondens *Cyprianiſtarum* & *Donatiſtarum*, quod homo impius vel hæreticus aquam conſecrare non poſſit, ita argumentatur: *Si* [*h*] *non ſanctificatur aqua, quum aliqua erroris verba per imperitiam precator effundit, multi non ſolum mali, ſed etiam boni fratres in ipſa eccleſia non ſanctificant aquam. Multorum enim preces emendantur quotidie, ſi doctioribus fuerunt recitatæ, & multa in eis reperiuntur contra fidem catholicam. Numquid ſi manifeſtarentur aliqui baptizati, quum illæ preces dictæ ſuper aquam fuiſſent, iubebuntur denuo baptizari. Quid ita? Quia plerumque precis vitium ſuperat precantis adfectus: & quia certa illa euangelica verba* (intelligit formulam baptizandi, in nomine patris, & filii & ſpiritus ſancti, a *CHRISTO* præſcriptam) *ſine quibus non poteſt baptiſmus conſecrari, tantum valent, vt per illa ſic euacuentur, quæcumque in prece vitioſa contra regulam fidei dicuntur, quemadmodum dæmonium Chriſti nomine excluditur.* Quæ verba per-

(*d*) Concil. Carthag. ap. Cyprian. p. 233. (p. 161. n. XVIII. edit. Amſtelod.)
(*e*) Optat. lib. III. contr. Parmen. p. 62. (p. 61. edit. Pariſ. MDCLXXIX.)
(*f*) Aug. de baptiſm. lib. III. c. X.
(*g*) Auguſtin. de bapt. lib. V. c. XX.
(*h*) Id. ibid. lib. VI. c. XXV.

ſpicue oſtendunt, preces conſecrationis tunc temporis inter catholicos pariter & *Donatiſtas* generatim fuiſſe adhibitas, tametſi nec vſus earum, nec orthodoxia abſolute & neceſſario requiri crederetur ad eſſentiam baptiſmi, qui cum magnis erroribus in iſtiusmodi precibus conſiſtere poterat. Facile eſſet, plura alia teſtimonia de hac antiqua eccleſiæ praxi addere ex AMBROSIO [*i*], BASILIO [*k*], THEODORETO [*l*], GREGORIO NYSSENO [*m*], THEOPHILO ALEXANDRINO [*n*], VICTORE VTICENSI [*o*] & aliis; ſed ea pro amplitudine ſua, poſt tot AVGV-

(*i*) Ambroſ. de ſacram. lib. I. c. V. Vbi primum ingreditur ſacerdos, exorciſmum facit, ſecundo *ſuper creaturam aquæ inuocationem*, poſtea & *precem defert, vt ſanctificetur fons* & adſit præſentia trinitatis æternæ.
Id. de ſpirit. S. lib. I. c. VII. Habes in euangelio, quia angelus ſecundum tempus deſcendebat in natatoriam, & mouebatur aqua, & qui prior deſcendiſſet in natatoriam, ſanus fiebat. Quid in hoc typo angelus, niſi deſcenſionem ſancti ſpiritus nuntiabat, quæ noſtris futura temporibus *aquas ſacerdotalibus inuocata precibus conſecraret.*

(*k*) Baſil. de ſpirit. S. c. XXVII. Εὐλογοῦμεν τὸ ὕδωρ τοῦ βαπτίσματος, Conſecramus aquam baptiſmatis.

(*l*) Theodoret. in 1 Cor. VI, 11. (tom. III. p. 144.) Τῇ ἐπικλήσει τῆς ἁγίας τριάδος ἁγιάζεται τῶν ὑδάτων ἡ φύσις, καὶ χορηγεῖται τῶν ἁμαρτημάτων ἡ ἄφεσις. Per ſanctæ trinitatis inuocationem aquarum natura ſanctificatur, & exhibetur peccatorum remiſſio.

(*m*) Nyſſen. de bapt. Chriſti (tom. III. p. 371.) κατὰ δὲ τὴν ὁμοίαν ἀκολουθίαν τῶν λογισμῶν, καὶ τὸ ὕδωρ οὐδὲν ἄλλο τυγχάνον ἢ ὕδωρ, ἀνακαινίζει τὸν ἄνθρωπον εἰς τὴν νοητὴν ἀναγέννησιν, τῆς ἄνωθεν χάριτος εὐλογούσης αὐτό. Simili conſequentia rationum etiam aqua, quum nihil aliud ſit quam aqua, *ſuperna gratia benedicente ei*, in eam, quæ mente percipitur, hominem renouat regenerationem.
Id. aduerſ. eos qui baptiſm. differunt tom. II. p. 219. b. Λογισάμενος δὲ σωφρόνως, ὅτι πᾶς τόπος τοῦ κοινοῦ δεσπότου· καὶ πᾶν ὕδωρ ἐπιτήδειον εἰς τὴν τοῦ βαπτίσματος χρείαν, μόνον ἐὰν εὕρῃ πίστιν τοῦ λαμβάνοντος, καὶ εὐλογίαν τοῦ ἁγιάζοντος ἱερέως. Prudenter autem reputans, quod omnis locus eſt communis domini, & omnis *aqua* eſt apta ad vſum baptiſmatis, *ſi modo inuenerit* fidem eius, qui id accepit, & *benedictionem ſacerdotis ſanctificantis.*

(*n*) Theophil. epiſt. paſch. I. biblioth. patr. tom. III. p. 87. (tom. V. p. 846. e. ed. Lugdun. MDCLXXVII.) Dicit, ſpiritum ſanctum, non operari ea, quæ in anima ſunt, nec ad irrationabilia peruenire. Quod adſerens non recogitat, *aquas in baptiſmate myſticas aduentu ſancti ſpiritus conſecrari.*

(*o*) Vict. Vtic. de perſecut. Vandal. lib. II. p. 602. (tom. VII. p. 683. c. in bibl. patr. edit. Lugd. MDCLXXVII.) Pergit comitante officio clericorum ad fontem. Vbi fixis genibus cum ingenti gemitu, pulſans ſingultibus cælum,

STINI

STINI aliorumque ſcriptorum, qui eum anteceſſerunt, teſtimonia, heic recitari oportere non exiſtimamus.

## §. II.

### *Antiqua forma iſtarum precum in* conſtitutionibus apoſtolicis.

DVAS treſue obſeruationes adhuc de his precibus conſecrationis ſubiungemus, quæ quibusdam ritibus & doctrinis quibusdam eccleſiæ antiquæ non nihil lucis adfundere poterunt. Et *primum* quidem legimus, quod, vt formas aliis cultus Dei partibus, ita quoque formam his conſecrationis aquarum precibus præſcriptam habuerint; etſi non ita vniuerſalem & immutabilem, vti quidem formam baptiſmi. AVGVSTINVS enim hanc numquam variare, illam autem erroribus quibusdam & deprauationi obnoxiam eſſe dicit, quia humanæ compoſitionis libertati relicta ſit. Harum formularum aliqua adhuc in *conſtitutionibus* ſic dictis *apoſtolicis* habetur, quam hic interponere non inconſultum fuerit. Inſcriptio habet: *Gratiarum actio de myſtica aqua. Sacerdos* [p] *benedicit ac laudat dominum Deum omnipotentem, patrem vnigeniti & gratias agit; quia miſit filium ſuum, qui homo fieret propter nos, vt nos ſaluaret; quia ſuſtinuit, vt ille in incarnatione fieret per omnia obediens, prædicaret regnum cælorum, remiſſionem peccatorum, mortuorum reſurrectionem. Ad hæc adorat ipſum vnigenitum Deum poſt eum, & per illum gratias huic agens, quod ille mortem pro omnibus per crucem ſubierit, cuius mortis figuram dedit baptiſmum regenerationis. Laudat etiam, quia in nomine Chriſti, Deus cunctorum dominus in ſpiritu ſancto non abiecit humanum genus; ſed variis temporibus variam prouidentiam adhibuit; tunc ipſi Adamo in paradi-*

crispantem *benedixit alueum fontis*, & cum *completa* ſurrexiſſet oratione &c.

(p) Conſtit. apoſtol. lib. VII. c. XLIII. Περὶ τοῦ μυστικοῦ ὕδατος εὐχαριστία - Εὐλογεῖ καὶ δοξάζει τὸν δεσπότην θεὸν τὸν παντοκράτορα, καὶ πατέρα τοῦ μονογενοῦς θεοῦ, εὐχαριστῶν ὁ ἱερεύς· ὅτι ἀπέστειλεν ἐνανθρωπῆσαι τὸν υἱὸν αὐτοῦ δι' ἡμᾶς, ἵνα ἡμᾶς σώσῃ· ὅτι ἠνέχετο τῆς ἐνανθρωπήσεως ὑπήκοον αὐτὸν γενέσθαι ἐν πᾶσι, κηρύξαι βασιλείαν οὐρανῶν, ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, νεκρῶν ἀνάστασιν· ἐπὶ τούτοις προσκυνεῖ αὐτὸν τὸν μονογενῆ θεὸν μετ' αὐτὸν, καὶ δι' αὐτὸν εὐχαριστῶν αὐτῷ, τῷ ἀναδέξασθαι αὐτὸν τὸν ὑπὲρ πάντων θάνατον διὰ τοῦ σταυροῦ, οὗ τύπον ἔδωκε τὸ βάπτισμα τῆς παλιγγενεσίας· δοξάζει τε, ὅτι ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ χριστοῦ θεὸς, ὁ τῶν ὅλων κύριος, ἐν ἁγίῳ πνεύματι οὐκ ἀπέῤῥιψε τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος· ἀλλὰ διαφόροις καιροῖς διαφόρους προνοίας ἐποιήσατο· τότε Ἀδὰμ αὐτῷ ἐν παραδείσῳ, πρῶτον μὲν τρυφῆς λόγῳ

*so; primum quidem ratione deliciarum dedit illi paradisum in habitationem; deinde ratione prouidentiæ mandatum tradidit; post peccatum autem per iustitiam eum expulit, per bonitatem vero non ex toto abiecit, sed & posteros eius vicissim erudiuit diuersis modis: propter quem in extremo seculi misit filium suum, vt homo fieret hominum caussa, & omnes humanos adfectus excepto peccato susciperet.* Post hanc gratiarum actionem sacerdos Deum inuocare iubetur & dicere: *Respice de cælo, & sanctifica hanc aquam; da vero gratiam & virtutem, vt qui baptizatur secundum mandatum CHRISTI tui, cum eodem crucifigatur, & commoriatur, & consepeliatur, & consuscitetur in adoptionem, quæ in eo fit, vt perimatur quidem peccato, viuat autem iustitiæ.* Quicumque formulam in liturgia nostra *Anglicana* cum hac antiqua forma conferre voluerit, is magnam inter vtramque similitudinem, cum in gratiarum actione, tum in peculiaribus consecrationis precibus, deprehendet.

## §. III.

### *Signum crucis in hac consecratione adhibitum.*

*Secundo* OBSERVAMVS, quod vna cum his precibus signum quoque crucis fieri consueuerit, non vt antea super hominem baptizandum, sed tamquam consecrationis circumstantia. Hoc non tantum ex DIONYSIO [q] discimus, sed ex AVGVSTINO [r] quoque, qui *Baptismus*, inquit, *id est, salutis aqua, non est salutis, nisi in CHRISTI nomine consecrata, qui pro nobis sanguinem fudit, CRVCE IPSIVS AQVA SIGNETVR.* Et CHRYSOSTOMVS

τὸν παράδεισον οἰκητήριον δούς, ἔπειτα προνοίας λόγῳ ἐντολὴν ποιησάμενος· ἁμαρτόντα δέ, δικαιοσύνῃ ἐξώσας, ἀγαθότητι δὲ μὴ ἀπορρίψας εἰς τὸ παντελές, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἐξ αὐτοῦ κατὰ διαδοχὴν διαφόρως παιδεύσας· δι' ὃν ἐπὶ τὸ πέρας τοῦ αἰῶνος ἀπέστειλε τὸν υἱὸν αὐτοῦ, ἄνθρωπον γενέσθαι δι' ἀνθρώπους, καὶ πάντα τὰ ἀνθρώπινα πάθη ἀναδέξασθαι χωρὶς ἁμαρτίας· αὐτὸν οὖν καὶ νῦν παρακαλείτω ὁ ἱερεὺς πρὸς τῷ βαπτίσματι, καὶ λεγέτω, ὅτι κάτιδε ἐξ οὐρανοῦ, καὶ ἁγίασον τὸ ὕδωρ τοῦτο· δὸς δὲ χάριν καὶ δύναμιν, ὥστε τὸν βαπτιζόμενον, κατ' ἐντολὴν τοῦ Χριστοῦ σου, αὐτῷ συσταυρωθῆναι, καὶ συναποθανεῖν, καὶ συνταφῆναι, καὶ συναναστῆναι εἰς υἱοθεσίαν, τὴν ἐν αὐτῷ, τῷ νεκρωθῆναι μὲν τῇ ἁμαρτίᾳ, ζῆσαι δὲ τῇ δικαιοσύνῃ.

(q) Dionys. de hierarch. eccles. c. II. p. 254. τὸ ὕδωρ ταῖς ἱεραῖς ἐπικλήσεσι καθαγιάσας, καὶ τρισὶ τοῦ παναγεστάτου μύρου σταυροειδέσι χύσεσι τελειώσας. latin. vid. §. I. sub litt. (a) in textu p. 314.

(r) Augustin. homil. XXVII. ex L. tom. X. p. 175. (p. 478. b. edit. Basil. MDLXIX.)

STOMVS

STOMVS [s] crucem in omnibus ſanctis myſteriis adhiberi adfirmat: *QVVM REGENERAMVR, CRVX DOMINI ADEST, quum ſacratiſſimo alimur cibo, aut in ordine conſecrandi ſtatuimur, vbique ac ſemper id victoriæ inſigne nobis adſiſtit.* Quibus auctor addi poteſt, qui ſub nomine ſcripſit AVGVSTINI [t], qui omnes eccleſiæ conſecrationes percurrit, & ſignum crucis vbique adhiberi adfirmat. *Huius crucis myſterio*, inquit, *rudes catechizantur, eodem myſterio fons regenerationis conſecratur, eiusdem crucis ſigno per manus impoſitionem baptizati dona gratiarum accipiunt. Cum eiusdem crucis charactere baſilicæ dedicantur, altaria conſecrantur, altaris ſacramenta cum interpoſitione dominicorum verborum conficiuntur: Sacerdotes & Leuitæ per hoc idem ad ſacros ordines promouentur.*

## §. IV.

### *Effecta & mutatio, per hanc conſecrationem producta, eadem ac in pane & vino euchariſtiæ.*

*Tertio*, OBSERVAMVS de huius conſecrationis effectis, quod eadem mutatio in aquis baptiſmi, quæ per conſecrationem panis & vini in euchariſtia, produci credita ſit. Nam non tantum præſentiam ſpiritus, ſed myſticam etiam præſentiam ſanguinis *CHRISTI* poſt conſecrationem heic adeſſe ſtatuebant. IVLIVS FIRMICVS [u] de baptiſmo loquens, *Quære*, inquit, *fontes ingenuos, quære puros liquores, vt illic te poſt multas maculas cum ſpiritu ſancto Chriſti ſanguis incandidet.* GREGORIVS NAZIANZENVS [x] & BASILIVS [y] hoc reſpectu dicunt: *Eſſe templo maius aliquid heic, & maius etiam Salomone heic, & maius quoque Iona heic*, intelligentes *CHRISTVM* per myſticam ſuam præſentiam & ſanguinis ſui efficacitatem. AVGVSTINVS [z] ait: *Significabat mare rubrum baptiſmum Chriſti. Vnde rubet baptiſmus Chriſti,*

(s) Chryſoſtom. hom. LIV. (al. LV.) in Matth. p. 475. edit. Commelin. vid. græca c. IX. §. VI ſub litt. (o) p. 314.

(t) Auguſt. hom. LXXV. de diuerſis in append. tom. X. p. 702.

(u) Firmic. de error. profan. relig. c. XXVIII.

(x) Naz. orat. XL. de baptiſm. p. 657. b. ἰδοὺ πλεῖον Σολομῶντος ὧδε, παρὰ τοῖς τελείως λογιζομένοις. Ecce plus quam Salomon heic, ſaltem apud eos, qui rem perfecte conſiderant.

(y) Baſil. de bapt. lib. I. c. II. tom. I. p. 558. Μεῖζον τοῦ ἱεροῦ ὧδε - μεῖζον τοῦ Σολομῶντος ὧδε καὶ μεῖζον τοῦ Ἰωνᾶ ὧδε.

(z) Auguſt. tract. XI. in Io. p. 41. (tom. IX. opp. p. 98. c. edit. Baſil. MDLXIX.)

niſi

*nisi Christi sanguine consecratus*? PROSPER [*a*] nos in baptismo sanguine Christi tingi, confidenter adfirmat, quando de martyribus ait: *In cocco bis tincto martyria sancta rutilant, semel BAPTISMO CHRISTI SANGVINE TINGVNTVR, atque suo effusionis cruore denuo retincti.* HIERONYMVS eadem metaphora vtitur, verba *Iesaiæ* prophetæ, *Lauate vos, purificate vos*, explicans: *Baptizemini* [*b*] *in sanguine meo per lauacrum regenerationis.* Et iterum [*c*] de reginæ *Candaces* eunucho loquens, dicit: *Hoc testimonium* (Ies. LIII, 7.) *quum legens non intelligeret, interpretante Philippo super passione & nomine saluatoris, intellexit, & statim baptizatus in AGNI SANGVINE, quem legebat, vir meruit appellari, & apostolus gentis Aethiopum missus est.* In eumdem modum CAESARIVS [*d*] *Ingreditur*, inquit, *anima vitales vndas velut rubras, SANGVINE CHRISTI CONSECRATAS.* Et ISIDORVS [*e*]: *Quid est mare rubrum, nisi baptismus Christi sanguine consecratus.* Alii nos hoc ipso corporis & sanguinis *CHRISTI* participes fieri, eiusque carnem edere dicunt, secundum id, quod in euangelio *Ioannis* legitur: *Nisi ederitis carnem filii hominis & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ex quibus verbis baptismi necessitatem deducit FVLGENTIVS [*f*]: *Quisquis secundum mysterii veritatem considerare poterit, in ipso lauacro sanctæ regenerationis hoc fieri videbit. - - Quod etiam sanctos patres indubitanter credidisse ac docuisse cognoscimus.* Vnde CYRILLVS ALEXANDRINVS [*g*] homines in baptismo spiritualis agni participes fieri dicit. Loquens enim de *Aethiope* eunucho, dynaste *Candaces*, *Eunuchus*, inquit, *interrogabat Philippum prophetiam de Christo, & PARTICEPS SPIRITVALIS AGNI per hanc inquisitionem est declaratus: Confestim enim dignus redditus est, qui baptizaretur, sicut & baptizatus est.* Et CHRYSOSTOMVS [*h*] nos hoc ipso *CHRISTVM*, tum qua Deum, tum qua

(*a*) Prosper. de promissis lib. II. c. II.
(*b*) Hieron. in Iesa. I, 16.
(*c*) Id. in Iesa. LIII, 7.
(*d*) Cæsar. Arelat. homil. VI. de paschat. bibl. patr. tom. II. p. 276.
(*e*) Isidor. Hispal. in Exod. XIX.
(*f*) Fulgent. de bapt. æthiop. c. XI. p. 611.
(*g*) Cyrill. in Exod. XII. lib. II. tom. I. p. 270. ὁ Εὐνοῦχος ἀνεπυνθάνετο τοῦ Φιλίππου, τῆς περὶ Χριστοῦ προφητείας - - μέτοχος ἤδη τοῦ νοητοῦ προβάτου διὰ τῆς ἐρεύνης ἀνεδεικνύετο· ἠξίου γὰρ εὐθὺς καὶ βαπτίζεσθαι, καὶ δὴ καὶ βεβάπτισται.
(*h*) Chrysostom. serm. XXVII. de cruce tom. VI. p. 293. (245. edit. Francofurt.

homi-

hominem induere adfirmat. *Audi*, inquit, *Paulum dicentem: Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis, Christum autem quum audieris, non Deum solum intelligas, neque solam eius dispensationem in carne, sed vtrumque.* Et NAZIANZENVS [*i*] obseruat, in baptismo nos pretioso sanguine *CHRISTI* vngi & protegi, quemadmodum olim *Israelitæ* a nocturno illo cruore, quo postes eorum illiti erant, defensi sint. Et CHRYSOSTOMVS [*k*] rursus dicit, quod qui baptizentur, eos regale protegat indumentum, & purpura dominico sanguine tincta decoret. PHILO CARPATHIVS sponsam Christi, hoc est ecclesiam ipsius, in baptismo signaculum [*l*] *CHRISTI* adfirmat accipere, eius sacratissimi sanguinis fonte perlotam. OPTATVS [*m*], vti iam ante audiuimus, *CHRISTVM*, quem piscem vocat, in baptismate per inuocationem fontalibus vndis inseri docet. Quinimmo CHRYSOSTOMVS [*n*] liberiore quodam & rhetorico dicendi genere vtens, homini baptizato non dubitat narrare, quod ipsum dominum statim amplectatur, quod cum corpore eius commisceatur, immo, quod conspergatur cum corpore, quod supra situm est,

MDCLXXXIV.) ἄκουε Παύλου λέγοντος· ὅσοι εἰς χριστὸν ἐβαπτίσθητε, χριστὸν ἐνεδύσασθε· χριστὸν δὲ ὅταν ἀκούσῃς, μὴ τὸν θεὸν λογίσῃ μόνον, μηδὲ τὴν ἔνσαρκον οἰκονομίαν μόνην, ἀλλὰ τὸ συναμφότερον.

(*i*) Naz. orat. XL. de bapt. p. 646. c. εἰ δὲ προκαταλάβοις σεαυτὸν τῇ σφραγίδι, καὶ τὸ μέλλον ἀσφαλίσαιο, τῷ καλλίστῳ τῶν βοηθημάτων, καὶ στερροτάτῳ, σημειωθεὶς καὶ ψυχὴν, καὶ σῶμα, τῷ χρίσματι, καὶ τῷ πνεύματι, ὡς Ἰσραὴλ πάλαι, τῷ νυκτερινῷ καὶ φυλακτικῷ τῶν πρωτοτόκων αἵματι καὶ χρίσματι· τί σοι συμβήσεται; Si per baptismum te ipsum præmunieris, cum pulcherrimo & firmissimo auxilio tibi in futurum cauens, animum scilicet & corpus vnctione & spiritu consignans, quemadmodum olim Israël nocturno illo cruore, qui primigenitos tuebatur, quid tibi accidet?

(*k*) Chrysost. homil. IX. ad illuminandos tom. I. p. 796. (p. 704. edit. cit. Francof.) ὅταν τὸ ἱμάτιον τὸ βασιλικὸν ἀπολάβητε, ὅταν τὴν πορφύραν περιβάλησθε τὴν αἵματι βαφεῖσαν δεσποτικῷ.

(*l*) Philo in Cantic. IV, 12. Fons signatus sponsa dicitur, quia in baptismate signaculum Iesu Christi accepit, ex eius sacratissimi sanguinis fonte perlota.

(*m*) Optat. lib. III. p. 62. Paris. MDCXXXI. (p. 61. edit. Par. MDCLXXIX.) Hic est piscis, qui in baptismate per inuocationem fontalibus vndis inseritur, vt quæ aqua fuerat, a pisce etiam piscina vocitetur.

(*n*) Chrysost. homil. VI. in Coloss. p. 1359. (p. 202. edit. Francof.) οὐ ξύλον ὁρᾶς, οὐδὲ πηγὴν, ἀλλὰ αὐτὸν εὐθέως περιλαμβάνεις τὸν δεσπότην, ἀνακεράννυσαι τῷ σώματι, ἀναφύρῃ τῷ σώματι τῷ ἄνω κειμένῳ κ. τ. λ.

quo diabolo non liceat accedere. Nonnulli, vt ISIDORVS [o], aquam baptiſmi aquam eſſe dicunt, quæ tempore paſſionis *CHRISTI* de latere profluxit. Et alii, vti LAVRENTIVS NOVARIENSIS, [p] aquam filii Dei ſanguine mixtam eſſe, adſerunt. Alii rurſus aquam per ſpiritus efficaciam ad diuinam quamdam & ineffabilem vim transmutari dicunt. Ita CYRILLVS ALEXANDRINVS [q], qui frequenter vocabulum μεταστοιχειοῦσθαι adhibet, quando de aquæ in baptiſmo & de panis ac vini in euchariſtia, vel alia quacumque mutatione, in chriſtianæ religionis myſteriis effecta, loquitur. CYRILLVS HIEROSOLYMITANVS & GREGORIVS NYSSENVS eamdem obſeruationem habent de mutatione, in vnguento poſt conſecrationem facta, quam eamdem cum panis ac vini euchariſtici mutatione faciunt. *Vide*, inquit CYRILLVS [r], *ne illud eſſe putes nudum vnguentum. Quemadmodum enim panis euchariſtiæ poſt ſancti ſpiritus invocationem non amplius eſt panis communis, ſed eſt corpus CHRISTI; ſic & ſanctum hoc vnguentum non amplius eſt vnguentum nudum, neque, vt ita dicam, commune, poſtquam iam conſecratum eſt: ſed eſt chariſma, quod Chriſti & ſpiritus ſancti, id eſt, diuinitatis eius præſentiam efficit* Similem in modum GREGORIVS NYSSENVS eamdem mutationem in oleo myſtico, & in ipſo altari, & in miniſtris per ordinationem, & in pane ac vino euchariſtiæ poſt conſecrationem ſtatuit. *Ne contemnas*, inquit, *diuinum lauacrum, neque id tamquam commune propter vſum aquæ [s] parui facias, & leui momento ducas. Nam id, quod opera-*

(o) Iſidor. de offic. eccleſ. lib. II. c. XXIV. Aqua eſt, quæ tempore paſſionis Chriſti de latere profluxit.

(p) Laurent. Nouar. homil. I. de pœnitentia. bibl. patr. tom. II. p. 127. Adſperges me aqua filii tui ſacro ſanguine mixta. - Abluitur Adam corpore Chriſti &c.

(q) Cyrill. in Io. III, 5. p. 147. διὰ τῆς τοῦ πνεύματος ἐνεργείας τὸ αἰσθητὸν ὕδωρ πρὸς θείαν τινὰ καὶ ἄῤῥητον ἀναστοιχειοῦται δύναμιν. Vid. Albertinum de euchariſtia, lib. II. c. II. p. 458. tot. vbi omnia illa loca, quæ de hac μεταστοιχειώσει agunt, collecta exhibet.

(r) Cyrill. catech. myſtag. III. n. III. ὅρα μὴ ὑπονοήσῃς ἐκεῖνο τὸ μύρον ψιλὸν εἶναι· ὥσπερ καὶ ὁ ἄρτος τῆς εὐχαριστίας, μετὰ τὴν ἐπίκλησιν τοῦ ἁγίου πνεύματος οὐκ ἔτι ἄρτος λιτὸς, ἀλλὰ σῶμα χριστοῦ· οὕτω τὸ ἅγιον τοῦτο μύρον οὐκ ἔτι ψιλὸν, οὐδ' ὡς ἂν εἴποι τις κοινὸν, μετ' ἐπίκλησιν, ἀλλὰ χριστοῦ χάρισμα, καὶ πνεύματος ἁγίου παρουσίᾳ τῆς αὐτοῦ θεότητος ἐνεργητικὸν γινόμενον.

(s) Nyſſen. de bapt. Chriſti, tom. III. p. 369. 370. Μὴ καταφρονήσῃς τοῦ θείου λουτροῦ, μηδὲ ὡς κοινὸν αὐτὸ ἐξευτελίσῃς, διὰ τὴν χρῆσιν τοῦ ὕδατος· τὸ γὰρ ἐνεργοῦν μεγα,

tur,

*tur, magnum eſt, & ab illo mirabiles exſiſtunt effectus. Nam & altare hoc ſanctum, cui adſiſtimus, lapis eſt natura communis, nihil differens ab aliis cruſtis lapideis, ex quibus parietes noſtri exſtruuntur & pauimenta exornantur; ſed quoniam Dei cultui conſecratum atque dedicatum eſt, ac benedictionem accepit, menſa ſancta, altare immaculatum eſt, quod non amplius ab omnibus, ſed a ſolis ſacerdotibus, iisque venerantibus contrectatur. Panis item panis eſt initio communis: ſed vbi eum myſterium ſacrificauerit, corpus Chriſti fit & dicitur: ſic myſticum oleum, ſic vinum: quum ſint res exigui pretii ante benedictionem, poſt ſanctificationem, quæ a ſpiritu procedit, vtrumque eorum excellenter operatur. Eadem item verbi vis etiam ſacerdotem auguſtum & honorandum facit, nouitate benedictionis a communitate vulgi ſeparatum. Quum enim heri ac tempore ſuperiore vnus e multitudine ac plebe eſſet, repente redditur præceptor, præſes, doctor pietatis, myſteriorum latentium præſul: eaque contingunt ei, quum nihil vel corpore vel forma mutatur, ſed quod ad ſpeciem externam attinet, ille ſit, qui erat, inuiſibili quadam vi ac gratia, inuiſibilem animam in melius transformatam gerens.* LEO [t] pontifex *Romanus* vlterius progreditur, baptiſmum non tantum in aqua, ſed in homine quoque cum ſuſcipiente, mutationem efficere adſerens: *Suſceptus*, inquit, *A CHRISTO, CHRISTVMQVE ſuſcipiens, non idem poſt lauacrum, qui ante baptiſmum fuit, ſed corpus regenerati fit caro crucifixi.* Ex quibus omnibus facile ad obſeruandum eſt, quod in omnibus iſtis caſibus mutatio, qua de loquuntur ſcriptores, non in rerum ſubſtantia, ſed in qualitatibus duntaxat

καὶ ἀπ' ἐκείνου θαυμαστὰ γίνεται τὰ τελούμενα· ἐπεὶ καὶ τὸ θυσιαστήριον τοῦτο τὸ ἅγιον, ᾧ παρεστήκαμεν, λίθος ἐστὶ κατὰ τὴν φύσιν κοινός, οὐδὲν διαφέρων τῶν ἄλλων πλακῶν, αἳ τοὺς τοίχους ἡμῶν οἰκοδομοῦσι, καὶ καλλωπίζουσι τὰ ἐδάφη· ἐπειδὰν δὲ καθιερώθη τῇ τοῦ Θεοῦ θεραπείᾳ, καὶ τὴν εὐλογίαν ἐδέξατο, ἔστι τράπεζα ἁγία, θυσιαστήριον ἄχραντον, οὐκέτι παρὰ πάντων ψηλαφώμενον, ἀλλὰ μόνων ἱερέων, καὶ τούτων εὐλαβουμένων· ὁ ἄρτος πάλιν ἄρτος ἐστὶ τέως κοινός· ἀλλ' ὅταν αὐτὸν τὸ μυστήριον ἱερουργήσῃ, σῶμα Χριστοῦ λέγεταί τε καὶ γίνεται· οὕτως τὸ μυστικὸν ἔλαιον, οὕτως ὁ οἶνος, ὀλίγου τινὸς ἄξια ὄντα πρὸ τῆς εὐλογίας· μετὰ τὸν ἁγιασμὸν τὸν τοῦ πνεύματος ἑκάτερον αὐτῶν ἐνεργεῖ διαφόρως· ἡ αὐτὴ δὲ τοῦ λόγου δύναμις, καὶ τὸν ἱερέα ποιεῖ σεμνὸν καὶ τίμιον, τῇ καινότητι τῆς εὐλογίας τῆς πρὸς τοὺς πολλοὺς κοινότητος χωριζόμενον· χθὲς γὰρ καὶ πρώην εἷς ὑπάρχων τῶν πολλῶν καὶ τοῦ δήμου ἀθρόου, ἀποδείκνυται καθηγεμών, πρόεδρος, διδάσκαλος εὐσεβείας, μυστηρίων λανθανόντων μυσταγωγός· καὶ ταῦτα ποιεῖ, μηδὲν τοῦ σώματος ἢ τῆς μορφῆς ἀμειφθείς· ἀλλ' ὑπάρχων κατὰ τὸ φαινόμενον ἐκεῖνος, ὃς ἦν, ἀοράτῳ τινὶ δυνάμει καὶ χάριτι τὴν ἀόρατον ψυχὴν μεταμορφωθεὶς πρὸς τὸ βέλτιον.

(t) Leo ſerm. XIV. de paſſione p. 62.



facta

facta fuerit. Aqua non est sanguis *CHRISTI* substantialiter & realiter, sed tantum symbolice & mystice. Neque homo in carnem *CHRISTI* per baptismum mutatur ratione vlla alia, quam qua viuum mystici corporis eius membrum redditur, participans spiritum, per quem ille ecclesiam suam, vt caput illius, moderatur ac gubernat. Vt adeo, quando veteres de diuina mutatione, siue transelementatione (nondum enim vocabulum *transsubstantiationis* notum erat) panis ac vini in eucharistia loquuntur, de mutatione in qualitatibus & potestate, non in substantia, vti heic in baptismo, interpretandi sint: siquidem omnia verba, quibus ad declarandam hanc mutationem vtuntur, similiter in aqua baptismi post consecrationem vera esse comprobantur.

### §. V.

### *Quatenus istæ preces consecrationis in ecclesia necessariæ creditæ sint.*

OBSERVANDVM porro est, vt omnes errores deuitemus, quod quum veteres de absoluta quadam inuocandi *DEVM* ad aquas baptismi consecrandas necessitate loquuntur, non novam quamdam precum formam ab ecclesia præscriptam, sed ipsam baptismi formam a *CHRISTO* institutam, intelligant, quam sacrosanctæ *TRINITATIS* inuocationem esse recte arbitrantur. Quo sensu baptismus recte administrari nequit sine precibus pro aquæ consecratione factis, tametsi, vrgente necessitate, sine addititiis ecclesiæ precibus [u] peragi possit.

---

(u) Vid. Albertin. de eucharistia lib. I. c. V. p. 18. Respexisse veteres ad hæc euangelica verba, *in nomine patris, & filii, & spiritus sancti*, dubium esse non potest, quum nullæ sint aliæ preces ad aquæ consecrationem a domino institutæ. Ad hunc generalem implicitamque inuocationem in primæua euangelii simplicitate aquæ sanctificationi hominisque sanctificationi abunde sufficientem amplificarunt & dilatarunt, preces primo concipientes pro aquæ sanctificatione, deinde etiam alias pro baptismum suscipiente cum variis additamentis exoticorum rituum. cetera.

LIBRI

# *LIBRI VNDECIMI*

## *CAPVT VNDECIMVM*

## DE DIVERSA RATIONE BAPTIZANDI PER IMMERSIONEM TRINAM, ET ADSPERSIONEM IN BAPTISMO CLINICORVM.

### §. I.

*Omnes baptizandi olim vestibus exuti.*

HACTENVS omnia, quæ ipsum actum baptizandi antecessere, considerauimus, nunc in modum inquiremus, quo baptismus peractus fuerit, vtrum per omnimodam immersionem, an per adspersionem, quæ nunc generalior ecclesiæ consuetudo est. Non est dubium, quin vterque modus primario baptismi scopo satis respondeat, qui est, vt anima, non corpus, peccati ablutione purificetur. Adhuc autem veteres immersionem fortius ac viuidius repræsentare credebant mortem, sepulcrum ac resurrectionem *CHRISTI*, nec non mortem nostram, qua peccato morimur, ac resurrrectionem nostram ad iustitiam. Et exuendi baptizandum consuetudo itidem repræsentabat officium deponendi corpus peccati, ad induendum nouum hominem, qui secundum *DEVM* conditus est ad iustitiam & sanctimoniam veram. Quam ob caussam modum baptizandi nudos per immersionem obseruabant, extremæ necessitatis casibus exceptis, vbi adspersione vtebantur, vt in baptismo clinicorum, vel in aquarum inopia. Homines vestibus exui consueuisse iam baptizandos, manifestum est partim ex iis, quæ de vnctione antea diximus, quippe quæ non solum in capite, sed in reliquis etiam corporis partibus perficiebatur; partim e disertis testimoniis, quæ hoc adfirmant; nec non ex modo baptizandi per immersionem, qui id necessario requirebat. CHRYSOSTOMVS loquens de baptismo, hominem heic esse nudum dicit, perinde ac *Adamum* in paradiso, sed tamen hoc cum discrimine: *Hic* [*a*] *nuditas*, inquit, *& illic nuditas. Sed illic quidem, quum peccasset, nudatus fuit, quoniam peccauit: heic autem nudatur, vt liberetur. Exuit tum ille gloriam, quam aliquando habuit. Nunc vete-*

(*a*) Chrysostom. homil. VI. in Coloss. p. 3358. (p. 200. edit. Francof.) ἐνταῦθα γυμνότης, κἀκεῖ γυμνότης· ἀλλ᾽ ἐκεῖ μὲν ἁμαρτήσας ἐγυμνώθη, ἐπειδὴ ἥμαρτεν· ἐνταῦθα δὲ, ἵνα ἀπαλλαγῇ, γυμνοῦται· ἀπεδύσατο τότε τὴν δόξαν, ἣν εἶχεν ἐκεῖ-

*rem exuit hominem: & priusquam adſcendat, tam facile exuit quam veſtimenta.* AMBROSIVS [*b*] ait: *Nudi in ſæculo naſcimur, nudi etiam accedimus ad lauacrum: vt nudi quoque & expediti ad cæli ianuam properamus. Quam autem incongruum & abſurdum eſt, vt quem nudum mater genuit, nudum ſuſcipit eccleſia, diues intrare velit cælum?* CYRILLVS HIEROSOLYMITANVS huius circumſtantiæ [*c*] meminit, & ſimul eius reddit rationem, quando recens baptizatos ita adloquitur: *Statim vt ingreſſi eſtis (in interiorem baptiſterii domum) veſtem exuiſtis: quod quidem exuti hominis antiqui cum operibus ſuis imago fuit. Atque ita exuti, eratis nudi: imitantes & in hoc eum, qui in cruce nudatus fuerat, CHRISTVM: qua ille nuditate principatus & poteſtates huius ſæculi ſpoliauit, & magna confidentia in ligno de illis triumphauit. Quia in membis veſtris deliteſcebant aduerſariæ virtutes, non licet vobis veſtem illam veterem amplius ferre. Non eam dico, quæ ſenſibus percipitur: ſed veterem hominem, erroneis corruptum deſideriis: quem non licet animæ rurſus induere, poſtquam ſemel exuerit: immo dicendum eſt cum ſponſa CHRISTI, vt eſt in cantico canticorum: Exui veſtem meam, quomodo rurſus induam illam? O rem admirandam! nudi fuiſtis in conſpectu omnium, & non vos pudebat. Reuera enim in hoc protoplaſti Adam ferebatis exemplum, qui nudus in paradiſo fuit, & tamen nullo adficiebatur pudore.* Ita quoque AMPHILOCHIVS in vita BASILII [*d*], de huius loquens baptiſmo, ait: *Surgens cum tremore, ſuis ſe veſtibus ſpoliat, vnaque cum veſtibus veterem exuit hominem.* Et ZENO

---

νος, ἀποδύεται νῦν τὸν παλαιὸν ἄνθρωπον οὗτος, καὶ πρὶν ἢ ἐπιβῆναι, οὕτως εὐκόλως ἀποδύεται, ὥσπερ τὰ ἱμάτια.

(*b*) Ambroſ. ſerm. XX. (tom. V. p. 153. edit. Pariſ. MDCXIII.)

(*c*) Cyrill. catech. myſtag. II. n. II. p. 284. Εὐθὺς οὖν εἰσελθόντες (εἰς τὸν ἐσώτερον οἶκον) ἀπεδύεσθε τὸν χιτῶνα· καὶ τοῦτο ἦν εἰκὼν τοῦ τὸν παλαιὸν ἄνθρωπον ἀποδύεσθαι σὺν ταῖς πράξεσιν· ἀποδυθέντες γυμνοὶ ἦτε, μιμούμενοι καὶ ἐν τούτῳ τὸν ἐπὶ σταυροῦ γυμνωθέντα χριστὸν, καὶ τῇ γυμνότητι ἀπεκδυσάμενον τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς ἐξουσίας, καὶ μετὰ παῤῥησίας ἐν τῷ ξύλῳ θριαμβεύσαντα· ἐπειδὴ γὰρ τοῖς μέλεσι τοῖς ὑμετέροις ἐνεφώλευον αἱ ἀντικείμεναι δυνάμεις, οὐκ ἔτι φορεῖν ὑμῖν ἔξεστι τὸν παλαιὸν ἐκεῖνον χιτῶνα· οὐ τοῦτον πάντως λέγω τὸν αἰσθητὸν, ἀλλὰ τὸν παλαιὸν ἄνθρωπον, τὸν φθειρόμενον ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις τῆς ἀπάτης· ὃν μὴ εἴη πάλιν ἐνδύσασθαι τῇ ἅπαξ τοῦτον ἀποδυσαμένῃ ψυχῇ, ἀλλὰ λέγειν κατὰ τὴν ἐν τῷ ᾄσματι τῶν ᾀσμάτων τοῦ χριστοῦ νύμφην· ἐξεδυσάμην τὸν χιτῶνά μου, πῶς ἐνδύσομαι αὐτόν; ὢ θαυμασίου πράγματος· γυμνοὶ ἦτε ἐν ὄψεσι πάντων, καὶ οὐκ ᾐσχύνεσθε, ἀληθῶς γὰρ μίμημα ἐφέρετε τοῦ πρωτοπλάστου Ἀδὰμ, ὃς ἐν τῷ παραδείσῳ γυμνὸς ἦν, καὶ οὐκ ᾐσχύνετο.

(*d*) Amphiloch. vit. Baſil. c. V. καὶ δὲ ἀναστὰς ἔντρομος, ἐκδιδύσκεται τὰ ἱμάτια, καὶ σὺν αὐτοῖς ἀληθῶς τὸν παλαιὸν ἄνθρωπον.

VERO-

VERONENSIS [*e*] homines baptiſmatis ſui commonefaciens, *Gaudete*, inquit, *in fontem quidem nudi demergitis, ſed ætherea veſte veſtiti, mox candidati inde ſurgitis, quam qui non polluerit, regna cæleſtia poſſidebit.* ATHANASIVS in *inuectiua* ſua in *Arianos* inter alia crimina & hoc eis obiectat, quod ipſorum perſuaſu & inductu *Iudæi* pariter & ethnici in baptiſterium ingreſſi res adeo turpes in catechumenos, qui nudi ſteterint [*f*], perpetrarint, vt eas pudeat referre. Et ſimilis querela de *Petro* epiſcopo *Apamearum* in concilio *Conſtantinopolitano* ſub *Menna* [*g*] facta eſt, quod neophytos, ſiue recens baptizatos, ſine tunicis & calceamentis exſiſtentes, baptiſterio eiecerit. Quæ omnia ſatis ſuperque probant, homines tum baptizatos fuiſſe nudos, ſiue ad exemplum *Adæ* in paradiſo, ſiue ſeruatoris noſtri in cruce, ſiue ad ſignificandum, quod corpus peccati & veterem hominem cum operibus ſuis deponerent.

## §. II.

*Nulla heic exceptio vel mulierum vel infantium.*

HAEC quidem praxis tam vniuerſalis fuit, vt nullam exceptionem, vel ratione teneritatis & mollitiei in infantibus, vel pudoris in ſexu femineo, factam legamus, niſi vel morbus, vel impotentia quædam vſitatam conſuetudinem migrari iuſſiſſet. CHRYSOSTOMVS locupletiſſimus huius conſuetudinis teſtis eſt. Scribens enim de illis, quæ inimici eius aduerſus ipſum magno ſabbatho, hoc eſt pridie paſchatis, crudeliter patrauerant, inter alias res tragicas ab ipſis commiſſas narrat, eos cum collecta manu militum in eccleſiam ingreſſos clerum omnem vi eieciſſe, multisque in baptiſterio interfectis, mulieres [*h*], quæ

(*e*) Zeno inuitat. II. ad bapt. bibl. patr. tom. II. p. 442.

(*f*) Athan. ep. ad orthodox. tom. I. p. 946. (p. 113. f. edit. Parif. MDCXCVIII.) εἰς δὲ τὸ ἅγιον βαπτιστήριον· φεῦ τῆς τόλμης· οἱ χριστοκτόνοι Ἰουδαῖοι, καὶ οἱ ἄθεοι ἐθνικοὶ ἀφυλάκτως εἰσερχόμενοι, τοιαῦτα αἰσχρὰ διεπράττοντο καὶ ἐλάλουν γυμνοῦντες ἑαυτοὺς, ὡς αἰσχύνεσθαι καὶ λέγειν αὐτά. In ſacrum baptiſterium, pro facinus, domicidæ Iudæi & athei ethnici temere ingreſſi, res adeo turpes perpetrarunt, ac ſe ipſos nudantes tam obſcœna protulere verba, vt ea pudeat referre. (Not. Heic nihil de *nudis* catechumenis.)

(*g*) Concil. Conſtant. act. I. p. 53. edit. Crab. Quum eſſemus in baptiſterio neophytorum, ſine tunicis & calceamentis exſiſtentium, venit epiſcopus noſter Petrus & eiecit nos foras vna cum neophytis &c.

(*h*) Chryſoſt. ep. I. ad Innocent. p. 680. (tom. IV. opp. p. 596. edit. Francof.) ἀθρόον

per

per illud tempus ſe exuiſſent, vt baptizarentur, tanto metu perculiſſe, vt nudæ aufugerent, neque illis conceſſum fuiſſe, vt ſe velarent, ſicut mulieres honeſtas deceat. Cum infantibus ita quoque comparatum fuiſſe, ex conſuetudine immergendi, quæ per plura ſæcula in eccleſia durauit, manifeſtum eſt; nec non ex eo, quod de infantibus ſpeciatim in *ordine Romano* [*i*] & *ſacramentario* GREGORII perhibetur, quod, poſt quam ſacerdos ſub trina merſione eos baptizarit, veſtiri, & ad pontificem adduci debeant, vt confirmentur. Hoc ipſum enim illos antea ad baptiſmum ſuſcipiendum nudos & inueſtes fuiſſe arguit.

## §. III.

### *Res tamen ita inſtituta, vt ne quid in decentiam peccaretur.*

VERVMTAMEN, ne quod indecentiæ vitium in tam ſancta actione conſpiceretur, duo ſpeciatim per antiquas regulas ſancita erant. I.) Vt viri ac mulieres ſeparatim baptizarentur. Quem in finem baptiſteria plerumque in duo diuiſa erant conclauia, alterum pro viris, pro feminis alterum, quemadmodum ex AVGVSTINO [*k*] alio loco [*l*] oſtendimus. Vel etiam alio tempore viri, alio mulieres baptizabantur, vti ex *ordine Romano*, *ſacramentario* GREGORII, ALBINO FLACCO, aliiſque ſcriptori-

στρατιωτικὸν πλῆθος αὐτῷ τῷ μεγάλῳ σαββάτῳ, πρὸς ἑσπέρας λοιπὸν τῆς ἡμέρας ἐπιγινομένης, ταῖς ἐκκλησίαις ἐπεισελθὸν, τὸν κλῆρον ἅπαντα τὸν σὺν ἡμῖν πρὸς βίαν ἐξέβαλον, καὶ ὅπλοις τὸ βῆμα περιεστοίχιστο· καὶ γυναῖκες τῶν εὐκτηρίων οἴκων πρὸς τὸ βάπτισμα ἀποδυσάμεναι κατ' αὐτὸν τὸν καιρὸν γυμναὶ ἔφυγον ὑπὸ τοῦ φόβου τῆς χαλεπῆς ταύτης ἐφόδου· οὐδὲ τὴν πρέπουσαν γυναιξὶν εὐσχημοσύνην συγκεχωρημένην περιθέσθαι. Ipſo magno ſabbatho collecta manus militum, ad veſperam diei in eccleſias ingreſſa clerum omnem, qui nobiſcum erat, vi eiecit, & armis ſanctuarium vndique obſedit. *Mulieres* quoque ſacrarum ædium, *quæ* per illud tempus *ſe exuerant, vt baptizarentur*, metu grauis iſtius incurſus *nudæ* aufugerunt. Neque enim concedebatur, vt ſe velarent, ſicut mulieres honeſtas decet.

(*i*) Gregor. Sacram. de bapt. infant. Baptizat eum ſecerdos ſub trina merſione &c. Et veſtitur infans. Id. Ordo Roman. cap. de die ſabbathi S. Paſchæ. Quum veſtiti fuerint infantes, pontifex confirmet eos. Vid. Athanaſ. de parabol. euangel. quæſt. XCII. citat infra ſub litt. (t)

(*k*) Auguſt. de ciuit. Dei lib. XXII. c. VIII. tom. V. p. 1343. Admonetur in ſomnis appropinquante paſcha, vt in *parte feminarum* obſeruanti *baptiſterium*, quæcumque illi baptizatæ primitus occurriſſet, eumdem locum ſigno Chriſti ſignaret.

(*l*) Lib. VIII. c. VII. §. I. vol. III. p. 253. litt. (g)

ptori-

ptoribus obſeruat VOSSIVS [*m*]. 2.) Erat olim diaconiſſarum ordo in eccleſia & præcipua quædam officii earum pars, feminis in baptiſmo adſiſtere, (ubi decori ſeruandi cauſſa ad exuendum eis veſtes adhibebantur) atque omnia ita inſtituere, vt vniuerſus actus cum omni decentia, tantæ ejus ſanctitati conveniente, perageretur. De quibus omnibus idonea teſtimonia in libro quodam ſuperiore [*n*] attulimus, quæ heic nihil attinet repetere.

## §. IV.

### *Baptiſmus plerumque per immerſionem factus.*

HOMINES ſic depoſitis veſtibus communiter per vniuerſi corporis immerſionem baptizabantur, idque ad repræſentandam mortem, ſepulchrum ac reſurrectionem *CHRISTI*; nec non ad ſignificandum hoc ipſo, quod peccato morerentur, eiusque poteſtate abolita, ad nouam vitam reſurgerent. Sunt loca bene multa in epiſtolis *Paulinis*, quæ ad hanc conſuetudinem manifeſto reſpiciunt, Rom. VI, 4. *Conſepulti ſumus ei per baptiſmum in mortem: vt ſicut ſuſcitatus eſt CHRISTVS ex mortuis in gloriam patris, ita & nos noua vita ambulemus.* Ita quoque Col. II, 12. *CHRISTO conſepulti eſtis per baptiſmum, per quem etiam cum eo ſuſcitati eſtis, per fidem efficacis illius virtutis Dei, qui ſuſcitauit eum ex mortuis.* Et vt hæc archetypa & apoſtolica praxis fuit, ita vniuerſalis eccleſiæ conſuetudo per plura ſæcula ex iisdem ſymbolicis rationibus manſit, ex quibus primum ab apoſtolis fuit adhi-

(*m*) Voſſ. de bapt. diſput. I. p. 35. 36. Alia ratione conſulebatur muliebri verecundiæ. Nam viri ſeparatim a feminis baptizabantur. - - Ordo Romanus cap. de ſabbatho ſancto: *Deinde presbyteri, aut diaconi etiam, ſi neceſſe fuerit, & acolythi, induentes ſe veſtibus mundis, vel candidis, ingrediuntur in fontem intro in aquam, & baptizantur primum maſculi, deinde feminæ* Idem colligi poteſt ex Gregorii magni ſacramentario: in quo *ordo* ad catechumenum faciendum talis præſcribitur: *Quum venerint ad eccleſiam, recitantur eorum nomina, & ſtent maſculi ad dextram, feminæ vero ad ſiniſtram.* Poſtea oratio commemoratur; prius, quæ ſuper maſculos, exinde quæ ſuper femellas habetur. Similiter Albinus Flaccus lib. de diuin. offic. de ſabbatho S. Paſchæ: *Poſt horam denique tertiam ſabbatho præparantur ad eccleſiam, qui baptizandi ſunt, ſimul cum patrinis & matrinis, & ordinantur ab acolytho, maſculi ad dexteram, feminæ ad ſiniſtram.*

(*n*) Lib. II. c. XXII. §. VIII. vol. I. p. 352.

bita. *Constitutionum apostolicarum* auctor [o] ait : *Baptismus in mortem IESV datur, & aqua adhibetur pro sepultura.* CHRYSOSTOMVS resurrectionem ex hac praxi demonstrat. Nam *Baptizari* [p], inquit, *& demergi, deinde sursum remeare & emergere est symbolum seu signum descensus ad inferos, & ex eo adscensus. Quamobrem Paulus quoque baptismum sepulchrum vocat, dicens : Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem. Ex eo autem futurum quoque facit credibile, corporum, inquam, resurrectionem. Est enim longe maius peccata delere, quam corpus suscitare,* cetera. Et alio loco [q] : *In aqua tamquam sepulchro caput immergentibus nobis vetus homo sepelitur, & deinde emergentibus nouus resurgit inde.* CYRILLVS HIEROSOLYMITANVS [r] hoc ipsum effusionis spiritus sancti super apostolos imaginem facit. *Vt enim is, qui mergitur in aquas & baptizatur, vndique ab aquis circumdatur; sic & illi (apostoli) a spiritu baptizati sunt perfecte. Sed aqua quidem exterius circumdat, spiritus autem interiorem animam abluit incomprehensibiliter.* Concilium *Toletanum* quartum priori rationi insistit [s]; *In aquis mersio quasi ad infernum descensio est: Et rursus ab aquis emersio resurrectio est.* Atque ita AMBROSIVS [t] id interpretatur; *Interrogatus es*, inquiens, *Credis in Deum, patrem*

(o) Constit. apost. lib. III. c. XVII. Ἔστι τοίνυν τὸ μὲν βάπτισμα εἰς τὸν θάνατον τοῦ Ἰησοῦ διδόμενον· τὸ δὲ ὕδωρ, ἀντὶ ταφῆς.

(p) Chrys. hom. XI. in 1 Cor. p. 689. (p. 452. d. ed. Francof.) Τὸ γὰρ βαπτίζεσθαι καὶ καταδύεσθαι, εἶτα ἀνανεύειν, τῆς εἰς ᾅδου καταβάσεώς ἐστι σύμβολον, καὶ τῆς ἐκεῖθεν ἀνόδου· διὸ καὶ τάφον τὸ βάπτισμα ὁ Παῦλος καλεῖ λέγων, Συνετάφημεν οὖν αὐτῷ διὰ τοῦ βαπτίσματος εἰς τὸν θάνατον· ἀπὸ τούτου καὶ τὸ μέλλον ἀξιόπιστον ποιεῖ, τῶν σωμάτων λέγω τὴν ἀνάστασιν· τοῦ γὰρ σῶμα ἀναστῆσαι πολλῷ μεῖζον τὸ ἁμαρτήματα ἀφανίσαι.

(q) Chrysost. in Io. III, 5. hom. XXV. p. 656. (hom. XXIV. p. 157. b.) καθάπερ ἔν τινι τάφῳ, τῷ ὕδατι καταδυόντων ἡμῶν τὰς κεφαλὰς, ὁ παλαιὸς ἄνθρωπος θάπτεται, καὶ καταδὺς κάτω κρύπτεται ὅλος καθάπαξ· εἶτα ἀνανευόντων ἡμῶν, ὁ καινὸς ἄνεισι πάλιν.

(r) Cyrill. catech. XVII. n. VIII. p. 247. ὥσπερ γὰρ ὁ ἐνδύνων ἐν τοῖς ὕδασι, καὶ βαπτιζόμενος πανταχόθεν ὑπὸ τῶν ὑδάτων περιβάλλεται· οὕτω καὶ ὑπὸ τοῦ πνεύματος ἐβαπτίσθησαν ὁλοτελῶς· ἀλλὰ τὸ μὲν ὕδωρ ἔξωθεν περιχεῖται, τὸ δὲ πνεῦμα καὶ τὴν ἔνδοθεν ψυχὴν βαπτίζει ἀπαραλείπτως.

(s) Concil. Tolet. IV. c. VI. (tom. V. conc. p. 1707.)

(t) Ambros. de sacram. lib. II. c. VII.

Add. quoque Tertull. de bapt. c. II. Homo *in aquam demissus* & inter pauca verba tinctus, non multo vel nihilo mundior resurgit.

Paulin. epist. XII. ad Seuerum:

Mira Dei pietas! peccator *mergitur vndis.*

omni-

*omnipotentem* & *Dixisti*, *Credo*, & *mersisti*, *hoc est*, *sepultus es.* Ex EPIPHANIO quoque & aliis auctoribus apparet, quod plerique hæreticorum, qui baptisma retinuerunt, ritum demergendi in aqua etiam retinuerint. EPIPHANIVS [u] *Ebionitas* baptismum more in ecclesia vsitato suscepisse, quotidianum autem ei baptismum addidisse, dicit. Ita *Marcionitæ* multis erroribus circa baptismum tenebantur: nolebant illi baptizare nisi virgines [x], viduas & cælibes; neque semel, sed tertio [y] illos baptismo initiabant; aliosque errores de illo inuehebant: nihilo secius tamen baptismi, quos administrabant, hac in re baptismo ecclesiæ conformes erant, vt per demersionem in aqua peragerentur, vti TERTVLLIANVS [z] de illis testatur. Alii

Nyssen. de bapt. Christi tom. III. p. 372. b. ἐπὶ τὸ συγγενὲς τῆς γῆς στοιχεῖον τὸ ὕδωρ ἐρχόμενοι, ἐκείνῳ ἑαυτοὺς ἐγκρύπτομεν, ὡς ὁ σωτὴρ τῇ γῇ· καὶ τρίτον τοῦτο ποιήσαντες, τὴν τριήμερον ἑαυτοῖς ἀναστάσεως χάριν ἐξεικονίζομεν, Ad terræ cognatum elementum aquam venientes, in illa, sicuti seruator in terra, nos abscondimus, idque quum ter simul fecimus, triduo peractam nobis resurrectionis gratiam effingimus.

Athanas. de parabolis quæst. XCIV. tom. II. p. 428. (quæst. XCII. p. 327. edit. Paris. MDCXCVIII.) ὥσπερ ὁ χριστὸς ἀπέθανε, καὶ τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἀνέστη, καὶ ἡμεῖς ἐν τῷ βαπτίσματι θνήσκοντες ἀνιστάμεθα· τὸ γὰρ καταδῦσαι τὸ παιδίον ἐν τῇ κολυμβήθρᾳ τρίτον καὶ ἀναδῦσαι, τοῦτο δηλοῖ τὸν θάνατον καὶ τὴν τριήμερον ἀνάστασιν τοῦ χριστοῦ. Sicut Christus mortuus est & tertia die resurrexit; sic & nos in baptismo morientes, resurgimus. Nam quod infantem *ter in piscinam immergimus*, & *ter educimus*, id mortem Christi & post triduum resurrectionem significat.

(u) Epiphan. hæres. XXX. n. II. προσέθετο γὰρ τὸ παρατηρεῖσθαι ἅπτεσθαί τινων τῶν ἀλλοεθνῶν, καθ' ἑκάστην δὲ ἡμέραν, εἴ ποτε γυναικὶ συναφθείη, καὶ ἀπ' αὐτῆς ἀναστῇ, βαπτίζεσθαι ἐν τοῖς ὕδασιν· εἴ που δὲ ἂν εὐποροίη, ἢ θαλάσσης, ἢ ἄλλων ὑδάτων. Nam & hoc adiecit, vt ab externorum hominum tactu sese contineret, vtque *diebus singulis*, quoties mulierem attigisset, ab eiusque complexu surgeret, *aqua se proluerent*, sicubi eius esset copia, marinæ videlicet aut alterius generis.

Ibid. num. XVI. Βάπτισμα δὲ καὶ αὐτοὶ λαμβάνουσι χωρὶς ὧν καθ' ἡμέραν βαπτίζονται. Baptismo quoque præter quotidianum illum initiantur.

(x) Tertull. contr. Marcion. lib. I. c. XXIX. Non tinguitur apud illum caro nisi virgo, nisi vidua, nisi cælebs, nisi diuortio baptismum mercata.

(y) Epiph. hæres. XLII. n. III. οὐ μόνον παρ' αὐτῷ ἓν λουτρὸν δίδοται, ἀλλὰ καὶ ἕως τριῶν λουτρῶν &c.

(z) Tertull. contr. Marcion. lib. I. c. XXVIII. Lauat hominem, numquam apud se coinquinatum: & in hoc totum salutis sacramentum, carnem *mergit* exsortem salutis.

hæretici, vt *Valentiniani*, eodem TERTVLLIANO perhibente, baptiſmo aquæ baptiſmum ignis [*a*] addebant. Non autem eos audimus accuſari, quod primum baptiſmum ſuum aliter ac per immerſionem dederint. Vni hæretici, quibus huiusmodi mutatio imputatur, *Eunomiani* ſunt, *Arianorum* propago, quos baptizantes usque ad pectus aqua madefeciſſe, reliquis autem partibus tamquam exſecrandis aquam adhibere prohibuiſſe, auctor eſt THEODORETVS [*b*]. Præpoſtera autem ratione eos baptizaſſe, nimirum capite demerſo pedibus in ſublime porrectis, EPIPHANIVS [*c*] narrat. Quod genus hominum *Hiſtopedes* ſiue *Pederecti* vocantur. Vnde eruditus GOTHOFREDVS [*d*] coniicit, quod in lege quadam *Theodoſii*, vbi nunc legitur *Eunomiani ſpadones*, legendum ſit *Eunomiani hiſtopedes*, quod homines ſignificat de pedibus capite deorſum ſuſpenſos, vti ille ex PAVSANIA, POLLVCE, HESYCHIO, HARPOCRATIONE

(*a*) Tertull. carm. contr. Marcion. lib. I. c. VII.

> Namque Valentino Deus eſt inſanus, & æuo
> Triginta tribuit cælos, patremque profundum.
> *Bis docuit tingui transducto corpore flumina.*

(*b*) Theodoret. hæret. fab. lib. IV. c. III. βαπτίζοντες δὲ μέχρι τῶν στέρνων τῷ ὕδατι δεύουσι, τοῖς δὲ ἄλλοις μερέσι τοῦ σώματος ὡς ἐναγέσι προσφέρειν τὸ ὕδωρ ἀπαγορεύουσιν.

(*c*) Epiph. hæreſ. LXXVI. Anomæorum p. 992. ὅτι κατὰ κεφαλῆς τοὺς ἀναβαπτιζομένους βαπτίζει, καὶ τοὺς πόδας ἄνω, καὶ τὴν κεφαλὴν κάτω

(*d*) Gothofr. in codic. Theodoſ. lib. XVI. tit. V. de hæreticis leg. XVII. Dudum eſt, quum in ea Theodoſii magni conſtitutione vox illa *ſpadones* demenda ſuſpecta mihi videri cœpit. Et ſane, vt optima, ita elegantiſſima codicis Theodoſiani editio Pariſienſis ad marginem illius legis ex M. S. exhibet. *Hiſpadones* pro quo vulgata *Spadones* detracto *Hi*; Qua ſimili ἀφαιρέσει & *Spania* alias pro *Hiſpania*: *Stericæ* mulieres pro *hiſtericis*: *Thynia* pro *Bithynia* Iſidoro aliaque his ſimilia. Ea vero lectio ad veram tandem deduxiſſe me videtur: Legam enim *Hiſtopodes* vel *Hiſtopodes*. Eunomiani ſcilicet, quum & alias de baptiſmatis inter alia iteratione inter hæreticos cenſerentur, quod oſtendit Epiphanius - - illo ſane vel maxime inter alia notabiles erant, quod quos e catholicis vel hæreticis Arianis etiam, ad ſectam ſuam concedentes, rebaptizarent, *capite demerſo*, (κατωκάρα dicunt græci) *pedibus ſurſum verſis*, & vt loquitur Prudentius, de Petri martyrio agens, *ſolia verſi in acumen*, vna in merſione baptizabant, - - ἵστημι vel ἱστάω in voce ἱστόποδες vel ἱστάποδες non ſignificat *ſtare*, inſiſtere pedibus, verum *erigi* in pedes: vnde & ἱστὸς παρὰ τὸ στῆσαι: & ἱστὸς, ὀρθὸν ξύλον *erectum lignum*: - vide Pauſaniam, Pollucem, Dionyſium, Euſtathium, Heſychium, Harpocrationem & Etymologicum.

aliis

aliisque auctoribus demonstrat. Vt adeo hi soli ex omnibus veteris ecclesiæ hæreticis fuerint, qui hunc morem baptizandi per totius corporis demersionem in aqua reiecerunt.

## §. V.

*Adspersio tamen in casibus quibusdam extraordinariis permissa.*

EQVIDEM ecclesia hanc regulam tam studiose obseruabat, vt nullam exceptionem in ordinariis casibus, ne quidem in baptismo infantium, admissam legamus. Ex *ordine* enim *Romano* & *sacramentario* GREGORII apparet, quod infantes æque ac alii per immersionem baptizati sint, & regulæ ecclesiæ, nisi aliquod periculum subesset, id adhuc requisiuerint. In duobus tamen casibus mitigatio huius regulæ fuit admissa. 1. Si quis ægrotaret, & in extremo vitæ periculo versaretur. Heic excellens illa regula: *Misericordiam volo, & non sacrificia*; semper locum habere permittebatur. Hinc contra baptismum clinicorum, hoc est baptismum per adspersionem ægrotis in lecto datum, numquam vt illegitimum & imperfectum disputatum est, etiamsi leges quædam factæ essent, quibus sic baptizati ab adscendendo ad dignitates ecclesiasticas prohiberentur. Nam si quis ex neglectu quodam baptismum suum ad morbum distulisset, ecclesia pro prudentia ac disciplina sua (quod hæc dilatio vitium erat, in quod illa numquam non inuehebatur) consultum ducebat, istiusmodi homini ordinationis negare privilegium, quemadmodum aptiore loco [e] ostendimus. Verumtamen nullo vmquam tempore istiusmodi baptismum irritum, vel imperfectum declarare ausa est, quod ad actionis essentiam siue substantiam attinet. Mota fuit tempore CYRILLI hæc ipsa quæstio a quibusdam, nec non quæstio de baptismo hæreticorum: CYPRIANVS autem, qui contra valorem baptismi hæreticorum sententiam suam dixit, hac in re nihil dubitat, sed argumenta ad comprobandum istiusmodi baptismum clinicorum, per adspersionem administratum, exhibet, omnes necessarias veri baptismatis conditiones eum habere, demonstrans. Etsi enim res cum *Nouatiano* ita se habebat, qui aqua baptismi non lotus sed tantum perfusus fuerat in infirmitate; CYPRIA-

(e) Lib. IV. c. III. n. XI. vol. II. pag. 136.

NVS [ *f* ] tamen legitimum christianum habendum eum esse iudicabat. Verba illius hac de re ad *Magnum* sic habent: *Quaesisti, fili carissime, quid mihi de illis videatur, qui in infirmitate & languore gratiam Dei consequuntur, an habendi sint legitimi christiani, eo, quod aqua salutari non loti sint, sed perfusi. Qua in parte nemini verecundia & modestia nostra praeiudicat, quo minus vnusquisque quod putat, sentiat, & quod senserit, faciat. Nos, quantum concipit mediocritas nostra, aestimamus, in nullo mutilari & debilitari posse beneficia diuina, nec minus aliquid illic posse contingere, vbi plena & tota fide & dantis & sumentis accipitur, quod de diuinis muneribus hauritur. Neque enim sic in sacramento salutari delictorum contagia, vt in lauacro carnali & saeculari sordes cutis & corporis abluuntur, vt aphronitis, & ceteris quoque adiumentis, & solio & piscina opus sit, quibus ablui & mundari corpusculum possit. Aliter pectus credentis abluitur, aliter mens hominis per fidei merita mundatur. In sacramentis salutaribus, necessitate cogente, & Deo indulgentiam suam largiente, totum credentibus conferunt diuina compendia.* Hanc legitimam adspergendi rationem in istiusmodi casibus ex his verbis Dei apud *Ezechielem* prophetam cap. XXXVI, 25. probat: *ADSPERGAM super vos aquam mundam, mundabimini ab omnibus immunditiis vestris, & ab omnibus simulacris vestris emundabo vos, & dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum dabo in vobis.* Item in Numeris cap. XIX. 19. 20. *Et homo, qui fuerit immundus, vsque ad vesperam, hic purificabitur die tertio & die septimo, & mundus erit. Si autem non fuerit purificatus die tertio & die septimo, non erit mundus, & exterminabitur anima illa de Israël, quoniam AQVA ADSPERSIONIS non est super eam sparsa.* Nec non ex aliis locis Num. VIII, 7. c. XIX. 12. 13. Quibus recitatis sic pergit: *Vnde apparet, adspersionem quoque aquae, instar salutaris lauacri obtinere; & quando haec in ecclesia fiunt, vbi sit & dantis & accipientis fides integra, stare omnino & consummari ac perfici posse maiestate domini & fidei veritate.* Et hinc reprehendit eos, qui hos christianos vocare nolint, sed *clinicos* per conuicium dicant. *Quod quidam,* inquit, *eos salutari aqua & fide legitima Christi gratiam consequutos, non christianos sed clinicos vocant, non inuenio, vnde hoc nomen adsumant, nisi forte, qui plura & secretiora legerunt apud Hippocratem vel Soranum,*

( *f* ) Cyprian. epist. LXXVI. ( LXIX. ) ad Magnum ( p. 297. fin. edit. Fell. Amstelod. MDCC. )

κλινικοὺς

*κλινικοὺς istos deprehenderunt. Ego enim, qui clinicum de euangelio noui, scio paralytico illi, & debili per longa ætatis curricula in lecto iacenti, nihil infirmitatem suam obfuisse, quo minus ad firmitatem cælestem plenissime perueniret: nec tantum indulgentia dominica excitatum de grabato esse, sed ipsum grabatum suum reparatis & vegetatis viribus sustulisse. Et idcirco, quantum fide concipere, & sentire nobis datur, mea sententia hæc est; vt christianus iudicetur legitimus, quisquis fuerit in ecclesia, lege & iure fidei, diuinam gratiam consequutus,* cetera. Porro ex antiquis canonibus, qui de illis loquuntur, apparet, quod ordines ecclesiastici tantum illis negentur, non nomen christianorum. *Concilium Neocæsareense* [*g*], vrgente necessitate vel propter insigne eorum meritum, ordinari eos permittit, vti *Nouatiano* ex grauibus rationibus, & ob spes, quas de ipso sibi conceperat ecclesia, contigit, quemadmodum ex epistola CORNELII narrat EVSEBIVS [*h*]. Concilium *Laodicense* [*i*] eos, si conualuerint, symbolum fidei ediscere iubet, sed rebaptizandos esse non dicit. Et ex concilio *Antissiodorensi* [*k*] apparet,

(*g*) Concil. Neocæsar. c. XII. (tom. I. conc. p. 1484.) *Ἐὰν νοσῶν τις φωτισθῇ, εἰς πρεσβύτερον ἄγεσθαι οὐ δύναται· Οὐκ ἐκ προαιρέσεως γὰρ ἡ πίστις αὐτοῦ, ἀλλ᾽ ἐξ ἀνάγκης· εἰ μὴ τάχα διὰ τὴν μετὰ ταῦτα αὐτοῦ σπουδὴν καὶ πίστιν, καὶ διὰ σπάνιν ἀνθρώπων.* Si quis ægrotans fuerit illuminatus, non potest in presbyterum euehi. Fides enim eius non est ex instituto, sed ex necessitate: nisi forte propter consequens eius studium & fidem hominumque raritatem.

(*h*) Euseb. lib. VI. c. XLIII. *καταλιπὼν γὰρ ὁ λαμπρὸς οὗτος τὴν ἐκκλησίαν τοῦ θεοῦ, ἐν ᾗ πιστεύσας κατηξιώθη τοῦ πρεσβυτερίου κατὰ χάριν τοῦ ἐπισκόπου, τοῦ ἐπιθέντος αὐτῷ χεῖρας εἰς πρεσβυτερίου κλῆρον· ὃς διακωλυόμενος ὑπὸ παντὸς τοῦ κλήρου, ἀλλὰ καὶ λαϊκῶν πολλῶν· ἐπεὶ μὴ ἐξὸν ἦν τὸν ἐπὶ κλίνης διὰ νόσον περιχυθέντα, ὥσπερ καὶ οὗτος, εἰς κλῆρόν τινα γενέσθαι, ἠξίωσε συγχωρηθῆναι αὐτῷ τοῦτον μόνον χειροτονῆσαι.* Cum egregius ille vir ecclesiam Dei reliquisset, in qua post susceptum baptismum presbyteri gradum fuerat consequutus, idque per gratiam episcopi, qui manus illi imponens eum ad presbyterorum ordinem euexit. Cui quum vniuersus clerus multique ex populo refragarentur, eo quod non liceret, quemquam ex iis, qui vrgente vi morbi in lectulo, perinde ac ille, perfusi fuissent, in clerum adsumi; postulauit ab iis episcopus, vt hunc solum ordinari a se paterentur.

(*i*) Concil. Laodic. can. XLVII. (tom. I. concil. p. 1505.) *Ὅτι δεῖ τοὺς ἐν νόσῳ παραλαμβάνοντας, ἐκμανθάνειν τὴν πίστιν, καὶ γινώσκειν, ὅτι θείας δωρεᾶς κατηξιώθησαν.* Quod oportet eos, qui in morbo baptismum accipiunt, & deinde resurgunt, fidem ediscere, & nosse, quod diuino munere digni habiti sint.

(*k*) Concil. Antissiodor. can. XVIII. Non licet absque paschæ solemnitate vllo

patet, quod hi clinici quolibet tempore, necessitate exigente, baptizari potuerint, solemnem festiuitatem exspectare non obligati. Vt adeo multa eis indulta fuerint, quae per ordinarias ecclesiae regulas non licuerunt. 2. Adspersio loco immersionis acceptabatur, si difficilibus rei christianae temporibus non satis aquarum procurari posset. Exempli caussa, si quis martyr in carcere baptizandus erat, vel alium quemcumque in eiusmodi coarctatione baptizare necessum habebat. Ita in antiquis sancti *Laurentii* actis, WALAFRIDO STRABONI [*l*] memoratis, militem quemdam, *Romanum* nomine, vrceo aquae ab ipso baptizatum esse legimus. Et iterum, *Lucillus* quidam ab eodem martyre aquam super caput [*m*] fundente, baptizatus dicitur. Verum, vt ambo hi casus fuerunt extraordinarii, ita solum ostendunt, quatenus ecclesia ab hac lege absoluere quempiam ex rationibus necessitatis vel caritatis potuerit, non quaenam vsitata eius & ordinaria praxis fuerit. Sunt ex viris doctis [*n*], qui TERTVLLIANVM ad permissam in casibus extraordinariis adspersionem adludere putant, quando de hominibus baptismum sine vera poenitentia suscipere gestientibus loquens, *Quis enim tibi*, inquit, *tam infidae poenitentiae viro* [*o*] *adspergine vnam cuiuslibet aquae commodabit.* Forte etiam GREGORIVS NYSSENVS huc respicit in famosa illa historia, quam de iuuene quodam, *Archia* nomine, refert, quod quum, neglecta baptismum recipiendi opportunitate, in subitae mortis periculum incidisset, nec vllam baptismi obtinendi spem haberet, quam maxima potuerit voce, exclamarit: *Montes* [*p*] *& syluae baptizate, arbores &*

tempore baptizare, nisi illos, quibus mors vicina est, quos grabatarios dicunt.

(*l*) Acta Laurent. apud Surium tom. IV. Vnus ex militibus, Romanus nomine, vrceum adferens cum aqua opportunitatem captauit, qua eam offerret b. Laurentio, vt baptizaretur.
Strabo de rebus ecclef. c. XXVI. Notandum, non solum mergendo, verum etiam desuper fundendo, multos baptizatos fuisse, & adhuc posse ita baptizari, si necessitas sit, sicut in passione b. Laurentii quemdam vrceo allato legimus baptizatum.

(*m*) Acta ibid. Quum exspoliasset eum, fudit aquam super caput eius.

(*n*) Vid. Beuereg. not. in can. apost. L. p. 30. Quin etiam ipse quoque Tertullianus huc adludere videtur, vbi ait: *Quis enim tibi* cet.

(*o*) Tertull. de poenit. c. VI.

(*p*) Nyssen. de bapt. (tom. II. p. 220.) Πεσὼν δὲ καὶ πρὸς θάνατον ἐπειγόμενος, ὡς

*rupes*

*rupes, & fontes date gratiam:* & his vocibus editis ex lethali vulnere in hoſtium manibus vitam finierit. Huic homini ſimiles eſſe eosquoque dicit, qui a morbis repente opprimantur: momento temporis acriter eos quærere, vaſa, aquam, ſacerdotes, ſermonem, qui præparet ad gratiam, quem vſus quidem poſtulet, interrumpat autem morbus. Hæc innuere videntur, quod iſtiusmodi adſperſio, quam quis ægrotans habere potuit, in extremæ neceſſitatis caſibus pro ſalutari baptiſmo habita fuerit; & quod hæc quorumdam fuerit infelicitas, quod eam in ipſa mortis hora habere non potuerint, quam eccleſia, tamquam vltimum refugium in talibus extraordinariis caſibus, conceſſerit.

## §. VI.

### *Trina immerſio vniuerſalis eccleſiæ praxis per aliquot ſæcula. Illius rationes.*

Observandvm autem porro eſt, quod baptiſmus non tantum per demerſionem in aqua adminiſtratus, ſed demerſio etiam ter facta ſit. tertvllianvs hac de re, tamquam cærimonia [q] ætate ſua generatim vſitata, loquitur; *Non ſemel,* inquiens, *ſed ter, ad ſingula nomina, in perſonas ſingulas tinguimur.* Idem illud a basilio [r], hieronymo [s], & perſonato dionysio [t] adſeritur, qui ſimiliter id factum eſſe dicunt,

εἶχε δυνάμεως, ἀνεβόα· καὶ γὰρ ἦν τῶν ἀμυήτων· ὄρη καὶ νάπαι βαπτίσατε, δένδρα καὶ πέτραι καὶ πηγαὶ δότε τὴν χάριν· καὶ ταῖς οἰκτραῖς φωναῖς ταύταις ἐπετελεύτησεν. - - παραπλήσιοι δὲ τούτῳ καὶ οἱ παρὰ τῶν νόσων ἀθρόως πιεζόμενοι. - - πάντα ἐν ῥοπῇ καιροῦ ὀξέως ζητεῖται, τὰ σκεύη, τὸ ὕδωρ, ὁ ἱερεύς, ὁ λόγος ὁ πρὸς τὴν χάριν προευτρεπίζων.

(q) Tertull. contr. Prax. c. XXVI.

(r) Baſil. de ſpirit. S. c. XXVII. Τὸ δὲ τρὶς βαπτίζεσθαι τὸν ἄνθρωπον, πόθεν; *Ter immergi* hominem, vnde ex ſcriptura hauſtum?

(s) Hieron. adu. Lucifer. c. IV. Multa alia, quæ per traditionem in eccleſiis obſeruantur, auctoritatem ſibi ſcriptæ legis vſurpauerunt, velut *in lauacro ter caput mergitare* &c.

(t) Dionyſ. de hierarch. eccleſ. c. II. p. 254. Ὁ ἱεράρχης ἄνωθεν ἑστηκώς, ἀναβοησάντων πάλιν ἐπὶ τοῦ ἱεράρχου κατὰ τὸ ὕδωρ τὸ ὄνομα τοῦ τελουμένου τῶν ἱερέων, τρὶς μὲν αὐτὸν ὁ ἱεράρχης βαπτίζει, ταῖς τρισὶ τοῦ τελουμένου καταδύσεσι καὶ ἀναδύσεσι τὴν τριοστὴν τῆς θείας μακαριότητος ἐπιβοήσας ὑπόστασιν. Pontifex ſuperne adſtans, vbi ſacerdotes ſecundum aquas, verſus pontificem initiandi nomen proclamarunt, *ter cum immerſit, ſub ternam iſtam immerſionem atque emerſionem* tres diuinæ beatitudinis perſonas inuocando.

ad diſtinctam cuiusque perſonæ in ſacroſancta *TRINITATE* mentionem. AMBROSIVS [*u*] hunc ritum omnium accuratiſſime deſcribit; *Interrogatus es*, inquit, *Credis in Deum, patrem omnipotentem? Dixiſti, Credo, & merſiſti, hoc eſt, ſepultus es. Iterum interrogatus es, Credis in dominum noſtrum Ieſum Chriſtum? Dixiſti, Credo, & merſiſti. Ideo & Chriſto es conſepultus. Qui enim Chriſto conſepelitur, cum Chriſto reſurgit. Tertio interrogatus es: Credis & in ſpiritum ſanctum? Dixiſti, Credo. Tertio merſiſti, vt multiplicem lapſum ſuperioris ætatis abſolueret trina confeſſio.* Duæ plerumque rationes pro hac praxi adferuntur. Prima quidem, vt triduanam *CHRISTI* ſepulturam & reſurrectionem poſt triduum repræſentet. *In aqua*, inquit GREGORIVS NYSSENVS [*w*], *ſicut ſeruator in terra, nos abſcondimus, idque quum ter ſimul fecimus, triduo peractam nobis reſurrectionis gratiam effingimus.* Similem in modum CYRILLVS HIEROSOLYMITANVS & auctor *quæſtionum in ſcripturam ſacram* ſub nomine ATHANASII. Quorum ille [*x*], *Confeſſi eſtis*, inquit, *ſalutarem confeſſionem, & merſi ter in aqua rurſus emerſiſtis: atque ita per hoc ſymbolum triduanam Chriſti ſignificaſtis ſepulturam.* Hic autem [*y*] ait: *Quod infantem ter in piſcinam immergimus, & ter educimus, id mortem CHRISTI, & poſt triduum reſurrectionem ſignificat.* Ita quoque LEO [*z*] epiſcopus *Romanus* inter *Latinos*; *Sepulturam triduanam imitatur trina demerſio, & ab aquis eleuatio reſurgentis ad inſtar eſt de ſepulchro.* Altera ratio erat, vt profeſſionem fidei in ſanctam *TRINITATEM*, cuius in nomine baptizabantur, repræſentaret. AVGVSTINVS [*a*] vtramque rationem coniungit. *Poſtquam*, inquiens, *vos credere promiſiſtis, tertio capita veſtra in ſacro fonte demerſimus. Qui ordo baptiſmatis duplici myſterii ſignificatione celebratur. Recte enim tertio merſi*

(*u*) Ambroſ. de ſacram. lib. II. c. VII.

(*w*) Nyſſen. de baptiſm. Chriſti, tom. III. p. 372. b. ὕδατι ἑαυτοὺς ἐγκρύπτομεν, ὡς ὁ σωτὴρ τῇ γῇ, καὶ τρίτον τοῦτο ποιήσαντες, τὴν τριήμερον ἑαυτοῖς τῆς ἀναστάσεως χάριν ἐξεικονίζομεν.

(*x*) Cyrill. catech. myſtagog. II. n. 4. ὡμολογήσατε τὴν σωτήριον ὁμολογίαν, καὶ κατεδύετε τρίτον εἰς τὸ ὕδωρ, καὶ πάλιν ἀνεδύετε· καὶ ἐνταῦθα διὰ συμβόλου τὴν τριήμερον τοῦ χριστοῦ αἰνιττόμενοι ταφήν.

(*y*) Athan. de parabol. ſcript. quæſt. XCIV. (al. XCII. tom. II. p. 327. edit. Pariſ. MDCXCVIII.) Τὸ καταδῦσαι τὸ παιδίον ἐν τῇ κολυμβήθρᾳ τρίτον, καὶ ἀναδῦσαι, τοῦτο δηλοῖ τὸν θάνατον καὶ τὴν τριήμερον ἀνάστασιν τοῦ χριστοῦ.

(*z*) Leo epiſt. IV. ad epiſc. Siculos c. III.

(*a*) Auguſtin. homil. III. ap. Gratian. de conſecrat. diſtinct. IV. c. LXXVIII.

*eſtis*

*estis, qui accepistis baptismum in nomine sanctae TRINITATIS. Recte tertio mersi estis, qui accepistis baptismum in nomine Iesu Christi, qui die tertia resurrexit a mortuis. Illa enim tertio repetita demersio typum dominicae exprimit sepulturae, per quam Christo consepulti estis in baptismo, & cum Christo resurrexistis in fide: vt peccatis abluti in sanctitate virtutum Christum imitando viuatis.* HIERONYMVS [*b*] hanc caerimoniam tam vnitatis, quam trinitatis symbolum facit, quando ait: *Ter mergimur, vt trinitatis vnum appareat sacramentum, & non baptizamur in nominibus patris, & filii, & spiritus sancti, sed in vno nomine, quod intelligitur Deus. - - Potest & vnum baptisma ita dici, quod licet ter baptizeris propter mysterium trinitatis, tamen vnum baptisma reputetur.*

## §. VII.

### *Origo huius consuetudinis.*

De huius consuetudinis origine inter antiquos scriptores non conuenit. Alii ex apostolica eam deducunt traditione; alii ex prima baptismi per seruatorem facta institutione, alii pro indifferente circumstantia siue caerimonia habent, quae sine vllo sacramenti ipsius detrimento, vel diuinae constitutionis violatione, adhiberi possit, vel praetermitti. TERTVLLIANVS [*c*], BASILIVS [*d*] & HIERONYMVS [*e*] inter eas ecclesiae consuetudines referunt, quas ex traditione apostolica se acce-

(*b*) Hieron. lib. II. in Ephes. IV. p. 222.

(*c*) Tertull. de coron. milit. c. III. Quaeramus, an & traditio non scripta non debeat recipi? Plane negabimus recipiendam, si nulla exempla praeiudicent aliarum obseruationem, quas sine vllius scripturae instrumento, solius traditionis titulo, exinde consuetudinis patrocinio vindicamus. Denique vt a baptismate ingrediar, Aquam adituri ibidem, sed & aliquanto prius in ecclesia sub antistitis manu contestamur, nos renuntiare diabolo, & pompae & angelis eius. Dehinc *ter mergitamur*, amplius aliquid respondentes, quam dominus in euangelio determinauit.

(*d*) Basil. de spirit. S. c. XXVII. Vid. supr. sub litt. (r) pag. 337.

(*e*) Hieronym. contr. Lucifer. c. IV. Vid. litt. (s) supr. pag. 337.

It. Sozom. lib. VI. c. XXVI. φασὶ δέ τινες, πρῶτον τοῦτον Εὐνόμιον τολμῆσαι εἰσηγήσασθαι, ἐν μιᾷ καταδύσει χρῆναι ἐπιτελεῖν τὴν θείαν βάπτισιν, καὶ παραχαράξαι τὴν ἀπὸ τῶν ἀποστόλων εἰσέτι νῦν ἐν πᾶσι φυλαττομένην παράδοσιν. Aiunt porro, hunc Eunomium primum omnium ausum esse adserere, quod sacrum baptismum *vnica mersione* peragendum sit: & *apostolicam traditionem*, quae etiamnum vbique seruatur, corrupisse.

piſſe exiſtimant. CHRYSOSTOMVS id potius partem primæ inſtitutionis facere videtur. Ait enim [*f*], Chriſtum ſub trina corporis immerſione vnum baptiſma diſcipulis ſuis tradidiſſe, dicentem: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filii, & ſpiritus ſancti.* Et THEODORETVS [*g*] eamdem fouit opinionem: De *Eunomii* enim hæreſibus loquens, *Idem*, inquit, *ſancti etiam baptiſmatis legem, olim a DOMINO ET APOSTOLIS TRADITAM euertit, & contrarium aperte ſanxit, non oportere dicens, ter illum immergi, qui baptizatur, nec inuocare TRINITATEM, ſed ſemel baptizare in Chriſti mortem.* PELAGIVS papa *Romanus* de aliis quibusdam ſui temporis idem narrat. *Multi ſunt* [*h*], *qui in nomine ſolummodo CHRISTI vna etiam merſione ſe adſerunt baptizare. Euangelicum vero præceptum, ipſo Deo & domino ſalvatore noſtro IEſu Chriſto tradente, nos admonet, in nomine TRINITATIS, trina etiam merſione ſanctum baptiſma vnicuique tribuere, dicente domino diſcipulis ſuis, Ite, baptizate, omnes gentes in nomine patris, filii & ſpiritus ſancti.* Atque hoc adeo diuinæ obligationis eſſe ab auctore *canonum apoſtolicorum* [*i*] creditur, vt ſi quis episcopus aut presbyter non tres merſiones vnius initiationis ſeu baptiſmi fecerit, ſed vnam merſionem, quæ detur in mortem domini, eum munere ſuo exui iubeat; quia *CHRISTVS* non dixerit; *In mortem meam baptizate:* ſed; *Euntes docete omnes gentes; baptizantes eos in nomine patris, & filii, & ſpiritus ſancti.* Planum eſt, quod omnes iſti ſcriptores hanc neceſſariam inſtitutionis ſeruatoris noſtri circumſtantiam eſſe crediderint. Et *Eunomiani*, qui primi eam reiecerunt, a THEODORETO & SOZOMENO

(*f*) Chryſoſt. homil. de fide tom. VII. p. 290. edit. Sauil. Ἐν τρισὶ καταδύσεσι τοῦ σώματος ἓν βάπτισμα τοῖς ἑαυτοῦ μαθηταῖς παρέδωκε, κ. τ. λ.

(*g*) Theodoret. hæret. fabul. lib. IV. c. III. p. 236. αὐτὸν καὶ τοῦ ἁγίου βαπτίσματος ἀνέτρεψε τὸν ἀνέκαθεν παρὰ τοῦ κυρίου καὶ ἀποστόλων παραδοθέντα θεσμὸν, καὶ ἄντικρυς ἀντενομοθέτησε, μὴ χρῆναι λέγων τρὶς καταδύειν τὸν βαπτιζόμενον, μὴ δὲ ποιεῖσθαι τὴν τῆς τριάδος ἐπίκλησιν· ἀλλ' ἅπαξ βαπτίζειν εἰς τὸν θάνατον τοῦ χριστοῦ.

(*h*) Pelag. epiſt. ad Gaudent. ap. Gratianum distinct. IV. c. LXXXI.

(*i*) Can. apoſtol. c. XLIX. al. L. Εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, μὴ τρία βαπτίσματα μιᾶς μυήσεως ἐπιτελέσῃ, ἀλλὰ ἓν βάπτισμα, τὸ εἰς τὸν θάνατον τοῦ κυρίου διδόμενον, καθαιρείσθω· οὐ γὰρ εἶπεν ὁ κύριος, εἰς τὸν θάνατόν μου βαπτίσατε· ἀλλὰ πορευθέντες μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη βαπτίζοντες αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος.

damnan-

damnantur, vt qui nouam baptismi legem, non tantum vniversali praxi, sed vniuersali etiam regulæ & traditioni ecclesiæ contrariam, fecerint.

## §. VIII.

### *Quo primum tempore ecclesia mutationem quamdam hac in re fieri permiserit.*

VERVMTAMEN sæculis posterioribus in ecclesiis *Hispanicis* res quædam interuenit, quæ huic baptizandi consuetudini aliquam mutationem attulit. *Ariani* enim in *Hispania*, quum non de secta essent *Eunomianorum*, multis annis per trinam immersionem baptismum dare perrexerunt: sed vero hac cærimonia in peruersum finem abutebantur, vt errori ipsorum, quo filii & spiritus sancti naturam ac essentiam a patre diuersam esse statuebant, patrocinaretur. Trinam enim immersionem adhibebant ad denotandum differentiam aliquam, siue gradus diuinitatis in tribus diuinis personis. Cui peruersæ doctrinæ vt sese opponerent, nec cum illis in vlla consuetudine, quæ eam iuuare quodammodo posset, congruere viderentur, catholici quidam trina immersione, tamquam *Arianismum* sapiente, relicta singularem immersionem in eorum oppositionem adsumebant. Verum hoc ad materiam scandali ac schismatis inter ipsos catholicos præbendum facere videbatur. Vnde *Gregorii Magni* tempore *Leander*, episcopus *Hispalensis*, datis ad istum litteris sententiam suam eum hac in re rogabat. Cui ille in hunc modum respondebat: *De trina [k] mersione baptismatis, nil respondere verius potest, quam quod ipsi sensistis: quod in vna fide nihil afficit sanctæ ecclesiæ consuetudo diuersa. Nos autem quod tertio mergimus, triduanæ sepulturæ sacramenta signamus, vt dum tertio infans ab aquis educitur, resurrectio triduani temporis exprimatur. Quod si quis forte etiam pro summæ trinitatis veneratione æstimet fieri, neque ad hoc aliquid obsistit, baptizando semel in aquis mergere: quia dum in tribus personis vna substantia est, reprehensibile esse nullatenus potest, infantem in baptismate in aquam vel ter, vel semel immergere, quando & in tribus mersionibus personarum trinitas & in vna potest diuinitatis singularitas designari. Sed quia nunc huc vsque ab hæreticis infans in baptismate tertio mergebatur, fiendum, quod vos esse non censeo: ne dum mersiones enumerant, di-*

(k) Gregor. lib. I. epist. XLI. ad Leandr. (tom. V. concil. p. 1034.)

*vnitatem diuidant: dumque quod faciebant, faciunt, se morem nostrum vicisse glorientur.* Verum enim vero hæc GREGORII ſententia non omnibus in eccleſia *Hiſpanica* probabatur: nam multi adhuc antiquæ baptizandi rationi per trinam immerſionem inhærebant, hunc metum conſenſionis cum *Arianis* nihil morati. Vnde aliquanto poſt, circa ann. DCXXXIII. concilium *Toletanum* quartum, quod erat generale concilium vniuerſæ *Hiſpaniæ*, ad hanc materiam determinandam, pacemque eccleſiæ firmandam aliud decretum facere neceſſe habebat. Quum enim ſacerdotes alii trinam, alii ſimplam merſionem facerent, ſchiſma [*l*] oriebatur, ſcindebaturque fidei vnitas. Partes enim controuertentes rem tantopere vrgebant, vt eos, qui modo a ſuo ipſorum diuerſo baptizati fuerant, non baptizatos eſſe contenderent. Cui malo vt mederentur iſtius concilii patres, GREGORII papæ ſententiam primum repetebant, & hoc facto ſtatim ſuam ita declarabant ſententiam: *Quapropter, quia de vtroque ſacramento, quod fit in ſancto baptiſmo, a tanto viro reddita eſt ratio, quod vtrumque rectum, vtrumque irreprehenſibile in ſancta Dei eccleſia habeatur, propter vitandum autem ſchiſmatis ſcandalum, vel hæretici dogmatis vſum, ſimplam teneamus baptiſmi merſionem; ne videantur apud nos, qui tertio mergunt, hæreticorum probare adſertionem, dum ſequuntur & morem. Et ne forte cuiquam ſit dubium huius ſimpli myſterium ſacramenti, videat in eo mortem & reſurrectionem Chriſti ſignificari: nam in aquis merſio, quaſi in infernum deſcenſio eſt; & rurſus ab aquis emerſio, reſurrectio eſt. Item videat in eo vnitatem diuinitatis, & trinitatem perſonarum oſtendi: vnitatem, dum ſemel immergimus; trinitatem, dum nomine patris, & filii, & ſpiritus ſancti baptizamus.* Viri quidam eruditi [*m*] hoc concilium reprehendunt, quod hanc antiquam conſuetudinem ter immergendi ex tam leui cauſſa, quia *Ariani*

(*l*) Concil. Tolet. IV. c. V. (ibid. pag. 1706.)

(*m*) Strabo de offic. eccleſ. c. XXVI. (bibl. patr. tom. XV. p. 196. h. edit. Lugdun. MDCLXXVII.) Quæ ſingularis merſio, quamuis tum ita Hiſpanis complacuit, dicentibus, trinam merſionem ideo vitandam, quia hæretici quidam diſſimiles in trinitate ſubſtantias dogmatizare auſi ſunt, ad conſubſtantialitatem Sanctæ trinitatis negandam: tamen antiquior vſus præualuit & ratio ſupra dicta. Si enim omnia deſerimus, quæ hæretici in ſuam perverſitatem traxerunt; nihil nobis reſtabit: quum illi in ipſo Deo errantes, omnia, quæ ad eius cultum pertinere viſa ſunt, ſuis erroribus quaſi propria applicarint.

ea

ea vſi ſint, mutarint. Hæc enim ratio ſi valeat, contra ſimplam quoque merſionem eam valituram dicunt, quod *Eunomiani*, vilior *Arianorum* ſecta, primi huius conſuetudinis inuentores fuerint. Adeoque exceptio, ab hoc concilio *Hiſpanico* ſæculo ſeptimo facta, antiquiori & vniuerſali eccleſiæ vſui fraudi eſſe non poteſt, qui, obſeruante STRABONE, poſt hoc concilium præualuit; *Quid? quod hodie*, ſi vera narrat VOSSIVS [n], *trina immerſio vbique obtinet terrarum, vt omnino conſuetudo iſta mutari non poſſit ſine temerario nouitatis ſtudio & ſcandalo infirmorum.*

ATQVE ita diuerſas circumſtantias ac cærimonias paucis noſtra percurrit diſſertatio, quæ baptiſmati adiunctæ fuerunt eatenus, vt completum ſacramentum & inſtrumentum ſalutis omnibus digne illud recipientibus fieret, ſi ſine vlteriore conſummatione diem obirent ſuum, vti nonnullis vſu veniebat, quibus baptiſmus vel ægrotantibus, vel in loco ab eccleſia matrice disſito commorantibus, cum minus ſolemnibus ritibus tributus fuerat; in quo vtroque caſu ſacramenti ſubſtantiam, non autem omnes cærimonias, in eius adminiſtratione adhiberi iuſſas, habebant. Participes corporis *CHRISTI* fieri, & carnem eius manducare, ac ſanguine eius lauari, (quod erat fide illum bibere) credebantur in baptiſmo non minus, quam in euchariſtia. Et ſi conualuiſſent, protinus ad ſymbola corporis & ſanguinis *CHRISTI* in euchariſtia admittebantur. Erant autem aliæ quædam cærimoniæ baptiſmum conſequentes, quaſi ad perficiendam eius ſolemnitatem; quarum nonnullæ introductionis & præparationis ad euchariſtiam explebant vicem, vti ſecunda vnctio baptiſmum comitata, quam nos vulgo *impoſitionem manuum* vel *confirmationem* vocamus. Quam, quum diſtinctius de ea agi neceſſe ſit, cum reſiduis baptiſmi cærimoniis ſequentis libri volumus eſſe argumentum.

(n) Voſſ. de baptiſmo diſp. II. theſ. IV. p. 46.

*LIBER*

# LIBER DVODECIMVS
# DE CONFIRMATIONE, ALIISQVE CAERIMONIIS BAPTISMVM CONSEQVVTIS, ANTEQVAM HOMINES EVCHARISTIAE PARTICIPES REDDERENTVR.

## CAPVT PRIMVM
## DE TEMPORE, QVO, ET DE HOMINIBVS, QVIBVS CONFIRMATIO TRIBVTA FVERIT.

### §. I.

*Confirmatio antiquis temporibus statim post baptismum data, si episcopus præsto esset.*



HOMINES simul atque ex aqua adscendissent, si episcopus esset in re præsenti, statim ei sistebantur, vt benedictionem suam reciperent, quæ solemnis erat pro descensione spiritus sancti in baptizatum precatio. Et huic precationi secundæ alicuius vnctionis, & impositionis manuum ac signi crucis cærimonia iungi solebat. Vnde vniuersa actio sæpenumero χρίσμα, *vnctio*, χειροθεσία, *manuum impositio*, & σφραγὶς, *signaculum domini* nuncupabatur, quæ nomina inter antiquos notiora erant, quam nomen *confirmationis*. Per has autem appellationes vniuersas rem eamdem intelligebant, nimirum episcopi precationem pro spiritus sancti in recens baptizatum descensione. Hæc semper vna cum baptismo perficiebatur, si episcopus, qui ordinarius eius minister erat, in actione interesset. Sin autem abesset, vti fieri plerumque solebat in ecclesiis, aliquo interuallo ab ecclesia matrice dissitis, vel si qui adhibita celeritate baptizati essent ægrotantes, confirmatio prorogabatur, vsque dum episcopus visendi eos haberet opportunitatem. Hoc ex HIERONYMO [a] videre est, qui, *Non abnuo*, inquit, *hanc esse ecclesiarum*

(a) Hieron. contr. Lucifer. c. IV. Vid. concil. Illiberrit. c. LXXVII. vbi hæc le-

*consue-*

*consuetudinem, vt ad eos, qui longe in minoribus vrbibus per presbyteros & diaconos baptizati sunt, episcopus ad inuocationem sancti spiritus manum impositurus excurrat.* Accidit autem non raro, obseruante eodem auctore, vt in villulis, aut in castellis, aut in remotioribus locis per presbyteros aut diaconos baptizati, ante dormirent, quam ab episcopis inuiserentur. Cui incommoditati vt anteuerteret ecclesia, per canones in quibusdam locis, episcopi vniuersas dioeceses per singulos annos visitare obligati erant; quæ, si ita spatiosæ erant, vt fieri hoc non posset, dioeceses diuidendæ, & imminuendæ erant, quemadmodum in quodam concilio *Hispanico* [*b*] decretum & factum legimus. Quod si vero homines præsente episcopo baptizati essent, nulla interiecta mora extemplo per manus impositionem & sanctam vnctionem confirmabantur. TERTVLLIANVS [*c*] diserte hoc adfirmat, *Egressi*, inquiens, *de lauacro perungimur benedicta vnctione.* Et, *Dehinc manus imponitur, per benedictionem aduocans & inuitans spiritum sanctum.* Atque ita CYRILLVS HIEROSOLYMITANVS rem repræsentat, quando cum neophytis suis loquens dicit [*d*]: *Christus quum in flumine Iordane lauisset corpus, in quo diuinitus habitabat, aquis tradidit, adscenditque ex illis, & spiritus sanctus substantialiter super eum descendit, requiescens super sui similem. Et vobis, postquam ex aquis sacri lauacri adscendistis, datum est chrisma, quod imaginem gerit illius, quo vnctus est Christus: hoc autem est spiritus sanctus.* Similiter auctor *constitutionum* baptismi

guntur: Si quis diaconus regens plebem, sine episcopo, vel presbytero aliquos baptizauerit, episcopus eos per benedictionem perficere debet.

(*b*) Concil. Lucens. (tom. V. concil. p. 874.) Cupio, sanctissimi patres, vt prouida vtilitate decernatis, in prouincia regni nostri, quia in tota Gallæciæ regione spatiosæ satis dioeceses a primis episcopis tenentur; ita vt aliquantæ ecclesiæ per singulos annos vix possint a suo episcopo visitari: insuper tantæ prouinciæ vnus tantummodo metropolitanus episcopus est, & de extremis quibusque parochiis longum est singulis annis ad concilium conuenire.

(*c*) Tertull. de bapt. c. VII. & VIII.

(*d*) Cyrill. catech. mystag. III. n. I. κἀκεῖνος μὲν Ἰορδάνῃ λουσάμενος ποταμῷ, καὶ τῶν φώτων τῆς θεότητος μεταδοὺς τοῖς ὕδασιν ἀνέβαινεν ἐκ τούτων· καὶ πνεύματος ἁγίου οὐσιώδης ἐπιφοίτησις αὐτῷ ἐγένετο τῷ ὁμοίῳ ἐπαναπαυομένου τοῦ ὁμοίου· καὶ ὑμῖν ὁμοίως ἀναβεβηκόσιν ἀπὸ τῆς κολυμβήθρας τῶν ἱερῶν ναμάτων ἐδόθη χρῖσμα, τὸ ἀντίτυπον, οὗ ἐχρίσθη χριστός· τοῦτο δέ ἐστι τὸ ἅγιον πνεῦμα.

describens cærimonias, sacerdotem [e], simul atque baptizauerit quempiam, linere eum vnguento iubet, eique manus imponere, & precationem recitare, quam ibi præscribit. Sic in vita BASILII [f] relatum legimus, quemadmodum *Maximinus* episcopus, qui ipsum & *Eubulum* quemdam simul baptizauit, statim eos albis vestibus vestierit, & vnctis sancto chrismate tradiderit communionem. Idem illud in descriptione cærimoniarum baptismi obseruari potest, quam auctor sub nomine DIONYSII [g], AMBROSIVS, OPTATVS, PACIANVS & reliqui antiqui scriptores omnes memoriæ prodiderunt, qui temporis, quo confirmatio administrari consueuerit, aliquam fecerunt mentionem.

---

(e) Constit apost. lib. VII. c. XLIII. XLIV. *μετὰ τοῦτο βαπτίσας αὐτὸν, χριέτω μύρῳ ἐπιλέγων κ. τ. λ.*

(f) Amphiloch. vit. Basil c. V. Baptizauit Maximinus episcopus Basilium & Eubulum & vestiuit albis, atque vngens eos sancto chrismate, tradidit eis communionem.

(g) Dionys. de hierarch. eccles. c. II. p. 350. *Ἑξῆς δὲ φωτοειδεῖς ἐσθῆτας ἐπιβάλλοντες τῷ τελουμένῳ - - Ἡ δὲ τοῦ μύρου τελειωτικὴ χρίσις εὐώδη ποιεῖ τὸν τετελεσμένον - - ἐν τέλει δὲ πάντων ὁ ἱεράρχης ἐπὶ τὴν ἱερωτάτην εὐχαριστίαν καλεῖ τὸν τετελεσμένον, καὶ τῆς τῶν τελεστικῶν μυστηρίων αὐτῷ μεταδίδωσι κοινωνίας.* Candidis deinde vestimentis induunt initiatum. - Denique vnguenti illa consummans vnctio eum, qui initiatur, odoris suauitate perfundit. - Demum omnibus peractis eum, qui initiatus est, ad sanctissimam eucharistiam vocat & mysteriorum perficiendi vim habentium communionem illi tradit.

Ambros. de sacram. lib. III. c. II. Sequitur spiritale signaculum, quod audistis hodie legi, quia post fontem superest, vt perfectio fiat, quando ad inuocationem sacerdotis spiritus sanctus infunditur. Post hæc quid sequitur? Venire habes ad altare, cetera.

Optat. lib. IV. p. 81. (p. 94. edit. Paris. MDCLXXIX.) Descendit (Christus) in aquam, non quia erat, quod in Deo mundaretur, sed venturum oleum aqua debuit antecedere, ad mysteria initianda & ordinanda & implenda baptismatis: lotus quum in Ioannis manibus haberetur, secuutus est ordo mysteriis & compleuit pater, quod rogauerat filius & quod nuntiauerat spiritus sanctus, apertum est cælum Deo patre vngente, spirituale oleum statim in imagine columbæ descendit. & insedit capiti eius & perfudit eum, vnde cœpit dici Christus, quando vnctus est a Deo patre: cui ne manus impositio defuisse videretur, vox audita est Dei de nube dicentis: *Hic est filius meus, de quo bene sensi, hunc audite.*

Pacian. serm. de bapt. bibl. patr. tom. III. p. 77. (tom. IV. p. 310. h. edit. Lugdun. MDCLXXVII.) Hæc compleri alias nequeunt, nisi lauacri, & chrismatis, & antistitis sacramento. Lauacro enim peccata purgantur, chrismate sanctus spiritus superfunditur, vtraque vero ista, manu & ore antistitis impetramus; atque ita totus homo renascitur & innouatur in Christo.

§. II.

## §. II.

*Et hæc quidem infantibus æque ac adultis. Id quod demonstratur*, primo *E perspicuis quibusdam testimoniis.*

NEQVE vero res ita se habuit ratione duntaxat adultorum, sed etiam ratione infantium, qui antiquis temporibus, per manuum impositionem & sanctum chrisma seu vnctionem confirmabantur, simul atque baptizati erant. Id quod multis fortassis paradoxon videbitur, qui non retro longius quam ad recentiorum sæculorum respiciunt consuetudinem. Verum id firmissime demonstrari duobus modis potest. Primum quidem ex perspicuis veterum testimoniis, id ita fuisse declarantibus, & deinde ex nota illa ecclesiæ consuetudine dandi infantibus eucharistiam, quæ confirmationem communiter supponit. Quod primum ad testimonia attinet veterum, nihil esse potest clarius his GENNADII [h] verbis: *Si paruuli sunt vel hebetes, qui doctrinam non capiant, respondeant pro illis, qui eos offerunt, iuxta morem baptizandi: & sic manus impositione & chrismate communiti, eucharistiæ mysteriis admittantur.* Similiter INNOCENTIVS pontifex in decreto quodam [i] suo: *De consignandis infantibus*, inquit, *manifestum est, non ab alio, quam ab episcopo fieri licere.* Et *inter canones* conciliorum *Græcorum*, quos collegit, & in latinum sermonem transtulit MARTINVS [k], episcopus *Bracarensis* in *Hispania*, quidam habetur in hanc sententiam: *Presbyter præsente episcopo non signet infantes, nisi forte ab episcopo fuerit illi præceptum.* Hic mos per plura sæcula in ecclesia perseuerauit. GREGORIO enim pontifici *Romano* cum in *sacramentario*, tum in *epistolis* [l] memoratur, & post ipsum omnibus sæculi octaui ac noni scriptoribus. ALCVINVS, qui de *officiis ecclesiæ Caroli magni* imperatoris ætate scripsit, loquens de baptismo infantium, ait [m]:

(h) Gennad. de dogmat. eccles. c. LII. (apud August. tom. III. opp. p. 204. c. d. edit. Basil. MDLXIX.)

(i) Innocent. epist. I. c. III. (tom. II. concil. p. 1246.)

(k) Martin. Bracar. collect. can. cap. LII.

(l) Gregor. lib. III. c. IX. (tom. V. concil. p. 1142. b.) Presbyteri baptizatos infantes signare non præsumant; sed presbyteri baptizatos vngant in pectore, vt episcopi postmodum vngere debeant in fronte.

(m) Alcuin. de offic. cap. de sabbatho paschæ bibl. patr. tom. X. p. 259. ed. Paris. MDCLIV.

*Postea vestiatur infans vestimentis suis. Si vero episcopus adest, statim confirmari eum oportet chrismate, & postea communicare; & si episcopus deest, communicetur a presbytero.* Idem in *ordine Romano*, libro circa eamdem tempestatem scripto, & pro liturgia vsurpato habetur: *Pontifex, eleuata & imposita manu super capita omnium* [n], *dat orationem super eos cum inuocatione septiformis gratiæ spiritus sancti. Et tincto pollice in chrismate faciat crucem in frontibus singulorum, ita dicendo: Confirmo te in nomine patris, & filii, & spiritus sancti.* BALVZIVS in notis suis in *Rheginonem* [o] duos antiquos codices manuscriptos pontificales ex sæculo nono exhibet, in quo ordo hic confirmandi infantes continuatur. In eorum enim altero sic legitur: *Statim autem confirmetur infans & communicetur ab episcopo, ita dicente, Corpus & sanguis domini.* In altero autem ita: *Si episcopus adest, statim confirmari eum oportet chrismate & postea communicari.* Quibus ille epistolam quamdam addit *IESSE*, episcopi *Ambianensis*, in qua ordo baptismi describitur & regula episcopo datur huiusmodi [p]: *Post trinam mersionem episcopus puerum chrismate confirmet in fronte, nouissime autem corpore & sanguine Christi confirmetur, seu communicetur, vt Christi membrum esse possit.* Hæc testimonia adeo plana sunt & certa, vt viri eruditi, qui tam ex pontificiis, quam protestantibus, hanc materiam considerauerunt, omnes in hoc consentiant, quod hæc antiqua & vniuersalis ecclesiæ praxis fuerit, vt simul ac infantes baptizati essent, extemplo confirmarentur. Ita enim non tantum BALVZIVM, sed PETRVM quoque DE MARCA [q], HVGONEM MENARDVM [r], MALDONATVM [s], ESTI-

(n) Ordo Roman. cap. de bapt. bibl. patr. tom. X. p. 63. edit. cit.

(o) Baluz. not. in Rheginon. lib. I. c. LXIX.

(p) Iesse Ambianens. ep. de ordine baptism. ap. Baluz. ibid.

(q) Marc. not. ad concil. Claramont. p. 312. edit. Paris. (Not. In edit. Francof. MDCCVIII. quæ vna mihi ad manus est, locum diu quæsitum non inueni.)

(r) Menard. not. ad libr. sacram. p. 144. (p. 357. a. edit. Paris. MDCCV.) Nec soli adulti, sed etiam ipsi *infantes* simul cum baptismo *sumebant eucharistiæ sacramentum*, cetera vid. ibid. d.

(s) Maldonat. de confirmat. quæst. II. p. 115. edit. Lugdun. MDCXIV. Quando confirmari debeant baptizati, ea in re laudabilior consuetudo est ecclesiæ hodiernæ, quam veteris, Nam *in ecclesia veteri statim post baptismum confirmatio & eucharistia dabantur, etiam infantibus:* Nunc autem merito exspectatur illud tempus, quo tempore possint baptizati confiteri fidem suam.

VM

VM [t], GALENVM [u] inter pontificios, & TAYLORIVM [x] & DALLAEVM [y] inter proteſtantes, prorſus conſentientes deprehendo. Sunt quoque, qui hanc conſuetudinem inter *Græcos* in hodiernum vſque diem [z] obtinere adfirmant. Prioribus iſtis teſtimoniis teſtimonium AVGVSTINI addere lector eruditus poteſt, qui de hac praxi, vt ab ſe ipſo obſeruata, teſtatur. *Quando impoſuimus*, inquit, *manum* [a] *iſtis infantibus*, *attendit vnusquisque veſtrum*, *vtrum linguis loquerentur ? Et quum videret eos linguis non loqui*, *ita peruerſo corde aliquis veſtrum fuit*, *vt diceret*: *Non acceperunt iſti ſpiritum ſanctum ; nam ſi accepiſſent*, *linguis loquerentur*, *quemadmodum tunc factum eſt.*

## §. III.

### Et ſecundo, *Ex conſuetudine dandi infantibus euchariſtiam per plura ſæcula obſeruata.*

HAEC res ſi adhuc alia indigeat probatione, cognitam illam veteris eccleſiæ conſuetudinem dandi infantibus euchari-

(t) Eſtius ſentent. lib. IV. diſtinct. VII. n. XXIII. p. 101.

(u) Galen. catech. apud Dall. de confirmat. p. 21. Debet hoc ſacramentum etiam pueris, infantibusque conferri; de quibus peſſime merentur, qui in ſeptimum vel decimum annum differunt. Quum enim ea vis, quam diximus, exſerat ſeſe in eos omnes, qui non obturent riuos fluentis gratiæ; profecto iis omnibus chriſmatibus infantes ſpoliat, tantumque cæleſtis gloriæ detrahit, quibus hunc properata morte præreptis noluit hoc dari ſacramentum, quantum beneficiorum Chriſti per hoc labrum eis communicari vetuit.

(x) Taylor's *worthy communicant*, chap. 3. ſect. 2. p. 209.

(y) Dall. de confirmat. lib. III. c. XIII. p. 386. Apud iſtos veteres epiſcopus cuiuscumque baptiſmo aderat, eum extempore manus impoſitione & chriſmate confirmabat; quo fiebat, vt plurimi in ſingulis parœciis confirmationem cum baptiſmo ſimul & ſemel acciperent. Solemne enim erat & adultos catechumenos, & paruulos etiam fidelium liberos (niſi imminentis a morbo mortis neceſſitas aliter fieri cogeret) omnes duobus tantum anni temporibus baptizari, paſchate & pentecoſte. Quod in epiſcopali eccleſia, niſi præſente epiſcopo, non fiebat. Quum ergo quos baptizari fas erat, ii illuc ex ciuitate pene omnes concurrerent, plurimi, quod dixi, vna cum baptiſmo chriſmatis confirmationem accipiebant. Qui vero in remotioribus parœciæ eccleſiis, puta in vicis, & caſtellis & pagis, a presbyteris ſolis baptizati & chriſmati erant, ii quam primum ab epiſcopo confirmabantur, vel ad ipſos ea de cauſa excurrente, vel certe ad eum ipſi venientes, aut ſi paruuli eſſent, delati.

(z) Pet. du Moulin's *Buckler of Faith* p. 391.

(a) Aug. tract. VI. in Io. III. tom. IX. p. 2'4. (p. 621. edit. Baſil. MDLXIX.)

 ſtiam,

ſtiam, per plura ſæcula in eccleſiam continuatam, vrgere poſſumus. Crebra eius mentio in CYPRIANO, AVGVSTINO, INNOCENTIO & GENNADIO, ſcriptoribus a tertio ad quintum vsque ſæculum, habetur. MALDONATVS hunc morem in eccleſia per ſex ſæcula obtinuiſſe fatetur. Et ex modo adlatis teſtimoniis nonnulla probant, quod per tria amplius ſæcula durauerit, & communis eccleſiæ praxis vltra *Caroli Magni* ætatem fuerit. Iam vero omnibus notum & perſpectum eſt, quod in communi rerum curſu confirmatio euchariſtiam ſemper ſit antegreſſa, niſi ſpecialis quædam cauſſa fuerit, (vt in baptiſmo clinicorum, vel, abſente epiſcopo, interdum vſu veniebat) quamobrem hanc præmitti oportuerit. Nam in his duobus caſibus euchariſtia ſæpe ante confirmationem dabatur, vt hodie fit in amplis diœceſibus noſtris, vbi epiſcopus ad confirmationem ante communionem tribuendam in locis diſſitis non ſemper illico præſens eſſe poteſt. In ceteris vero caſibus omnibus vſitati moris erat, vt confirmatio ad euchariſtiæ vſum intromitteret. Adeoque, quum ipſam communionem infantibus datam eſſe conſtet, idque ſtatim poſt eorum baptiſmum; pronum eſt inde colligere, ſi vel nullum aliud teſtimonium ſuppeteret, quod confirmatio infantibus vna cum baptiſmo data ſit, quia hic ritus ſecundum omnes regulas & conſuetudines eccleſiæ communionem anteceſſit, in eamque introduxit.

## §. IV.

*Vnde confirmatio haud proprium ſacramentum, a baptiſmo diſtinctum, credita fuiſſe intelligitur.*

OBSERVATIO iſta ad intelligendum difficilia quædam veterum loca nobis proderit, nec non ad reſpondendum obiectioni, quam ſcriptores *Romanenſes* inde faciunt, quaſi confirmatio proprium ſit ſacramentum, a baptiſmate diſtinctum. Veteres quidem, fateor, ſacramenti nomen ei interdum tribuunt, baptiſmum ac confirmationem duo vocantes ſacramenta. Enimuero planum eſt, quod vocabulum ſacramenti latiore ſenſu pro ſacra quauis cærimonia, ritu, vel myſterio ad baptiſmum pertinente, accipiant. Quo ſenſu duo ſacramenta, ſiue præcipuas cærimonias myſticas, in baptiſmo eſſe credunt, nimirum immerſionem in aqua, & ſancti chriſmatis vnctionem, de qua vtraque loquuntur tamquam de ſacramentis, ſiue cærimoniis

ad

ad baptiſmum ſpectantibus. Ita in concilio *Carthaginenſi* ſub *Cypriano Nemeſianus Thubunenſis* ait: *Male ſibi quidam interpretantur, vt dicant, quod per manus impoſitionem ſpiritum ſanctum accipiant, & ſic recipiantur: Quum manifeſtum ſit VTROQVE SACRAMENTO* [b] *debere eos renaſci in eccleſia catholica;* hoc eſt, ſacra lauatione non minus, quam manuum impoſitione, quam vtramque ſacramenta, hoc eſt, ſacros ritus eiusdem ſacramenti regenerationis facit. Eodem ſenſu CYPRIANVS ipſe *Parum eſt*, inquit, *eis manum imponere ad accipiendum ſpiritum ſanctum, niſi & accipiant eccleſiæ baptiſmum. Tunc enim demum plene ſanctificari, & eſſe filii Dei poſſunt, ſi SACRAMENTO* [c] *VTROQVE naſcantur, quum ſcriptum ſit: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt introire in regnum Dei.* Quæ verba perſpicue oſtendunt, quod per duo ſacramenta nihil intelligat amplius, quam duas principes cærimonias ad completum & perfectum baptiſmum requiſitas, quia homines vtroque ſacramento renaſci dicit. Similiter OPTATVS [d] manuum impoſitionem & vnctionem partes duntaxat & cærimonias baptiſmum perficientes facit. De baptiſmo enim *CHRISTI* loquens, *Deſcendit in aquam*, inquit, *non quia erat, quod in Deo mundaretur, ſed venturum oleum aqua debuit antecedere, ad myſteria initianda & ordinanda & implenda baptiſmatis. Lotus quum in Ioannis manibus haberetur, ſecutus eſt ordo myſteriis, & compleuit pater, quod rogauerat filius, & quod nuntiauerat ſpiritus ſanctus, apertum eſt cælum, Deo patre vngente, ſpirituale oleum ſtatim in imagine columbæ deſcendit, & inſedit capiti eius & perfudit eum, vnde cœpit dici CHRISTVS, quando vnctus eſt a Deo patre. Cui ne manus impoſitio defuiſſe videatur, vox audita eſt Dei de nube dicentis: Hic eſt filius meus, de quo bene ſenſi, hunc audite.* Heic ordinem, partes & myſteria baptiſmi ad ſimilitudinem baptiſmi Chriſti ſe deſcribere, profitetur OPTATVS. In vtroque horum tria ſacramenta ſiue præcipua myſteria ſtatuit, lauationem, vnctionem & manuum impoſitionem; quæ proprie non tria ſunt ſacramenta, ſed tres partes ſiue ritus vnius eiusdemque ſacramenti baptiſmatis, quæ, ſecundum OPTATVM, ordinata & adumbrata ac impleta in ba-

(*b*) Concil. Carthag. ap. Cyprian. n. V. p. 231. (p. 159. edit. Fell. Amſtel. MDCC.)
(*c*) Cypr. ep. LXXII. ad Stephan. p. 196. (p. 305. edit. Amſtel. cit.)
(*d*) Optat. lib. IV. p. 81. Par. MDCXXXI. (p. 94. edit. Par. MDCLXXIX.)

ptiſmo

ptismo Christi erant. Nisi heic sacramentum hoc latiore sensu accipiamus, tria propria sacramenta in baptismo habebimus, quod nec OPTATO, nec vlli veterum in mentem venit, quando de baptismi mysteriis sunt loquuti; Sed cum vnctionem, tum impositionem manuum sacramenta esse sinunt, vt sunt partes ac ritus mysterii baptismi. In hunc modum PACIANVS, episcopus *Barcinonensis*, iisdem tria sacramenta mysterii baptismatis statuit, nimirum lauacrum, vnctionem spiritus & manum ac os antistitis. Ait enim, *Christi semen, id est Dei spiritus, nouum hominem, aliuo matris agitatum, & partu fontis exceptum, manibus sacerdotis effundit, fide tamen pronuba. - - Hæc autem compleri alias nequeunt, nisi LAVACRI & CHRISMATIS & ANTISTITIS SACRAMENTO* [e]. *Lauacro enim peccata purgantur, chrismate sanctus spiritus superfunditur, vtraque vero ista manu & ore antistitis impetramus, atque ita totus homo renascitur & innouatur in CHRISTO.* Heic dicamus oportet, aut quod lauacrum, chrisma & verba atque actio antistitis tria sacramenta, aut quod tres tantum partes & cærimoniæ eiusdem sacramenti sunt, quod ipsum est, quod PACIANVS manifesto sentit. Loquitur enim de eo, quemadmodum homines in baptismo renascantur, & chrisma inter media huius regenerationis refert; vnde manifestum est, non aliam ei huius vocis notionem esse, quam partis alicuius integrantis baptismi, etsi non absolute & simpliciter ad eius essentiam necessariæ. Itaque hæc plana quædam ratio est, cur veteres immersionem in aqua & vnctionem chrismatis duo vocent sacramenta, quia videlicet partes, siue ritus & cærimoniæ mysterii baptismi sunt. Neque quidquam veteribus vsitatius est, quam hæc loquendi ratio, vt sacrum quemcunque ritum & cærimoniam in ecclesia vsitatam sacramenti vel mysterii nomine appellitent. Sic AVGVSTINVS exorcismum [f] sacramentum vocat. Et sal, quod catechumenis dabatur ante baptismum, sacramentum catechumenorum ab AVGVSTINO [g] & con-

(e) Pacian. serm. de bapt. bibl. patr. tom. III. p. 77. (tom. IV. p. 318. h. edit. Lugd. MDCLXXVII.)

(f) Augustin. hom. LXXXIII. de diuersis. Exorcismi *sacramento* quasi molebamini.

(g) Augustin. de peccator. meritis lib. II. c. XXVI. Vid. supra lib. X. c. II. §. XVI. litt. (h) in textu p. 38.

cilio

cilio tertio *Carthaginensi* [*h*] vocatur, vt alio loco obseruauimus, quando de hoc catechumenorum sacramento verba fecimus. CYPRIANVS [*i*] de sacramentis orationis dominicæ loquitur. Et ne hisce longius immoremur, solent veteres proprie dicta sacramenta, baptismum & eucharistiam, diuidere, vtrumque videlicet in duo alia, intelligentes diuersas partes siue ritus, qui ad ea pertinent. Ita de quatuor sacramentis [*k*] in ecclesia loquitur ISIDORVS, quando ait: *Sunt sacramenta, baptismus & chrisma; corpus & sanguis Christi.* Vti hinc panis & vinum duo vocantur sacramenta, licet duæ tantummodo partes vnius eucharistiæ sint. Ita lauacrum & vnctio duo sacramenta vocantur, quamuis non nisi duo vnius sacramenti baptismi ritus sint. Eadem loquendi forma INNOCENTIVS [*l*] pontifex *Romanus* vtitur, quando panem & vinum sacramenta numero plurali adpellat. *De fermento*, inquiens, *quod die dominica per titulos mittimus, superflue nos consulere voluisti, quum omnes ecclesiæ nostræ intra ciuitatem sint constitutæ. Quarum presbyteri, quia die ipsa propter plebem sibi creditam nobiscum conuenire non possunt, idcirco fermentum a nobis confectum per acolythos accipiunt, quod per parochias fieri debere non puto, quia non longe portanda sunt SACRAMENTA.* Et FVLBERTVS episcopus *Carnutensis* [*m*] clarius hoc docet: *Tria*, inquiens, *nobis sunt ad profectum christianæ religionis proposita. - - Horum primum est intelligere, & firmiter tenere mysterium trinitatis & vnius veritatem deitatis, secundum salutaris baptismi rationem nosse vel caussam, tertium, in quo DVO vitæ SACRAMENTA, id est, dominici corporis & sanguinis continentur.* Neque adeo mirum est, quod eidem auctori [*n*] immersio in aqua & vnctio chrismatis sanctum adferens spiritum, *duo sacramenta baptismi* dicantur,

(*h*) Concil. Carthag. III. can. V. Vid. supr. lib. X. c. II. §. XVI. litt. (*k*) p. 39.

(*i*) Cypr. de orat. domin. p. 142. (p. 101. lin. 10. edit. Amstelod.) Qualia sunt *orationis dominicæ sacramenta*, quam multa, quam magna, breuiter in sermone collecta; sed in virtute spiritualiter copiosa, vt nihil omnino prætermissum sit, quod non in precibus atque orationibus nostris, cælestis doctrinæ comprehendatur?

(*k*) Isidor. origin. lib. VI. c. XIX.

(*l*) Innocent. epist. I. ad Decent. c. V. (tom. II. concil. p. 1247.)

(*m*) Fulbert. epist. I. bibliothec. patr. tom. III. p. 434. Par. MDCLIV. (tom. XVIII. p. 3. f. edit. Lugdun. MDCLXXVII.)

(*n*) Fulbert. ibid. p. 436. (p. 4. e.)

quando ait : *Requirimur ſane in baptiſmatis ſacramentis aqua propter ſepulturam, ſpiritus ſanctus propter vitam æternam.* Nihil enim poteſt eſſe planius, quam quod immerſio & chriſma non ſint proprie duo baptiſmi ſacramenta, ſed duo tantum eius ritus: perinde ac panis & vinum non ſunt duo ſacramenta euchariſtiæ, ſed duæ ſolum diuerſæ eiusdem communionis partes. Facile eſſet, multo plures iſtiusmodi locutiones ex aliis auctoribus proferre in medium, quarum permultas a DALLAEO [o] collectas lector inuenire poteſt; nos tantum verba HAIMONIS, epiſcopi *Halberſtadienſis*, ſubiungemus, vbi confirmationem diſerte baptiſmi cærimoniam facit, quæ ei ſemper adiuncta ſit, eodemque ſimul tempore cum ea, tamquam conſummans actus & perfectio eius, adminiſtretur [p]. *Donum ſpiritus ſancti*, inquit, *datur in baptiſmate per impoſitionem manus epiſcoporum.* Et alibi : *Per impoſitionem manuum pleniſſime creditur accipi donum ſpiritus ſancti, quod poſt baptiſmum ad confirmationem veritatis in eccleſia a pontificibus fieri ſolet.* Vt adeo, quando veteres confirmationem ſacramentum appellant, eam ſemper partem ſeu cærimoniam ſacramenti baptiſmatis intelligere iudicandi ſint. Quo ſenſu res multas alias ſacramenta vocitant, quæ partes ſolum ſiue cærimoniæ eorum ſunt. Ita exorciſmus & ſignum crucis eo ſenſu ſacramenta ſunt, vti confirmatio.

## §. V.

*Nec tum quidem, quando a baptiſmo fuit ſeparata, vt in cauſſa hæreticorum, qui extra eccleſiam fuerant baptizati.*

DIXERIS vero, confirmationem, manuum impoſitionem & vnctionem hominibus frequentiſſime multis poſt baptiſmum annis datam eſſe, exempli gratia, hæreticis & ſchiſmaticis, qui in infantia ſua extra eccleſiam baptizati, & poſtea ad eccleſiam redeuntes per manus impoſitionem recepti fuerint. Sed reſpondeo, quod impoſitio manuum, quam hoc in caſu ſeparatim a baptiſmo dedit eccleſia, euitari non potuerit, quia eccleſia eam dandi nullam ante occaſionem habuit. Proinde nullum argumentum captandum ex eo eſt, quod cogente tali neceſſitate facere eam oportuit, quum id duntaxat per ordi-

(o) Dallæ. de confirm. lib. I. c. VIII. p. 110. It. lib. III. c. XIII. p. 38[illegible].

(p) Haimo in Hebr. XIII. extr. & ibid. c. VI. 2. cit. a Dallæo l. c. p. 387.

nariæ

nariæ eius regulæ exceptionem factum sit. Ita est, ecclesia omnibus hæreticis ad ecclesiam reuersis manuum impositionem tribuebat: Et hoc, vt in alia quadam dissertatione [q] pluribus demonstraui, ad ea spectabat supplenda, quæ in externa forma baptismi defuerant, quæ gratiam spiritus eis conferre non poterat, quoad in hæresi vel schismate perseuerabant. Heic quoque obseruaui, quod hæretici quidam vnctionem & impositionem manuum non minus quam ipsum baptismum, retinuerint, eamque vna cum baptismo infantibus contulerint. Quæ *Donatistarum* erat, & forte aliorum quorumdam, consuetudo. Interim ecclesia, licet nec externam baptismi formam, nec semper vnctionem chrismatis repeteret; speciatim in partibus occidentalibus, vbi AVGVSTINVS, OPTATVS, & ALCIMVS AVITVS viuebant; semper tamen nouam manuum impositionem & preces, ad impetrandam spiritus sancti descensionem super illos, adhibebat. Quo ipso licet separata quædam a baptismo daretur confirmatio, tamen in extraordinariis tantum casibus hoc fiebat, vbi ecclesia aliter agere non poterat. In aliis casibus hasce duas cærimonias, tam in infantibus quam adultis semper coniungebat, quemadmodum adlegata in hoc capite testimonia candido cuiuis lectori abunde & sine vlla dubitatione demonstrare existimo.

## §. VI.

*Non maior necessitas dandi hodie infantibus confirmationem quam eucharistiam, ad exemplum priscæ ecclesiæ.*

AT ENIM VERO opposuerit quispiam, quod si res ita sit, tum omnes ecclesiæ hodiernæ, tam protestantes, quam pontificiæ, ab ecclesiæ antiquæ praxi in hoc discrepent, vt hodie numquam infantibus confirmationem administrent; sed solis adultis, qui stipulationem suam baptismalem per se ipsi confirmare possint. Et hæc differentia facile admittitur, quod ad praxin. Verum quando quæstio est de iure, quæ sit magis congrua & conueniens praxis? Et, numne in qualibet circumstantia ad veteris ecclesiæ praxin nos conformare debeamus? Ego quidem ecclesiam quamcunque omnium optime hac in caussa iudicare posse credo, quid ad filiorum suorum ædificationem

(q) Scholast. *Hist. of Lay-Bapt.ism*, chap. I. n. XXI.

quam maxime faciat. Et quemadmodum hodie nulla ecclesia infantibus eucharistiam dare se debere existimat, ideo, quod ecclesia antiqua per octo sæcula id fecerit: ita nec vlla ecclesia infantibus confirmationem tribuere se oportere ex eodem exemplo iudicat; quamtumuis viri quidam eruditi, vti BEDELIVS [r] inter protestantes pro communione infantibus danda, & MATTHAEVS GALENVS [s] ex pontificiis pro confirmatione illis impertienda contenderunt. Dum alii consuetudinem, quæ hodie obtinet, plus ædificationis habere, nec satis idonea argumenta dari existimant, quibus ecclesia ad mutandam eam induci possit.

# *LIBRI DVODECIMI*
## *CAPVT SECVNDVM*
## DE MINISTRO CONFIRMATIONIS.
### §. I.
*Chrismatis consecratio soli episcoporum officio per canones reseruata.*

PROXIME post personas, quibus confirmatio danda erat, de ministro eius agendum est & dispiciendum, per quem ea administrari solita sit. Vbi diuersas partes & cærimonias confirmationis, & casus ordinarios atque extraordinarios, nec non praxin & consuetudinem diuersarum ecclesiarum ab aliarum ecclesiarum consuetudine diuersam distinguere necesse erit. Neque enim in his omnibus vna eademque regula semper fuit obseruata. Confirmatio diuersis absoluebatur ritibus, vti capite proxime sequenti videbimus, Erat primum chrismatis consecratio, quæ episcopi semper erat actio; deinde ipsa vnctio siue illius vsus, cum consignatione seu signo crucis in fronte, vel aliis corporis partibus; tum impositio manuum cum precibus. Erant quoque casus ordinarii, si episcopus in baptismo adesset, & casus extraordinarii, si abesset, & baptizatus in discrimine vitæ versaretur. Erant quoque diuersæ consuetudines pro diuersarum ecclesiarum regulis; & pro harum rerum distinctione ad

(r) Vid. *Bishop* Usher's *Letters*, ep. 163. p. 442.

(s) Galen. catech. ap. Dallæum de confirmat. lib. I. p. 21. citat. supr. cap. I. §. II. litt. (u) pag. 349.

hanc generalem quæſtionem oportet reſponderi. Chriſmatis conſecratio epiſcopo generatim in omnibus eccleſiis reſeruata erat, adeoque vſus eius ab auctoritate ipſius in quibuscumque caſibus deriuabatur. Concilium ſecundum *Carthaginenſe* [a] a presbyteris eam fieri vetat, & ad præteritum aliquod concilium, in quo ſimilis prohibitio facta ſit, remittit. Concilium *Carthaginenſe* tertium presbyteris virginem conſulto epiſcopo conſecrare, chriſma vero numquam [b] conficere permittit. Concilium *Carthaginenſe* quartum [c] presbyteros, qui per diœceſes eccleſias regunt, quotannis ante dies feſtos paſchatis ab epiſcopo ſuo chriſma petere iubet. In quibusdam eccleſiis *Hiſpaniæ* nonnulli presbyteri illud conficere ſibi ſumebant, vnde concilium *Toletanum* [d] primum nouum decretum ad reprimendam hanc audaciam faciebat, omnibus præter epiſcopum ex iſto tempore chriſma conficere interdicens, presbyterisque mandans, vt ante diem paſchæ more alias vſitato, per miſſos ad epiſcopum diaconos aut ſubdiaconos, confectum ab eo chriſma peterent. Similes conſtitutiones factæ ſunt in concilio primo *Vaſenſi* [e], concilio *Antiſſiodorenſi* [f], concilio *Barcino-*

(a) Concil. Carthagin. II. c. III. (tom. II. conc. p. 1160.) Memini præterito concilio fuiſſe ſtatutum, vt chriſma, vel reconciliatio pœnitentium, nec non & puellarum conſecratio a presbyteris non fiat.

(b) Concil. Carth. III. can. XXXVI. (ibid. p. 1172.) Vt presbyter inconſulto epiſcopo virgines non conſecret, chriſma vero numquam conficiat.

(c) Concil. Carth. IV. c. XXXVI. (ibid. p. 1203.) Presbyteri, qui per diœceſes eccleſias regunt, non a quibuslibet epiſcopis, ſed a ſuis; nec per iuniorem clericum, ſed aut per ipſos aut per illum, qui ſacrarium tenet, ante paſchæ ſolemnitatem chriſma petant.

(d) Concil. Tolet. I. c. XX. (tom. II. concil. p. 1226.) Quamuis pene vbique cuſtodiatur, vt abſque epiſcopo chriſma nemo conficiat, tamen quia in aliquibus locis vel prouinciis, presbyteri dicuntur chriſma conficere, placuit, ex hac die nullum alium niſi epiſcopum chriſma conficere & per diœceſim deſtinare, ita vt de ſingulis eccleſiis ad epiſcopum ante diem paſchæ diaconi deſtinentur aut ſubdiaconi, qui confectum chriſma ab epiſcopo deſtinatum ad diem paſchæ poſſint ad tempus deferre.

(e) Conc. Vaſenſ. I. c. III. (tom. III. conc. p. 1457.) Per ſingula territoria presbyteri, vel miniſtri, ab epiſcopis, non prout libitum fuerit, a viciniorıbus, ſed a ſuis propriis, per annos ſingulos chriſma petant, appropinquante ſolemnitate paſchali. cetera.

(f) Concil. Antiſſiod. c VI. (tom. V. concil. p. 958.) Vt a media quadrageſima presbyteri chriſma petant.

*nensi* [g], conciliis primo & secundo *Bracarensi* [h], & in collectione *Graecorum* canonum a MARTINO episcopo *Bracarensi* [i] edita; item in decretis *Romanis*, factis ab INNOCENTIO [k], LEONE [l], & GELASIO [m], quae hac occasione pro amplitudine sua recitare necesse non habeo. Atque ita episcopi auctoritas sarta tecta seruata est, in ipsis etiam casibus, in quibus presbyteris cum sancta vnctione negotium aliquod habere permissum fuit.

## §. II.

*Vsus chrismatis inter episcopos & presbyteros diuisus.*

IAM vero haec vnctio siue consignatio in multis ecclesiis (speciatim in ecclesia *Romana*) duplicis erat generis, consignatio frontis & consignatio reliquarum corporis partium. Et prior quidem in istis ecclesiis, in quibus haec distinctio locum habebat, generatim episcopo reseruata erat, cum manuum impositione administranda; posterior vero a presbyteris quoque dabatur. Non omnes ecclesiae hanc duplicem vnctionem admittebant; quae vero eam admittebant, presbyteris alteram

(g) Conc. Barcinon. c. II. (ibid. p. 1605.) Simili statutum conditione est, vt quum chrisma presbyteris dioecesanis pro neophytis confirmandis datur, nihil pro liquoris pretio accipiatur.

(h) Concil. Bracar. I. can. XXXVII. (in edit. Labb. conc. II. c. XIX. tom. V. p. 842.) Placuit, si quis presbyter post hoc interdictum ausus fuerit chrisma benedicere, aut ecclesiam aut altarium consecrare, a suo officio deponatur. Concil. Bracar. II. (al. III. ibid. p. 897.) can. IV. Placuit, vt modicum balsami, quod benedictum pro baptismi sacramento per ecclesias datur &c.

(i) Martin. Bracar. collect. can. cap. LI. (ap. Iustell. in append. tom. I. biblioth. iuris canon. vet. fol. XXV.) Omni tempore episcopo liceat chrisma conficere & per suas dioeceses destinare; ita vt ad dirigendum chrisma diaconus, aut subdiaconus, ante diem paschae, de singulis ecclesiis ad episcopum destinetur.

(k) Innoc. epist. I. ad Decent. c. III. (tom. II. concil. p. 1246.) Presbyteris, - - chrismate baptizatos vngere licet, sed quod ab episcopo fuerit consecratum.

(l) Leo epist. LXXXVIII. ad Gallos (tom. III. concil. p. 1395. d.) Nec erigere eis (presbyteris ac diaconis) altaria, nec ecclesias, vel altaria consecrare licet, nec per impositiones manuum fidelibus baptizandis, vel conuersis ex haeresi, paracletum spiritum sanctum tradere, nec *chrisma conficere*, cetera.

(m) Gelas. epist. IX. ad episcopos Lucaniae. c. VI. (tom. IV. conc. p. 1189.) Presbyteros vltra modum suum tendere prohibemus: nec episcopali fastigio debita sibimet audacter adsumere: non *conficiendi chrismatis*, non consignationis pontificalis adhibendae sibimet arripere facultatem.

admi-

adminiſtrandi dabant auctoritatem, alteram vero tribuere eis interdicebant. Duplex illa chriſmatio ſeu vnctio ab INNOCENTIO pontifice primum introducta eſt, atque ita ipſe hoc officium inter epiſcopos & presbyteros diuiſit. *Presbyteris*, inquit [*n*], *qui ſeu extra epiſcopum, ſeu præſente epiſcopo, baptizant, chriſmate baptizatos vngere licet, ſed quod ab epiſcopo fuerit conſecratum; non tamen frontem ex eodem oleo ſignare, quod ſolis debetur epiſcopis, quum tradant ſpiritum ſanctum paracletum.* Atque ita in decretis GELASII [*o*] eſt & GREGORII [*p*] ſucceſſoris eius in ſede *Romana.* Verum hæc duplex chriſmatio in *Gallia* non fuit recepta, neque in vlla alia ex occidentalibus eccleſiis. In *Gallia* presbyterorum id erat officium, ſola manuum impoſitione epiſcopo reſeruata. Hoc ex concilii *Arauſicani* [*q*] quodam canone manifeſtum eſt, qui *Nullus miniſtrorum*, inquit, *qui baptizandi recipit officium, ſine chriſmate vsquam debet progredi, quia inter nos placuit ſemel in baptiſmate chriſmari. De eo autem, qui in baptiſmate, quacumque neceſſitate faciente, non chriſmatus fuerit, in confirmatione ſacerdos commonebitur. Nam inter nos chriſmatis ipſius non niſi vna benedictio eſt.* Hic canon adlegatur & repetitur in concilio ſecundo *Arelatenſi* [*r*], & VALESIVS [*s*] eis addit inſcriptionem ex GRVTERO, quæ rem eamdem confirmat, quod nimirum epiſcopus non adminiſtrarit chriſma, niſi id ab presbyteris eſſet omiſſum. In eccleſiis orientalibus vnam ſolam habebant vn-

(*n*) Innoc. epiſt. I. ad Decent. c. III. (tom. II. concil. p. 1246.)

(*o*) Gelaſ. ep. IX. c. VI. Vid. ſub litt. (m).

(*p*) Gregor. ep. IX. lib. III.

(*q*) Concil. Arauſic. I. can. II. (tom. III. concil. p. 1447.)

(*r*) Concil. Arelat. II. c. XXVII. (tom. IV. concil. p. 1014.) Nullum miniſtrum, qui baptizandi recepit officia, ſine chriſmate vmquam debere progredi: quia inter nos, iuxta ſynodi conſtitutionem, placuit ſemel chriſmari.

(*s*) Valeſ. not. in Euſeb. lib. VI. c. XLIII. p. 13 . ( m p. 120. ) Hæc baptizatorum conſignatio, interdum fiebat cum chriſmate: quoties ſcilicet aliquis vrgente morbi neceſſitate baptizatus fuerat a minoribus clericis, nec chriſmatus. Tunc enim epiſcopus, qui baptiſmi ſolemnia poſtmodum ſupplebat, chriſmare ſimul & manus imponere neceſſe habebat, qui vero perfectum baptiſma acceperant, iis manus tantum imponebatur ab epiſcopo ſine chriſmatione, vt docet canon Arauſicanus. Quo pertinet vetus epigramma apud Gruterum p. 1177. de Mareo:

*Tuque ſacerdotes docuiſti, chriſmate ſancto*
*Tangere bis nullum iudice poſſe Deo.*

ctionem

ctionem post baptismum, eamque ab episcopo tributam, specialioribus & extraordinariis casibus exceptis. *Constitutionum apostolicarum* auctor episcopi officium [t] facit, vt baptizatos sancto chrismate vngat. Et hoc chrisma confirmationem esse dicit confessionis in baptismo factæ [u]. Idem dicit personatus DIONYSIVS [x], quod, posteaquam presbyteri hominem baptizarint, illum ad pontificem ducant, qui diuinitus sacrato oleo virum consignet, & sacræ eucharistiæ participem declaret. Iam hæc vnctio episcopalis non tantum in fronte, vti in ecclesia *Romana* vsitatum erat, sed in reliquis etiam corporis partibus vniuersis perficiebatur. Id quod ex CYRILLI episcopi *Hierosolymitani* [y] sermone ad recens baptizatos apparet, quando ait: *Primum quidem fronti illinitur chrisma, vt eum abstergat a nobis pudorem, quem primus homo transgressor perpetuo circumferebat: simulque efficiat, vt possitis vultu non velato gloriam domini intueri. Deinde vero aures vnguntur, vt ad audiendum diuina mysteria aures accipiatis. De quibus dicebat Iesaias: Et addidit mihi dominus aures ad audiendum. Et dominus in euangelio: Qui habet aures ad audiendum, audiat. Postea nares, vt diuinum recipientes vnguentum dicatis: Christi gratus odor est Deo, in his qui saluantur. Tum vero & pectus inungitur: vt induti thoracem iustitiæ, fortiter aduersus insultus diaboli consistatis.* Ita quoque omnes hæretici, [z] qui in ecclesiam sine baptismi iteratione recipiendi erant, vtpote iusta forma ante hac baptizati, re-

(t) Constit. apost. lib. III. c. XVI. μετὰ τοῦτο ὁ ἐπίσκοπος χριέτω τοὺς βαπτισθέντας τῷ μύρῳ

(u) Ibid. c. XVII. τὸ μύρον βεβαίωσις τῆς ὁμολογίας. Ibid. lib. VII. c. XLIII. βαπτίσας αὐτὸν ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, χρισάτω μύρῳ.

(x) Dionys. hierarch. eccles. c. II. p. 254. ἐπὶ τὸν ἱεράρχην αὖθις ἀπάγουσιν· ὁ δὲ τῷ θεουργικωτάτῳ μύρῳ τὸν ἄνδρα σφραγισάμενος, μέτοχον ἀποφαίνει λοιπὸν τῆς ἱεροτελεστικωτάτης εὐχαριστίας.

(y) Cyrill. catech. mystag. III. n. III. πρῶτον ἐχρίεσθε ἐπὶ τὸ μέτωπον, ἵνα ἀπαλλαγῆτε τῆς αἰσχύνης, ἣν ὁ πρῶτος παραβάτης ἄνθρωπος πανταχοῦ περιέφερε, καὶ ἵνα ἀνακεκαλυμμένῳ προσώπῳ τὴν δόξαν κατοπτρίζησθε· εἶτα, ἐπὶ τὰ ὦτα, ἵνα προσλάβητε τὰ ἀκουστικὰ τῶν θείων μυστηρίων ὦτα, περὶ ὧν Ησαίας ἔλεγε, καὶ προσέθηκέ μοι κύριος ὠτίον τοῦ ἀκούειν· ὁ Ἰησοῦς ἐν εὐαγγελίοις, ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν ἀκουέτω· εἶτα, ἐπὶ τὴν ὄσφρησιν, ὅπως τοῦ θείου ἀντιλαμβανόμενοι μύρου, λέγητε, χριστοῦ εὐωδία ἐσμὲν τῷ θεῷ ἐν τοῖς σωζομένοις· μετὰ ταῦτα ἐπὶ τὰ στήθη, ἵνα ἐνδυσάμενοι τὸν θώρακα τῆς δικαιοσύνης, στῆτε πρὸς τὰς μεθοδείας τοῦ διαβόλου.

(z) Concil. Constant. I. c. VII. (tom. II. conc. p. 951. a. b.) Τοὺς προστιθεμένους τῇ

cipi

cipi iubentur, signati siue vncti primum sancto chrismate & frontem, & oculos, & nares, & os, & aures, cum hac verborum formula: *Signaculum doni spiritus sancti.* Etsi autem vniuersa hæc cærimonia vnctionis in ecclesia orientali communiter ab episcopo tantum peragebatur, nec (vt in *Romana*) inter episcopum eiusque presbyteros diuidebatur; tamen in specialibus quibusdam casibus in ecclesiis particularibus hoc officium ad presbyteros deuoluebatur. Nam *Alexandriæ*, si episcopus non erat præsens, presbyteri hanc consignationem eodem tempore, quo baptizabant, administrabant. Quo modo verba auctoris sub nomine AMBROSII [a] intelligenda esse existimo, quando *Apud Aegyptios*, inquit, *presbyteri consignant, si præsens non sit episcopus.* Et hoc ipsum alius auctor sub nomine AVGVSTINI [b] consecrare vocat, *In Alexandria*, inquiens, *& per totam Aegyptum, si desit episcopus, consecrat presbyter.* Quod quidem a viris quibusdam eruditis pro consecratione accipitur eucharistiæ. Verum hoc non singulare quidpiam, sed singulis presbyteris omnium ecclesiarum per vniuersum mundum commune erat, vt absente episcopo eucharistiam consecrarent, neque adeo id tamquam peculiarem consuetudinem in *Aegypto* notari necesse erat. Vnde potius consecrationem quamdam intelligi iudico, quam presbyteris in multis aliis ecclesiis absente episcopo perficere non licuerit, qualis erat consecratio siue consignatio baptizatorum chrismate confirmationis, quam presbyter aliquis in ecclesiis *Romanis* peragere haud poterat. In quibusdam autem ecclesiis orientalibus licitum hoc erat. Nam *constitutionum apostolicarum* auctor loquens de baptismi celebratione, episcopis ac presbyteris ordinem, quo fieri debeat, præscribit. *Episcope*, inquit, *aut presbyter, vnges prius baptizandum oleo sancto, deinde baptizabis a-*

ὀρθοδοξίᾳ καὶ τῇ μερίδι τῶν σωζομένων ἀπὸ αἱρετικῶν, δεχόμεθα - - σφραγιζομένους ἤτοι χριομένους πρῶτον τῷ ἁγίῳ μύρῳ τό, τε μέτωπον, καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς, καὶ τὰς ῥῖνας, καὶ τὸ στόμα, καὶ τὰ ὦτα· καὶ σφραγίζοντες αὐτοὺς λέγομεν· Σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου. Hos qui rectæ fidei adiiciuntur & parti eorum, qui ex hæreticis seruantur, recipimus - - signatos, siue vnctos primum sancto chrismate, & frontem, & oculos, & nares, & os, & aures. Et eos signantes dicimus: Signaculum doni spiritus sancti.

(a) Ambros. in Ephes. IV, 11.

(b) August. quæst. in vet. & nou. testam. quæst. CI.

*qua, & tandem ſignabis* [c] *vnguento.* Vbi non tantum vnctionem, quæ baptiſmum anteceſſit, ſed eam quoque, quæ illum conſequuta eſt, quæ erat vnctio confirmationis, presbytero æque ac epiſcopo demandari videmus: quod ad minimum de iſtius adminiſtratione abſente epiſcopo intelligendum eſt; vel hoc præſente, ſi illi hoc negotium ſpecialiter eſſet datum. Vt adeo, quod ad hanc primam confirmationis cærimoniam, vnctionem chriſmatis, attinet, praxis diuerſarum eccleſiarum in ea valde variarit. Non nullæ eccleſiæ, vt *Romana*, hoc officium inter epiſcopos & presbyteros partiebantur: aliæ, vt *Gallicana*, illud vniuerſum presbyteris committebant, epiſcopo ſolam vnguenti conſecrationem & manuum impoſitionem in confirmatione reſeruantes: aliæ, vti *Orientales*, non tantum chriſmatis conſecrationem, ſed eius etiam vſum epiſcopo, ſi ipſe præſens eſſet, & in omnibus caſibus ordinariis reſeruabant; ipſo ſolum abſente vel in iſtiusmodi caſibus extraordinariis presbyteris iſtam cærimoniam peragere permittentes.

## §. III.

### *Altera cærimonia imponendi manus epiſcoporum officio ſtrictius reſeruata.*

QVOD ad alteram cærimoniam impoſitionis manuum in confirmatione attinet, eam officio epiſcoporum ſtrictius reſervatam deprehendimus; non tamen ita abſolute & in ſolidum, quin canones presbyteris auctoritatem impertierint, eam certis in caſibus, cum obſequii epiſcopo ſuo debiti teſtificatione, peragendi. CYPRIANVM [d] de hoc tamquam ordinario epiſcopi ſiue præpoſiti eccleſiæ officio loqui certum eſt. Mentionem enim faciens impoſitionis manuum, quam baptizatis a *Philippo Petrus* & *Ioannes* apoſtoli contulerant Act. VIII, 14. ait: *Quod nunc quoque apud nos geritur, vt, qui in eccleſia baptizantur, præpoſitis eccleſiæ offerantur, & per noſtram orationem ac manus impoſitionem ſpiritum ſanctum conſequantur, & ſignaculo domini conſummentur.* Simili-

(c) Conſtit. lib. VII. c. XXII. *ὦ ἐπίσκοπε ἢ πρεσβύτερε, -- πρῶτον χρίσεις ἐλαίῳ ἁγίῳ, ἔπειτα βαπτίσεις ὕδατι, καὶ τελευταῖον σφραγίσεις μύρῳ.*

(d) Cyprian. epiſt. LXXIII. ad Iubaian. p. 202. (p. 308. edit. Amſtelod. MDCC.)

militer FIRMILIANVS [*e*] episcopus *Cæsareæ* in *Cappadocia*, qui eodem tempore, quo *Cyprianus*, vixit, episcopos ordinarios huius officii ministros facit, quando comparationem instituit inter *Paulum* manus imponentem illis, qui *Ephesi* baptizati erant Act. XIX. & episcopos, manus imponentes eis, qui ab hæresi vel schismate ad ecclesiæ catholicæ vnitatem veniebant. Ita quoque auctor anonymus [*f*], qui de baptismo scripsit hæreticorum, ad calcem operum CYPRIANI, manus impositionem episcoporum officio adsignat, ad imitationem apostolorum, manus imponentium illis, qui a *Philippo* diacono Act. VIII, 14. erant baptizati. Et alio loco [*g*], si episcopi præsentes sint, eos vna cum baptismo manus impositionem dare; si quis vero ab inferiore clero per necessitatem baptizatus sit, ab episcopis hoc postmodum suppleri debere, aut a domino supplendum reservari, dicit. Concilium *Illiberritanum* non multo post duos canones hanc in rem condidit. Horum alter ita habet [*h*]: *Peregre navigantes, aut si ecclesia in proximo non fuerit, posse fidelem, qui lauacrum suum integrum habet, nec sit bigamus, baptizare in necessitate infirmitatis positum catechumenum: Ita, vt si superuixerit, ad episcopum eum perducat, vt per manus impositionem perficere possit.* Alter canon sic præcipit: *Si quis diaconus regens plebem* [*i*] *sine episcopo vel presbytero aliquos baptizauerit, episcopus eos per benedictionem perficere debebit.*

(*e*) Firmil. epist. LXXV. ap. Cyprian. p. 221. (p. 322. edit. Amstel.) Nisi si his episcopis, de quibus nunc, minor fuit Paulus; vt hi quidem possint per solam manus impositionem venientibus hæreticis dare spiritum sanctum; Paulus autem idoneus non fuerit, qui ab Ioanne baptizatis spiritum sanctum per manus impositionem daret, nisi eos prius etiam ecclesiæ baptismo baptizasset.

(*f*) Anonym. de bapt. hæretic. ap. Cypr. p. 23. in appendice (p. 21. b. cit. edit.) per manus impositionem episcopi datur vnicuique credenti spiritus sanctus, sicut apostoli circa Samaritanos post Philippi baptisma manum ei imponendo fecerint.

(*g*) Id. p. 26. (p. 24. b.) Et ideo quum salus nostra in baptismate spiritus, quod plerumque cum baptismate aquæ coniunctum, sit constituta, si quidem per nos baptisma tradetur, integre & solemniter & per omnia, quæ scripta sunt, adsignetur, atque sine vlla vllius rei separatione tradatur: Aut si a minore clero per necessitatem traditum fuerit, euentum exspectemus, vt aut suppleatur a nobis, aut a domino supplendum reseruetur.

(*h*) Concil. Illiberrit. can. XXXVIII. (tom. I. concil. p. 974.)

(*i*) Ibid. can. LXXVII.

*Quod si autem de sæculo recesserint, sub fide, qua quis crediderit, poterit esse iustus.* Iam antea HIERONYMVM [*k*] audiuimus hac de re, tamquam de vniuersali ecclesiæ consuetudine, loquentem, vt ad eos, qui longe in minoribus vrbibus per presbyteros & diaconos baptizati sint, episcopi ad inuocationem sancti spiritus manum impositurі excurrerint. Quorum nonnulli ante dormierint, quam ab episcopis inuiserentur. Quod indicat non tantum, quod hoc ordinarium episcopi officium fuerit, sed etiam, quod presbyteri & diaconi impositionem manus in ipsis eiusmodi necessitatis casibus haud administrauerint; alioquin illi, quibus illa deerat, sine ea non obiissent. Hæc manifesto erat ecclesiæ *Romanæ* consuetudo, in qua licet officium vnctionis ex parte presbyteris esset commissum, consignatio tamen in fronte cum impositione manuum episcopo, tamquam peculiare eius officium in confirmatione, erat reseruata: quemadmodum ex INNOCENTII [*l*], GELASII [*m*] & GREGORII MAGNI [*n*] pontificum epistolis, quas antecedente §. iam adlegauimus, videre est. Quibus testimonium addere possumus CORNELII, qui ante istos omnes tempore CYPRIANI vixit, vti ab EVSEBIO memoriæ proditum est. Hic de *Nouatiano* loquens [*o*], qui baptismum clinicorum tantum acceperat lecto adfixus, dicit, quod quum ex morbo conualuisset, numquam ea receperit, quæ per leges ecclesiæ recipere eum oportuisset, nimirum consignationem per manus impositionem episcoporum, cetera. Præterea omnia ista testimonia, quæ hæreticos, ad ecclesiam redeuntes, manus impositionem ad consequendum donum spiritus sancti, ab episcopo suscipere debuisse, docent, itidem hanc consuetudinem comprobant. Quam in rem decreta habemus LEONIS [*p*] & SIRICII [*q*], quorum hic specia-

(*k*) Hieronym. dial. contr. Lucifer. c. IV. Vid. cap. I. §. I. litt. (a) pag. 344. 345

(*l*) Innocent. epist. I. ad Decent. c. III. vid. §. II. litt. (k) pag. 358.

(*m*) Gelas. epist. IX. ad episcop. Lucan. c. VI. vid. §. II. litt. (m) ibid.

(*n*) Gregor. lib. III. epist. IX. ibid. litt. (p) pag. 359.

(*o*) Euseb. lib. VI. c. XLIII. οὐδὲ τῶν λοιπῶν ἔτυχε, διαφυγὼν τὴν νόσον, ὧν χρὴ μεταλαμβάνειν κατὰ τὸν τῆς ἐκκλησίας κανόνα, τοῦ τε σφραγισθῆναι ὑπὸ τοῦ ἐπισκόπου.

(*p*) Leo epist. XXXVII. ad Leonem Rauen. c. II. Si ab hæreticis baptizatum quempiam sui se constiterit, - - hoc tantum quod ibi defuit, conferatur, vt per episcopalem manus impositionem virtutem sancti spiritus consequatur.

(*q*) Siric. ep. I. ad Himer. c. I. Arianos nos cum Nouatianis - per inuocationem

tim obseruat, fuisse hanc vniuersalem orientalis & occidentalis iuxta ac *Romanæ* ecclesiæ in recipiendis illis, qui in hæresi vel schismate baptizati essent, consuetudinem. Et quod ad homines quoscumque in ecclesia baptizatos attinet, AVGVSTINVS idem quoque testatur, qui proprie loquendo nec apostolorum quemdam, nec vllum alium, sed solum *CHRISTVM* tamquam Deum, spiritum sanctum dedisse, adfirmat. *Neque enim* [r], inquit, *aliquis discipulorum eius* (Christi) *dedit, spiritum sanctum. Orabant quippe, vt veniret in eos, quibus manum imponebant, non ipsi eum dabant. Quem morem in suis præpositis etiam nunc seruat ecclesia.* Similem in modum AMBROSIVS [s] loquitur: *Sequitur spirituale signaculum -- quia post fontem superest, vt perfectio fiat, quando ad inuocationem sacerdotis* (hoc est, episcopi, secundum eius loquendi modum) *spiritus sanctus infunditur.* Ex quibus testimoniis omnibus sole meridiano clarius est, quod episcopus in omnibus casibus ordinariis vnus solus huius partis confirmationis, quæ impositione manuum & precibus, ad impetrandum spiritus sancti donum, absoluebatur, legitimus minister constitutus fuerit.

§. IV.

*In quibusdam tamen specialibus casibus presbyteri, accepto mandato, eam administrare poterant.* Primo *quidem, si episcopi a presbyteris suis postularent, vti hoc illis facerent, qui in ecclesia essent baptizati.*

ERANT tamen speciales quidam & extraordinarii casus, in quibus aliquæ ecclesiæ, si non omnes, presbyteris per canones veniam dabant, vt hanc quoque confirmationis partem administrarent. Verbi gratia, si episcopi vel præsentes, vel absentes presbytero cuidam negotium darent, vt id facerent. Hoc ipsum non erat iniectio manus in auctoritatem episcopi, nec priuilegiorum & potestatis eius diminutio, quia, quod hoc modo fiebat, saluo obsequio illi debito & ex ipsius mandato fiebat. Hanc veniam nonnumquam presbyteris, ipso episcopo præsente, datam legimus; quemadmodum ex canone illo

solam septiformis spiritus, episcopalis manus impositione catholicorum conuentui sociamus. Quod etiam totus Oriens Occidensque custodit.

(r) Aug. de trinit. lib. XV. c. XXVI.

(s) Ambros. de sacram. lib. III. c. II.

apud MARTINVM episcopum *Bracarensem* in collectione canonum ecclesiæ *Græcæ* patet [*t*]. *Presbyter, præsente episcopo, non signat infantes, nisi forte ab episcopo fuerit illi præceptum.* Heic tria clare indicantur: 1) Quod hæc consignatio, siue impositio manus, cum signo crucis & precibus ordinarium solius episcopi officium fuerit. 2.) Quod hic presbyteris speciatim hoc officum eis delegando auctoritatem id, se etiam præsente, faciendi impertire potuerit. 3) Quod ipso absente, ex generali quadam constitutione id potius faciendi habuerint potestatem, quam vt infantes vel alios quoscumque baptizatos sine confirmatione mori sinerent. Quod cum eo optime concordat, quod §. vltimo de consuetudine, *Alexandriæ* & in *Aegypto* obtinente, diximus, licet in ecclesiis occidentalibus secus id esset, vti ex iis constat, quæ ex INNOCENTIO [*u*] & HIERONYMO [*w*] iam adlegauimus, qui presbyteris, nec præsente nec absente episcopo, id facere licitum fuisse dicunt, adeo, vt multos sine confirmatione siue impositione manuum mori oportuerit, quia episcopus ad hanc eis dandam non satis cito aduolarit.

## §. V.

Secundo, *Presbyteri energumenis dare eam poterant.*

SED VERO in occidentalibus etiam ecclesiis speciales quidam casus erant, in quibus hæc consignatio a presbyteris peragi permittebatur. Quin immo in vno casu a diaconis etiam. Istiusmodi decretum de energumenis, seu hominibus ab immundis spiritibus post baptismum agitatis, INNOCENTIVS pontifex in eadem epistola ad *Decentium*, in qua presbyteros a consignatione in omnibus casibus ordinariis excludit, facit, quod mandante episcopo presbyter aliquis vel diaconus eos consignare possit. *De his baptizatis*, inquit, [*x*], *qui postea a dæmonio, aut vitio aliquo, aut peccato interueniente, arripiuntur, quæsiuit dilectio tua, si a presbytero vel diacono possint aut debeant consignari: Quod hoc, nisi episcopus concesserit, non licet; Nam eis manus imponenda non est, nisi episcopus auctoritatem dederit id faciendi. Vt autem fiat, episcopi est imperare, vt manus eis vel a presbytero, vel a ceteris clericis imponatur. Nam*

(*t*) Martin. Bracar. collect. canon. c. LII.
(*u*) Innocent. epist. I. ad Decent. c. III. vid. supr. litt. (l) & §. II. litt. (k) p. 358.
(*w*) Hieron. contr. Lucifer. c. IV. vid. litt. (k) et c. I. §. I. litt. (a) p. 344-345.
(*x*) Innoc. epist. I. ad Decent. c. VI.

*quomo-*

*quomodo id fieri ſine magno labore poterit, vt longe conſtitutus energumenus ad epiſcopum deducatur, quum, ſi talis caſus ei in itinere acciderit, nec perferri ad epiſcopum, nec referri ad ſua facile poſſit?*

§. VI.

Tertio, *Et illis, qui in hæreſi vel ſchiſmate baptizati fuerant, ſi in vitæ eſſent diſcrimine.*

Alivs quidam caſus extraordinarius, in quo officium imponendi manus presbyteris committebatur, erat, ſi quis ab hæreticis vel ſchiſmaticis baptizatus, in regreſſu ab hæreſi vel ſchiſmate ad eccleſiam in grauem morbum incidiſſet, & periculum eſſet, ne diem ſuum obiret ante, quam ad epiſcopum adduci, vel epiſcopus ad manus ei imponendum, gratiamque ſpiritus, quam in hæreſi vel ſchiſmate habere non potuerat, conferendam accurrere poſſet. Rebus ſic ſe habentibus, ne iſtiusmodi homo ſine hoc officio decederet, presbyteris negotium datum erat, hoc ei adminiſtrandi. Hoc diſertis verbis in concilio *Arauſicano* primo [y] conceditur, ſic decernente: *Hæreticos in mortis diſcrimine poſitos, ſi catholici eſſe deſiderent, ſi deſit epiſcopus, a presbyteris cum chriſmate & benedictione conſignari placet.* Simile decretum in concilio *Epaunenſi* [z] habetur: *Presbyteros propter ſalutem animarum, quam in cunctis optamus deſperatis, & in lecto recumbentibus hæreticis, ſi conuerſionem ſubitam petant, chriſmate ſubuenire permittimus. Quod etiam omnes conuertendi, ſi ſani ſunt, ab epiſcopo nouerint expetendum.* Vbi obſeruare licet, quod chriſmatio, de qua heic ſermo eſt, non fuerit ea chriſmatio, quam presbyteri in eccleſia occidentali peragere poterant, ſed illa, quæ manuum impoſitioni iuncta, & epiſcopo peculiariter reſeruata erat, extremæ neceſſitatis caſibus exceptis, vbi presbytero eam potius adminiſtrare licebat, quam vt hæreticus conuerſus ſine illa vitam cum morte commutaret. Cuius conceſſionis ratio erat, quod hæretici, extra eccleſiam baptizati, gratiæ ſpiritus expertes eſſe credebantur, donec eam per manus impoſitionem in eccleſia catholica conſequerentur. Qua de cauſſa omnes hæretici, tam hi, apud quos in baptiſmi celebratione manus impoſitio in

(y) Concil. Arauſican. I. can. II.

(z) Concil. Epaunenſ. c. LXXXVI. Vid. pontifical. Damaſi vit. Syluestri p. 229. ap. Crab. tom. I. (tom. I. conc. Labb. p. 1408. c.) Priuilegium epiſcopis contulit, vt baptizatum conſignent.

vſu erat, quam illi, qui eam negligebant, nouam benedictionem recipiebant, ad eccleſiæ vnitatem reuerſi, quemadmodum ex AVGVSTINO [a], OPTATO [b] & ALCIMO AVITO [c] alio loco [d] demonſtravimus.

# *LIBRI DVODECIMI*
## *CAPVT TERTIVM*
## DE MODO ADMINISTRANDI CONFIRMATIONEM, ET DE CAERIMONIIS IN CELEBRATIONE EIVS OBSERVATIS.

### §. I.
*Prima confirmationis cærimonia, vnctio erat chriſmatis.*

CONSIDERATIS hactenus perſonis, quibus confirmatio data, & per quas data fuit, nunc proxime formam & modum adminiſtrandi eam, par eſt, ſpectemus. Vbi quatuor diſtinctæ cærimoniæ præter chriſmatis conſecrationem obſeruandæ ſunt, nimirum *vnctio*, *ſignum crucis*, *impoſitio manuum* & *precatio*. Vnctio plerumque prima erat ordine, quemadmodum ex illis TERTVLLIANI [a] verbis diſcimus: *Exinde egreſſi de lauacro perunguimur benedicta vnctione. - - Dehinc manus imponitur, per benedictionem aduocans & inuitans ſpiritum ſanctum.*

### §. II.
*Origo huius vnctionis.*

DE prima huius vnctionis origine in eccleſia non ſatis

(a) Auguſt. de bapt. lib. III. c. XVI. Spiritus ſanctus quia in ſola catholica per manus impoſitionem dari dicitur, nimirum hoc intelligi maiores noſtri voluerunt, quod apoſtolus ait, Quoniam caritas Dei effuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum, qui datus eſt nobis, cetera.

(b) Optat. lib. VII. p. 109. Par. MDCXXXI.

(c) Auit. epiſt. XXIV. ad Stephanum tom. IX. bibl. patr. Lugdun. MDCLXXVII. p. 574.) Quocirca Donatiſtarum nomen, ne diu in loco viuere poſſit alieno, benedictione protinus ſepelite vitali. In ipſo fomitis ſui ortu peregrinantis igniculi frigeſcat incendium. De quo ne vel famæ fumus narem Galliæ innocentis adſpergat, *manus impoſitionem perſonæ*, de qua ſcribitis, *adhibete*, interdicta nominis ipſius in poſterum, ſi ex corde conuertitur, mentione. cetera.

(d) Vid. Scholaſt. *Hiſt. of Lay-Baptiſm*, Part. I. p. 86.

(a) Tertull. de bapt. c. VII. & VIII.

constat,

conſtat, nec eruditorum virorum concordant ſententiæ. Qui nouiſſime ſub ficto PETRI AVRELII nomine ſcripſit, auctor famoſus in libro ſuo, qui inſcribitur *orthodoxus*, contra SIRMONDVM, operæ plurimum ſtudiique conſumſit, vt apoſtolicam praxin eſſe probaret. HABERTVS [*b*] autem id rationem fugere, & AVRELIVM præfracte illud contra ſummos theologorum perſuadere niti, obſeruat. Et ESTIVS communiorem ſententiam eſſe [*c*] dicit, apoſtolos initio ſuæ prædicationis non vſos fuiſſe chriſmate in adminiſtratione huius, (quod ille vocat) ſacramenti. Vt adeo, quod pontificii hodie materiam noui ſui ſacramenti faciunt, nullum in ſcriptura fundamentum habere noſcatur. PEARSONIVS [*d*] vſum eius paullo poſt apoſtolorum ætatem in eccleſiam introductum eſſe putat. BASNAGIVS [*e*] & DALLAEVS [*f*] non niſi ſæculo tertio id factum eſſe exiſtimant, vbi primum ab ORIGENE [*g*] & TERTVLLIANO eius facta ſit mentio. Nonnulli quidem auctorem vtroque antiquiorem adlegant, THOPHILVM videlicet *Antiochenum* [*h*], qui, *Ideo*, inquit, *chriſtiani appellamur*, *quod diuino oleo perfundimur*: Verum vnctio, de qua ille loquitur, ſpiritualis eſt & myſtica vnctio; talis, qua aër, & omnis, quæ ſub cælo eſt terra, inungi ipſi dicitur, videlicet vnctio luminis & ſpiritus diuini. Vt adeo, quum nullus ante TERTVLLIANVM auctor exſiſtat, cui hæc materialis vnctio memoretur, proba-

(*b*) Habert. archierat. p. 702. Quod diuinare quidem nos volunt, apoſtolos in libro Praxapoſtol. confirmaſſe cum chriſmate, id rationem fugit. Præfracte id contra ſummos theologorum perſuadere nititur Petrus Aurelius in orthodoxo contra Sirmondum.

(*c*) Eſtius in ſentent. lib. IV. diſtinct. VII. §. VII. Communior ſententia eſt, apoſtolos, cet. vt in textu.

(*d*) Pearſon. lect. in act. V. n. VI. p. 69.

(*e*) Baſnag. critic. in Baron. p. 76. Nullus in conſignandis fidelibus chriſmatis vſus ante tertium æræ chriſtianæ ſæculum. Atque res apparet ex Tertulliano, qui chriſma in poſterorum proſpectum primus produxit.

(*f*) Dall. de confirmat. lib. II. c. II. p. 116. 117. 118.

(*g*) Origen. in Leuit. hom. IX. p. 156. edit. Baſil. (p. 97. e. edit. Pariſ. MDCIV.) Omnes, quicumque vnguento ſacri chriſmatis delibuti ſunt, ſacerdotes effecti ſunt, ſicut & Petrus ad omnem dicit eccleſiam, Vos genus electum & regale ſacerdotium.

(*h*) Theoph. ad Autolycum lib. I. bibl. patr. græc. lat. tom. I. p. 110. καλούμεθα χριστιανοὶ, ὅτι χριόμεθα ἐλαίῳ Θεοῦ.

bilissimum sit, hanc cærimoniam ipsius ætate, ad spiritus sancti vnctionem repræsentandam, primum occepisse.

### §. III.

*Forma & modus eam administrandi, vna cum illius effectibus.*

QVANDO autem semel admissum fuit chrisma, vulgo vt symbolum, & interdum vt caussa instrumentalis magnorum effectuum prædicari cœpit. Consecratio eius mysticam mutationem naturæ illius adferre credebatur, mutationi in aquis baptismi & panis ac vini in eucharistia conuenientem, quarum aliam cum alia comparat CYRILLVS HIEROSOLYMITANVS [i]. Hæc vnctio erat, tamquam complementum baptismi, cui potestatem tribuebant faciendi christianum quemque sensu quodam sacerdotii regalis participem. Quod non ab ORIGENE tantum loco iam memorato, sed a LEONE pontifice [k] etiam, HIERONYMO [l] aliisque pluribus [m] adfirmatur. Semper

---

(*i*) Cyrill. catech. mystag. III. n. III. *Ὅρα μὴ ὑπονοήσῃς ἐκεῖνο τὸ μύρον ψιλὸν εἶναι· ὥσπερ γὰρ ὁ ἄρτος τῆς εὐχαριστίας, μετὰ τὴν ἐπίκλησιν τοῦ ἁγίου πνεύματος, οὐκ ἔτι ἄρτος λιτὸς, ἀλλὰ σῶμα χριστοῦ· οὕτω καὶ τὸ ἅγιον τοῦτο μύρον οὐκ ἔτι ψιλὸν, οὐδ' ὡς ἂν εἴποι τις κοινὸν μετ' ἐπίκλησιν, ἀλλὰ χριστοῦ χάρισμα, καὶ πνεύματος τοῦ ἁγίου παρουσίᾳ τῆς αὐτοῦ θεότητος ἐνεργητικὸν γινόμενον.* Quemadmodum enim panis eucharistiæ post sancti spiritus inuocationem non amplius est panis communis, sed est corpus Christi: sic & sanctum hoc vnguentum, non amplius est vnguentum nudum, neque vt ita dicam commune, postquam iam consecratum est: sed est charisma, quod Christi & spiritus sancti, id est diuinitatis eius præsentiam efficit.

(*k*) Leo serm. III. de adsumtione sua p. 3. (bibliothec. patr. tom. VII. p. 983. f. edit. Lugdun.) Omnes in Christo regeneratos, crucis signum efficit reges, sancti vero spiritus *vnctio consecrat sacerdotes.*

(*l*) Hieron. contr. Lucifer. c. II. Deponat sacerdotium laici, id est, baptisma: & ego do veniam pœnitenti. Scriptum est enim, *quippe nos & sacerdotes Deo & patri suo fecit.* Et iterum: *Gentem sanctam, regale sacerdotium, populum acquisitum.*

(*m*) Prosp. sent. ex Augustino n. CCCXLII. De chrismate: Christi nomen a chrismate est, id est, ab vnctione. Quia ideo omnis christianus sanctificatur, vt intelligat, se non solum sacerdotalis & regiæ dignitatis esse consortem, sed etiam contra diabolum fieri luctatorem.

Ambros. de initiatis c. VI. Quantæ hodie renouatæ animæ dilexerunt te domine Iesu, dicentes: *Attrahe nos post te, in odorem vnguentorum tuorum* currimus, *vt odorem resurrectionis haurirent?* Quare hoc fiat, intellige, quia oculi sapientis in capite eius. Ideo in barbam defluit, id est, in gratiam iuuentutis. Ideo in barbam Aaron, vt fias electum genus, sacerdota-

ci

ei egregios effectus confirmandi animam omnis spiritualis gratiæ robore ex parte Dei, nec non confirmationem factæ professionis & fœderis ex parte hominum, adsignabant. *Constitutionum* auctori vnguentum ex parte hominum vocatur βεβαίωσις τῆς ὁμολογίας & σφραγὶς τῶν συνθηκῶν, *confirmatio* [n] *confessionis* & *sigillum pactionum* cum Deo in baptismo factarum; ex parte Dei collatio spiritus sancti, per hanc vngendi cærimoniam repræsentata. Cuius tam frequens in *Græcis* auctoribus, qui hac de re scripserunt, habetur mentio, vt lectorem ad eos remittere superuacaneum sit. Sufficerit, formulas precationum hac occasione adhibitarum innuere, istæ enim satis docebunt, quosnam spirituales effectus ab hac vnctione expectauerint. Duas autem habemus formulas, quæ ad nos peruenerunt, breuiorem & longiorem, alteram disertam precationem, implicitam alteram. Breuior formula his verbis expressa est: σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου, *signaculum doni spiritus sancti*, vti in concilio primo *Constantinopolitano* [o] legitur, vbi illi, qui ab hæreticis baptizati fuerant, in vnctione chrismatis hac verborum formula confirmari iubentur. Atque sic iterum in concilio *Trullano* [p] & scriptoribus quibusdam priuatis [q]. Vt nunc ne memorem, esse hanc formulam, quæ in *euchologio* præsentis ecclesiæ *Græcæ* adhibetur. Præter hanc breuiorem autem formulam, (quæ implicita tantum precatio erat, quasi dixissent: Iubeas

le, pretiosum. Omnes enim *in regnum Dei & in sacerdotium vngimur* gratia spiritali.
Augustin. serm. III. post XL. a Sirmondo edit. in append. tom. X. p. 847.

(n) Constit. apostol. lib. III. c. XVII. Τὸ μύρον, βεβαίωσις τῆς ὁμολογίας. Lib. VII. c. XXII. τὸ μύρον σφραγὶς τῶν συνθηκῶν.

(o) Concil. Constant. I. c. VII. vid. c. II. §. II. sub litt. (z) pag. 360. 361.

(p) Concil. Trullan. c. XCV. (tom. VI. concil. p. 1182.) Τοὺς προστιθεμένους τῇ ὀρθοδοξίᾳ καὶ τῇ μερίδι τῶν σωζομένων ἀπὸ αἱρετικῶν δεχόμεθα - - καὶ σφραγίζοντες αὐτοὺς λέγομεν: σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου. Eos, qui ex hæreticis ad rectam fidem accedunt, & partem eorum, qui saluantur, recipimus - consignantes autem dicimus: *Signaculum doni spiritus sancti.*

(q) Asterius Amasen. de filio prodigo ap. Photium cod. CCLXXI. p. 1499. ὡς ἐν τῇ διὰ τοῦ βαπτίσματος παλιγγενεσίᾳ καὶ στολὴ καὶ σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου· οὕτω καὶ ἐν τῇ διὰ τῆς μετανοίας ἀναγεννήσει. Vt in regeneratione per baptismum stola & *signaculum doni spiritus sancti datur*, sic & in regeneratione per pœnitentiam.

hanc vnctionem ei esse signaculum doni spiritus sancti) longiores quoque habebant, quae expressae precationes erant, quarum vna in auctore *constitutionum apostolicarum* exstat sub titulo εὐχαριστίας περὶ τοῦ μυστικοῦ μύρου, *actionis gratiarum de mystico vnguento*, vbi episcopus baptizatum vnguento illinere iubetur, ac dicere [r]: *Domine Deus, qui ingenitus es, & dominum non habes, ipse omnium dominus, qui odorem cognitionis euangelii in omnibus gentibus suauem praebuisti: tu & nunc praesta, vt hoc vnguentum efficax fiat in baptizato; quo firma & stabilis maneat in ipso fragrantia Christi tui, cui ipse commortuus, consuscitetur & viuat.* Haec vnctio in ecclesia *Graeca* non tantum in fronte, sed diuersis etiam aliis corporis partibus, vno eodemque tempore ab episcopo perficiebatur; *Latini* autem hoc officium in quibusdam locis inter episcopum & presbyteros diuidebant, vti antea obseruauimus. Verum siue coniunctim, siue diuisim daretur, vniuersa confirmationis vnctio habebatur. Quod ipsum ex canone concilii *Barcinonensis* patet, qui de presbyteris, chrisma consecratum quod ipsi adhibere debebant, ab episcopis suis recipientibus, loquens, disertis verbis [s] dicit, quod hoc pro neophytis seu recens baptizatis detur. Quod manifesto demonstrat, eam partem caerimoniae vnctionis, quae presbyteris commissa fuit, in partibus confirmationis fuisse positam. Et in tantum presbyteris in obsequio erga episcopum suum agentibus, committi poterat, in quantum cuiusque ecclesiae regulae id fieri permittebant. Haec enim pars confirmationis quum esset merae ecclesiasticae institutionis, in ecclesiae situm erat potestate, regulas in omnibus rebus, ad eam pertinentibus, praescribere, quo modo & per quas personas eam peractam vellet. Quae vera ratio tantae varietatis est, quam in administranda hac prima confirmationis parte in diuersis ecclesiis obseruauimus.

(r) Constitut. apost. lib. VII. c. XLIV. Κύριε, ὁ Θεὸς ὁ ἀγέννητος καὶ ἀδέσποτος, ὁ τῶν ὅλων κύριος, ὁ τὴν ὀσμὴν τῆς γνώσεως τοῦ εὐαγγελίου ἐν πᾶσι τοῖς ἔθνεσιν εὔοσμον παρασχόμενος· σὺ καὶ νῦν τοῦτο τὸ μύρον δὸς ἐνεργὲς γενέσθαι ἐπὶ τῷ βαπτιζομένῳ, ὥστε βέβαιον καὶ πάγιον ἐν αὐτῷ τὴν εὐωδίαν μεῖναι τοῦ χριστοῦ σου, καὶ συναποθανόντα αὐτὸν συναναστῆναι καὶ συζῆσαι αὐτῷ.

(s) Conc. Barcinon. c. II. statutum est, vt quum *chrisma* presbyteris dioecesanis *pro neophytis confirmandis datur*, nihil pro liquoris pretio accipiatur &c.

§. IV.

## §. IV.

*Secunda cærimonia confirmationis, signum crucis.*

Hvic vnctioni signum crucis iungere solebant. Nam hanc cærimoniam quauis occasione adhibebant, neque adeo in hoc solemni confirmationis actu eam volebant neglectam. Huius rei multa documenta habemus in TERTVLLIANO, LEONE papa & aliis, quæ quum iam supra [t], loquentes de vsu signi crucis in baptismo, recitauimus, heic non repetimus; sed addimus tantum, quod vocabulum consignationis, a *Latinis* scriptoribus ad denotandam confirmationem [u] tam frequenter adhibitum, ab hac consuetudine signandi signo crucis, quando hominibus recens baptizatis vnctionem dabant, originem suam traxisse videatur. Et hoc quodam modo respondet *Græco* vocabulo σφραγὶς, quod sæpius, etsi non semper, signum crucis, in baptismo, vel confirmatione, vel alio quocumque religionis officio vsurpatum, denotat; qua de re heic nihil attinet dicere copiosius.

## §. V.

*Tertia & notissima cærimonia, impositio manuum. Et quarta, precatio ei simul iuncta.*

Notissima cærimonia in vniuerso hoc negotio, & quæ omnium maxime inualuit, manuum erat impositio, cærimonia in omnis generis benedictionibus vsitata, peculiarius autem ordinationi, reconciliationi pœnitentium & confirmationi adhibita. *Latini* scriptores plerumque de confirmatione sub hoc nomine loquuntur. Nonnulli vero eam apud *Græcos* in vsu non fuisse existimant, quos chrismate tantum, non vero manuum impositione, in confirmatione vsos esse dicunt. Verum magnopere falluntur opinione. Nam *constitutionum* auctor [x] in eodem capite, in quo precationem de vnguento mystico recitat, statim subiungit: *Hæc est potestas impositionis manuum vnicui-*

(t) Lib. XI. c. IX. §. VI. pag. 312.

(u) Innocent. epist. I. ad Decent. c. III. De *consignandis* infantibus, manifestum est, non ab alio quam ab episcopo fieri licere.
Martin. Bracar. can. LII. Presbyter non *signet* infantes, nisi forte ab episcopo fuerit illi praeceptum.

(x) Constit. apost. lib. VII. c. XLIV. ἑκάστῳ γὰρ ἡ δύναμις τῆς χειροθεσίας· ἐὰν γὰρ

 que

*quæ facta ; nisi enim in vnumquemque eorum talis quæpiam inuocatio a pio sacerdote adhibeatur ; qui baptizatur, in aquam tantum descendit, vt Iudæi, & corporis tantum sordes, non autem animæ deponit.* Quare, etsi hæc impositio manuum non adeo frequenter scriptoribus *Græcis* memoratur, semper tamen intelligenda est, vti chrisma in *Latinis* scriptoribus, vbi impositionis manuum tantum fit mentio.

## §. VI.

### *Huius impositionis manuum origo.*

Caerimoniae huius antiquitas ab omnibus vetustis scriptoribus ad apostolorum refertur ætatem, eorumque exemplo ac praxi fundatur. Tria loca in sacris scripturis reperiuntur, vnde generatim eam deriuant. Act. VIII, 17. vbi *Petrus* ac *Ioannes* apostoli manus imposuisse dicuntur iis, quos baptizasset *Philippus*. Act. XIX, 6. vbi Paulus manus imponebat illis, qui in baptismum *Ioannis* baptizati fuerant. Et Ebr. VI, 2. vbi impositio manuum inter prima religionis christianæ rudimenta refertur. CYPRIANVS eam ex praxi deducit apostolorum [y], manus imponentium iis, quos *Philippus* baptismo donarat. *Quia*, inquiens, *legitimum & ecclesiasticum baptisma consequuti fuerant, baptizari eos vltra non oportebat : sed tantummodo quod deerat, id a Petro & Ioanne factum est, vt oratione pro eis habita, & manu imposita inuocaretur & infunderetur super eos spiritus sanctus. Quod nunc quoque apud nos geritur, vt qui in ecclesia baptizantur, præpositis ecclesiæ offerantur, vt per nostram orationem & manus impositionem spiritum sanctum consequantur.* Et aliis in locis [z] generatim ad apostolicam institutionem & praxin eam refert. Auctor anonymus

μὴ εἰς ἕκαστον τούτων ἐπίκλησις γίνηται παρὰ τοῦ εὐσεβοῦς ἱερέως τοιαύτη τις, εἰς ὕδωρ μόνον καταβαίνει ὁ βαπτιζόμενος, ὡς Ἰουδαῖοι, καὶ ἀποτίθεται μόνον τὸν ῥύπον τοῦ σώματος, οὐ τὸν ῥύπον τῆς ψυχῆς.

(y) Cypr. epist. LXXIII. ad Iubaian. p. 202. (p. 308. edit. Fell. Amstelod. MDCC.)

(z) Cypr. epist. LXXII. ad Stephan. p. 196. (p. 305. cit. edit.) De eo me maxime tibi scribendum & cum tua grauitate ac sapientia conferendum fuit, quod magis pertineat, & ad sacerdotalem auctoritatem & ad ecclesiæ catholicæ vnitatem pariter ac dignitatem, de diuinæ dispositionis ordinatione venientem, eos, qui sint foris extra ecclesiam tincti, & apud hæreticos & schismaticos profanæ aquæ labe maculati, quando ad nos atque ad ecclesiam, quæ vna est, venerint, baptizari oportere; & eo quod parum sit eis manum imponere ad accipiendum spiritum sanctum, nisi & accipi-

libri

libri *de baptismo hæreticorum*, ad calcem CYPRIANI [*a*], similiter ab eodem exemplo apostolorum manus imponentium *Samaritanis*, quos *Philippus* baptizauerat, deducit. FIRMILIANVS [*b*] impositionem manus episcopalem ad inuocandum spiritum sanctum comparat cum impositione manus *Pauli* super eos, quos *Ephesi* baptizauerat. HIERONYMVS, contra *Luciferianos* disputans, hanc consuetudinem [*c*] ex actibus apostolorum deriuat, tametsi solam traditionem ecclesiæ ad eiusmodi praxin comprobandam sufficere credat. *An nescis*, inquit, *& iam ecclesiarum hunc esse morem, vt baptizatis postea manus imponatur, & ita inuocetur spiritus sanctus? Exigis, vbi scriptum sit? In actis apostolorum. Etiamsi scripturæ auctoritas non subesset, totius orbis in hac parte consensus instar præcepti obtinet. Nam & multa alia, quæ per traditionem in ecclesiis obseruantur, auctoritatem sibi scriptæ legis vsurpauerunt; velut in lavacro ter caput mergitare; deinde egressos lactis & mellis prægustare concordiam ad infantiæ significationem.* AVGVSTINVS [*d*] similiter hunc morem ab apostolis ad præpositos ecclesiæ descendisse adfirmat, qui orabant, vt veniret spiritus sanctus in eos, quibus manus imponebant. Et quia opponi poterat, quod praxis apostolica plane diuersum finem sibi propositum habuerit, nimirum vt donum spiritus plenum miraculis hominibus conferret, cuius beneficio nouis linguis loqui possent: semel atque iterum huic obiectioni respondere studet, & ostendit, quod non obstante tali differentia, hæc consuetudo imponendi manus ad consequendum spiritum sanctum ab apostolis manare dici possit. „Nam spiritus sanctus [*e*], inquit, quod in sola catholica

---

ant ecclesiæ baptismum. Tunc enim demum plene sanctificari, & esse filii Dei possunt, si sacramento vtroque nascantur, quum scriptum sit: Nisi quis renatus fuerit cetera.

(*a*) Anon. de bapt. hæretic. ap. Cyprian. in append. p. 23. (p. 21. edit. Amstelod.) Per manus impositionem episcopi datur vnicuique credenti spiritus sanctus, sicut apostoli circa Samaritanos post Philippi baptisma manum eis imponendo fecerunt.

(*b*) Firmilian. epist. LXXV. p. 221. (p. 322. edit. Amstelod.) Vid. cit. c. II. §. III. litt. (e) pag. 363.

(*c*) Hieron. contr. Lucifer. c. IV.

(*d*) Aug. de trinit. lib. XV. c. XXVI. Orabant, vt veniret in eos, quibus manus imponebant, non ipsi eum dabant. Quem morem in suis præpositis etiam nunc seruat ecclesia.

(*e*) Aug. de bapt. lib. III. c. XVI. (tom. VII. opp. p. 409. 410. ed. Basil. MDLXIX.)

ecclé-

„ecclesia per manus impositionem dari dicitur, nimirum hoc „intelligi maiores nostri voluerunt, quod apostolus ait: *Quo-„niam caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, „qui datus est nobis.* Ipsa enim est caritas, quam non habent, „qui ab ecclesiæ catholicæ communione præcisi sunt; ac per „hoc, etiamsi linguis hominum loquantur & angelorum, si „sciant omnia sacramenta, & omnem scientiam, etsi omnem „habeant prophetiam, & omnem fidem, ita, vt montes trans-„ferant, & distribuant omnia sua pauperibus, & tradant corpus „suum, vt ardeant, nihil eis prodest. Non autem habent Dei „caritatem, qui ecclesiæ non diligunt vnitatem, ac per hoc re-„cte intelligitur dici, non accipi, nisi in catholica spiritus san-„ctus. Neque enim temporalibus & sensibilibus miraculis at-„testantibus per manus impositionem modo datur spiritus san-„ctus, sicut antea dabatur ad commendationem rudis fidei, & „ecclesiæ primordia dilatanda. Quis enim nunc hoc exspe-„ctat, vt ii, quibus manus ad accipiendum spiritum sanctum „imponitur, repente incipiant linguis loqui? Sed inuisibiliter „& latenter intelligitur per vinculum pacis eorum cordibus di-„vina caritas inspirari, vt possint dicere: *Quoniam caritas Dei dif-„fusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis.*„ Idem alio loco [ *f* ] ad hanc oppositam difficultatem respondet, quando ait: „*In hoc cognoscimus, quia manet in nobis, de spiritu, „quem dedit nobis.* Si enim inueneris te habere caritatem, habes „spiritum Dei ad intelligendum. Valde enim necessaria res „est. Primis temporibus cadebat super credentes spiritus san-„ctus, & loquebantur linguis, quas non didicerant, quomodo „spiritus dabat eis pronuntiare. Signa erant tempori oppor-„tuna. Oportebat enim ita significari in omnibus linguis spi-„ritum sanctum: quia euangelium Dei per omnes linguas cur-„surum erat toto orbe terrarum. Significatum est illud & trans-„iit. Numquid modo, quibus imponitur manus, vt accipiant „spiritum sanctum, hoc exspectatur, vt linguis loquantur? Aut „quando imposuimus manum istis infantibus, attendit vnusquis-„que vestrum, vtrum linquis loquerentur? Et quum videret „eos linguis non loqui, ita peruerso corde aliquis vestrum fuit,

(*f*) Aug. tractat. VI. in 1 Ioan. III. tom. IX. opp. p. 254. Par. MDXXXVII. (p. 621. edit. cit. Basil.)

vt

„vt diceret : Non acceperunt isti spiritum sanctum. Nam si „accepissent, linguis loquerentur, quemadmodum tunc factum „est. Si ergo per hæc miracula modo testimonium præsentiæ „spiritus sancti non fit : vnde cognoscit quisque, accepisse se „spiritum sanctum ? Interroget cor suum, si diligit fratrem, ma„net spiritus Dei in illo.„ Ita AVGVSTINVS manus impositionem ad conferendum spiritum sanctum ex apostolorum praxi deriuat, quantumuis diuersos plane effectus tunc temporis habuerit, quam quidem nunc habeat. Quamuis homines non habeant donum linguarum sibi collatum, vt tempore apostolorum; habere tamen eos posse dicit alia dona, quæ ad testandam spiritus præsentiam & actum impositionis manuum dignitate institutionis apostolicæ decorandum sufficiant. Vnde quoque obseruare nobis licebit, quod caritas & vnitas, vel constantia in amore Dei ac religione, peculiaris spiritus gratia sit, per impositionem manuum data: quam quum hæretici habere non possent, qui extra ecclesiam baptizati erant, ideo impositionem manuum semper recipiebant (g) ad ecclesiam redeuntes, siue eam inter suos iam ante recepisse persuasi essent, siue non. Nam hæreticorum alii impositionem manuum simul cum baptismo dabant, alii non dabant : vtrique autem manus impositionem recipiebant, si ad catholicæ ecclesiæ communionem redirent. Adhuc alius locus est, ex quo veterum nonnulli hanc consuetudinem confirmant, nimirum Ebr. VI, 2. vbi apostolus manus impositionem & baptismum coniungit. In quem auctor, qui sub nomine AMBROSII [h] scripsit, notat, quod „intelligatur manus impositio, per quam spiritus sanctus accipi „posse credatur : quod post baptismum, ad confirmationem „vnitatis in ecclesia Christi a pontificibus fieri soleat.„ Quæ interpretatio ab HAYMONE [i] & recentioribus quibusdam scriptoribus repetita, & A GROTIO ac CALVINO tamquam probabilis admissa est. Vnus adhuc scriptor est, qui eam a de-

(g) Aug. de bapt. lib. V. c. XXIII. Propter caritatis copulationem, quod est maximum donum spiritus sancti, sine quo non valeant, quæcumque alia sancta in homine fuerint, manus correctis hæreticis imponitur.

(h) Ambros. Hebr. VI, 2.

(i) Haymo in Hebr. VI, 2. ( ap. Dallæum de confirm. p. 387. ) Per impositionem manuum plenissime creditur accipi donum spiritus sancti, quod post baptismum ad confirmationem vnitatis in ecclesia a pontificibus fieri solet.

ſcenſu ſpiritus ſancti ſuper apoſtolos die pentecoſtes deriuare videtur. Is eſt, qui EVSEBIVS EMISSENVS vulgo eſſe venditatur, quem viri docti auctorem potius EVCHERIVM epiſcopum *Lugdunenſem*, vel HILARIVM ARELATENSEM, vel alium quempiam ſcriptorem circa LEONIS pontificis *Romani* tempora, ſæculo quinto medio, eſſe exiſtimant. Quisquis autem eſt, quam de confirmatione habet narrationem, accurata eſt, & doctrinæ plena, adeoque digna, quæ huc integra transſcribatur. „Quod nunc, inquit, manus impoſitio [*k*] tribuit ſingu„lis, hoc tunc ſpiritus ſancti deſcenſio in credentium populo „donauit vniuerſis. Sed quia diximus, quod manus impoſitio „& confirmatio ei, qui iam renatus in *CHRISTO* eſt, conferre „aliquid poſſit, forte cogitat ſibi aliquis: Quid mihi prodeſt „poſt myſterium baptiſmatis, miniſterium confirmantis? Aut „quantum video, non totum de fonte ſuſcepimns, ſi poſt fon„tem adiectione noui generis indigemus. Non ita eſt, dilectiſ„ſimi, attendat caritas veſtra. Sic enim exigit militaris ordo, „vt quum imperator quemcunque in militum receperit nume„rum, non ſolum ſignet receptum, ſed etiam armis competen„tibus inſtruat pugnaturum. Ita in baptizato benedictio illa „munitio eſt; dediſti militem, da ei adiumenta militiæ. Num„quid prodeſt, ſi quisquam parentum magnam paruulo confe„rat facultatem, niſi prouidere ſtudeat & tutorem. Ita para„cletus regeneratis in *CHRISTO* cuſtos, & conſolator, & tu„tor eſt. Ideo dicit ſermo diuinus: *Niſi dominus cuſtodierit ciui„tatem, in vanum vigilant, qui cuſtodiunt eam.* Ergo ſpiritus ſan„ctus, qui ſuper aquas baptiſmi ſalutifero deſcendit illapſu, in „fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in confirmatione „augmentum præſtat ad gratiam. Quia in hoc mundo tota „ætate victuris inter inuiſibiles hoſtes & pericula gradiendum „eſt: In baptiſmo regeneramur ad vitam, poſt baptiſmum con„firmamur ad pugnam: in baptiſmo abluimur, poſt baptiſmum „roboramur. Ac ſic continuo tranſituris ſufficiunt regenera„tionis beneficia, victuris autem neceſſaria ſunt confirmationis „auxilia. Regeneratio per ſe ſaluat mox in pace beati ſæculi

(*k*) Euſeb. Emiſſen. hom. de pentecoſte (in bibl. patr. max. tom. VI. p. 649. c. d. e. ed. t. Lugdun. MDCLXXVII.)

reci-

„recipiendos, confirmatio armat & inſtruit ad agones mundi „huius & prælia reſeruandos. Qui autem poſt baptiſmum cum „acquiſita innocentia immaculatus peruenit ad mortem, con-„firmatur morte: quia iam non poteſt peccare poſt mortem: „Heic ſi forte illud etiam requirere velimus, poſt paſſionem & „reſurrectionem Chriſti, quid apoſtolis profuerit aduentus ſpi-„ritus ſancti, ipſe dominus eis hoc euidenter exponit: *Quæ dico*, „inquit, *vobis, non poteſtis ea portare modo. Quum autem venerit ille* „*ſpiritus veritatis, ipſe vos docebit omnem veritatem.* Vides, quia „quum ſpiritus ſanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam & „conſtantiam dilatatur. Itaque ad deſcenſionem ſpiritus ſan-„cti vſque ad negationem apoſtoli deterrentur, poſt viſitatio-„nem vero eius vsque ad martyrium contemtu ſalutis armantur. „Secundum hæc per *Chriſtum* redimimur, per ſpiritum vero ſan-„ctum dono ſapientiæ ſpiritualis illuminamur, ædificamur, eru-„dimur, inſtruimur, conſummamur.„ Hæc eſt ratio, quam de impoſitionis manuum origine generatim reddunt veteres: quæ cærimonia hodie prorſus obſoleuit in eccleſia *Romanenſium*, quamquam aliud ſacramentum confirmationis ſe facere venditent. Sed hæc tantum obiter.

§. VII.

*Quid de neceſſitate confirmationis ſenſerint veteres.*

Ex ſermone, quem ex hoc auctore modo interpoſuimus, clare perſpicimus, quid veteres per confirmationem ad beneficium regenerationis accedere iudicauerint. Regeneratio innocentiam dabat & peccatorum veniam; inuocatio autem ſpiritus ſapientiam addebat & robur, ad hominem in innocentia conſeruandum & conſummandum. Oſtendit etiam, quam de neceſſitate confirmationis opinionem habuerint veteres. Non æque abſolute neceſſaria credebatur confirmatio ac baptiſmus. Si enim homo ſtatim poſt baptiſmum moriebatur ſine manuum impoſitione, innocentia per baptiſmum acquiſita ſeruabantur: Non alia confirmatione indigebant, quam morte, quæ contra omnia pericula eos tutos præſtabat. Confirmatio iis duntaxat neceſſaria erat, qui in vita ſuperſtites contra mundum & inuiſibiles poteſtates dimicare neceſſe habebant. Et hæc ſententia reliquorum ſcriptorum omnium eſt, qui de confirmationis neceſſitate quam ſeueriſſime loquuntur. Concilium *Illiberri-*

*ritanum* [*l*], quando ſtatuit: *Si quis diaconus regens plebem, ſine epiſcopo vel presbytero aliquos baptizauerit, epiſcopus eos per benedictionem perficere debebit*; ſtatim ſubiungit: *Quod ſi ante de ſæculo receſſerint, ſub fide, qua quis crediderit* (videlicet in baptiſmo) *poterit eſſe iuſtus.* Sic quoque *conſtitutionum apoſtolicarum* auctor [*m*] ait: *Si neque oleum adſit, neque vnguentum, ſufficit aqua, & ad vnctionem, & ad ſigillum pactionum.* Ex quo loco duriora illa verba mollienda ſunt, quæ alibi [*n*] habet, vbi ait: *Hæc eſt poteſtas impoſitionis manuum vnicuique factæ: niſi enim in vnumquemque eorum talis quæpiam inuocatio* (qualem in proxime antecedentibus præſcripſerat) *a pio ſacerdote adhibeatur; qui baptizatur, in aquam tantum deſcendit, vt iudæi, & corporis tantum ſordes, non autem animæ deponit.* Niſi enim æqua & candida quædam interpretatio his verbis adhibeatur, baptiſmi, peccatum per ſpiritualem regenerationem expurgantis, efficaciæ iniurioſe derogabunt. Aequum proinde & iuſtum eſt, vt duriorum verborum huius auctoris eum ipſum interpretem eſſe ſinamus, quando aquam baptiſmi ſufficere dicit ad quemcumque finem chriſmatis ſiue confirmationis obtinendum, ſi hæc non ex contemtu, ſed propter deficientem recipiendi opportunitatem ſit omiſſa. Et hæc manifeſto eſt HIERONYMI opinio, quando narrat, quod licet manuum impoſitio ex actibus apoſtolorum deriuanda ſit [*o*], multis in locis id tamen eſſe factum reperiatur ad honorem potius ſacerdotii, quam ad legis neceſſitatem. Alioquin ſi epiſcopi tantum imprecatione ſpiritus ſanctus defluat, lugendos eſſe dicit, qui in villulis, aut in caſtellis, aut in remotioribus locis per

(*l*) Concil. Illiberrit. c. LXXVII.

(*m*) Conſtit. apoſt. Lib. VII. c. XXII. εἰ μήτε ἔλαιον ᾖ, μήτε μύρον, ἀρκεῖ ὕδωρ, καὶ πρὸς χρῖσιν, καὶ πρὸς σφραγῖδα.

(*n*) Conſtit. apoſt. Lib. VII. c. XLIV. ἑκάστου γὰρ ἡ δύναμις τῆς χειροθεσίας ἐστὶν αὕτη· ἐὰν γὰρ μὴ εἰς ἕκαστον τούτων ἐπίκλησις γένηται παρὰ τοῦ εὐσεβοῦς ἱερέως τοιαύτη τις, εἰς ὕδωρ μόνον καταβαίνει ὁ βαπτιζόμενος, ὡς ἰουδαῖοι, καὶ ἀποτίθεται μόνον τὸν ῥύπον τοῦ σώματος, οὐ τὸν ῥύπον τῆς ψυχῆς.

(*o*) Hieron. contr. Luciferi. c. IV. Quod ſi obloqueris, Quare in eccleſia baptizatus niſi per manus epiſcopi non accipiat ſpiritum ſanctum, quem nos aſſerimus in vero baptiſmate tribui; diſce hanc obſeruationem ex ea auctoritate deſcendere, quod poſt adſcenſum domini ſpiritus ſanctus deſcendit. Multis tamen in locis id tamen eſſe factum reperimus ad honorem potius ſacerdotii, quam ad legis neceſſitatem. Alioquin &c.

presby-

presbyteros & diaconos baptizati ante dormierint, quam ab episcopis inuiserentur. Quidquid ergo ad salutem necessarium erat, in baptismo conferebatur, qui tantam spiritus portionem ministrabat, quanta ad homines a peccato purificandos, eosque ad vitam æternam idoneos reddendos sufficiebat. Vt adeo, quum veterum nonnulli baptismum spiritum non ministrare dicunt, sine impositione manuum in confirmatione tributum, (vti CORNELIVS in epistola sua [p] aduersus *Nouatianum* vrget, & TERTVLLIANVS [q], qui nos non in baptismo spiritum sanctum consequi, sed in aqua tantum emundari ac spiritui sancto præparari dicit;) intelligendi sint, quod spiritum sanctum non ea mensura in baptismo, qua deinceps per impositionem manuum, dari existiment. Non negant, baptismum hominibus virtute spiritus sancti veniam peccatorum conferre; sed dicunt tantum, esse quædam effecta & operationes spiritus sancti, quæ hominibus ordinarie non nisi per subsequentem inuocationem spiritus conferantur; quarum incrementum homines desiderare, & impositionem manuum ad id obtinendum recipere debeant. Quo sensu in euangelio dicitur, *Quod nondum fuerit spiritus sanctus*, quia apostoli nondum receperant abundantem effusionem eius cum dono linguarum, quam postmodum die pentecostali consequebantur, etiamsi antea tantam eius mensuram accepissent, quanta ad varii generis miracula operanda, & ad regnum cælorum consequendum sufficeret.

§. VIII.

*Quemadmodum eos punierint, qui eam neglexissent.*

QVAMQVAM vero prisci christiani hanc manuum impositionem non adeo necessariam esse iudicabant, vt priuatio illius eos, qui baptizati essent, a regno cælorum excluderet: tamen neglectionem illius puniendam esse statuebant, notam offensionis & publicæ censuræ illis apponendo, qui voluntarie & oscitanter eam neglexissent, quando eam recipiendi habuerant opportunitatem. Istis hominibus plerumque priuilegium di-

(p) Ap. Euseb. lib. VI. c. XLIII. τοῦτε δὲ μὴ τυχὼν, πῶς ἂν τοῦ ἁγίου πνεύματος ἔτυχε; hoc (signaculo) minime percepto, quo tandem modo spiritum sanctum potuit accipere?

(q) Tertull. de bapt. c. VI. Non quod in aqua spiritum sanctum consequamur, sed in aqua emundati, sub angelo spiritui sancto præparamur.

gnitatis ecclesiasticæ & ordinatio denegabatur. Vti ex refragatione apparet, quam in *Nouatiani* ordinatione clerus vniuersus multique ex populo ponebant, quia in lecto, in quo æger iacuerat, perfusus baptismum susceperat, neque postea morbo liberatus reliqua perceperat, quæ secundum ecclesiasticam regulam [r] percipi debebant, neque ab episcopo per manus impositionem consignatus fuerat. Et hanc in rem concilium *Neocæsareense* [s] canonem habet, eiusmodi homines ordinari vetantem; quæ pars codicis ecclesiæ vniuersalis euasit. Patres concilii *Illiberritani* [t] tales, tamquam non habentes per manus impositionem lauacrum integrum, itidem a priuilegio dandi baptismum excludunt, quod, necessitate exigente, omnibus reliquis laicis facere permittunt. In tantum veteres consultum duxerunt, confirmationis contemtum ac neglectum impedire, tametsi eam numquam pro distincto a baptismate sacramento, nec pro re ad salutem æternam absolute & simpliciter necessaria, sed tantum pro apto & commodo adminiculo ad roborandum homines in spirituali militia, habuerunt.

(r) Euseb. lib. VI. c. XLIII. ὃς βοηθούμενος ὑπὸ τῶν ἐπορκιστῶν, νόσῳ περιπεσὼν χαλεπῇ, καὶ ἀποθανεῖσθαι ὅσον οὐδέπω νομιζόμενος, ἐν αὐτῇ τῇ κλίνῃ, ᾗ ἔκειτο, περιχυθεὶς ἔλαβεν· εἴγε χρὴ λέγειν τὸν τοιοῦτον εἰληφέναι· οὐ μὴν οὐδὲ τῶν λοιπῶν ἔτυχε, διαφυγὼν τὴν νόσον, ὧν χρὴ μεταλαμβάνειν κατὰ τὸν τῆς ἐκκλησίας κανόνα· τοῦ τε σφραγισθῆναι ὑπὸ τοῦ ἐπισκόπου· τούτου δὲ μὴ τυχὼν, πῶς ἂν τοῦ ἁγίου πνεύματος ἔτυχε; Quum ab exorcistis foueretur, in morbum grauissimum collapsus; dum iam iamque moriturus creditur, in ipso, in quo iacebat lectulo, perfusus, baptismum suscepit; si tamen huiuscemodi baptismum suscepisse dicendus est. Sed neque postquam liberatus est morbo, reliqua percepit, quæ iuxta ecclesiasticam regulam percipi debent: neque ab episcopo consignatus est. Hoc autem signaculo minime percepto, quo tandem modo spiritum sanctum potuit accipere? - - ὃς διακωλυόμενος ὑπὸ παντὸς τοῦ κλήρου κ. τ. λ. Vid. cit. supra lib. XI. c. XI. §. V. litt. (h) pag. 335.

(s) Concil. Neocæs. can. XII. (tom. I. concil. p. 1484.) Ἐὰν νοσῶν τις φωτισθῇ εἰς πρεσβύτερον ἄγεσθαι οὐ δύναται. Οὐκ ἐκ προαιρέσεως γὰρ ἡ πίστις αὐτοῦ, ἀλλ' ἐξ ἀνάγκης· εἰ μὴ τάχα διὰ τὴν μετὰ ταῦτα αὐτοῦ σπουδὴν καὶ πίστιν καὶ διὰ σπάνιν ἀνθρώπων. Si quis ægrotans fuerit illuminatus, non potest in presbyterum euehi. Fides enim eius non est ex instituto sed ex necessitate: nisi forte propter consequens eius studium & fidem hominumque raritatem.

(t) Concil. Illiberrit. c. XXXVIII. (tom. I. concil. p. 974.) Peregre nauigantes, aut si ecclesia in proximo non fuerit, posse fidelem, qui lauacrum suum integrum habet, nec sit bigamus, baptizare in necessitate infirmitatis positum catechumenum, ita vt si superuixerit, ad episcopum eum perducat, vt per manus impositionem perfici possit.

*LIBRI*

# *LIBRI DVODECIMI*

## *CAPVT QVARTVM*

## DE RELIQVIS CAERIMONIIS BAPTISMI, CONFIRMATIONEM SVBSEQVVTIS.

### §. I.

### *Homines modo baptizati albis vestibus induti.*

EO ipso tempore, quo vnctio & confirmatio hominibus recens baptizatis conferebatur, albis illi vestibus induebantur. In ecclesia *Latina* proxime ante confirmationem id fiebat: in *Græca* autem ecclesia post eam factum esse videtur. CYRILLVS enim hac de cærimonia, tanquam vnctionem subsequuta [a], loquitur. Hoc ipsum fiebat, ad significandum, quod vetere homine cum operibus suis iam exuto, nouum hominem Christum IEsum induissent. Hinc vocabantur λευχειμονοῦντες, *in albis incedentes*; *grex Christi candidus & niueus* [b], vti in LACTANTIO videmus & multis aliis. PALLADIVS in vita CHRYSOSTOMI [c] magnæ crudelitatis insimulat *Arcadium* imperatorem, quod quum presbyteri *Chrysostomi*, hoc in exilium abacto, tria millia hominum in festiuitate quadam baptizassent, missis militibus eos dispersserit, quum essent λευχειμονοῦντες, *albas vestes ferentes*. Hæ vestes alias vocabantur *indumentum Christi* & *indumentum*

(a) Cyrill. catech. mystigog. IV. n. II. ἀποδυσάμενον δὲ τὰ παλαιὰ ἱμάτια, καὶ ἐνδυσάμενον τὰ πνευματικὰ λευκά, χρὴ λευχειμονεῖν διαπαντός. κ. τ. λ. Exutis vestibus antiquis, & iis, quæ sunt secundum spiritum alba, indutis, perpetuo iam in albis incedere oportet. &c.

(b) Lactant. carm. de resurrect. dom.

Fulgentes animas *vestis* quoque *candida* signat,
Et *grege* de *niueo* gaudia pastor habet.

Mosch. prat. spirit. c. CCVII. (bibl. patr. græc. lat. tom. II. p. 1158. d.) οἱ γείτονες ἰδόντες αὐτὴν λευκοφοροῦσαν, εἶπον αὐτῇ, τίς σε ἐβάπτισεν, Vicini, quum illam *albis indutam* viderent, dicunt ei: Quis te baptizauit?
Paulin. epist. XII. ad Seuer.

Vnde parens sacro ducit de fonte sacerdos
Infantes *niueos* corpore, corde, *habitu*.

(c) Pallad. vit. Chrysostom. c. IX. τῇ ἐπαύριον γοῦν ἐξελθὼν ὁ βασιλεὺς, τοῦ γυμνασθῆναι ἐν τῷ παρακειμένῳ πεδίῳ, εἶδεν τὴν ἄπορον γῆν, τὴν περὶ τὸ Πέμπτον, λευχομονοῦσαν, καὶ ἐκπλαγεὶς ἐπὶ τῇ θέᾳ τοῦ ἄνθους τῶν νεοφωτίστων· ἦσαν

mentum

*mentum mysticum.* Ita enim SOCRATES [*d*] & SOZOMENVS [*e*], loquentes de ordinatione *Nectarii*, episcopi *Constantinopolitani*, statim post baptismum ei collata, episcopum renuntiatum eum esse dicunt adhuc *mystica veste indutum.* HIERONYMVS [*f*] quoque ad *Fabiolam* scribens ad hoc videtur alludere, quando ait: *Praeceptis Dei lavandi sumus, & quum parati ad INDVMENTVM CHRISTI, tunicas pelliceas deposuerimus, tunc induemur veste linea, nihil in se mortis habente, sed tota CANDIDA, vt de baptismo consurgentes cingamus lumbos in veritate, & tota pristinorum peccatorum turpitudo celetur.* Sunt, qui duo alia loca ex epistolis eius ad *Damasum* [*g*] adlegant, in quibus de vestimentis Christi, quae *Romae* susceperit, loquitur. Alii autem, qui tempus, quo baptizatus sit HIERONYMVS, & phrasin illam in aliis quoque locis ab ipso adhibitam, considerarunt [*h*] studiosius, cum maiore probabilitate concludunt, quod habitum monasticum intelligat, quem alibi [*i*] *tunicam Christi* appellat, non autem albas baptismi. Sed enim, licet hisce dubiis HIERONYMI locis non insistamus, antiqua illa consuetudo ab aliis auctoribus satis comprobatur.

---

γὰρ ἀμφὶ τοὺς τρισχιλίους, ἤρετο παρὰ τῶν δορυφόρων, τίς ἡ λογὰς τῶν ἐκεῖ συνηθροισμένων; Die sequenti egressus imperator, vt sese exerceret in vicino campo, vidit agrum circa Pemptum seu Quintum, non consitum & *candentem*, & stupefactus adspectu coloris *nuper baptizatorum*, erant enim ad tria fere millia, satellites rogat, quinam esset illic congregatorum coetus? &c.

(*d*) Socrat. lib. V. c. VIII. ὃς ἁρπασθεὶς ὑπὸ τοῦ λαοῦ, εἰς τὴν ἐπισκοπὴν προεβλήθη, τῶν τότε παρόντων ἑκατὸν πεντήκοντα ἐπισκόπων χειροτονησάντων αὐτόν. Hic (Nectarius) a populo raptus ad episcopale munus obeundum eligitur, & ab episcopis centum & quinquaginta, qui tum illic aderant, ordinatur.

(*e*) Sozom. lib. VII. c. VIII. τὴν μυστικὴν ἐσθῆτα ἔτι ἠμφιεσμένος, κοινῇ ψήφῳ τῆς συνόδου ἀναγορεύεται Κωνσταντινουπόλεως ἐπίσκοπος, Adhuc *veste mystica* indutus, communi totius concilii calculo episcopus Constantinopolitanus renuntiatur.

(*f*) Hieron. epist. CXXVIII. (tom. III. p. 725. edit. Paris. MDCXLIII.)

(*g*) Id. epist. LVII. ad Damas. Cathedram Petri & fidem apostolico ore laudatam censui consulendam; inde nec animae postulans cibum, vnde olim Christi vestimenta suscepi. It. epist. LXXVIII. ad Damasum. Christi vestem in Romana vrbe suscipiens, nunc barbaro Syriae limite teneor.

(*h*) Vide Wall *of Infant-Baptism*, part. II. chap. III. sect. X.

(*i*) Hieronym. epist. XXII. ad Eustoch. c. I. Non expedit, apprehenso aratro respicere post tergum, nec de agro reuerti domum; nec post *Christi tunicam*, ad tollendum aliud vestimentum tecto descendere.

§. II.

## §. II.

*Hæ nonnumquam cum solemni verborum formula iis traditæ.*

Horvm quoque nonnulli vestes illas neophytis cum solemni verborum, officium eis suum declarantium, forma tradi consueuisse narrant. Tali videlicet, qualis in *sacramentario* gregorii [k] exstat: *Accipe vestem candidam & immaculatam, quam perferas sine macula ante tribunal domini nostri IEsu Christi, vt habeas vitam æternam, amen!*

## §. III.

*Per octo dies indutæ & postea in ecclesia repositæ.*

Vestes illæ plerumque octo dies gerebantur, & postea in ecclesia reponebantur. avgvstinvs, vel alius quispiam sub eius nomine [l], de dominica post pascha, tamquam hanc in rem constituta, loquitur, *Paschalis solennitas*, inquiens, *hodierna festiuitate concluditur, & ideo hodie neophytorum habitus commutatur; ita tamen, vt candor, qui de habitu deponitur, semper in corde teneatur.* Vnde ab hoc more gerendi stolas candidas post baptismum dies ista *dominica in albis* vocitata creditur. Hæ quum depositæ essent, in vestiario ecclesiæ studiose custodiebantur, tamquam testimonium contra homines, si postea professionem, quam publice in baptismo fecerant, desererent. Cuius rei memorabile exemplum a victore vticensi memoriæ proditum legimus de *Elpidiphoro* quodam, ciue *Carthaginensi*, qui, quum diu in communione vixisset ecclesiæ, tandem ad *Arianos* transiit, infensissimus orthodoxorum hostis, tempore persecutionis *Vandalicæ*, factus. Inter alios, qui ad ipsum tamquam iudicem citabantur, *Muritta* quidam diaconus erat, qui ipsum de alueo sacri fontis susceperat generatum. Qui quum, *Elpidiphoro* sedente & fremente, cœpisset extendi, priusquam exueretur, illa, quibus eum suscipiens de fonte dudum texerat, sabana producebat. Quibus ventilatis simulque in omnium conspectu extentis, his eum verbis, totam ad fletum & lacrymas commouens ciuitatem, adloquebatur: *Hæc sunt lintcami-*

(k) Gregor. sacram. de bapt. infant.
Ordo Roman. de . sabbatho. bibl. patr. tom. X. p. 83. Deportantur ipsi infantes ad eum, & dat singulis stolam candidam & decem siliquas & chrismale, dicens, Accipe vestem candidam &c.

(l) Aug. homil. LXXXVI. de diuersis, in octauis paschæ tom. X. p. 709.

*na* [m], *Elpidiphore, minister erroris, quæ te accusabunt, dum maiestas venerit iudicantis. Custodientur diligentia mea ad testimonium perditionis, ad demergendum te in abysso putei sulphurantis. Hæc te, infelix, immaculatum cinxerunt de fonte surgentem: hæc te, miserrime, acrius persequentur, flammantem gehennam dum cœperis possidere, quia induisti maledictionem sicut vestimentum, scindens atque amittens veri baptismatis & fidei sacramentum. Quid facturus es, miser, quum serui patrisfamilias ad cœnam regiam congregare cœperint inuitatos? Tunc te aliquando vocatum, terribiliter indignatus, exutum stola rex conspiciet nuptiali, dicetque tibi: Amice, quo modo huc venisti, vestem non habens nuptialem? Non video, quod contuli, non nosco, quod dedi. Perdidisti militiæ chlamydem, quam in tela virgineorum membrorum decem mensibus texui, & tendicula crucis extendens aqua mundaui & purpura mei sanguinis decoraui, non conspicio cultum signaculi mei, characterem non video trinitatis &c.* Fuit igitur huius notabilis cærimoniæ scopus, primum quidem, vt innocentiam illam & angelicam puritatem repræsentaret, quam per peccatorum suorum remissionem quisque obtineret in baptismo, & deinde, vt in mentem illis reuocaret sponsiones & stipulationes a se factas, quas si violarent, futurum esset, vt in die iudicii hæ ipsæ eos accusarent.

## §. IV.

### *Cærimonia candelarum & facum cerearum. Quis eius scopus, & cuius sumtibus vtraque procurata?*

CAERIMONIAE gerendi vestes albas aliam eiusdem generis addebant, ferendi scilicet ardentes candelas in manibus. Fuisse hanc consuetudinem ita vniuersalem, vt priorem illam, ego non dixerim; NAZIANZENVS tamen inter alias cærimonias, baptismum subsequentes, eam memorat. *Statio hæc*, inquit, *qua confestim a baptismo ante magnum altare stabis, futuræ vitæ gloriam præsignat. Psalmorum cantillatio, cum qua accipieris, illius hymnodiæ præludium est. Lampades* [n], *quas accendes, illius luminum gestationis figuram gerunt, cum qua splendidæ & virgines animæ splendidis fidei*

(m) Vict. de persecut. Vandal. lib. V. bibl. patr. tom. VII. p. 613. (tom. VIII. p. 694. g. edit. Lugdun.)

(n) Naz. orat. XL. de bapt. p. 672. ἡ στάσις, ἣν αὐτίκα στήσῃ μετὰ τὸ βάπτισμα πρὸ τοῦ μεγάλου βήματος, τῆς ἐκεῖθεν δόξης ἐστὶ προχάραγμα· ἡ ψαλμῳδία, μεθ᾽ ἧς δεχθήσῃ, τῆς ἐκεῖθεν ὑμνῳδίας προοίμιον· αἱ λαμπάδες, ἅσπερ ἀνάψεις, τῆς ἐκεῖθεν

*lampa-*

*lampadibus Christo sponso obuiam prodibimus, nec per ignauiam & socordiam dormientes, ne inscientibus nobis, is, cuius aduentus exspectatur, inopinato adsit, nec alimento & oleo, bonisque operibus carentes, ne a nuptiali cubiculo excludamur.* Alii ad aliam rationem eam referunt, vt sit symbolum præsentis illuminationis nostri, & quod fiat in adlusione ad illud seruatoris nostri effatum: *Splendeat lux vestra coram hominibus, vt videant vestra bona opera, glorificentque patrem illum, qui est in cælis.* In quibusdam primariorum hominum baptismis hasce cærimonias amplificatas & maiore pompa exornatas deprehendimus. Nam non tantum ipsi, qui baptizabantur, sed omnes quoque eorum stipatores ac ministri albis vestibus induti erant, & manibus suis portabant lampades. Quomodo in magnifico *Theodosii* iunioris baptismo factum est, descripto in MARCI GAZENSIS quadam epistola [o], a BARONIO publicata, in qua inter alia ait: *Baptizato iuniori Theodosio, & ab ecclesia egresso in palatium, licebat rursus intueri decorem eorum, qui præerant multitudini, & vestem eorum refulgentem. Erant enim omnes candidati, vt existimaretur multitudo esse niue repleta. Præcedebant autem patricii, illustres & omnis dignitas cum ordinibus militaribus, omnes portantes cereos, vt putarentur astra cerni in terra.* Harum rerum sumtus, præsertim ita effusos ac magnificos, ab ipsa persona baptismum suscipiente, datos fuisse, par est, credamus. Et hoc ipsum ex obiectione, quam nonnulli apud GREGORIVM NAZIANZENVM contra baptismum faciunt ex ratione sumtuum, quos requirat, manifesto intelligitur. Ita enim obloquuntur: *Vbi est munus, quod propter baptismum afferam? Vbi splendida vestis [p], in qua exsplendescam? Vbi ea, quæ ad initiatores meos excipiendos requiruntur?* Ad quæ NAZIANZENVS respondet: *Ne in magnis rebus minuta & leuicula in rationem mittas: ne turpi aliquo & abiecto adfectu te duci patiaris. Sublimius est hoc sacramentum iis rebus, quæ in oculorum adspectum cadunt. Teipsum offer, Christum*

φωταγωγίας μυστήριον, μεθ' ἧς ἀπαντήσομεν τῷ νυμφίῳ φαιδραὶ, καὶ παρθένοι ψυχαὶ φαιδραῖς ταῖς λαμπάσι τῆς πίστεως, μήτε καθεύδουσαι διὰ ῥᾳθυμίαν, ἵνα μὴ λάθῃ παρὼν ἀδοκήτως ὁ προσδοκώμενος, μήτε ἀνέλαιοι, καὶ καλῶν ἔργων ἐπιδεεῖς, ἵνα μὴ τοῦ νυμφῶνος ἐκπέσωμεν.

(o) Ap. Baron. an. CCCCI. tom. V. p. 134. Antuerp. MDCX.

(p) Naz. orat. XL. de bapt. p. 655. ποῦ δέ μοι τὸ καρποφορούμενον ἐπὶ τῷ βαπτίσματι; ποῦ δ' ἡ ἐμφάτειος ἐσθὴς, ᾗ λαμπρυνθήσομαι; ποῦ δὲ τὰ πρὸς δεξίωσιν τῶν ἐμῶν βαπτι-

*inde, honesta & laudabili vita me ale. Sic ego excipi lætor, sic etiam Deus, qui maxima quæque beneficia nobis clargitur. Nihil apud Deum magnum est, quod non pauper quoque donare possit; vt ne hac quoque in re tenuiores propellantur, vt qui non habeant, quomodo cum locupletibus certent.* Vnde has cærimonias in pauperum baptismo vel prætermissas, vel ipsius ecclesiæ sumtu factas fuisse, colligimus. Quod posterius quidam inferri posse putant ex donationibus *Constantini*, baptisteriis *Romæ* factis, quarum in libro pontificali in vita *Sylvestri* papæ habetur mentio; certius autem ex epistolis GREGORII pontificis [*q*] demonstrari potest, in quibus sæpius memorat, quod vestem ad baptisma pauperibus, qui sibi eam comparare ipsi non possint, emendam curare soleat.

§. V.

*Osculum pacis neophytis, seu recens baptizatis, datum.*

ALIA cærimonia, ad congratulandum recens baptizatis de admissione in ecclesiam adhibita, erat osculum pacis. Quam cærimoniam in ipsis etiam infantibus obseruatam fuisse, ex obiectione discimus, quæ contra eam in CYPRIANO facta legitur. FIDVS quidam episcopus intra octauum diem infantes non baptizandos esse putabat, quod in primis partus sui diebus constituti immundi sint, & vnusquisque eos horreat exosculari, quod tamen fieri post baptismum necesse sit, ad declarandum ius fraternitatis, quod in cooptatione in familiam Dei consequantur. Ad quæ CYPRIANVS respondebat, hoc ad dandum illis baptismum impedimento esse non oportere, omnia enim munda esse mundis. Nec quempiam id debere horrere, quod Deus dignatus sit facere. Nam etsi adhuc infans a partu nouus sit, non ita esse tamen, vt quisquam illum in gratia danda atque in pace facienda exosculari [*r*] horrere debeat. Hæc

σῶν; - - μὴ μικρολόγει περὶ τὰ μεγάλα, μηδὲν ἀγενὲς πάθῃς, μεῖζον τῶν ὁρωμένων ἐστὶ τὸ μυστήριον, σαυτὸν καρποφόρησον, Χριστὸν ἔνδυσαι, θρέψον με πολιτείᾳ, οὕτως ἐγὼ χαίρω φιλοφρονούμενος· οὐδὲν τῷ Θεῷ μέγα, ὃ μὴ καὶ πένης δίδωσιν, ἵνα μὴ κἀν ταῦτα παρχθῶνται οἱ πένητες.

(*q*) Gregor. lib. VII. epist. XXIV. ad Faustin. Quoscumque ex iis pauperes, & ad vestem sibi emendam non sufficere posse cognoscis: Te eis vestem, quam ad baptisma habeant, comparare volumus ac præbere. Id. lib. IV. ep. XVI. Vestem ei, quæ baptizanda est, direximus, cetera.

(*r*) Cypran. epist. LIX. al. LXIV. ad Fidum p. 160. (p. 281. edit. Fell. Amstelod.

con-

consuetudo AVGVSTINO [s] etiam memoratur, & regula illa apostolica fundata videtur, quam in eucharistia & aliis sanctis officiis obseruatam legimus, secundum quam alii alios sancto osculo, mutuum amorem & intimum fraternitatis adfectum testaturi, salutarunt. CHRYSOSTOMVS aliam adfert rationem, cur id pax vel osculum pacis appelletur, quia videlicet homines, per baptismum Deo reconciliati, in pacem ac amicitiam recipiantur. Nam natiuitatem naturalem & spiritualem eleganter inter se comparans *Prior illa*, inquit, *a lamentis initium duxit, siquidem vbi prodiit infans ex vtero, & ex aluo deiectus est, primam cum lacrimis vocem mittit. Per lamenta siquidem ingressus in vitam: per lacrymas exordium, dum futuras molestias natura praenuntiat. - - Neque vero lacrimae in natiuitate tantum, sed & fasciae & vincula: lacrimae in natiuitate, lacrimae in morte: fasciae in natiuitate, fasciae in morte, vt intelligas vitam hanc in morte desinere, & in illo fine terminari. Sed talis non est spiritualis natiuitas: nusquam lacrimae & fasciae, sed solutus est, qui nascitur, & ad certamen paratus, propterea sunt etiam liberi pedes, & manus, vt & currat & pugnet: nusquam lamenta; nusquam lacrimae heic, sed salutationes* [t] *& oscula, & amplexus fra-*

---

MDCC.) Nam & quod vestigium infantis, in primis partus sui diebus constituti, mundum non esse dixisti, quod vnusquisque nostrum adhuc horreat exosculari, nec hoc putamus ad caelestem gratiam dandam impedimento esse oportere, scriptum est enim: Omnia munda sunt mundis. Nec aliquis nostrum id debet horrere, quod Deus dignatus est facere. Nam etsi adhuc infans a partu nouus est, non ita est tamen, vt quisquam illum in gratia danda atque in pace facienda horrere debeat exosculari; quando in osculo infantis vnusquisque nostrum pro sua religione ipsas adhuc recentes Dei manus debeat cogitare, quas in homine modo formato & recens nato quodammodo exosculamur, quando id, quod Deus fecit, amplectimur.

(s) August. cont. epist. Pelag. lib. IV. c. VIII. (tom. VII. opp. p. 925. 926. edit. Basil.) ista Cypriani verba adlegat, & approbat.

(t) Chrysostom. serm. I. de vtil. legendae scripturae tom. V. p. 686. (p. 613. edit. Francof. MDCXCVIII.) Τόκος ὁ πρότερος ἀπὸ θρήνων ἔχει τὴν ἀρχήν· τὸ γὰρ παιδίον ἐκ τῆς μήτρας ὀλισθαῖνον καὶ ἐκ τῆς νηδύος καταφερόμενον, πρώτην φωνὴν μετὰ δακρύων ἐκβάλλει· - - διὰ θρήνων γὰρ ἡ εἴσοδος εἰς τὸν βίον, διὰ δακρύων προοίμια, τῆς φύσεως τὸ μέλλον ὀδυνηρὸν προαναφωνούσης· - - οὐ δάκρυα δὲ ἐν τῇ γεννήσει μόνον, ἀλλὰ καὶ σπάργανα καὶ δεσμά· δάκρυα ἐν τῇ γεννήσει, δάκρυα ἐν θανάτῳ, σπάργανα ἐν γεννήσει, σπάργανα ἐν θανάτῳ· ἵνα μάθῃς, ὅτι πρὸς θάνατον ἡ ζωὴ αὕτη τελευτᾷ, καὶ πρὸς ἐκεῖνο καταστρέψει τὸ τέλος· ἀλλ' οὐχ ἡ γέννησις αὕτη· οὐδαμοῦ δάκρυ καὶ σπάργανα, ἀλλὰ λελυμένος ὁ γεννηθεὶς, καὶ πρὸς ἀγῶνας παρεσκευασμένος· διὰ τοῦτο ἄφετοι οἱ πόδες καὶ αἱ χεῖρες, ἵνα τρέχῃ καὶ πυκτεύῃ·

*trum, qui ſanum membrum agnoſcunt, & tamquam ex longinqua reuerſum peregrinatione recipiunt. Nam quoniam ante baptiſmum inimicus erat, poſt baptiſmum autem amicus eſt factus communis omnium noſtrum domini, propterea gratulamur omnes: idcirco etiam oſculum pax vocatur, vt diſcamus Deo finitum eſſe bellum, & nos in amicitiam eius receptos eſſe.* Hinc pacem ſibi mutuo dare in ſcriptis veterum ſæpius idem eſt, atque ex phraſi apoſtoli, oſculo ſancto quem ſalutare.

§. VI.

*Nec non particula mellis & lactis in ſignum nouæ natiuitatis eorum.*

SOLEBANT etiam recens baptizatis mellis aliquid & lactis guſtandum dare: Quod SALMASIVS & alii quidam [u] loco euchariſtiæ illis datum fuiſſe exiſtimant. Sed falluntur animi; nam euchariſtia illis eodem tempore data fuit. Veteres ipſi aliam huius rei dant rationem. HIERONYMVS [x] & TERTVLLIANVS [y] ad nouæ natiuitatis eorum ſignificationem, & quod iam tamquam filii in familiam Dei adoptati ſint, id factum eſſe dicunt. TERTVLLIANVS [z] præterea *Marcionitas* hanc conſuetudinem eadem de cauſſa cum multis aliis eccleſiæ ritibus retinuiſſe perhibet. HIERONYMVS [a] etiam dicit, morem eſſe in quibuſdam occidentalibus eccleſiis, vt renatis in *CHRISTO* vinum lacque tribuatur, idque in adluſionem ad hunc locum *Pauli* apoſtoli: *Lac vobis potum dedi, non ſolidum*

οὐδαμοῦ θρῆνος, οὐδαμοῦ δάκρυα ἐνταῦθα, ἀλλ' ἀσπασμοὶ καὶ φιλίαι, καὶ περιπλοκαὶ τῶν ἀδελφῶν, τὸ οἰκεῖον μέλος ἐπιγινωσκόντων, καὶ ὥσπερ ἐκ μακρᾶς ἀπολαβόντων ἀποδημίας· ἐπειδὴ γὰρ πρὸ τοῦ φωτίσματος ἐχθρὸς ἦν μετὰ τὸ φώτισμα γέγονε φίλος τοῦ κοινοῦ πάντων ἡμῶν δεσπότου, διὰ τοῦτο πάντες συνηδόμεθα, διὰ τοῦτο καὶ τὸ φίλημα εἰρήνη καλεῖται, ἵνα μάθωμεν, ὅτι πόλεμον κατέλυσεν ὁ θεὸς, καὶ πρὸς τὴν οἰκείωσιν ἐπανήγαγε τὴν ἑαυτοῦ.

(u) Salmaſ. ap. Suicerum theſ. part. II. p. 1136. Adulti in pane & vino ſacramentum corporis & ſanguinis accipiebant, infantes in lacte & melle.

(x) Hieron. contr. Lucifer. c. IV. Deinde egreſſos lactis & mellis prægustare concordiam ad infantiæ ſignificationem.

(y) Tertull. de coron. milit. c. III. Inde ſuſcepti lactis & mellis guſtamus concordiam.

(z) Tertull. contr. Marcion. lib. I. c. XIV. Sed & ille vſque nec aquam reprobauit creatoris, qua ſuos abluit, nec oleum, quo ſuos vnxit, nec mellis & lactis ſocietatem, qua ſuos infantat, nec panem, quo ipſum corpus ſuum repræſentat.

(a) Hieronym. in Ieſa LV, 1. Lac ſignificat innocentiam paruulorum. Qui mos ac typus in occidentis eccleſiis hodie vſque ſeruatur, vt renatis in Chriſto vinum lacque tribuatur. De quo lacte dicebat & Paulus, Lac vobis potum

*cibum,*

*cibum*, & istum *Petri*: *Quasi modo nati paruuli rationale lac desiderate.* Lac enim significare innocentiam paruulorum. Huius consuetudinis mentionem quoque facit CLEMENS ALEXANDRINVS [*b*], *Lacte*, inquiens, *dominico nutrimento, statim quidem postquam editi sumus, alimur: simulac autem regenerati fuimus, honore affecti sumus, dum spes quietis annuntiatur, superna Hierusalem, in qua & mel & lac fluere scriptum est; dum per materiale, sanctum nobis alimentum despondetur.* Porro ex concilio *Carthaginensi* tertio discimus, hoc lac & mel propriam & peculiarem habuisse consecrationem, ab eucharistiæ consecratione distinctam. Canon ibi sic habet: *Primitiæ, seu mel & lac, quod vno die solemnissimo*, (hoc est, sabbatho magno, siue die pascha proxime antecedente, quod solemnissimum baptismi tempus erat) *pro mysterio infantum* (hoc est, recens baptizatorum hominum, qui plerumque infantes sensu mystico vocabantur) *solet offerri*: [*c*] *quamvis in altari offerantur, suam tamen habent propriam benedictionem, vt a sacramento dominici corporis aut sanguinis distinguantur.* Hæc istius canonis pars in quibusdam collectionibus omissa quidem est, LABBEO autem adfirmante, in vetustis codicibus ita habetur; quin & hodie sic legitur in codice *Africano* [*d*], quod rem extra dubitationem ponit. Ego canonem cum paraphrasi quadam explanatoria exhibui, quia nonnulli viri eruditi de obscuritate eius conqueruntur, & nescire se dicunt, quid per *mysterium infantum* intelligatur, quod mihi quidem ad hanc consue-

dedi, non solidum cibum. Et Petrus, Quasi modo nati paruuli rationale lac desiderate.

(*b*) Clem. Alex. pædag. lib. I. c. VI. p. 103. *τῷ γάλακτι, τῇ κυριακῇ τροφῇ, εὐθὺς μὲν ἀποκυηθέντες, τιθηνούμεθα· εὐθὺς δὲ ἀναγεννηθέντες τετιμήμεθα, τῆς ἀναπαύσεως τὴν ἐλπίδα, τὴν ἄνω Ἱερουσαλὴμ, εὐαγγελιζόμενοι· ἐν ᾗ μέλι καὶ γάλα ὀμβρεῖν ἀναγέγραπται· διὰ τῆς ὕλης, καὶ τὴν ἁγίαν μνηστευόμενοι τροφήν.*

(*c*) Conc. Carth. III. c. XXIV. (tom. II. conc. p. 1170.) Primitiæ vero, seu mel & lac, quod vno die solemnissimo pro infantis mysterio solet offerri, quamvis in altari offerantur, suam tamen habent propriam benedictionem, vt a sacramento dominici corporis ac sanguinis distinguantur.

(*d*) Codex eccles. African. c. XXXVII. ap. Iustellum p. 348. (apud Labb. tom. II. conc. p. 1068.) *ἀπαρχὴ δὲ, εἴτε μέλι, εἴτε γάλα, ὡς εἴωθε, προσφέρεσθαι ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ ἰδίμῳ εἰς τὸ τῶν νηπίων μυστήριον· εἰ καὶ τὰ μάλιστα γάλα ἐν θυσιαστηρίῳ προσφέρεται, ὅπως ἰδίαν ἔχέτω κυρίως εὐλογίαν, ὡς ἐκ τοῦ ἁγιάσματος τοῦ κυριακοῦ σώματος καὶ αἵματος διΐστασθαι.* Primitiæ vero, cetera, vt sub litt. (c).

tudi-

tudinem dandi lac & mel recens baptizatis manifesto referendum esse videtur.

## §. VII.

*Tunc orationem dominicam dicere iussi.*

HOMINIBVS ita in familiam Dei adoptatis & pro fratribus in *CHRISTO* agnitis, tamquam filiis Deum patrem suum appellare licebat, idque statim facere formula verborum a *CHRISTO* nobis præscripta iubebantur. *Constitutionum apostolicarum* auctor [e] eos stantes dicere orationem dominicam iubet, quia cum *CHRISTO* e mortuis resurrexerint: & post istam hanc breuiorem formam recitare: [ee] *Deus omnipotens, pater CHRISTI tui, vnigeniti filii tui, da mihi corpus immaculatum, cor mundum, mentem vigilem, cognitionem non errantem, spiritus sancti aduentum ad possessionem & certam fidem veritatis, per CHRISTVM tuum, per quem tibi gloria in sancto spiritu in sæcula, Amen.* CHRYSOSTOMVS [f] quoque statim post adscensionem ex aquis orationem dominicam recitasse eos memorat, & id quidem stantes etiam, non in faciem cadentes, sed ad *CHRISTVM* suspicientes, cuius cum corpore commisceantur, quod supra situm sit, quo diabolo non liceat accedere. Et hoc primum tempus erat, quo isthac oratione vtendi accipiebant libertatem. Ante enim, quam quis baptizatus & per regenerationem filius Dei factus esset, Deum patrem suum vocare, ei haud licebat. Et

(e) Constit. apost. lib. VII. c. XLIV. μετὰ τοῦτο, ἑστὼς προσευχέσθω τὴν εὐχὴν, ἣν ἐδίδαξεν ἡμᾶς ὁ κύριος· ἀναγκαίως δὲ τὸν ἀναστάντα δεῖ ἑστάναι καὶ προσεύχεσθαι, διὰ τὸ τὸν ἐγειρόμενον ὄρθιον εἶναι· καὶ αὐτὸς οὖν συναποθανὼν τῷ χριστῷ καὶ συνεγερθεὶς, στηκέτω. Post hoc stans dicat orationem, quam docuit nos dominus: scilicet qui resurrexit, necessario debet stare ac orare, quoniam qui exsurgit, erectus est: & ipse igitur, qui vna cum Christo mortuus est ac resurrexit, stet.

(ee) Id. ibid. c. XLV. Ὁ θεὸς, ὁ παντοκράτωρ, ὁ πατὴρ τοῦ χριστοῦ σου, τοῦ μονογενοῦς υἱοῦ σου, δός μοι σῶμα ἄσπιλον, καρδίαν καθαρὰν, νοῦν γρήγορον, γνῶσιν ἀπλανῆ, πνεύματος ἁγίου ἐπιφοίτησιν πρὸς κτῆσιν καὶ πληροφορίαν τῆς ἀληθείας, διὰ τοῦ χριστοῦ σου· δι᾽ οὗ σοι δόξα ἐν ἁγίῳ πνεύματι, εἰς τοὺς αἰῶνας· ἀμήν.

(f) Chrysost. homil. VI. in Coloss. p. 1353. (p. 301. edit. Francof.) εὐθέως γὰρ ἀνελθὼν, ταῦτα φθέγγεται τὰ ῥήματα· πάτερ ἡμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, γενηθήτω τὸ θέλημά σου ὡς ἐν οὐρανῷ, καὶ ἐπὶ τῆς γῆς· οὐκ ἐπ᾽ ὄψιν πίπτει τὸ παιδίον [leg. πεδίον] κ. τ. λ. Quum primum adscenderit, hæc verba loquitur: Pater noster, qui es in cælis, fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra. Non in faciem cadit puer. [leg. humi] cetera.

quam-

quamquam catechumeni orationem dominicam ante baptiſmum docebantur, non tamen niſi poſt baptiſmum eam, tamquam publicam precationem, in eccleſia recitare poterant.

## §. VIII.

### *Cum pſalmodia accepti.*

INTER alias cærimonias, poſt baptiſmum vſitatas, GREGORIVS NAZIANZENVS pſalmorum cantillationem [*g*] memorat, cum qua recens-baptizati accipiantur, quam hymnodiæ in futura vita præludium eſſe dicit. Vtrum vero peculiares quasdam pſalmos, in baptiſmo ad cantandum propoſitos, an vero communem eccleſiæ pſalmodiam intelligat, non docet. Si coniectare mihi licet, de prioribus id accepero, quia communis eccleſiæ pſalmodia nihil erat amplius, quam quod catechumenis iam ante licebat audire, vtpote quæ pars erat miſſæ catechumenorum, cui non catechumeni tantum, ſed profeſſi quoque *iudæi* & gentiles intereſſe poterant. Fortaſſis pſalmum CXVIII. cantarunt, in quo hæc verba habentur: *Hic eſt dies, quem fecit dominus, exſultemus & lætemur in eo!* quoniam AVGVSTINVS [*h*], de feſtiuitate loquens paſchali, eo reſpicere videtur, *Hic eſt dies*, inquiens, *quem fecit dominus, celſior cunctis, lucidior vniuerſis, in quo dominus reſurrexit, in quo ſibi nouam plebem, vt ipſi videtis, regenerationis ſpiritu conquiſiuit, in quo ſingulorum mentes gaudio & exſultatione perfudit.* Et PAVLINVS [*i*] populum hac occaſione *Allelujah* cantaſſe dicit. Verum in rebus dubiis certi aliquid definire mihi non ſumo.

## §. IX.

### *Et extemplo ad communionem altaris admiſſi.*

EXPLORATIVS autem eſt, quod, cærimoniis baptiſmi finitis, extemplo ad participandam euchariſtiam admiſſi fuerint. Hæc enim erat τὸ τέλειον, perfectio ſeu conſummatio chriſtiani,

(*g*) Naz. orat. XL. de bapt. p. 673. a. ἡ ψαλμῳδία, μεθ᾽ ἧς δεχθήσῃ, τῆς ἐκεῖθεν ὑμνῳδίας προοίμιον. Pſalmorum cantillatio, cum qua accipieris, illius hymnodiæ præludium eſt.

(*h*) Auguſtin. ſerm. CLXIII. de tempore, tom. X. p. 332. (p. 957. a. edit. Baſil. MDLXIX.)

(*i*) Paulin. ep. XII. ad Seuer. p. 145.

Hinc ſenior ſociæ congaudet turba cateruæ,
Alleluia nouis balat ouile choris.

ad quam per baptiſmum ius adepti erant. Hinc omnes antiqui ſcriptores hac de re loquuntur, tamquam vltimo baptiſmi privilegio, quod hiſce temporibus ſtatim ei additum ſit. Idque obſeruatum fuit non tantum de adultis, ſed de infantibus quoque. Ad quam conſuetudinem demonſtrandam in præſenti ſuffecerit teſtimonium GENNADII [k], qui baptiſmum infantium, confirmationem & euchariſtiam coniungit. *Si parvuli ſint*, inquit, *qui doctrinam non capiant, reſpondeant pro illis, qui eos offerunt, iuxta morem baptizandi: Et ſic manus impoſitione & chriſmate communiti, euchariſtiæ myſteriis admittantur.* Atque hæc conſuetudo ad nonum vſque ſæculum durauit, vti ex libris ritualibus iſtius æui apparet, quorum quidam a nobis ſupra [l] adlegati ſunt, & plures alii addi poterant: ſed hi alio ſpectant, vbi aptior locus erit tractandi de communione infantium inter res reliquas, ad euchariſtiam pertinentes, quæ vna cum antiqua pſalmodia, ſcripturarum lectione, verbi diuini prædicatione & precibus, vniuerſum officium eccleſiæ, ſub nomine *miſſæ catechumenorum & miſſæ fidelium*, conſtituentibus, argumentum proximi erunt voluminis, in quo de *liturgia eccleſiæ* exponere animum induximus.

## §. X.

## *De cærimonia lauandi pedes, in eccleſiis quibusdam retenta atque conſeruata.*

ALIA adhuc cærimonia erat, in eccleſiis aliquibus obſervata, ab aliis autem repudiata, de qua heic nonnulla carptim breuiterque dicere non abs re fuerit. Erat hæc conſuetudo lauandi pedes baptizatorum. VICECOMES [m] primam cærimoniam fuiſſe putat, baptiſmo præmiſſam & vſitatam *die viridium,*

(k) Gennad. de eccleſ. dogmat. cap. LII.

(l) Lib. XII. c. I. §. II.

(m) Vicecom. de ritib. bapt. lib. III. c. XX. Quo die pedes abluerentur. Beroldus poſt baptiſmi ritus, hanc cærimoniam refert; cum antiquitus die, Chriſti apoſtolorum pedes lauantis commemoratione celebri, præſtari ſoleret, vt multis argumentis probare facile eſt; nam pedum ablutio, quemadmodum ſupra diximus, ad detergendas corporis ſordes, quæ baptizanti ſtomachum facere poterant, inſtituta videtur, quæ ratio poſt baptiſmum locum non habet; deinde S. Ambroſius lib. III. de ſacramentis c. II. & lib. de initiat. c. VI. locis quæ attulimus, aperte ſignificat, pedes ablui conſueuiſſe, vt macula ortu contracta deleretur, cum poſt baptiſmum omnis peccati labes abolita

*dium*, quo ſeruator noſter (cuius ab exemplo petita erat) diſcipulorum ſuorum pedes lauit. Et hoc ex AVGVSTINI verbis elucere dicit, qui eius in duabus epiſtolis mentionem iniecerit. At enim vero in priore epiſtola [*n*] AVGVSTINVS de more lavandi totum corpus ante paſcha loquitur, vt ne catechumeni, quorum corpora per obſeruationem quadrageſimæ ſordidata erant, cum offenſione ſenſus ad ſacrum fontem accederent: hinc dies viridium eligebatur, quo ſordes corporis, quas contraxerant, lauando ſe eluerent. Et quia conceſſum erat hoc catechumenis baptiſmum ſuſcepturis, multi alii cum his hoc die lauare volebant, ieiuniumque relaxare: Ieiunare enim & lavare ſimul conſiſtere non poterant. Vt adeo hac lauatione non ſolos pedes, quidquid VICECOMES falſo dictitet, ſed vniverſum corpus ſuum circumpurgaſſe iudicandi ſint. Neque hæc lotio pro cærimonia religioſa, ſed tantum pro cærimonia ciuilis decentiæ habenda eſt, vt ne aliorum ſenſui moleſti eſſent, ad baptiſmum accedentes. In altera epiſtola ſpeciatim de lauandis pedibus loquitur, hoc autem poſt baptiſmum fiebat, die tertio octauarum, vel alio quodam tempore, quod, qui hanc cærimoniam retinebant, huic rei ducebant præſtitu-

ſit. Palladius quoque hiſtoria Lauſ. ſect. LXXIII. refert, duobus hiſtrionibus ante pedes ablutos eſſe, tum ſalutare baptiſma impertitum: ex quo ablutionem baptiſmo priorem fuiſſe omnes intelligunt. De die autem feriæ quintæ hebdomadis ſanctioris, vt rationes eas, quæ e coniecturis pendent, omittamus, S. Auguſtini certiſſimum eſt teſtimonium ep. CXVIII. ad Ianuar. quum ait: *Si autem quæris &c.* [vid. ſub litt. (n)]. Beroldus igitur, ſolum ſui temporis conſuetudinem expreſſit, quod indicant eius verba, quum baptiſmi trium puerorum meminit; qui antiquitus, quando in paſchate, vel pentecoſte baptizabantur, in vſu non erat; fieri enim potuit, vt quemadmodum teſte S. Auguſtino ep. ad Ianuar. CXIX. honoris ergo, a die altero in alterum, ea conſuetudo mutata eſt; ſic etiam Mediolani ad cærimonias poſt baptiſmum delata ſit, vt negligendi veri baptiſmi occaſio demeretur. Et ſic intelligendi ſunt, quotquot eam cærimoniam poſt baptiſmum numerarunt, cum poſteriorum temporum ratio habita ſit.

(*n*) Aug. epiſt. CXVIII. ad Ianuar. Si autem quæris, cur etiam lauandi mos ortus ſit: nihil mihi de hac re cogitanti probabilius occurrit, niſi quia baptizandorum corpora per obſeruationem quadrageſimæ ſordidata, cum offenſione ſenſus ad fontem tractarentur, niſi aliqua die lauarentur. Illum autem diem potius ad hoc electum, quo cœna domini anniuerſarie celebratur. Et quia conceſſum eſt hoc baptiſmum accepturis, multi cum his lavare voluerunt, ieiuniumque relaxare.

endum. Nam multos [o] hoc in consuetudinem prorsus noluisse recipere dicit, ne ad ipsum sacramentum baptismi videretur pertinere, quum seruator noster hoc tantum propter formam humilitatis commendarit. Nonnullos eadem de caussa consuetudinem, vbi recepta fuerit, abrogasse. Aliquos autem, vt hoc sacratiore tempore commendarent, & a baptismi sacramento distinguerent, vel diem tertium octauarum vel etiam ipsum octauum post baptismum, vt hoc facerent, elegisse. Inter ecclesias, quæ penitus reiecerunt vel abrogarunt hanc consuetudinem, ecclesia *Hispanica* est, quæ in concilio *Illiberritano* contra eam canonem fecit ita habentem: *Emendari placuit, vt hi, qui baptizantur, (vt fieri solet) nummos in concham non immittant: ne sacerdos, quod gratis accepit, precio distrahere videatur* (qua de re diximus copiosius [p], de reditibus ecclesiæ loquentes) *Neque pedes eorum lauandi sunt* [q] *a sacerdotibus vel clericis.* Illis ecclesiis, quæ hanc consuetudinem numquam receperunt, *Romanam* adnumerare possumus, & eis, quæ eam semper receperunt, *Mediolanensem*, cuius consuetudinem ecclesiæ *Romanæ* consuetudini opponit AMBROSIVS, vel quisquis librorum *de sacramentis, & de iis, qui mysteriis initiantur*, inter eius opera, auctor est. In ecclesia [r] *Mediolanensi* summum sacerdotem pedes baptizatorum la-

(o) Aug. epist. CXIX. ad Ianuar. c. XVIII. De lauandis vero pedibus, quum dominus hoc propter formam humilitatis, propter quam docendam venerat, commendaret, sicut ipse consequenter exposuit, quæsitum est, Quonam tempore potissimum res tanta etiam facto doceretur, & in illud tempus occurrit, quo ipsa commendatio religiosius inhæreret. Sed ne ad ipsum sacramentum baptismi videretur pertinere, multi hoc in consuetudinem recipere noluerunt. Nonnulli etiam de consuetudine auferre non dubitarunt. Aliqui autem, vt hoc sacratiore tempore commendarent, & a baptismi sacramento distinguerent, vel diem tertium octauarum, quia ternarius numerus in multis sacramentis maxime excellit, vel etiam ipsum octauum, vt hoc facerent, elegerunt.

(p) Lib. V. c. IV. §. XIV. volum. II. p. 278 -- 281.

(q) Concil. Illiber. c. XLVIII.

(r) Ambros. de sacram. lib. III. c. I. Succinctus summus sacerdos pedes tibi lauit. - Non ignoramus, quod ecclesia Romana hanc consuetudinem non habeat, cuius typum in omnibus sequimur & formam: hanc tamen consuetudinem non habet, vt pedes lauet. Vide ergo, ne propter multitudinem declinarit. Sunt tamen, qui dicant, & excusare conentur, quia hoc non mysterio faciendum est, non in baptismate, non in regeneratione: Sed quasi hospiti pedes lauandi sunt. Aliud est humilitatis, aliud sanctificationis.

vare

vare solitum esse dicit: *Romanam* vero ecclesiam hanc consuetudinem non habere: eamque propter multitudinem eorum, qui baptizari soleant, declinare putat. Ecclesia autem *Romana* dicebat, hoc non mysterio faciendum esse in baptismate siue in regeneratione, sed quasi hospiti pedes lauandos esse humilitatis studio. Contra ecclesia *Mediolanensis* omnino mysterium esse & sanctificationem contendebat, quia CHRISTVS dixerit *Petro: Nisi lauaro tibi pedes, non habebis mecum partem. Hoc ideo dico*, inquit auctor noster, *non quod alios reprehendam, sed mea officia ipse commendem. In omnibus cupio sequi ecclesiam Romanam, sed tamen & nos homines sensum habemus. Ideo, quod alibi rectius seruatur, & nos recte custodimus.* Porro subiungit, hoc non fieri ad obtinendam peccatorum remissionem; hoc enim in baptismate iam factum esse. *In baptismate*, inquit [s], *omnis culpa diluitur. Recedit ergo culpa. Sed, quia Adam supplantatus a diabolo est, & venenum ei effusum est supra pedes, ideo lauas pedes, vt in ea parte, in qua insidiatus est serpens, maius subsidium sanctificationis accedat, quo postea te supplantare non possit. Lauor ergo pedes, vt lauer venena serpentis. Ad humilitatem quoque proficit, vt in mysterio non erubescamus, quod non dedignamur in obsequio.* Hæ erant rationes, ab ecclesia *Mediolanensi* datæ, ob quas huic mori inhæreret. Verum non ita validæ erant, vt alios cœtus potuissent inducere, atque ita hæc consuetudo numquam in ecclesia christiana generatim est stabilita.

## §. XI.

*Obseruatio quædam generalis in vniuersam antecedentem dissertationem, cum respectu ad præsentis ecclesiæ consuetudinem.*

PERCVRRIMVS sic præcipuas cærimonias & consuetudines ecclesiæ, in administratione baptismatis obseruatas, easque actum illum tam antegressas, quam comitatas & insequutas; & quantum licuit, enarrauimus illas eo ordine & ratione, qua ipsa ecclesia eas obseruauit. Atque heic dissertationem finiemus generali quadam obseruatione, quæ quodammodo proderit ad vindicandam præsentis ecclesiæ praxin, & faciendum satis istis dissentientibus a nostra ecclesia, qui nostrum baptismi

Denique audi, quia mysterium est, & sanctificatio. *Nisi lauero tibi pedes, non habebis mecum partem.* Hoc ideo dico, non quod alios reprehendam, cetera.

(s) Ibidem.

officium propter vnam duasue innocentes significantesque cærimonias, in eo retentas ac consummatas, in dubium vocant. Candidus quisque lector per integram hanc dissertationem obseruabit, non vnam tantum duasue, sed multas significantes cærimonias ab ecclesia antiqua in baptismi administratione obseruatas, speciatim signum crucis ad minimum quater & quinquies in toto actu adhibitum fuisse. Proinde, qui hodie præsenti ecclesiæ officio opponunt, si priscis temporibus vixissent, de antiqua consuetudine conquerendi caussas multo grauiores habituri fuissent. Neque tamen facile inuenias, contra ecclesiæ baptismum, ratione cærimoniarum in eo vsitatarum, pugnatum fuisse, ne quidem ab eis, qui in aliis rebus ab ecclesia dissenserunt. Quæ consideratio, mea quidem sententia, illis aliquantum probabitur, qui pacem & vnitatem ecclesiæ ex vero æstimant, eritque iisdem argumento ad non dissentiendum a præsentis ecclesiæ praxi, propter res, quæ ipsos multo fortius compulsuræ fuissent ab omnis æui ecclesia dissentire. Equidem non scio, quatenus futurum sit, vt hæc consideratio hos illos conuincat, scio autem, quatenus omnes ac singulos conuincere debeat, qui pacem amant, & quieti student ecclesiæ, adeoque non potui non eam hoc loco opportune suggerere.

# *LIBRI DVODECIMI*

## *CAPVT QVINTVM*

## DE LEGIBVS CONTRA ITERATIONEM BAPTISMATIS TAM IN ECCLESIA, QVAM IN REPVBLICA LATIS.

### §. I.

*Non nisi vnum baptisma, proprie sic dictum, in ecclesia licitum. Et cur?*

QVAE de baptismo diximus, eis non inconsultum fuerit aliquid addere de legibus tam ecclesiasticis, quam ciuilibus contra iterationem eius latis, si semel debite esset administratus. Veteres generatim contra baptismi iterationem repugnant; tametsi VOSSIVS [a] eorum rationes non semper satis firmas

(a) Voss. de bapt. disput. XVII. n. V - XIV. p. 210-214.

esse

eſſe exiſtimet. Nonnulli eo argumento pugnabant, quod baptizemur in mortem Chriſti: Chriſtus autem ſemel tantum ſit mortuus. Ita BASILIVS [b] & AVGVSTINVS [c] & alii. VOSSIVS autem hoc argumentum nihil ſolide euincere putat, quia quod ſemel factum eſt, ſæpius repræſentari poſſit: quo modo ſæpius repetatur ſacramentum euchariſtiæ, quod fit in recordationem mortis dominicæ. Alii id probare conabantur ex verbis iſtis *CHRISTI* Ioan. XIII, 10. *Qui lotus eſt, non indiget, niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus.* Quo argumento OPTATVS, AVGVSTINVS, FVLGENTIVS, PACIANVS & AMBROSIVS vtuntur. Sed neque hanc rationem firmam eſſe, VOSSIVS iudicat: quia etiam multi, poſtquam baptiſmo ſunt abluti, denuo ſe polluant peccatis, iisque enormibus, inque iis permaneant immerſi: quales ſaltem prorſus eſſe immundos, fatendum; eoque, ſi pœnitentia ſeria ducantur, videri poſſint imperitis denuo baptizandi, ſi non alia ratio in contrarium detur. Alii pugnabant verbis apoſtoli Ebr. VI, 4. *Impoſſibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati, & prolapſi ſunt, rurſus renouare ad pœnitentiam.* Vetuſti interpretes, CHRYSOSTOMVS, THEODORETVS, PRIMASIVS, SEDVLIVS & HAYMO intelligunt hæc verba, quaſi hominem renouari ad pœnitentiam vetent per ſecundum aliquem baptiſmum. Non enim ſimpliciter negant, fieri poſſe, vt quis per

(b) Baſil. de ſpir. S. c. XV. *Ἓν οἴδαμεν τὸ σωτήριον βάπτισμα, ἐπειδὰν εἷς ἐστιν ὁ ὑπὲρ τοῦ κόσμου θάνατος, καὶ μία ἡ ἐκ νεκρῶν ἐξανάστασις, ὧν τύπος ἐστὶ τὸ βάπτισμα.* Vnum nouimus ſalutiferum baptiſma; quandoquidem vna eſt pro mundo mors, & vna ex mortuis reſurrectio; quarum figura eſt baptiſmus.

(c) Auguſt. vel alius potius, de vera & falſa pœnit. cap. III. Sicut ſemel Chriſtus crucifixus eſt; ſic baptiſmus iterandus non eſt. Vna enim morte ſua omnes redemit, vt amplius mori non oporteat: quod videns eccleſia, intellexit, non iterandum baptiſma.

Iſidor. lib. II. de offic. eccleſ. c. XXIV. Semel autem nos oportet in Chriſto lauari; quia Chriſtus ſemel pro nobis mortuus eſt. Si enim vnus Deus & fides vna eſt; neceſſarium eſt, vt & vnum baptiſma ſit: quia & Chriſti mors vna pro nobis eſt; in cuius imagine mergimur, per myſterium ſacri fontis, vt conſepeliamur Chriſto, morientes huic mundo, & ab iisdem aquis, quibus in forma reſurrectionis eius emergimus per myſterium, non reuerſuri ad corruptionem; ſicut & ille minime reuertitur ad mortem.

Damaſcen. lib. IV. orthod. fid. c. X. *ὥσπερ ἅπαξ ἐτελειώθη ὁ τοῦ κυρίου θάνατος, οὕτως καὶ ἅπαξ δεῖ βαπτίζεσθαι.* Quemadmodum ſemel completa eſt domini mors, ſic ſemel oportet baptizari.

ſecun-

secundam pœnitentiam veniam consequatur, sed per iteratum baptismum id fieri posse, pernegant. Atque ita VOSSIVS EPIPHANIVM [*d*], CYRILLVM ALEXANDRINVM [*e*], HIERONYMVM [*f*], AVGVSTINVM [*g*] & AMBROSIVM [*h*] hunc lo-

---

(*d*) Epiphan. haeres. LIX. Nouatian. *καὶ γὰρ τῷ μὲν ὄντι τοὺς ἅπαξ ἀνακαινισθέντας καὶ παραπεσόντας ἀνακαινίζειν ἀδύνατον· οὔτε γὰρ ἔτι γεννηθήσεται χριστὸς, ἵνα σταυρωθῇ ὑπὲρ ἡμῶν, οὔτε ἀνασταυροῦν δύναταί τις τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, τὸν μηκέτι σταυρούμενον·* οὔτε δύναταί τις λουτρὸν δεύτερον λαμβάνειν· *ἓν γάρ ἐστι* βάπτισμα, *καὶ εἷς ἐγκαινισμός· ἀλλὰ εὐθὺς ἐπιφέρει τὴν τούτων ἴασιν ἅγιος ἀπόστολος, τὴν ἐκκλησίαν ἰατρεύων, καὶ τῶν αὐτῆς μελῶν ἐπιμελούμενος, καί φησι· πεπείσμεθα κ. τ. λ.* Nam reuera qui semel renouati ceciderunt, renouari amplius non possunt. Neque enim nascetur amplius Christus, vt pro nobis in crucem agatur. Neque Dei filium in cruce suspendere quispiam potest, qui id vltra perpeti nequit. *Neque alteram quis vsurpare lotionem potest, quod vnus baptismus sit*, vnaque renouatio. Verum horum omnium remedium statim apostolus subiicit, vt & ecclesiae medicinam faciat, & illius membris consulat. Ait itaque, *Confidimus autem* &c.

(*e*) Cyrill. lib. V. in Ioan. cap. XVII. (Not. Vaga, si non falsa, adlegatio. Neque enim in commentario ipso locum illum Hebr. VI, 4. explicatum, neque in indice locorum scripturae S. notatum inuenio.)

(*f*) Hieron. contr. Iouin. lib. II. c. II. (tom. II. p. 361. g. h. edit. Paris. MDCXLIII.) *Impossibile est, eos, qui semel illuminati*, cet. Certe eos, qui illuminati sunt & gustauerunt donum caeleste, & participes facti sunt spiritus sancti, gustaueruntque bonum Dei verbum, negare non possumus baptizatos: si autem baptizati peccare non possunt: quomodo nunc apostolus dicit, *Et prolapsi sunt?* Verum ne Montanus & Nouatus hic rideant, qui contendunt, non posse renouari per pœnitentiam eos, qui crucifixerunt sibimet filium Dei & ostentui habuerunt: consequenter hunc errorem soluit, & ait: *Confidimus autem de vobis*, cetera.

(*g*) Augustin. in inchoat. commentar. in epist. ad Roman. (tom. IV. opp. p. 1177. edit. Basil. MDCLXIX.) Non possunt denuo baptizari, qui semel baptizati sunt, quamuis etiam post baptismum per ignorantiam veritatis peccauerint. Ita fit, vt quoniam sine baptismo nemo dicitur accepisse scientiam veritatis, omnis qui accepit eam, non ei relinquatur pro peccatis sacrificium, hoc est, non possit denuo baptizari. Nec tamen omnis, qui non accepit per doctrinam scientiam veritatis, debeat arbitrari, posse pro se illud offerri sacrificium, si iam oblatum est, id est, si iam eiusdem veritatis post baptismum sacramenta percepit, non potest iterum baptizari. -- Eos enim, qui iam baptizati fuerint, curari melius dicimus per pœnitentiam, non renouari: quia renouatio in baptismo est. Vbi quidem operatur pœnitentia, sed tamquam in fundamento. Manente itaque fundamento, recurari aedificium potest: si autem fundamentum iterare quis voluerit, totum aedificium subuertat, necesse est. cetera.

(*h*) Ambros. de pœnit. contr. Nouat. lib. II. c. II. tot.

cum

cum interpretari obſeruat. Sed vero interpretationem iſtam huic loco non ſatis conuenire, putat. Rectius autem eos interpretari dicit, qui verba illa intelligunt de blaſphemia in ſpiritum ſanctum, quæ non remittitur in hoc ſæculo, neque in futuro; ſiue de peccato ad mortem; pro quo rogari non vult *Ioannes*; ſiue de ἀποςασία a tota religione chriſtiana; pro qua non detur renouatio ad reſipiſcentiam. Nolo autem ita fidenter dicere, vti quidem VOSSIVS, hanc vel illam interpretationem huius textus eſſe meliorem, quem veteres ita vnanimes contra *Nouatianos* vrgent, vtpote qui non ſimpliciter reſipiſcentiam, ſed reſipiſcentiam per iterationem baptiſmatis reiiciat. Præterea dogma hoc probari cenſebant eo, quod Epheſ. IV, 5. dicitur: *Vna fides, vnum baptiſma.* Quo argumento contra baptiſmatis iterationem vſi ſunt CYRILLVS HIEROSOLYMITANVS, & LEO epiſcopus *Romanus.* At enim, obſeruante VOSSIO, hæc probabiliter non ad prohibendum ſecundum baptiſma, ſed ad declarandam duntaxat communitatem baptiſmatis, dicta ſunt, quod vnum idemque ab omnibus ſine vlla exceptione ſuſcipitur. Quomodo apoſtolo euchariſtia *vnus panis* dicitur, non quod repeti non debeat, ſed quod communis panis eſt, quem omnes participant. Veram autem rationem, cur baptiſmus non ſit iterandus, VOSSIVS putat eſſe voluntatem diuinam. Neque enim in loco proprio, vbi baptiſmus inſtituitur a Chriſto; nec alibi vſquam iterare baptiſmum iubemur, vti de repetenda ſacra cœna, in verbis inſtitutionis mandatum habemus. Neque vllum rebaptizatum fuiſſe legimus, quum tamen tot grauiter lapſorum poſt baptiſmum exempla in ſcripturis habeamus. Quibus addi poteſt, quod circumciſioni ſucceſſerit baptiſmus, tamquam introitus & ſigillum fœderis, quod ex parte Dei numquam frangitur. Vt adeo, quemadmodum circumciſio numquam repetita fuit, etſi paſcha; ita homines per baptiſmum fœdus ineant, cuius ruptio non per baptiſmi iterationem, ſed per confeſſionem & reſipiſcentiam reparanda ſit, quæ methodus eſt, ad erigendos lapſos fratres ab apoſtolo præſcripta. HIERONYMVS [i] obſeruat, quod licet multi hæ-

(i) Hieron. contr. Lucifer. c. VIII. De apocalypſi quoque approbemus, hæreticis ſine baptiſmo debere pœnitentiam concedi. Numquid dixit, Rebaptizentur, qui in Nicolaitarum fidem baptizati ſunt?

retici apostolorum ætate fuerint, vt *Nicolaitæ* & alii, nusquam tamen rebaptizandi dicantur, si resipiscant. Et OPTATVS [k] vnitatem circumcisionis argumentum pro vnitate baptismatis facit, qua in re catholici & *Donatistæ* conueniebant. Quamuis enim *Donatistæ* catholicos rebaptizarent, hoc tamen non faciebant sub secundi baptismatis notione, sed quia baptismum catholicorum non habebant pro sacramento, adeoque illos non vere baptizatos esse iudicabant.

§. II.

*Apud vnos* Marcionitas *baptismum ter dare vsitatum.*

EQVIDEM inter omnes antiquos hæreticos nullos pro pluribus dandis baptismis contendisse inuenimus, præter vnos *Marcionitas*. Quod EPIPHANIVS a *Marcione* [l], illorum antesignano, ad infamiæ suæ remedium excogitatum esse obseruat. *Nam*, inquit, *quum virginem in patria stuprasset & ingentibus flagitiis conuictus aufugisset, alterum sibi circumforaneus iste baptismum adsciuit; licere pronuntians ter omnino aquis elui, ac baptismo peccatorum ad condonationem expiari. Vt si quis post vsurpatum priorem peccauerit, ad secundum cum pœnitentia confugiat, similiterque tertium, si post secundum iterum se delictis obstrinxerit.* Ad quod commentum suum dictum saluatoris eum adcommodasse narrat, qui a *Ioanne* iam baptizatus discipulis suis dixerit: *Baptisma habeo baptizari, & quid volo, nisi vt perficiam ipsum?* Quæ autem verba non ad baptismum aquæ, sed ad baptismum sanguinis, hoc est, ad passionem & mortem eius pertinent. De quo baptismo veteres tam frequenter loquuntur, quam de aliis quibusdam baptismis metaphoricis, cuiusmodi sunt baptismus adflictionum, baptismus lacrimarum & pœnitentiæ, & baptismus ignis in die nouissimo. Heic autem tantummodo quæstio est de baptismo proprie di-

(*k*) Optat. lib. I. p. 37. Quid magis dici pro nobis & nostrum esse potest, quam quod dixisti, in comparationem baptismatis semel factum esse diluuium? Et singularem circumcisionem salubriter profecisse populo Iudæorum, magis pro nobis, quasi noster loquutus es.

(*l*) Epiphan. hæres. XLII. Marcionit. num. III. *ἐπειδὴ φθείρας ἐν τῇ ἑαυτοῦ πόλει τὴν παρθένον, καὶ ἀποδράσας μὲν ἐν παραπτώματι μεγάλῳ εὑρέθη, ἐπενόησεν ὁ ἀγύρτης ἑαυτῷ δεύτερον λουτρὸν, φήσας· ὅτι ἔξεστιν ἕως τριῶν λουτρῶν, τουτέστι τριῶν βαπτισμῶν, εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν δίδοσθαι· ἵν' εἴ τις παραπέσειεν εἰς τὸ πρῶτον, λάβῃ δεύτερον μετανοήσας, καὶ τρίτον ὡσαύτως, ἐὰν ἐν παραπτώματι μετὰ τὸ δεύτερον γένηται.*

cto aquæ, quem *Marcionitæ* ter ſeparatis temporibus in eumdem modum repeti poſſe adfirmabant, quod autem numquam permittebant catholici.

## §. III.

### *Quod eccleſia in caſibus dubiis fecit, id pro iteratione baptiſmi non habitum.*

Erant quidem caſus dubii, in quibus poterat accidere, vt quis ſecundum baptiſmum reciperet; ſed hoc tantummodo fiebat, ſi iſtiusmodi homo numquam antehac baptizatus eſſe crederetur. Vt quum quis de baptiſmo ſuo rationem reddere ipſe non poſſet, nec teſtes fide digni eſſent, qui eum baptizatum eſſe teſtarentur. Id quod ſæpe vſu venire ſolebat illis, qui infantes in captiuitatem abducti & ſeruitutis iugum ſubire coacti fuerant ab ethnicis. Si qui eorum a chriſtianis redimerentur, eccleſia illos baptizare non dubitabat, quod licet iam olim baptizati eſſe poſſent, documentum tamen eius rei nullum exſtaret. Atque ita hic baptiſmus pro iterato non habebatur. Canon hanc in rem a concilio *Carthaginenſi* quinto factus legitur, ſuper quæſtione ab epiſcopis *Mauritaniæ* propoſita, qui ſe multos tales infantes a barbaris redimere adfirmabant. Concilium igitur hunc in modum decernebat [m]: *Placuit de infantibus, vt quoties non inueniuntur certiſſimi teſtes, qui eos baptizatos eſſe ſine dubitatione teſtentur, neque ipſi ſint per ætatem idonei de traditis ſibi ſacramentis reſpondere, abſque vllo ſcrupulo eos eſſe baptizandos, ne iſta trepidatio eos faciat ſacramentorum purgatione priuari.* Simile decretum in ſynodo quadam *Romana* ſub *Leone* in eadem cauſſa datum eſt: *Non poteſt* [n] *in iterationis crimen deuenire, quod factum eſſe omnino neſcitur.* Et Leo ipſe hanc rem ad eumdem modum alibi [o] decidit: *Si*, inquiens, *nulla exſtant indicia inter propinquos*

(m) Concil. Carth. V. can. VI. (tom. II. conc. p. 1216.)
Vid. cod. eccleſ. Afric. c. LXXII. vbi verba græca ſic habent: Ὁμοίως ἤρεσε περὶ τῶν νηπίων, ὁσάκις μὴ εὑρίσκονται βέβαιοι μάρτυρες, οἱ ταῦτα ἀναμφιβόλως βαπτισθέντα εἶναι λέγοντες· καὶ οὐδὲ αὐτὰ διὰ τὴν κεῖραν περὶ τῆς παραδοθείσης αὐτοῖς μυσταγωγίας ἀποκρίνεσθαι ἐπιτηδείως ἔχωσι, χωρίς τινος προσκόμματος ὀφείλειν ταῦτα βαπτίζεσθαι, μή ποτε ὁ τοιοῦτος δισταγμὸς ἀποστερήσῃ αὐτὰ τῆς τοιαύτης τοῦ ἁγιασμοῦ καθάρσεως. Conf. Concil. Trull. c. LXXXIV. vbi eadem verba leguntur.

(n) Leo epiſt. XXXVII. ad Leon. Rauen. (tom. III. concil. p. 1316. b.)

(o) Id. epiſt. XCII. ad Ruſtic. c. XVI. (ibid. p. 1408.)

*aut familiares, nulla inter clericos aut vicinos, quibus hi, de quibus quæritur, baptizati fuisse doceantur; agendum est, vt renascantur, ne manifeste pereant, in quibus, quod non ostenditur gestum, ratio non sinit, vt videatur iteratum.* Verum tamen, perinde ac baptismus clinicorum, aliquid probri hic baptismus habebat, vt ecclesiasticis muneribus eos arceret, nisi magna aliqua necessitas illos iuberet ordinari, vti ex THEODORI [p] *pœnitentiali*, a GRATIANO citato, apparet.

## §. IV.

*Neque quando eos baptizauit, qui minus legitime antea in hæresi vel schismate baptizati fuerant.*

NEQVE id secundum baptisma credebatur, si quos baptizaret ecclesia, qui antea minus legitime baptizati erant in hæresi vel schismate. Tunc enim hoc faciebat tamquam persuasum habens, illos numquam verum baptisma accepisse. Nonnulli hæretici baptismum corrumpebant, necessariam eius formam variando, & alii illum corrumpebant, materiam eius alia quadam substantia pro arbitratu suo permutando. Quorum omnium baptismi nulli habebantur, adeoque ecclesia eos omnes, ad communionem suam redeuntes, perinde ac *Iudæos* & gentiles, baptizandos esse decernebat, priorem baptismum, quem venditabant, omnino nullum, suum autem primum verum baptismum eis datum esse statuens. Quid? quod ipsi *Cyprianistæ*, qui omnes, qui in hæresi vel schismate quocumque baptizati erant, sine vllo discrimine baptizabant, id tantum ex hac faciebant hypothesi, quod baptismus, quem antea accepissent, inanis & nullus esset. Si quis vero in catholica ecclesia baptizatus esset, & postmodum hæreticus fieret vel schismaticus, vel religione christiana deserta ad *iudæos* vel gentiles transiret, ei ad ecclesiam redeunti istiusmodi secundum baptismum numquam tribuebant.

## §. V.

*Apostatæ numquam in ecclesia catholica rebaptizati.*

CYPRIANISTAE in hoc cum reliquis de ecclesia catholi-

(p) Theodor. pœnitent. ap. Gratian. dist. IV. de consecrat. cap. CXVII. Qui bis ignoranter baptizati sunt, non indigent pro eo pœnitere: Nisi quod secundum canones ordinari non possunt, nisi magna aliqua necessitas cogat.

ca

ca conueniebant, vt baptiſmum catholicum in perditiſſimis apoſtatis non iterandum eſſe ſtatuerent. Hanc doctrinam non tantum AVGVSTINVS [q] inculcat, ſed ipſe etiam CYPRIANVS, & qui eius opinionem propugnant. Vbi pro baptizandis eis, qui in hæreſi vel ſchiſmate baptizati erant, pugnant acriter, eos tamen hæreticos excipiunt, qui in eccleſia catholica fuerant ante baptizati; quos, vtvt poſtmodum deſertores factos, non per baptiſmum [r], ſed per pœnitentiam eccleſiæ, reconciliari debere ſtatuunt, quemadmodum in concilio *Carthaginenſi*, cui præſidebat CYPRIANVS, decretum legimus. AVGVSTINVS ad hunc ipſum locum nos remittit, & hinc concludit, eſſe hoc dogma in eccleſia catholica vniuerſim receptum, ob nullum lapſum vel crimen neceſſarium id effici, vt is ſecundo baptiſmate donetur, qui ſemel vere in eccleſia catholica baptizatus ſit. Longior quidem pœnitentia iſtiusmodi deſertoribus

(q) Auguſt. de bapt. lib. II. cap. I. (tom. VII. opp. p. 3,r. a. edit. Baſil. MDLXIX.) Si potuit Petrus contra veritatis regulam, quam poſtea eccleſia tenuit, cogere gentes iudaizare, cur non potuit Cyprianus contra regulam veritatis, quam poſtea tota eccleſia tenuit, cogere hæreticos vel ſchiſmaticos denuo baptizari.

(r) Concil. Carthag. ap. Cypr. n. VIII. Cenſeo omnes hæreticos & ſchiſmaticos, qui ad eccleſiam catholicam voluerint venire, non ante ingredi, niſi exorciſati & baptizati prius fuerint; exceptis ſane, qui in eccleſia catholica fuerint ante baptizati, ita tamen, vt per manus impoſitionem in pœnitentiam eccleſiæ reconcilientur. Ibid. n. XXII. Cenſeo, flebiles & tabidos hæreticos baptizandos eſſe, quum ad eccleſiam venire cœperint; & ſacra & diuina lauatione lotos, & lumine vitæ illuminatos, - - in eccleſiam recipi: abſque his, qui de eccleſia fideles ſupplantati, ad hæreſis tenebras tranſierant: ſed eos per manus impoſitionem reſtituendos.

Cypr. epiſt. LXXI. ad Quint. p. 194. (p. 303. edit. Amſtelod.) Quod nos quoque hodie obſeruamus, vt quos conſtet heic baptizatos eſſe, & a nobis ad hæreticos tranſiiſſe, ſi poſtmodum peccato ſuo cognito & errore digeſto, ad veritatem & matricem redeat, ſatis ſit in pœnitentiam manum imponere; vt quia ouis fuerat, hanc ouem abalienatam & errabundam in ouile ſuum paſtor recipiat. Si autem, qui ab hæreticis venit, baptizatus in eccleſia prius non fuit, ſed alienus in totum & profanus venit; baptizandus eſt, vt ouis fiat, quia vna eſt aqua in eccleſia ſancta, quæ oues faciat.

Id. epiſt. LXXIV. ad Pompeium p. 216. (p. 318.) Obſeruatur a nobis & tenetur explorata & perſpecta veritate vt omnes, qui ex quacumque hæreſi ad eccleſiam conuertuntur, eccleſiæ vnico legitimo baptiſmo baptizantur, exceptis his, qui baptizati in eccleſia prius fuerunt, & ſi ad hæreticos tranſierant: hos enim oportet, quum redeunt, acta pœnitentia per manus impoſitionem ſolam recipi, & in ouile, vnde errauerant, a paſtore reſtitui.

 & apo-

& apostatis irrogabatur, qui in ecclesia, quam illis, qui apud hæreticos primitus baptizati fuerant, quemadmodum ex regulis INNOCENTII pontificis discimus [s]; Illi sub longa pœnitentiæ satisfactione admittendi erant, hi vero per manus tantum impositionem suscipi poterant. Adhuc tamen ecclesia regulæ suæ pertinaciter inhærebat, vt, quocumque modo eos reciperet, per secundum aliquem baptismum id facere nollet.

## §. VI.

*Quinam hæretici catholicos rebaptizarint.*

QVIDAM hæretici eiusdem regulæ videri nolebant esse studiosi: Catholicos enim rebaptizabant, & tamen hoc secundum baptisma esse, nolebant concedere; eo, quod catholicos hæreticos eorumque baptismum nullius valoris esse, crederent. Ex hoc fundamento *Nouatiani* rebaptizabant catholicos, quomodo ex CYPRIANO [t] & modo citata epistola INNOCENTII videre est. *Donatistæ* in hac sacrilega praxi sequebantur *Nouatianos*, quemadmodum huius rei sæpius ab AVGVSTINO [u] aliisque compluribus insimulantur. *Eunomiani* non modo eos rebaptizabant, qui a catholicis aut aliis hæresibus, sed etiam, qui ab ipsismet *Arianis* deficiebant, quemadmodum de illis memoriæ prodidit EPIPHANIVS [x]. Et reliqui *Ariani*, vtvt initio

(s) Innocent. ep. II. ad Victricium c. VIII. Vt venientes a Nouatianis vel Montensibus per manus tantum impositionem suscipiantur. Quia quamuis ab hæreticis, tamen in Christi nomine sunt baptizati: Præter eos, si qui forte a nobis ad illos transeuntes, rebaptizati sunt: Hi si resipiscentes & ruinam suam cogitantes, redire maluerint, sub longa pœnitentiæ satisfactione admittendi sunt.

(t) Cyprian. epist. LXXIII. ad Iubaian. Nec nos mouet, quod in litteris tuis complexus es, Nouatianenses rebaptizare eos, quos a nobis sollicitant.

(u) August. contr. Fulgent. c. VII. Da mihi aliquem sanctorum post trinitatem rebaptizare, quod facis.
It. de hæres. cap. LXIX. Audent etiam rebaptizare catholicos, vbi se amplius hæreticos esse firmarunt, quum ecclesiæ catholicæ vniuersæ placuerit, nec in ipsis hæreticis baptisma commune rescindere. Vid. Cod. Theod. lib. XVI. tit. VI. Ne sanctum baptisma iteretur. leg. IV. Honorii. In tantum sceleris progressi dicuntur ii, quos Donatistas vocant, vt baptisma sacrosanctum, mysteriis recalcatis, temeritate noxia, iterent, & homines semel, vt traditum est, munere diuinitatis ablutos, contagione profanæ repetitionis infecerint: ita contigit, vt hæresis ex schismate nasceretur. Inde male credulas mentes ad spem secundæ indulgentiæ blandus error inuitat. cetera,

(x) Epiphan. hæres. LXXVI. Anomœor. p. 992. ἀναβαπτίζει γὰρ τοὺς ἤδη βαπτισθέν-

huic

huic consuetudini aduersantes (quemadmodum PAPEPROCIVS [y] & PAGIVS [z] recte obseruant, ad confutandam eorum fabulam, qui *Constantinum* a *Siluestro Romæ* baptizatum esse dicunt, sed *Nicomediæ* rebaptizatum ab *Eusebio*; quum isthoc tempore *Ariani* morem rebaptizandi catholicos nondum adsumsissent:) postmodum tamen circum ætatem *Augustini* ei obsequi cœperunt. Nam hic plus vice simplici [a] illos incusat, quod catholicos rebaptizent. Et ex VICTORE VTICENSI [b] apparet, quod tempore persecutionis *Vandalicæ* huic consuetudini adhuc

*τας, ου μόνον τους από ορθοδόξων προς αυτον ερχομένους, και αιρέσεων, αλλα και τους απ' αυτων των Αρειανων.*

(y) Papebroch. vit. Constant. Mai. XXI. tom. V. p. 17. c. Hinc porro intelligitur, inanem esse conatum quorundam paucorum, qui vtramque de Constantini baptismo reconciliaturi, Romæ quidem a Siluestro baptizatum esse dicunt; sed Nicomediæ rebaptizatum ab Eusebio. Cetera vid. sub litt. seq. (z).

(z) Pagi Critic. in Baron. an. CCCXXIV. n. XII. (n. XV. edit. Antwerp. MDCCV.) Neque audiendi, qui vtramque de Constantini baptismo sententiam conciliaturi, Romæ quidem a Siluestro baptizatum esse dicunt, sed Nicomediæ rebaptizatum ab Eusebio. Nam rebaptizationem ab Arianis ante Vandalicæ persecutionis tempora tentatam nemo cum fundamento dixerit, nec debet, tota antiquitate silente, recipi: multo minus, eam iam a tempore Constantini imperatoris vsurpatam. Quis enim eo viuente ausus fuisset Nicenæ fidei professores, quam ille semper & vbique spectabat, & omnino saluam tectam volebat, adfirmare hæreticos, quorum proinde baptismus inualidus crederetur. Vt autem Ariani iam tunc tale quidpiam clam ausi essent, nec dum posset dici, quod Eusebius, Arianismi notam conatu omni a sese tunc adhuc amoliri studens, partem habuerit in ea impietate, vt ait Papeprocius in vita S. Constantini M. die XXI mensis Maii, ex quo hoc de Constantini baptismo exscripsi, ne acta agerem.

(a) Aug. de hæres. c. XLIX. Rebaptizari quoque ab his catholicos nouimus, vtrum & non catholicos nescio.
Id. de hæres. c. VII. Speluncam fabricat, illic catholicum præfocat, christianum vocat paganum, *baptizato ingerit baptismum*, contra id quod scriptum est: Qui semel lotus est, non indiget denuo lauari.

(b) Vict. de persecut. Vandal. lib. I. bibl. patr. tom. VII. p. 590. (tom. VIII. p. 677. c. edit. Lugd. MDCLXXVII.) Apprehendens Sebastianus (a Geiserico rege monitus, vt ad Arianorum sacra transiret) mundissimum panem similaceum, ita fatus est: Hic panis, vt ad tantum decorem veniret, & mensæ regiæ necessarius haberetur, discussa spuria furfuris, ex massa similaginis conspersus, per aquam transiit & ignem: idcirco & adspectu clarus, & esu suauis habetur. Ita & ego mola catholicæ matris commolitus & cribro examinationis vt simila munda purgatus, *rigatus sum aqua baptismatis*, & igne sancti spiritus coctus. Et vt hic panis de furno, ita & ego per officia sacramentorum diuinorum, artifice Deo *de fonte* mundus adscendi. Sed fiat, si

serui-

seruierint; & postea in epistolis VIGILII [c] idem offendimus. VALESIVS [d] vitam FVLGENTII & auctorem *breuiarii fidei*, a SIRMONDO olim in lucem editi, in eamdem sententiam adlegat. Apud quem posteriorem auctorem [e] legimus, quod *Ariani* non solum rebaptizauerint catholicos, sed inde etiam argumentari soliti sint, (vti quidam ex *Romanensibus* alia in caussa contra protestantes argumentantur) quod in eo melior esset ipsorum baptismus, quam catholicorum, quia, qui de *Arianis* ad catholicos transirent, ab his non rebaptizentur, sed per manus duntaxat impositionem reconcilientur: Illi autem, *Ariani*, si quos de catholicis seducere possent, rebaptizent.

## §. VII.

### *Quænam pœnæ per leges ecclesiasticas & ciuiles iterum baptizantibus inflictæ sint?*

IAM vero ad impediendam hanc petulantiam, quo minus per ecclesiam serperet, multæ eæque seueræ leges aduersus eam tam ab ecclesia, quam a sæcularibus potestatibus, latæ sunt. Ecclesia per canones suos [f] non tantum reprehendebat da-

velis, quod ipse propono. Iste panis confringatur in frusta, madidetur aqua, & *iterum* conspergatur, mittatur in furnum. Si melior exierit, faciam quod hortaris.

(c) Vigil. epist. II. ad Euther. c. III. De his etiam, qui baptismatis gratia salutaris accepta apud *Arianos iterum baptizati*, cetera.

(d) Vales. not. in Sozomen. lib. VI. c. XXVI. Ariani catholicos ad se venientes rebaptizabant, vt notum est. Qua de re locus est illustris in breuiario fidei aduersus Arianos, quod olim edidit Iacobus Sirmondus. *Dicere etiam solent de baptismo*, cet. [vid. litt. seq. (e)]. Idem testatur vetus auctor vitæ sancti Fulgentii c. XXI.

(e) Breuiar. fidei aduersus Arianos: Dicere etiam solent de baptismo, quod in eo melior sit ipsorum baptismus, quam noster; quia qui de illis ad nos conuertuntur, non eos rebaptizamus, sed per manus reconciliationem reconciliamus. Illi vero, si quos de nostris seducere possint, inconsideranter rebaptizant.

(f) Vid. cod. eccles. African. c. XLVIII. (tom. II. conc. p. 1072.) *ὥστε μὴ ἐξεῖναι, γίνεσθαι ἀναβαπτίσεις.* Vt non liceat fieri rebaptizationes.
Const. apost. lib. VI. c. XV. *Ὁμοίως καὶ βαπτίσματι ἑνὶ ἀρκεῖσθαι μόνῳ, τῷ εἰς τὸν τοῦ κυρίου θάνατον δεδομένῳ· μήτε τὸ παρὰ τῶν ὁσίων, ἀκυρούσθω διὰ δευτέρου· ὡς εἷς ὁ τοῦ κυρίου ἐν σώματι θάνατος· οὕτως ἓν καὶ τὸ εἰς αὐτὸν διδόμενον βάπτισμα· τοὺς μεμυημένους, ἐκ δευτέρου βαπτίζειν πειρώμενοι, ἀνασταυροῦσι τὸν κύριον, ἀναιροῦσιν αὐτὸν ἐκ δευτέρου, γελῶσι τὰ θεῖα, μυκτηρίζουσι τὰ ἅγια, ὑβρίζουσι τὸ πνεῦμα, τὸ αἷμα, τὸ ἅγιον, ὡς κοινὸν ἀτιμάζουσιν.* Itidem contentos esse debere vno baptismo solo, in mor-

mnabat.

mnabatque omnes iſtas rebaptizationes, vt impias & nefarias, quibus iterum Chriſtus crucifigeretur, iterum interficeretur, diuina irriderentur, deluderentur ſancta, contumelia adficeretur ſpiritus, & ſanctus ille ſanguis vt communis inhoneſtaretur; ſed pœnas etiam infligebat, tam eis, qui baptizati eſſent, quam illis, qui baptizaſſent. In concilio *Ilerdenſi* [g] fideles cum rebaptizatis edere vetantur. Canones INNOCENTII [h] pontificis longam eis pœnitentiam & ſatisfactionem iniungunt. Et canones LEONIS [i] eos etiam, qui metu ad iterandum baptiſmum coacti ſint, pœnitentiam agere iubent, tempus pœnitudinis conſtituente epiſcopo, antequam denuo ad eccleſiam admittantur. Si qui epiſcopi, presbyteri vel diaconi ſecundum baptiſmum ſuſcepiſſent, de gradu deiecti per omnem vitam pœnitere debebant, nec orationi, non modo fidelium, ſed nec catechumenorum, intereſſe eis licebat, & in morte communio laica tantum illis reddebatur, quia non ſolum dignitatem ſuam eccleſiaſticam, ſed ipſam religionem chriſtianam per iteratum baptiſmum abieciſſe, & paganos ſe palam profeſſi eſſe credebantur. Hoc in decretis legimus FELICIS III, factis in concilio quodam *Romano* [k], reſpectu habito ad eccleſias *Africanas*,

---

tem domini traditos; - - Neque a ſanctis conceſſus, per ſecundum baptiſmum infirmetur. - - Vt vna mors domini in corpore, ita vnum ſit baptiſma in eam mortem datum. - Qui baptiſmo initiatos, ſecundo nituntur baptizare, iterum dominum crucifigunt, iterum eum interficiunt, diuina irrident, deludunt ſancta, contumelia adficiunt ſpiritum, ſanctum illum ſanguinem vt communem inhoneſtant.

(g) Concil. Ilerd. c. XIV. Cum rebaptizatis fideles religioſi nec in cibo participent.

(h) Innocent. ep. II. ad Victric. c. IX. Qui rebaptizati ſunt, ſub longa pœnitentia & ſatisfactione admittendi ſunt.

(i) Leo epiſt. LXXIX. ad Nicetam c. VI. Qui ad iterandum baptiſmum vel metu coacti ſunt - non niſi per pœnitentiæ remedium & per impoſitionem epiſcopalis manus communionis recipiant vnitatem.

(k) Felix epiſt. I. c. II. Eos, quos epiſcopos, presbyteros vel diaconos fuiſſe conſtiterit, & ſeu optantes forſitan, ſeu coactos lauacri illius vnici ſalutariſque claruerit feciſſe iacturam: & Chriſtum, quem non ſolum dono regenerationis, verum etiam gratia percepti honoris induerant, exuiſſe; quam

in quibus tales rebaptizationes frequenter fiebant, *Arianis* catholicos rebaptizari compellentibus. Hæc erat antiqua ecclesiæ disciplina in eos, qui secundum baptismum sibi dari passi erant, iam ante semel baptismate catholico vere baptizati. Deinde episcopis & presbyteris, qui secundum eiusmodi baptismum illis, qui vere baptizati erant, dedisse deprehendebantur, canones abdicationem officii [*l*] decernebant. Et hanc pœnam lex ciuilis confirmabat. Nam VALENTINIANVS imperator edictum contra rebaptizantes promulgabat, quo illi sacerdotio indigni declarabantur [*m*]. Quoniam vero istæ pœnæ *Donatistas* vel *Eunomianos* non multum adficerent, qui iam extra ecclesiam constituti illius censuras flocci pendebant: ideo HONORIVS priores leges confirmabat, multam ciuilem illis subiungens. Nam duabus legibus contra *Donatistas*, huius criminis præcipue reos, factis, statuebat [*n*], facultatum omnium publicatione multandum esse eum, qui quempiam rebaptizasse detectus esset. Et THEODOSIVS iunior [*o*] eamdem pœnam

constet, neminem ad secundam tinctionem peruenire potuisse, nisi se prilam christianum negaret, - vsque ad exitus sui diem, si resipiscant, iacere conueniet, nec orationi non modo fidelium, sed nec catechumenorum omnimodis interesse, quibus communio laica tantum in morte reddenda est.

(*l*) Vid. can. apost. c. XLVII. *ἐπίσκοπ@, ἢ πρεσβύτερ@ τὸν κατὰ ἀλήθειαν ἔχοντα βάπτισμα, ἐὰν ἄνωθεν βαπτίσῃ - καθαιρείσθω.* Episcopus aut presbyter, eum, qui vere habet baptismum, si denuo baptizauerit - - deponatur.

(*m*) Theod. lib. XVI. tit. VI. de non iterando baptismo leg. I. Antistitem, qui sanctitatem baptismi iterata vsurpatione geminauerit, & contra instituta omnium eam gratiam iterando contaminauerit, sacerdotio indignum esse censemus.

(*n*) Ibid. leg. IV. Quisquis post hæc fuerit rebaptizasse detectus - facultatum omnium publicatione multatus, inopiæ pœnam expendat.
Ibid. leg. V. Ne diuinam gratiam, sub repetito baptismate pollutam, Donatistarum secreta violarent, & fallendi occasionem, seueritate huius præceptionis, abolemus, statuentes, vt cetera huius homines pœna sequatur, legisque censuram experiantur vltricem, qui in catholicam religionem peruerso dogmate commisissent. Iubemus igitur, vt si quis posthac fuerit rebaptizasse detectus, iudici, qui prouinciæ præsidet, offeratur, vt facultatum omnium publicatione multatus inopiæ pœnam expendat.

(*o*) Ibid. leg. VII. Theodosii. Nefarios Eunomianorum cœtus ac funesta conuenticula penitus arceri iubemus eos, qui episcoporum, seu clericorum, vel ministrorum nomine vsurpato, huiusmodi cœtibus præsunt - quum in hoc

*Euno-*

*Eunomianis*, & qui ab his rebaptizati essent, imponebat, ipsos, bonis eorum publicatis, proscribi iubens. Hoc erat tam reipublicæ, quam ecclesiæ gubernatorum studium ac cura, vnitatem baptismi in ecclesia catholica conseruandi. Verum vt GOTHOFREDVS, mea quidem sententia, recte obseruat, hæ leges contra istos solum hæreticos latæ videntur, qui catholicorum mysteriis iam initiatos baptizarent. Si enim hæretici hæreticos rebaptizassent, vt *Eunomiani Arianis* reliquis faciebant, non videtur hæc pœna in isthoc casu eos adfecisse, sed tantum ad insolentiam eorum in ecclesiam catholicam reprimendam spectasse. Nonnullæ catholicæ ecclesiæ adhuc more *Cyprianico*, hæreticos & schismaticos quoscumque rebaptizare pergebant, ne iis quidem exceptis, qui in nomine *TRINITATIS* fuerant baptizati. Quod licet contra generalem consuetudinem & disciplinam ecclesiasticam pugnaret, pœnas tamen, his legibus constitutas, illos non adfecisse credo. Et idem de illis dici poterit, qui eos rebaptizari oportere persuasum habebant, qui tantum a laico quodam erant baptizati. Tametsi enim hoc secundum baptisma ab illis ecclesiis, quarum diuersa erat consuetudo, habebatur; non tamen ista scelerata baptismatis iteratio erat, contra quam leges istæ præcipue erant rogatæ. Et hæ quum aliquo modo de magis dubiis & controuersis caussis factæ essent, circa quas ipsi boni catholici alii ab aliis dissentiebant, maior in his conniuentia locum habebat, quamdiu homines tantum consuetudinem & praxin ecclesiarum, in quibus degebant, circa eas obseruabant. Quod BASILII erat monitum ad ecclesias *Asiæ*, quæ de hisce quæstionibus inter se dissidebant.

fuerint scelere deprehensi, stilum præscriptionis incurrere, & bonorum amissione coërceri. Eos vero, qui fide, vt dictum est, imbutos immani furore rebaptizare deteguntur, cum his, qui rebaptizantur (arceri iubemus).

(*p*) Gothofred. ad cod. Theod. lib XVI. tit. VI. leg. VI. Obseruandum, hanc pœnam imponi seuerissimam, non omnibus baptisma iterantibus, verum his, qui orthodoxorum ritu seu mysteriis iam initiatos baptizarunt; - - procul dubio enim impune cessit rebaptizantibus, si quos ex hæreticis, veluti Arianis ad sectam suam concedentibus rebaptizassent; quod Eunomianos fecisse, ostendi ad l. XVII. supr. de hæreticis.

S. D. G. S.

